Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXXV
D
29
NAPOLI

Digitized by Google

XXXV. D. 29

Digitized by Google

Digitized by Google

GABRIELIS NAVDAEI

SYNTAGMA
de
STVDIO MILITARI

Ad Illuſtriſſimum Iuuenem

LVDOVICVM

ex

COMITIBVS GVIDIIS A BALNEO.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI



ROMAE,
Ex Typographia Iacobi Facciotti. MDCXXXVII.
SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

A V C T O R
BENEVOLO LECTORI.

MVltorum hoc tempore qui ſtudia humaniorum literarum tractant conſilium eſt, non poſſe quemquam ſumma cum laude in illis verſari, qui non ipſis ſibi præſertim vtendum exiſtimet, ad illuſtrationem rerum veteris memoriæ, aut eorum ſcriptorum, qui iam inde à meliori æuo, earundem quoque explicationi, ſibi incumbendum eſſe duxerunt; vnde pertinaci hac ſtudioſorum hominũ contentione factum eſt, vt nullus auctor antiquus non expolitus, læuigatuſque fuerit ad Criticorum mentem & aridam plerumque pumicem; nulluſque ritus adeo circumſeptus ſit priſcorum ſæculorum caligine, qui non aliquem radium acceperit nouæ lucis; imo vero nulla vox, ſi paulo dubia, aut obſcurior erat, non ad trutinam expenſa diligenter, non Grammaticorum adæquata normæ, non obelis confixa, atque ſuo loco mota, aut aſſerta ſit, ab emunctæ naris cenſoribus, & ſibi quantum opus eſt licentiæ, in aliorum ſcripta, meditationeſque ſumentibus. Quod equidem eorum inſtitutum ſummopere probo, nec vnquam meo iudicio id culpare poterit, quiſquam inculpatus; quoniam ſi litteræ tractari abſque antiquorum ſcriptis non poſſunt; nec antiquorum ſcripta legi cum fructu, ac intelligi ſine hac qua emendationis, qua interpræationis cura, malè profecto inaugurati ſint muſarum ſacris oportet, qui malignè ac præpoſterè de illa iudicant, Verum qua

Digitized by Google

moderatione in illos eſſe ſoleo, qui perpetuò cum antiquis verſantur; vellem omnino, vt eadem ipſi in me eſſent, cui non ita res Græcorum aut Romanorum cordi sũt, quin noſtratium quoque me plurimum afficiat tractatio; maximè quoties hanc, & exemplis confirmare, & verborum luminibus, atque ſententijs, ab antiquæ eruditionis penu depromptis, illuſtrare poſſum. Quod mihi in hoc opere propoſitum fuiſſe non eſt, Benigne Lector, *quod te diutius celatum velim. Cæterum vt non te lateant quæ me ad hoc faciendum impulerint rationes, ego paucis, & bona fide, ac antiqua tecum agam de illis; mihi certè in hoc publico doctrinarum epulo, non bellaria tantum vſurpare, quod multi facere ſolent, ſed firmiores dapes attingere, inſitum ſemper atque obfirmatum animo fuit; partim quod hæ magis ad palatum meum faciant, & propenſioni facilius ſe accomodent, quam à natura mihi inditam cōgnoſco, de rebus meo more potiùs quàm ex aliorum inſtituto, ſentiendi ſcribendique; partim etiam, quod eiuſmodi bellaria diripientium, maior numerus in dies reddi conſueuit, & tumultus etiam concitatior, à quo propterea ſapientius facturum me putaui, ſi prorſus temperarem. Bellaria autem in præſenti tractatione ea voco, quæcunque de priſcorum militari diſciplina, afferri in medium ab eruditiſſimis hominibus conſueuerunt, quoniam plus in ſe voluptatis habent quàm ſolidæ veræque commoditatis, ſi ad bellorum ritus, qui nunc obtinent penes diuerſas nationes, referantur. Accedit etiam quod nihil video in palæſtra illa illuſtrandæ explicandæque militaris veterum diſciplinæ, quod non prius honeſti, ac feliciſſimi aliorum conatus mihi præripuerint, ita vt poſt Lipſium, Sauilem, Patricium, Valtrinum, alioſque doctiſſimos homines, qui propemodum infiniti ſunt, de veterum militia dicere velle, id vero ſit poſt Roſcium in ſcenam prodire, & ei labori indulgere, vnde nec multum gloriæ in eum, qui ſibi in illo verſandum exiſti-*

mat

Digitized by Google

mat, nec ad alios, aut in rem ipſam quæ toties ventilata eſt, emolumenti redire poſſit. Denique non minimum apud me potuit, eius ad quem ſcribere hoc ſyntagma debui, vitæ ratio, quæ non in contemplatione ſed actione; non in Muſarum otio, ſed Martis negotio cùm tota poſita ſit, parum conuenienter feciſſe videri poſſem, ſi huius diſſertationis meæ loco, quæ bellorum præcepta omnibus locis, & temporibus, ac perſonis conuenientia ſum complexus, aliam quæ de prorſus antiquata, & diſiecta Romanorum, & Græcorum diſciplina tractaret, ei potius obtuliſſem. Atque his rationibus puto factum eſſe ſatis eorum obiectioni, qui non ſemel mirati ſunt, cur ſi quid de militia ſcribere volebam, aut debebam; non iſtud potius fecerim, veterem pro facultate ingenij mei (quam tamen ſentio quã in me ſit exigua) explicando, quàm de eadem in genere dicendo, quod multo mihi difficilius erat, & minus etiam ad ingenij, aut eruditionis, ſaltem prout nunc eſt hominum exiſtimatio, idoneum. Quamobrem ſupereſſet nunc, vt quorundam aliorum non obiectionibus modo, ſed occultis rumoribus, & apertis nonnunquam aculeatiſque cauillationibus reſponderem, qui ex ſua, ſi Dijs placet, eruditione atque induſtria, de aliorum ingenio iudicantes, moleſtè ſemper tulerunt, me, quod factum audax, & inſanum dicebant, eo temeritatis prorupiſſe, vt de recta bellorum adminiſtratione dicere vellem, qui nec acies vnquam vidiſſem, nec caſtra, nec hoſtes, ac ne quidem gladium aptè cingere, aut educere de vagina poſſem. Verum quid opus eſt cauſam meam aduerſus illos verbis tueri, quam factis ipſis defendere poſſum, en liber ille meus omnium iam communis factus eſt, omnium ſuffragijs, aut cenſuris expoſitus, ipſum adeant, euoluantque diligenter, & acerbè ſi velint excutiant, modo non malignè; ſpero enim nullum adeo meis conatibus infenſum fore, vt laudem illis denegare velit, quam mihi vnicam in hoc opere concedi poſtulo; nempe vt qui Turno *me*

ſimi-

ſimilem praſtare nec potui, nec debui, ſaltem mihi referre liceat Drancem *illum Virgilianum, qui dicitur fuiſſe*

Aeneide 11.

linguà melior, ſed frigida bello
Dextera, conſilijs habitus non futilis auctor.

nempe hæc votorum ſumma, quam ſi mihi, Lector Beneuole, *non inuideas, obſtringes me beneficio, quod memorià colam ſempiternà.*

GASPA-

Digitized by Google

GASPARIS DE SIMEONIBVS

O D E,

In Syntagma de Studio Militari.

DEuota letho pectora nobili,
Queis arma pulchrum conciliant decus,
Emptum periclis; dum profuſus
Cæde cruor pretium rependit:

Quæ tangit Hæmo cura ſub horrido
Oracla Numen poſcere Thracium?
Quondam aut Quirites iura belli
Quæ Salij docuere cantu.

En ſe, quieto pacis in otio,
Mauortis ardor purior explicat;
NAVDÆVS aptè MILITARE
Dum STVDIVM Latio recludit.

Cui nuper Orbis paruit integer,
Heu! languet æquus Militiæ tenor;
Languent triumphantum phalanges,
Deſidia potiore victæ.

Dedocta robur viuida martium
Torpet iuuentus, (heu pudor!) aureis
Inſtructa telis, quæ ſequutus
Hoſtis amet, nec, vt ante, pallens.

Mox

Mox at recurrent prodiga ſanguinis,
Auara laudis pectora, fortibus
Armata & auſis, quæque tuta
Nil metuant, niſi probra famæ.

Iam priſca belli ſtat Ducibus fides,
Mens & ſagacis prouida conſilî;
Fortuna Virtuti trophæum,
Iam meritis famulata, iungit.

Hæc tu ter amplis ſcilicet edoces,
NAVDÆE, chartis, cui calamus parat
Vnus ſagittas, exarandis
Et folijs ſimul aptus idem.

Hoc, lecta Pubes, excita claſſico,
Reſume vires, indue peruigil
Mores auitos; ſic domandum
Se geminus tibi ſternet axis:

Te poſcit Eos, te Scythicis vocat
Innexa vinclis Græcia, te Syrus
Vinctus catenis, & piorum
Te Solyme repetita votis.

Tam læta magno panditur auſpice
Spes, purpurato reddita Principe,
Quem Fama clarat, GVIDIORVM
Per trabeas, vetereſque lauros.

Cui, ducta faſtis, Gloria militat,
Obliuionem vincere pertinax;
Qui ſtirpe prognatus ſagata,
Militiæ bonus ipſe vindex.

SE-

Digitized by Google

SERIES
CAPITVM, ET ARTICVLORVM
præſentis Operis.

CVM huius Syntagmatis materia ſit Militare Studium, tam in Tyrone, quàm in Duce ſpectatum; propterea quibuſdam in præfatione explicatis, quæ generatim dici, ac proponi de militia conſueuerunt, reliqua duo, quæ ſummam, & operę pretium in hac diſciplina faciũt, duobus etiam libris abſoluere ſtatui: idque antiquorum & melioris æui ſcriptorum more, ac inſtituto, hoc eſt abſque vlla minutiori partitione in capita, & articulos. Verum tamen quia Lectoribus plerumque idem quod iter facientibus euenire ſolet, quibus vt Numatianus ait.

Interualla viæ feſſis præſtare videtur
Qui notat inſcriptus millia multa lapis.

Sanè quo ipſi vbinam locorum verſentur intelligant, aut ſeligant quæ volent, conſiſtantque ſuo modo, & arbitrio, en filum quod in ipſius Operis limine appendo, vt illud poſtea diſpertitum ſuis locis, & numerorum ductu inuentum, rem non ſegnius ob oculos ponat, quàm ſi ex recepta hiſce temporibus ſcribendi conſuetudine, è foliorum margine in orationis contextum irrepſiſſet.

Præfationis igitur capita præcipua ſunt hæc

Pagina 1.

I. *Inſinuatio dicendorum.*

Pagina 2.

II. 1. *Excuſatio quod militiæ rudis de ea tractare inſtituam.* 2. *maximè cùm non in ſpecie de ea dicam.* 3. *quod multi tamen literati fecerunt.* 4. *ſed in genere tantum.*

a Pa-

Pagina 10.

III. *Partitio totius Operis.*

Pagina 11.

IV. 1. *Artis militaris defenſio aduerſus literatorum calumnias. 2. quod ipſa non verſetur in contemplatione, quæ res eſt prope diuina. 3. nec in varietate ſcientiarum, quæ omnia docent, & efficiunt. 4. nec in copia, & nitore ſermonis, qui longe viribus potentior eſt.*

Pagina 30.

V. *Additur eiuſdem artis militaris in reliquas præſtantia.*

Pagina 32.

VI. *Et conuerſio ad* Comitem, *vt armis ex familia ſua antiqua propenſione totus incumbat.*

Poſtea vero fit tranſitus ad Librum primum de Militis officio.

Pagina 37.

I. 1. In *quo vt etiam* Ducis *explicando non minima queque & incerta, excutienda ſunt.*

Pagina 39.

II. 1. *Sed ea tantum quæ enumerantur ex ſapientiſſimorum ducum ſententia.*

Pagina 41.

III. *Quanquam hæc omnia commodius adhuc referri poſſint ad delectum & diſciplinam.*

Pagina 42.

IV. 1. *Delectus igitur neceſſitas proponitur, varijs exemplis priſcorum militum. 2. qui etiam notis imperatorum in brachijs compuncti. 3. additurque varia eius ratio à varijs Ducibus obſeruata.*

Pagina 46.

V. 1. *Mox de patria* Tyronis *dicitur ex Aſtrorum influxu; qui reijcitur. 2. locorum ſitu. 3. & longa obſeruatione in multis populis. 4. qui olim bellicoſi fuerunt, partim ex natura. 5. partim ex imperij forma in qua vixerunt. 6. atque etiam ex inſtitutione. 7. nunc vero in Gallis. 8. Germanis. 9. Hiſpanis. 10.* Italis. *11. qui omnes inter ſe collati.*

Pagi-

Digitized by Google

Pagina 81.

VI. 1. *Deinde corporis conſtitutio laudabilis deſcribitur.* 2. *laudaturque eo nomine Phyſiognomia.* 3. *non tamen vt iudicet ex ſtaturæ modo qui fallax eſt, tam in magnitudine.* 4. *quàm in paruitate:* 5. *ſed ex roboris ingenui & ſeruilis diſtinctione, quæ vtrumque ſuis notis indicat.* 6. *ſcilicet robur corporis non ex manu valida tantum, ſed ex corpore.* 7. *fortitudinem vero animi ex peculiaribus ſignis.* & *inquiritur num cordis exigua moles ad audaciam conferat.* 9. *an milites debeant eſſe naturâ in iram propenſi.* 10. *explicaturque ducis temperamentum, quod etiam Eunuchi habere poſſunt.* 11. *poſtea audaciæ militaris ſigna proponuntur varia.* 12. *maximè autẽ à voce.* 13. & *colore cutis & pilorũ.*

Pagina 104.

VII. 1. *Tum ætas militiæ idonea.* 2. *qualis illa fuerit apud Romanos.* 3. & *exteras nationes, vbi de pubertate diſſeritur.* 4. & *num ſenilis ætas ſit ad bellum idonea; atque etiam num* Achilles *ſenior* Patroclo *fuerit.* 5. & *an Tyrones veteranis aliquando præferendi.*

Pagina 113.

VIII. 1. *ſuccedit vitæ conditio, quæ antiquitus ſellularios, & ignobiles opifices à militia remouebat.* 2. *atque etiam ſeruos.* 3. *cùm ex aduerſo ciues, & ingenuos ad eandem cogeret, tam ex ciuitate.* 4. *quàm ex agris.* 5. *vnde optimi milites ſemper delecti, eorumque occaſione quæritur cur ruſtici ſint ſtauo capillo:* & *an* Sfortia *ex rure ad militiam profectus ſit.* 6. *quanquam vrbani etiam milites non prorſus ſpernendi.*

Pagina 124.

IX. 1. *Demum inquiruntur diſpoſitiones neceſſariæ ad fortitudinẽ, & ad gloriam.* 2. *proponiturque prioris excellentia.* 3. *tum ſpecies ſimulatæ.* 4. *ac veræ, quæ verſatur circa terribilia.* 5. & *mortis præſertim bellicæ actionem.* 6. *nõ autem eius, quæ in aquis.* 7. *aut temerè quæſita contingit.* 8. *quia in his non eſt æque certa & honeſta.* 9. *indeque explicatur cur aliqui vulnera fortiter ferant, morbos non item.* & *è contra.* 10. *eius vero fortitudinis ſigna Tyro expendere in ſe debet, ex anteactæ vitæ ratione.* 11. & *mortis contemptu.* 12. *qui omni telo præſtantior.* 12. *ac bellicoſis nationibus familiaris.* 13. *quique non multum reformidandus eſt.* 15. *cũ*

 potius

Digitized by Google

potius ſummopere iuuet ad victoriam, quanquam nec metum prohibeo ſi cum ratione.

Pagina 138.

X. 1. *ſequitur gloria. 2. quam milites æque, ac duces conſequi poſſunt. 3. maximè ſi conſtanter tulerint vulnera, & mortem, quæ valde ſunt honeſta. 4. & veluti ſemina reliquarum virtutum. 5. quas ex aduerſo imbellia extinguit.*

Pagina 145.

XI. 1. *poſtea ad diſciplinam venio quia in delectu nullæ conditiones præter aſſignatas requiruntur. 2. diſciplinæ igitur inſtaurandæ cauſa oſtenditur. 3. & inſtauratæ præſtantia, ac neceſſitas. 4. neglectæque incommoda, quibus deuitandis Galli legionarios, ac demum prætorianos milites inſtituerunt.*

Pagina 154.

XII. 1. *Mox hæc ipſa diuiditur in eam, quæ fit extra vallum à tyrone ſolo, & in aliam quæ fit intra vallum ab omnibus militibus ſimul. 2. diſciplina extra vallum exercitatio dicitur, & ad Gymnaſticam pertinet, quæ in genere explicatur. 3. aſſignanturque tres ſpecies exercitationum bellicarum. 4. ex quibus domeſtica tantum ſeu vmbratilis huc pertinet.*

Pagina 159.

XIII. 1. *Quæ ſi ab inermi milite fiat laborem primo complectitur. 2. quo num pueri exercendi ſint, vt in ætate adulta fortes, & bellicoſi exiſtant prolixè diſputatur. 3. allatis variorum populorum exemplis. 4. tum vero præſertim Lacedæmoniorum, apud quos fœminæ ſimul cum viris nudæ exercebantur.*

Pagina 167.

XIV. 1. Deinde *curſum, cuius vtilitas ſumma eſt. 2. vnde quatuor eius differentiæ aſſignantur; indicatâ etiam vera ſtadij menſurâ. 3. laudaturque potiſſimum militaris. 4. qui non pendet à natura, vt in multis qui ſumma pernicitate valuerunt. 5. ſed ab exercitio. 6. quod nō iuuatur Lienis extirpatione falſa, & ridicula, vt multis oſtenditur. 7. additurque ratio cur iter accliue ſit moleſtius decliui, aut per planiciem facto.*

Pagina 175.

XV. 1. *Atque huic affines ſaltum, cuius neceſſitas & vſus afferuntur, 2. & ſaltationem, quam nonnulli damnant. 3. ſed immerito,*

cùm

cùm honeſta ſit. 4.& ad bellum etiam valde conducibilis. 5.vnde ex tribus eius differentijs vna militaris dicebatur. 6.quę varia ſemper fuit penes diuerſas nationes, vt ex celebriorum enumeratione patet, 7.quanquam omnes ad Pyrricham reduci poſſunt. 8.de qua idcirco multa diſtinctè proponuntur.

Pagina 184.

XVI. 1.*His ſuccedit venatio plurimum olim in Circo commendata. 2.& principum exercitijs. 3.quia bellorum æmula eſt. 4.ſi prę ſertim terreſtres feras, eaſque maiores, & ferociores confectetur. 5.vnde multis ducibus pro bellorum tyrocinio fuit, vt Herculi, in cuius certamine cum Leone Nemæo fallunt pictores. 6.Piſcatio vero & aucupium animos potius ſoluunt quàm faciant. 7.contra quàm in ferarum venatione contingit, quæ ſola idcirco in militibus laudatur.*

Pagina 192.

XVII. 1.*Tum natandi peritia, quæ plurimi ab antiquis ęſtimabatur. 2.vt ignobile mortis genus deuitarent. 3.& in quo animum quoque interire perſuaſum illis erat. 4 ac etiam propter oblectationē, & vſum in diuerſis vitæ muneribus, potiſſimumque in militia. 5.ex quo pueri ſtatim à teneris natatu exercebantur. 6.vt etiam Tyrones Romani. 7.& Galli, ac Germani, quos Romanis hac in exercitatione aliqui ſuperiores faciunt.*

Pagina 199.

XIIX. 1.*Et Acrochiriſmus, ſeu lucta Gallica.*

Pagina eadem 1.

XIX. 1.*ſequitur exercitatio militis armati ſub campi doctore. 2.& in ſcholis, ac Baſilicis. 3.præter quas nobiles pueri, primo armorum tyrocinio, domeſticos quoſdam moderatores habebant.*

Pagina 201.

XX. 1.*Ea vero alia olim erat quàm nunc ſit apud nos. 2.cùm complecteretur ambulationem armatam, quæ optimis de cauſis intermiſſa eſt. 3.tum ſchiamachias diuerſas, ſeu vmbratiles pugnas. 4 quarum præcipua erat palaris exercitatio. 5.in qua grauioribus armis tyrones diſcebant, quàm pugnarent. 6.noſtra autem verſatur tantum in explicatione armorum, quæ nunc ſunt in vſu. 7.inſtituitur que breuis diſſertatio de varijs artibus, & techis quibus aliqui vſi ſunt, vt militię vacationem obtinerent. 8.cuius*

rei

rei cauſa nonnulli pollices ſibi detruncarunt, qui Murci *propterea appellati.*

Pagina 207.

XXI. 1.*Explicatur igitur armorum tractatio in pedite, ac primum gladij, vbi nonnulla de arte quę vulgo* ſcrimia *dicitur.* 2.*tum haſtilium omnis generis.* 3.*ac demum fiſtularum chalybearum.* 4.*à quibus emiſſę glandes non liqueſcunt, vt certè nec antiquorum ſagittę ignem concipiebant volando, contra multorum opinionem, quę multis propterea reijcitur.* 5.*detegiturque Onoſandri leuior oſcitantia, de colore plumbatarum ſimili aereo, cùm tamen elementa nullum colorem habeant.* 6.*& quæritur an motus teli ſurſum vel deorſum factus ſit violentior.*

Pagina 222.

XXII. 1.*Equitis autem diſciplina antiquior in equi curatione conſiſtebat.* 2.*& ſcanſione, ſeu ſalitione in eum, ſaltu, vel adminiculorum ope, in quibus ſtapedes fuiſſe breuiter indico.* 3.*deinde recentem propono, & diuido ſuas in partes.* 4.*quas antequam explicem modum propono deligendi optimos equos ab ætate.* 5.*colore pilorum.* 6.*regionibus, & locis è quibus petuntur.* 7.*moribus optimis.* 8.*& vitijs quibus carere debent.* 9.*poſtea temperatio equorum proponitur apta paci.* 10.*per ludicras exercitationes.* 11.*ac honeſtas.* 12.*belloque.* 13.*& ſpeciatim vt his Lancearij, ac* Sclopetarij *commodè vtantur.* 14.*tandemque arti ipſi torneamentorũ ſeu* Troia *ludo.* 15.*cuius occaſione explicantur* Iuuenalis *verſus de hirſuto Capella.* 16.*& haſtiludiorũ ritus, ac vtilitas.* 17.*quę nonnunquam dubia redditur infelici multorum caſu.*

Pagina 237.

XXIII. 1.*Hactenus de diſciplina extra vallum, in vallo autem ſpectantur munia, ſeu officia, & leges.* 2.*diciturque de primo militis officio ſeu ordine ſpectato tum in genere.* 3.*cùm in acie, & pugna ipſa.* 4.*ac in agmine etiam, ſeu itinere.* 5.*vbi explicatur qualis in eo Romanorum diſciplina fuerit. & reijciuntur hiſtorici, qui Annibalem Alpes igne, & aceto rupiſſe contendunt.* 7.*ac demum in caſtrametatione, cuius optima ratio partim à duce.* 8.*partim vero à militibus ipſis dependet.*

Pagina 253.

XXIV. 1.*ſecundum militis officium in eo conſiſtit, ne otio languidus*

Digitized by Google

dus reddatur ad laborem & pronus in vitia. 2. *atque in duces contumax.* 3. *Quamobrem laboribus continuis detineri debet, tum caſtrenſibus, quales Romanorum fuerunt.* 4. *cùm vero ſi ipſi deſint publicis alijs operibus faciendis, eorundem Romanorum exemplo.*

Pagina 258.

XXV. 1. *Tertium denique obedientiam complectitur, quæ ſummopere in bellis neceſſaria eſt.* 2. *maximè ſi prompta, & abſoluta ſit.* 3. *qualis præſertim in milite laudatur.* 4. *diſcutiturque vtrum in mandatis recedere aliquando ab illis liceat, & quomodo quibuſue de cauſis.*

Pagina 264.

XXVI. 1. *Officia leges excipiunt, quæ primo verſantur circa temperantiam in cibo.* 2. *quam Iberi & Græci varijs legibus imperarunt.* 3. *& Romani etiam, apud quos miles in galea potabat.* 4. *menſiſque ex ceſpite paratis, & cibis caſtrenſibus vtebatur.* 5. *quod non faciunt noſtri milites, forſan Mithridatis exemplo qui* Dionyſius *idcirco dictus eſt, & aliorum etiam qui omnes effœminati fuerunt.* 6. *vnde multi quos armis ſuperare non poterant, delicijs, & voluptate fregerunt.* 7. *quia hæ vires corporis, & animi labefactant.* 8. *quas ex aduerſo temperantia firmat, Perſarum exemplo, de quibus quæritur cur Naſturtium frequenter ederent.* 9. *& quod eodem pertinet, num Galli Senones fructuum, ac vini dulcedine capti in Italiam tranſierint.* 10. *num vinum militibus concedendum ſit.* 11. *num Heroes aſſis tantum, aut elixis carnibus victitarint.* 12. *tandemque ingluuies omnis vt ſummopere noxia in milite damnatur.*

Pagina 290.

XXVII. 1. *Sequitur continentia in Venere, quàm raro milites ſeruant exemplo Herculis.* 2. *Achillis etiam & Aneæ.* 3. *nec non Alexandri, Annibalis, Scipionis.* 4. *Cæſaris, aliorumque ducum.* 5. *atque militum.* 6. *eius rei cauſa aſſignatur.* 7. *oſtenditurque quàm noxia ſit militi libido.* 8. *& quantum vires corporis exhauriat, vbi locus* Cæſaris *de pubertate Germanorum explicatur.* 9. *& quæſtio diſcuſſa, cur mentha belli tempore neque edenda, neque ferenda ſit.* 10. *ac demum num præſtet milites cum vxoribus, aut cœlibes viuere.* 11. *& qualis in hac re fuerit Romanorum conſuetudo.* 12. *additurque ducum officium tam in vxore ducenda.*

13. *quàm*

Digitized by Google

13. *quàm in refrænanda militum ſuorum libidine.*

Pagina 304

XXVIII. *Tum modeſtia primum in verbis, quæ nihil habere debent ex iactantia. 2. aut conuicio quod à iocis, & vrbanitate diſtinguitur. 3. damnaturque ſi quis eo duces præſertim afficiat. 4. cũ tamen ab ijſdem non acerbè ferri debeant arguti ſales. 5. & cognomina militaria. 6. vt certè nec à militibus. 7. qui conuitijs non in commilitones, ſed in hoſtes tantum vti poſſunt, & quomodo. 8. tum in perſonæ cultu, qui nec variegatus eſſe debet. 9. nec horridus, vbi quæritur an miles barbatus eſſe debeat. 10. aut picta cute deformis, vel alia arte ad terrorem compoſitus. 11. & quali veſtitu miles Romanus fuerit. 12. quali noſter eſſe debeat, cùm ratione materiæ. 13. tum colorum, in quibus laudati cineritius pulueris, & fœdorum animalculorum causà, quibus remedia afferuntur. 14. & coccineus, quo induti Lacedæmonij, alijque populi, & quare. 15. ac demum quis cultus in milite probetur, vbi de pellium vſu caſtrenſi. 16. denique in armis quæ non tam pretioſa, ac ornata eſſe debent. 17. quàm bene ſamiata & ſplendida. 18. cuius rei gratia acutiatores olim in exercitu fuerunt. 19. nunc vero ſinguli ſua ad illam habent ſecreta. 20. & armorum thecas, ac integumenta, quæ antiquis etiam fuerunt, & qualia.*

Pagina 344.

XXIX. 1. *Denique abſtinentia à furtis, quorum licentiam multi populi fecerunt, quaſi bellorum eſſent rudimenta. 2. ſed malè cum potius graui pœna reprimi debeant in milite potiſſimum, vbi quædam de delictis & ſupplicijs militaribus afferuntur. 3. vt ſocij ab iniuria, & deprædatione immunes ſint. 4. & exercitus commeatu, rebuſque neceſſarijs abundet. 5. cùm interim militi prædas agere in hoſtium agris liceat, ſed tamen ex lege diſciplinæ. 6. alioqui non laudatur in milite animus prædæ, ac diuitiarum auidus.*

Pagina 354.

XXX. 1. *Harum autem legum veluti confectaria eſt amicitia caſtrenſis. 2. à cuius obſeruatione laudantur antiqui. 3. quia valde vtilis eſt. 4. licet hodie à ſolis ferme Hiſpanis obſeruetur. 5. & cur non item ab alijs populis.*

Pagina 358.

XXXI. 1. *Probitatem quam his legibus in milite formauimus excipit*

pit

pit pietas, quæ conſiſtit in cõuerſione ad Deum, & auerſione à creatura, primumque de conuerſione dicitur, & de illius neceſſitate ad ſalutem animæ. 2. non corporis. 3. tantum abeſt vt militibus impedimento ſit, quemadmodum politicus Florentinus impiè aſſeruit. 4. hæc vero conſiſtit in cognitione Dei. 5. quo inuito nihil feliciter cedit. 6. & eius veneratione. 7. à qua victoria dependet. 8. quod profanos etiam homines non latuit. 9. & quando illi vacandum.

Pagina 368.

XXXII. 1. *Altera pars pietatis erat auerſio à creaturis, & Dæmone, vitando primum ſuperſtitioſas vulnerum præcautiones. 2. quarum origo petitur à Troianorum, & Græcorum fatis. 3. potiſſimum autem à famoſo illo Palladio magico, & taliſmanico. 4. & à quorundam exemplo, qui inuulnerabiles olim exiſtimati. 5. quos vt reliqui homines imitarentur varia commenti ſunt ſecreta, non modo conſulendi ſibi. 6. ſed pręterea nocendi aduerſarijs, quibuſdam preculis, aut veneficijs. 7. imaginibusque taliſmanicis, quarum maxima vis, & auctoritas credita. 8. atque alijs artibus. 9. damnatis inter Chriſtianos. 10. ac noſtræ ætatis milites, licet non vno modo hac in re inſaniant. 11. vt præter alios ex Burgrauij Achille rediuiuo, & inuulnerabili patet, qui totus explicatur. 12. refelliturque varijs rationibus. 13. & docetur naturalis ferri purgatio ad armorum impenetrabilitatem, tum etiam chalybis ad gladiorum præſtantiam. 14. mox ſchediaſmatum ſeu breuium, & eiuſmodi amuletorum vanitas ſimulque incerta Hippomanis natura detegitur. 15. oſtenditurque omnia hæc non tam quod vera ſint, quàm quod temere credita propagari.*

Pagina 403.

XXXIII 1. *ſecundum quod in auerſione conſideratur eſt ſuperſtitioſa vulnerum curatio. 2. quæ à nonnullis Homerica dicitur. 3. eiusque origo, & modi varij explicantur. 4. inter quos præcipuus eſt curationis magneticæ, quæ tota conuellitur, vanitatis, falſitatis, ſtoliditatis arguitur. 5. ſigillorum item, & carminum vanitas detecta multis modis. 6. & auctoritate Galeni, ac medicorum, aliorumque virorum principum, qui fidem nunquam illis habuerunt, atque his omnibus explicandis liber primus dicatus erat.*

In Secundo, qui verſatur circa Ducis officium.

Pagina 430.

I. 1.*Præmiſſa breui inſinuatione dicendorum.* 2.*explicantur voces Græcæ & Latinæ quibus* Dux *appellari propriè debet.* 3.*oſtēditurque eum informari poſſe cùm exemplis magnorum virorum.* 4.*tā fictorum à Poetis.* 5.*quàm eorum qui tales re vera fuerunt, addita præſtātiſſimorum aliquot enumeratione.* 6 *tum etiam præceptis optimorum auctorum, quæ non minus quàm exempla in Duce requiruntur.* 7.*ob ſummam Ducis neceſſitatem in bellorum adminiſtratione.* 8.*quare proponuntur variæ conditiones, quæ in eo à diuerſis auctoribus deſiderantur.* 9.*quibus tamen præferuntur quatuor aliæ propoſitæ a M.*Tullio,*ſcilicet ſcientia, virtus, felicitas, & auctoritas.*

Pagina 462.

II. 1.*quod igitur ad ſcientiam attinet, hęc vel poteſt eſſe vniuerſalis diuerſarum rerum, quam multi laudant.* 2.*ego vero penitus & multis reprobo, non modò quia Duci minime neceſſaria.* 3.*ſed etiā noxia, quia nihil illi cum armis commune eſt.* 4.*diſſentitque planè ab animo militari.* 5.*& corpore quod in literatis infirmum.* 6.*tū etiam moribus qui in illis placidi & molles, armiſque prorſus contrarij.* 7.*vnde ſcientiarum profeſſores exacti ſępe & damnati à bellicoſis gentibus fuerunt.* 8.*& merito quidem, cùm ſcientiæ neque Ducū affectus, & vitia reprimere poſſint.* 9.*neque aptiores illos reddere vt facilius ſe ex grauioribus negotijs explicet.* 10.*quare Lacedæmonij, & antiqui* Romani,*qui ab illis abſtinebant, victores, & fortunati fuerunt, ſecus quàm alijs accidit.* 11.*demūque oſtēditur ex ſingulorum votis qui literas in Duce requirunt, perfectà illum encyclopædià ornari debere, quod oppido perquā abſurdum eſt.*

Pagina 486.

III. 1.*Quamobrem illa tantum ſcientia duci neceſſaria eſt, quæ propria eſt belli adminiſtrandi.* 2.*& cuius adminicula duo conſtituuntur, nimirum eloquentia militaris, qua mirè concitantur militū animi.* 3.*vt etiam muſicà caſtrēſi.* 4.*& clamore qui initio pugnæ editur, alijſque modis.* 5.*ſed eo præſertim, qui ab animaliū pugna inter ſe deſumitur.* 6.*vbi ſelecta quædam de Gallorum Gallinaceorum*

Digitized by Google

rum, & cothurnicũ certamine. 7.quibus ſubnectitur alterum adminiculum ſcietiæ militaris ſcilicet matheſis, & quæ illa, aut qualis in Duce neceſſaria. 8.qui licet probè in ea verſatus ſit, peritos tamen caſtrenſium operum deſignatores, & armorum magiſtros ſecum habere debet.

Pagina 504.

IV. 1.*Hæc autem ſcientia duobus tantum modis comparari poteſt ſcilicet experientià. 2.& quæ huic à nonnullis malè præfertur lectione. 3.hiſtoricorũ. 4.quorũ aliquos ſibi familiares reddere oportet. 5.tũ auctorũ de re militari. 6.qui omnes recẽſentur. 7.antiqui deperditi. 8.manuſcripti in Bibliothecis latẽtes Græci, Arabes, Latini, Vulgares. 9.tũ editi antiqui omnes. 10.ac recẽtiores qui ſcripſerũt de militia antiquorum in ſe tantummodo ſpectata. 11.& de veteri ac noua inter ſe collatis. 12. ac demum de noſtra, & eius partibus ſingulis, eo ordine diſpoſiti, quem nos in hoc ſyntagmate obſeruauimus. 13.ex quibus laudãtur præſertim à ducibus compoſiti. 14.proponiturque pro remiſſione à ſtudijs, aut negotijs, latrunculorum ludus.*

Pagina 551.

V. 1.*Porro ſcientiæ munus ſpectatur ante prælium, in prælio, & poſt prælium, idque non in Rege ſed Pro rege, aut Duce, qui à ſupremo Principe dependet. 2.& quidem ante prælium obſeruãdum eſt duci ne ſua ſpe, aut metu bellum ſuadeat. 3.propter mala, quæ ab eo proueniunt. 4.vbi inter alia quæritur an ſolus homo in genus ſuũ ſæuiat. 5.& quomodo plus hominum quàm reliquorum animaliũ ſit, cùm ſe bellis quotidie conficiant. 6.ſed non debet præterea Dux iniuſti belli ſe miniſtrum præbere. 7.qua occaſione explicantur iuſtæ bellorum cauſæ, tum grauiores, vt patriæ ſalus. 8.iuſta vltio. 9.ſociorum defenſio. 10.tum leues ſed neceſſariæ.*

Pagina 565.

VI. 1.*In bello gerendo conſiderantur vires, & conſilia, & in viribus primùm quidem pecuniæ apparatus, quoniã illa ſummopere neceſſaria eſt. 2.imo pro belli neruis habenda contra* Patricium, *& alios. 3.quare ærarium militare parãdum eſt. 4.eique quoties exhauſtũ erit varijs artibus ſubueniendum. 5.ne milites tumultuẽtur. 6.& quantum Duci in cogenda & adminiſtranda pecunia auctoritatis concedendum ſit.*

Pagina 575.

VII. 1.*Secundum quod in viribus conſideratur eſt commeatus, neceſſarius vtique priuſquàm bellum ſuſcipiatur. 2.ob famis incommoda. 3.& morborum qui ab ea, damnatiſque cibis pullulant. 4.tum vero quia ieiunus miles idem & inualidus ad pugnam eſſe ſolet. 5.vnde fame, & populatione ſæpius quàm gladio hoſtes fuſi fugatique fuerunt. 6.quare ſumma Ducis in commeatu procurando diligentia eſſe debet, exemplo Marchionis* Spinulę. 7.*cuius occaſione quęritur cur antiqui Poetę ſuos Heroas frequenter epulantes inducant, noſtri verò minimè. 8.& proponuntur modi omnes ſedandę famis, primùm quidem vani, & maxima parte inutiles, vbi de alimo Epimenidis, Apnoe Empedoclis, & Hippace Hippocratis quædam afferuntur. 9.deinde inducti ab extrema neceſſitate per fœda, & noxia alimenta, quorum tamen aliqua penes diuerſos populos in delicijs fuerunt. 10.omnia vero ordine referuntur. 11.ad eſum vſque carnis humanę. 12.quem Annibal nunquam militibus ſuis ſuaſit contra Liuij opinionem, & aliorum etiam, qui de Anthropophagis multa perperam dicunt. 13.tum denique vtiles, & proficui per alimenta communia, & ex ſe aut arte maxime durabilia, quæ ſigillatim explicantur, non neglectis etiam potionum diuerſis generibus, equorum pabulo, & compendioſa omnium præparatione. 14. quæ cuncta nihil tamen iuuare poterunt, niſi parcè, & ex dimenſo militibus erogata, diſtributaque fuerint.*

Pagina 621.

VIII. 1.P*roxima à commeatu cura armorum eſſe debet, quibus fabricandis, & reponendis armamentaria olim & nunc etiam deſtinata, vt Venetum quod deſcribitur. 2.deinde armorum nomen ambiguum, & diuiſiones variæ adducuntur, diciturque de omnibus in genere. 3.ſed de gladio ſpeciatim, vbi varij ritus explicati. 4.quæriturque num ille antiquitus, & reliqua arma ex ære fuerint. 5.tum vero tria proponuntur ad armorum præſtantiam requiſita, nempe vt ſint ex optima, & probè ſubacta materia. 6.vt leuia, & expedita. 7.vt apta & conuenientia corpori. 8.denique recenſentur, quæ in armamentarijs ad vſum belli reponi & conſeruari debent.*

Pagi-

Pagina 643.

IX. 1. *Partē armorum faciunt machinæ.* 2. *quæ ſua nouitate hoſtes terrent.* 3. *maximè mirabiles, cuiuſmodi fuerunt equus Troianus.* 4. *pontes Xercis ad Boſphorum Thracium, & Darij in Helleſponto.* 5. *Aggeres Alexandri Magni, & Nabuchodonoſoris ad Tyrum, & Ludouiſianus ad Rupellam.* 6. *pons Cæſaris ad Rhenum, & montes Solymani in Rhodo inſula.* 7. *Helepolis Demetrij.* 8. *turris fluuiatilis Chriſtianorum in Oriente, & Marcelli ante Auenionem, itemque Ferdinandi ſcala.* 9. *Archimedis incomparabilis mathematici.* 10. *ſpecula quibus hoſtium naues combuſſit, quanquam mihi valde dubia ſint, quę de illis & Procli, ac Portæ ſpeculis narrantur.* 11. *tum eiuſdem Archimedis variæ obſidionales machinæ.* 12. *Turcarum ingentes petrariæ in Conſtantinopolis obſidio, ignis ad Famaguſtam excitatus, ac velta Septentrionalium.* 13. *nauis incendiaria, & fulminatrix Antuerpienſium deſcripta & collata cum Tyriorum ſimili machina.* 14. *ac demum ſcorpio minimus Brixienſis Fabri, & Caroli V. machina, quæ confusè tamen ac ineptè ab hiſtorico deſcribitur.*

Pagina 668.

X. 1. *mirabiles machinas ſequuntur obſidionales ordinariæ, vt aries.* 2. *teſtudo, & muſculus.* 3. *vineæ, plutei, falces murales.* 4. *falæ ſeu turres ambulatoriæ, quæ varijs modis ab igne defendebantur, vbi Fabula de Alumine, & Larice reiecta, multaque alia ad arcendos ignes propoſita.* 5. *pontes varij generis.* 6. *ſcalæ item multiplices.* 7. *tolenones, ſeu ſcanſoriæ machinæ.* 8. *tormenta in genere.* 9. *& in ſpecie catapultæ, baliſtæ.* 10. *onager, manganum.* 11. *& quędam aliæ minus celebres.*

Pagina 679.

XI. 1. *Tum excogitata, & vſurpata hiſce temporibus fulminalia, quorum variæ appellationes.* 2. *& differentiæ præponuntur.* 3. *deinde quæritur an olim fuerint in vſu.* 4 *quemadmodum aliqui ſibi perſuadent ex antiquorum* Pyrothecnia bellica, *quæ tota excutitur.* 5. *tum ex nominibus antiquis, & ambiguis Bombardarum, & Canonum.* 6 *num vt volunt alij bello Clugienſi primum innotuerint.* 7. *& quid in hac opinionum diuerſitate ſentiendum, tam circa fulminalium inuentionem.* 8. *quàm eorundem perfectionem, quæ maior fit in dies per mira compendia quorum aliqua referun-*

tur. 9. *tum explicatur vnde ſit eius machinæ violentia, & an pulvis ſilens dari poſſit.* 10. *item cur minus tormentum rectius iaculetur, & cur maius murum validius feriat quàm latera nauium.* 12. *quomodo machina fracturæ obnoxia deprehendatur.* 13. *ac tandem qui fiat vt in iaculatione prius flamma emicet quàm ſonitus audiatur.* 14. *damnantur tamen hæc arma tanquam indigna viro forti, non ſecus ac antiquorum tela & ſagittæ.* 15. *quæ malè à* Patricio, *& Lipſio fulminalibus conferuntur, quaſi maiori velocitate ferrentur.* 16. *facilius arma quæuis penetrarent, & noxia magis eſſent in bello.* 17. *longius etiam torquerentur.* 18. *& certius ad collimandum.* 19. *denique proponuntur ea quæ tormentis antiquorum noſtriſque communia fuerunt.* 20. *& maiores bombardas ſeu curules, quod non modo nihil iuuent, ſed multum præterea ſuis officiant, varijs rationibus à bellorum vſu reijciendas ſuadeo.*

Pagina 724.

XII. 1. *Vltima denique pars apparatus ſunt milites, omnino neceſſarij.* 2. *legendi que ex ciuium & incolarum frequentia, cuius idcirco paranda varii modi proponuntur.* 3. *oſtenditurque tempus delectus faciendi, & modus etiam qui liber aut violentus eſſe debet.* 4. *tum etiam quæritur num pauci milites legendi ſint aut multi.* 5. *& an eiuſdem aut diuerſæ nationis.* 6. *vbi diſcuſſum num Iudæi ſub externis principibus militarint.* 7. *ac tandem num fœminæ bellis idoneæ ſint.* 8. *num etiam canes.* 8. *& quinam præſertim ad hoc opus deligendi.*

Pagina 757.

XIII. 1. *Alterum quod in bello gerendo deſideratur ſunt conſilia, de quibus primùm quidem in genere dicitur.* 2. *poſtea in ſpecie tria proponuntur, vulgaribus aliis omiſſis.* 3. *nempe vt conſilium in omnibus petatur aperitis.* 4. *cuiuſmodi non ſunt viri literati, contra quàm vulgo perſuaſum eſt.* 5. *& quæ conſilia ſequenda ſint, quæ vitanda.*

Pagina 766.

XIV. 1. *Secundum conſilium ſeu monitum verſatur circa leges militares, quarum prima eſt parendum eſſe neceſſitati.* 2. *ſecunda* Iuri *belli ſeruiendum, & quod nam illud victorum in victos generatim loquendo.* 3. *ac etiam in ſpecie circa depradationem facultatum*

tatum. 4. populationem & vaſtationem earundem. 5. captiuitatem perſonarum. 6. ac necem hoſtium, tum in prælio, quos ibi plurimos occidiſſe maxima laus fuit penes diuerſas gentes. 7. cùm extra prælium. 8. idque aperto Marte, aut ex inſidiis, & noctu aut interdiu. 9. vbi quæritur an tela veneno inficere liceat. 10. an commeatum & aquas eodem corrumpere, & morbos producere. 11. an occultis percuſſoribus hoſtem conficere, reiiciturque hiſtoria puellæ ad Alexandrum miſſa, vt eum inter complexus naturali ſuo veneno enecaret. 12. tertia demum lex humanitatis rationem habendam ſuadet, primo quidem extra prælium, eos blandè tractando qui ſe victoris arbitrio committunt. 13. & qui certis conditionibus cum illo paciſcuntur. 14. tum in offenſione prohibendo ab ipſa Agricolas. 15. non ſæuiendo vltra modum in hoſtes præliantes. 16 quibus mutua etiam comitatis officia exhiberi debent. 17. ac honeſtæ conditiones proponi cum ſe redimere volunt. 18. demum habenda eſt cura mortuorum, quibus commiſeratio debetur, à qua Cæſaris lacrymæ fuerunt viſo Pompei capite contra Petrarcham & alios. 19. tantum abeſt vt mutilari debeant hoſtium corpora. 20. aut inſepulta relinqui. 21. denique non labefactanda ſunt ac violanda publica priuataque monumenta. 22. maximè ſi ſacra ea fuerint. 23. additur que origo templorum profanationis ex antiquo ritu theſauros in illis aſſeruandi.

Pagina 815.

XV. 1. Tertium denique ac vltimum monitum in eo verſatur, vt portentis, ſomniis, auguriis, & vaniſſimis eiuſmodi obſeruationibus nulla fides habeatur, contra quàm voluerunt Henricus Ranzouius & Iuſtus Lipſius. 2. earumque omnium origo inquiritur. 3. & oſtenditur quantum illis homines addicti, ab omni tempore fuerint generatim loquendo. 4. tū etiam in ſpecie de militaribus. 5. vbi præliares dies, ſeu fortunati, aut infelices aſſignantur. 6. concluditur que variis rationibus & exemplis hæc omnia vana & ridicula eſſe.

Pagina 846.

XVI. 1. poſt prælium ſequitur victoria aut clades, quæ ſibi viciſſim ſuccedunt. 2. victoria quæſtui non habenda duci, ſed præda militibus diuidenda, vbi de ducis liberalitate. 3. deditionum con-

conditiones cùm antiquis tum noſtris temporibus vſurpatę. 4.clades nullam labem Ducibus infert, nec illis fortioribus cedere inboneſtum. 5.eadem modis omnibus diſſimulanda, & quibus prę ſertim.

Pagina 865.

XVII. *1.Hactenus de ſcientia militari, ſequitur virtus de qua primum quidem in genere dicitur. 2.mox in ſpecie explicanturque ſequentes labor in negotijs. 3 fortitudo in periculis, ſeu potius magnanimitas, quæ Ducum propria eſt virtus. 4.induſtria in agendo. 5.celeritas in conficiendo, vbi etiam de cunctatione, & varia quarundam nationum circa illas propenſione. 6.& demum artes nonnullę quibus Dux ſuorum militum beneuolentiam, & amorem ſibi conciliare poteſt.*

Pagina 883.

XVIII. *1.Sequitur tertia conditio nempe felicitas, ſeu fortuna, cui plurimũ ſemper à magnis Ducibus tributum fuit, etiam à Romanis. 2.hęc vero à Deo bonis Imperatoribus conceditur. 3.& militibus etiã. 4 frequentius tamen omnia sũma ratione agętibus quã alijs.*

Pagina 892.

XIX. *1.Quarta & vltima eſt auctoritas, cuius neceſſitas & natura explicantur. 2.tum cauſa cùm internę, vt tres prius aſſignatæ conditiones. 3 excellentia alicuius virtutis. 4.pluris facta quàm verba æſtimare. 5.magna non tamen quæ ſupra vires, ſint ſuſcipere, & abſoluere. 6.vitę & actionum conſtantiam, & æqualitatem ſeruare. 7.tum externæ, & accidentales, vt certa futuræ virtutis indicia in adoleſcente. 8.tyrocinium militiæ ſub Ducibus prę ſtantiſſimis abſolutum. 9.ętas matura. 10.forma corporis eximia, quanquam vera pulchritudo in animo conſiſtat, vnde cum deformi corpore multi Duces prę ſtantiſſimi fuerunt, vbi rurſus de euiratis dicitur. 11.nobilitas denique cuius loco ſi non adſit in Duce, virtutem lubentius admitto. 12.& finio.*

Citius equidem quam materia poſtulet, quæ longè plures titulos complectitur, quàm qui in hoc Indice expreſſi ſint; ſed nolui tam ambitioſè agere, vt multa in fronte pollicerer, quæ pluris fiunt cum in receſſu ſpectantur, imo vero tam miſerè, vt nullo delectu ſingula referrem ad cenſum, & æſtimationem facultatum. Quamobrem ea tantum indicaui, quæ partem Ope-

Operis faciunt; reliqua quæ caſu, aut ex occaſione, atque ad ornatum iſtius ſyntagmatis dicta ſunt, tunc etiam per ſe Lector inueniet, cum minimè de illis cogitabit. & ſi fortè hunc indicem, qui contractior fieri non debuit, iuſto maiorem exiſtimet, aut quanam de cauſa adſcriptus hic fuerit, quærat, agam cum illo verbis quibus ante me Martialis vſus eſt

Lemmata ſi quæras cur ſint adſcripta, docebo,
Vt ſi malueris lemmata ſola legas.

Arionis Nolagi

IN AVCTOREM SYNTAGMATIS

Diſtichon.

Quę Caſtris Pallas, ſtudijs prę eſt alma Minerua;
Præſidet in chartis vtraque iuncta tuis.

ER-

ERRORES GRAVIORES,

quos in hoc Opere, vel mea, vel Typographi parum cauere potuit induſtria, non tam culpari quàm emendari hoc modo velim; leuioribus enim quibuſdam alijs, peritum Lectorem remorari non poſſe confido.

IN Præfatione pagina 1. linea 22. lege interpretationis. in Ode p. 1. verſu vltimo, pro non, lege nec. p. 19. l. 25. circumuenti. p. 29. l. 6. Epimenia. p. 50. l. 9. viros. p. 54. l. 18. illæ. p. 69. l. 15. peregit. p. 98. l. 37. temperamento. p. 118. l. 10. Punico. p. 125. l. 31. certè. l. 32. dele haud. p. 132. l. 20. audaxque. p. 135. l. 2. vero res. p. 143. l. 26. dele æ, ante nullum. p. 158. l. 36. crebriora. p. 165. l. 35. militarium. p. 172. in margine l. methodi capite. 6. p. 176. l. 17. Saliſubſulus. p. 180. l. 28. nudos enſes. p. 182. l. 4. poſt Sidonius adde, & Caſſianus. p. 193. l. 5. & p. 194. l. 10. ſcriberent. p. 195. l. 31. poſt tractus addatur eſſet. p. 196. l. 35. pugilatum. p. 203. l. 11. πως. p. 211. l. 7. lagunculas. p. 221. l. 27. in fine dele de. p. 223. in annotatione, ſcanſione. p. 224. l. 16. delectu. p. 226. l. 33. Gratius. p. 227. l. 2. λκι. p. 234. l. 11. Myſopogone. p. 239. l. 3. Afranij. p. 259. l. 24. curtam. p. 268. l. 22. φησὶ. p. 269. l. 35. nummos. p. 283. l. 16. Ione. p. 288. l. 20. embammata. p. 314. l. 36. μακροὶ. p. 318. l. 22. dele vt. p. 328. l. 31. c. litera. p. 329. l. 35. conſutas. p. 353. l. 12. contigit. p. 359. l. 29. ſanctamque. p. 381. l. 18. Hecateis. p. 390. l. 24. venatur. p. 392. l. 8. dele in. p. 396. l. 28. Monlucio. p. 405. l. 16. σωματικα. p. 424. l. 8. numeroſa. p. 424. l. 8. curationis iſtius. pag. 462. l. 11. ſic. p. 481. l. 25. earum. p. 488. l. 34. belligerat. p. 517. l. 5. Menandri. p. 520. l. 34. Monaci. p. 551. l. 30. quicquam. p. 558. l. 25. ſum. p. 591. l. 36. & Syria quam. p. 593. l. 9. liliorum. l. 17. excogitata. l. 21. Pariſina. p. 594. l. 36. contuſas. p. 597. l. 7. vlteriorem. p. 611. l. 14. interiecto. e cuphoniæ cauſa. p. 628. l. 7. acinacem. p. 638. l. 15. & ocreas nullo prorſus commodo in anteriorem partem reflexas. p. 641 l. 1. ruitis. p. 642. l. 24. equinæ ſoleæ. p. 648. l. 13. DANT. p. 672. l. 7. cinis. p. 700. l. 7. ſecundus. l. 11. nihil. p. 704. l. 37. Strabone. p. 709. l. 14. Marco. l. 28. quarum. p. 743. l. 33. Achaides. p. 751.

Digitized by Google

pag.75 1. in margine. 8. p.755. in margine. 9. p.770. l.7. belli. l.9. tamen. p. 772. l.32. aliena. p.779. l.29. Onoſandrum. p.781.l.25. *viror*. p.841. l.15. in primo de morbis. p.845.l.22. ſoricibus. p. 855. l.37. conſilijs. p.859. l.7. tentare. p.870. l.6. commilitonis inſtar. p.882.l.16. atque Alexander. p.884. l.25. ingenti. p. 897. l. 7. præterea. p.902. l. 14. pullulat. l.23. conuenientiſſimo. p.903.l.29. iuuentæ. p.904. l.20. Euſtathius. p.906. l.29. dele deformis.

Im-

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſtol.

A. Tornellus Viceſg.

Syntagma *De re Militari* Gabrielis Naudæi, mandato Reuerendiſs. P. F. Nicolai Riccardij S. P. A. Magiſtri non ſine ingenti animi mei voluptate perlegi: nec in eo quippiam offendi, quod vel morum honeſtatem contraueniat, vel Religionis ſacroſanctam lædat pietatem. Quamobrem eruditiſſimum opus abundantiâ ingenij, leporeq; dicendi concinnatum, inſuper doctrinâ non è recentioribus tantùm, ſed antiqui æui ſcriptoribus, ijſque ſelectiſſimis, admirabili refertum, dignum eſt, vt prœli beneficio, quam alijs impartitur, lucem aſpiciat; vt irrequietos militiæ turbines, aduerſariorum technas, & rerum bellicarum machinas domi Lector quieſcens, ab omni periculo tutus conſpiciat, & virtute, atque auſpicio tanti Syntagmatis inter arma, & equites non ſine fauſtis victoriæ acclamationibus Alcedonijs perfruatur.

Romæ XIV. Kal. Iul. CIↃIↃCXXXVII.

Leo Allatius.

Imprimatur.

Fr. Nicolaus Riccardius Sac. Pal. Apoſt. Mag. Ord. Præd.

GA-

Digitized by Google

GABRIELIS NAVDAEI PARISINI SYNTAGMA DE STVDIO MILITARI.

Ad Illuſtriſſimum Iuuenem

LVDOVICVM EX COMITIBVS GVIDIIS A BALNEO.

PRAEFATIO DE MILITIA.

I. POSTQVAM tua me ſingularis, & eximia virtus, Ludouice Comes nobiliſſime, ad iſtud tandem muneris exequendum impellit, quod votis flagrantibus iam antea lubens concepi: nempe, vt in Eminentiſſimi Patrui tui familiam blandè, comiterque receptus, & ab eo donatus, ſtudiorum non modò libertate, quam ſemper optaui cupidiſſimè, ſed ea ſimul iucundiſſima tranquillitate, cuius me deſiderium, maiorem etiam in modum ducit, ac ſollicitat. Omnem certè iſtius otij, & ſtudij mei rationem, primùm quidem in ipſum, qui mihi vtriuſque auctor, & fautor extitit; ac demum velut aquam è Caſtello per latentes ſiphunculorum ductus, in reliquos familiæ tuæ Principes refunderem. Reliquum nunc eſt, vt

1. Inſinuatio dicendorum.

Digitized by Google

te quoque paucis conueniam, qui mihi litem ſolus ex illis iure tuo mouere potes, & ingrati animi vitium inurere; quod præclaris tuis, ac immortalibus in me beneficijs, nihil vſquam gratiarum aut officij repoſuerim. Quare interim dum elucubratâ primùm quidem ad Eminentiſſimum & Munificentiſſimum Mecœnatem meum, diſceptatione certè grauiſſima *de Imperiorum Arcanis*, tranſmiſſoque ad Illuſtriſſimum fratrem tuum natu minorem Comitem Fabricium, *de Studio Liberali* Syntagmate; *Gentis tuæ ſeriem*, & præclaras tot Heroum qui per ſeptingentorum annorum decurſus in ea floruerunt actiones, tamquam in tabula depingo, quam ad Illuſtriſſimum & Excellētiſſimum Marchionem à Monte bello parentem tuum deſtinaui: tecum parumper eſſe volo Ludouice Comes, & pro ea, quæ mihi in intimo corde penitus defixa eſt ſummi tui nominis & gloriæ cura, aliquid potius ſupra vires meas conari ad eius illuſtrationem, quàm non obſequium tibi præſtare meum, quod licet admodum tenue, & proprijs viribus, ac vegeto colore deſtitutum ſit; pluris tamen, quæ tua eſt humanitas & beneuolentia, hoc ipſum, quàm ceſſationem facies; & ſaltem in eo voluntatem æſtimabis, plus certè quàm ſibi quiſquam facile perſuadeat in tua commoda, ac vitæ & antiqui ſplendoris decora propenſam.

II. *1. Excuſatio quod militiæ rudis, de ea tractare inſtituam.*

Verum enim verò quoties me ad iſtud operis accingo, quod tua quidem de cauſa ſuſcipere in animum induxi meum, & ea mecum reputo, quæ tibi Iuueni fortiſſimo, nec tantum ad bella nato ſed exercito, de militaris diſciplinæ ſtudijs, armorumque tractatione, probe iam vſu ipſo & cōtinua meditatione perſpecta ſunt atque explorata; profecto ſubuereri mihi interdum venit in mentem, ne parum ſapienter id negotij attigerim, quod minimè omnium mihi videtur conuenire. quis enim ego ſum, vt Chironis alicuius, aut Xenophontis perſonam ſuſtineam? & hanc mihi partem aſſumam docendi te, & commonefaciendi de iſtis rebus, à quibus non minus diſſident Muſæ meæ tranquilliores, & felicis otij, beatiſſimeque pacis amantes, quàm mores etiam mei ab omni impetu, bellicisque tumultibus ſunt auerſi; vnde cum nulla inſuper egregia, aut inſigni aliqua facultate, ad iſtud rectè, conuenienterque agendum ſim præditus, neſcio profecto quis me ardor continuo impellit, & exagitat, vt hoc ad te de ſtudio militari

Syn-

Digitized by Google

Syntagma perſcribam; niſi potius meus ille ſit in tuam Familiam amor, & quædam mihi ingenerata voluntas omnia honeſta,& recta cupiendi. Eæ ſi quidem velut illecebræ potentiores omnino in cauſa ſunt, vt iniquum iſtud,& inſuetum humeris meis onus ſuſcipiam, meque forſan illis deridendum ſiſtam, qui vt iniquo animo ſuſtinent;Phormionem de re militari coram Annibale verba feciſſe; aut Megabyzũ de vmbra,& linea pręſente Appelle diſceptaſſe, quaſi vterque inſanire videretur, quod eorum in conſpectu orationem haberet, à quibus diſcere præſtaret, quàm docendi laudem quærere; haud ſecus me de armorum tyrocinio coram te,qui illud ad Caſale Rigomagi,& in Belgio,per integrum quadriennium tàm laudabiliter abſoluiſti dicentem,continuo velut ineptum moleſtè ferent, & ludibrio prorſus habebunt quàm maximo; ſed quo mitiores illos experiar, velim tandem vt intelligant,quod dedi totum iſtud, magis beneuolentiæ,quæ mihi erga te iam inde à multis annis ſuſcepta eſt, quàm euigilato conſilio, aut vlli ſcientiæ,vel experientiæ, quæ in me quantum ſint exiguæ penitus cognoſco; ſatiſque mihi conatum hunc honeſtè ceſſurum putaui, ſi in perfunctione amoris, temeritas tantùm mea non reprehendatur, tu verò & comprobas factum, & æſtimatione eius quod Illuſtriſſimo Comiti Fabricio primum obtuli, quantũ etiam iſtud de *Militari ſtudio* Syntagma, liquidæ tibi voluptatis allaturum ſit manifeſtè declaras. Quamobrem ſecurus beneuolentiæ, quam ſingulari & accepto iam inde à Maioribus tuis priuilegio, etiam ſi velles nemini vnquã denegare poſſis; audaciam præterea ſumo obteſtandi te, vt qua me ſenſim auctoritate impuliſti, ad iſtud muneris in me recipiendum, eadem velut Palladis Aegide famam meam defendas ab æmulorum calumnijs; quos priuſquam virus ſuum in me concitent rogatos quidem enixe velim, vt mihi primum condonent, ſi hoc officij genere audacter defungar, à quo non eſt amplius integrum mihi calamum temperare; qui eam in te multoties humanitatẽ ſum expertus, vt debere omnino ea videar quæ nondum promiſi, tantum abeſt, vt quæ ſum antea pollicitus, abſque manifeſto ſcelere differre poſſim: deinde verò vt etiam apud ſe reputent,me qui nihil frequentius quàm ingenij mei tenuitatem cogitatione replico, eam ſic modeſtè atque intra præſcriptos fines argumenti, quod mihi ad dicendum propono,

eſſe moderaturum, vt nullus mihi obijcere meritò poſſit, quòd in commune iſtud Horatij præceptum quicquam peccauerim.

In Arte poët.

Sumite materiam veſtris qui ſcribitis æquam
Viribus, & verſate diu, quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri.

2. *Maxime cum non in ſpecie de ea dicam.* Neque enim ita mihi blandior, vt quod ſæpenumero, vel ipſis etiam, qui frequenter hoſtem viderunt; frequenter in Caſtris pernoctarunt, & per decora, ac honeſta vulnera ſummam experiētiæ laudem ſunt conſecuti, haud minimum negotij faceſſit, iſtud in me parùm conſultò recipiam; atque de illis ad dicendum aggrediar, quæ nunquam optimè poſſunt niſi ab egregijs, & præſtantiſſimis ducibus explicari: aut Campidoctoris vices ſubeam, cuius muneris eſt Tyrones ipſos, vel Neoptolemum aliquem toto naturæ impetu ad auitum decus connitentem, in vmbra, & ad palum exercere, eumque ſcientiam bellicæ motionis edocere, quomodo nempe ordines ſeruare oporteat: qua arte hoſtis inuadendus ſit: vt cæſim, vel punctim feriendus: vt gladio cominus, telis, tormentiſque eminùs laceſſendus eſt: vt hæc ad certum ictum deſtinato libranda: vt agendæ Vineæ: vt Iuga partienda; vt acies ipſa explicanda, agminatimuè componenda ſit: vt Oppida obſidione cingenda: Machinæ expediendæ: Stationes collocandæ: Inſidiæ vel parandæ, vel declinandæ ſint; ac demum vt procurrere, ſubſiſtere, circuire, reſiſtere, inſtare, fundere, vincere, & eiuſmodi infinita facere conuenit, quæ propria ſunt belli adminiſtrandi.

3. *Quod multi tamen Litterati fecerūt.* Quamquam etiam ſi iſtud tentare vellem, non eorum rationibus deſtituar, qui multos contendunt, licet bellicis tumultibus numquam fuerint addicti, optimè tamen, nec minùs appoſitè ad fortiſſimi ducis inſtitutionem, quàm ad ingenij famam cumulatè, de militari diſciplina diſſeruiſſe. Nimirum aliud planè eſt, de Bello dicere, & aliud bellando hoſtes fundere, & fugare; nec Flauius Vegetius, quòd de militia bene eleganterque ſcripſerit, cum Sertorio, aut Mario ducibus; vel cū Lucio Dentato, & Marco Sergio militibus eximijs, propterea venit conferendus; non magis certè quam Homerus Vates ille pauper, ac cæcus, & ſuis tantùm verſibus pangendis idoneus, quem tamen Alexander, in re quidem bellica verè magnus, tanti ſemper feciſſe dicitur, vt eius Iliadem ſecum in Darij ſcrinio, velut rem omnium prætioſiſſimam quacumque

cumque

Digitized by Google

cumque iret detulerit, & certè licet Scaliger qui Maximiliani primi Imperatoris familiaris,& Satelles fuit,quique Cataphractus & in acie fortiter pugnando rem militarem didicit, (ſic enim hic tamquam Phæaces aut Abderitani eſſemus,nugas ſuas & mendacia nobis audacter venditat) Homerum neget vnquam pugnaſſe; multaque ei Modicius obijciat quæ non ita forſan ſunt ex militari conſuetudine dicta, vt quod hoſtes in media pugna longa inter ſe colloquia miſcere refert,& arma inuicem mutare,opemque ſibi & conſilia ſubminiſtrare, atque id genus varia non minus ab vſu & decoro aliena repræſentet; fatendum eſt tamen ipſum cuncta, quæ ad præcipuas bellorum rationes ſpectant,tam cumulatè,prudenterque verſibus ſuis expreſſiſſe, vt non ita curioſè in reliquas eius vitæ actiones inuenti; & numeroſas ductaſſe copias, & belli ſummam adminiſtraſſe videri haud iniuriâ poſſit. eamq; ob rem Stratocles, Hermippus, & Frontinus de Homerica rei militaris diſciplina commentarios vt colligerent,ſpontè adducti ſunt; Homines autẽ eiuſmodi ſingulari iudicio præſtantes, & Alexandrum maximè,qui rebus agendis ſupra reliquos mortales diuinus ferme habitus eſt, ſua opinione falſos fuiſſe, eumque ſibi in Magiſtrum armorum elegiſſe, qui vt oculis in tota vita,ſic mente in illa ſcientia captus eſſet, quis amabo abſque temeritatis nota ſibi perſuaſerit? Sed nec in reliquis auctoribus qui de bellorum arte ſcripſerunt, res aliter ſe habet; etenim cùm ex ingenti naufragio quod antiquam ferme omnem rei literariæ ſuppellectilem abſorbſit, totque ac tam varios prſtantiſſimorum ingeniorum conatus peſſum dedit, quorum iacturâ vehementer præmimur; quinquaginta propemodum qui de militia commentarios ediderant. In Virgil. à calum. vindicato.

Tabulà ſacer
Votiuà paries, indicet, humida
Suſpendiſſe potenti
Veſtimenta Maris Deo. Horat. 1. carminũ. Ode 5.

vt, ſaltem eorum nomina penitus non interierint; ſi quis Iphicratem, Xenophontem, Pyrrhum, & eius filium Alexandrum,ac Traianum etiam, & Nicephorum, Catonem, Modeſtum ex illorum numero demat; reliquos omnes vt Thaletem Gnoſium. Tyrtæum, Anacharſim, Democritum vtrumque, Clearchum, Demetrium, Polyænum, Apollonium, Aelianum, Athenæum, &

alios, non tam ipſius rei experientià, quàm præſtantis ingenij,& doctrinæ fiducia munitos ad ſcribendi officium acceſſiſſe, nulli opinior qui diligentius in veterum monumenta inquirat dubium eſſe poterit. Nec mirum eſt profecto ſi ipſi, peculiari ſua induſtria freti, idem in arte militari præſtiterunt, quod potentes etiam ingenio, plurimarumque rerũ intelligentia præditi, cæteris in artibus facere ſolent, dum lectione, & auditu eos adiuuante, melius vnumquodque cognoſcere & diiudicare conſueuerunt abſq; vſu, quàm qui in eo aſſiduiſſimè tractando & exercendo implicantur; itaut vulgus temere in eam opinionem diſceſſerit, in ea re in qua tritus non ſit, neminem rectè diſputationem eſſe ſuſcepturum. cùm ex aduerſo certiſſimum ſit Quintilianum nec cauſas oraſſe publicas, nec priuatim etiam declamaſſe; & tamen cum hic, tum Ariſtoteles, & Iſocrates qui numquam etiam in publicis Græciæ conuentibus dixerant, de doctrina dicendi præcipere quam perfectiſſimè potuerint. Similiter Platonis, Iſocratis eiuſdem, Dionis Chryſoſtomi ſermones habemus de magiſtratu adminiſtrando, temperandaque Republica egregios planè, & quorum ex vſu felicitas ipſa regnorum conſtare poſſit, ſi tam rectè à Principibus ſeruarentur, quam ſanctè, & verè exarati ſunt ab ijs hominibus, quorum tamen nullus ſi ſapientia ex vitæ conditione metienda eſt, de Rebus publicis, in tenui ſua, & priuata fortuna decernere potuiſſet appoſitè. Sed non ne Cornelium Celſum videmus cui nullus vnquam æger faſtidio fuit, nec vena digitorum compreſſu molliter explorata, in ſpem aut metum emicuit; iſtud nihilominus eleganti ſua & accurata ſcriptione conſecutum fuiſſe, vt eius non poſtrema ſit inter principes medicos auctoritas; non ſecus equidem ac Arati inter Aſtronomos, qui præter Achillem, & Hipparchum, ac Theonem græcos Scholiaſtas; Germanicum, ac Gordianum Cæſares in ſui prætèrea cultum, & admirationem conuertit *hic enim*, quod notat Capitolinus in eius vita, *cum Iunior eſſet poemata ſcripſit, & cuncta quæ Cicero ex Diametro, Aratum, & Alcyonas, & Vxorium, & Nilum:* quem textum ita emendatum à priori corrupta lectione, Iuſto Lipſio debemus. de Germanico vero res eſt apud omnes notiſſima, vel ex fragmentis quæ etiam num hodie Typis excuſſa leguntur; & tamen Cicero qui Aratum quoque ex Græco interpretatus eſt, nõ veretur aſſerere hunc ex

Lib. 4. epiſt. quæſt 5.

1. de Orator.

aliorum

aliorum tantũ ſententia & præſcripto de aſtris ſcripſiſſe, eorumq; ſcientiæ, quam cæteri tubo & radio conſequuntur, omnino fuiſſe ignarum. Sic de re nautica multi ſubtiliter diſputant qui ſe Pelago numquam crediderunt, de Muſica ſcribere haud verentur qui ipſi non canunt: & male quidam cum hominibus ageretur, ſi Medicos qui de venenis compoſitiones ſuas edunt quotidie in publicum, illorum omnium antea vires & mixturas experientià comprobaſſe oporteret. Diſciplinarum igitur præcepta, & theoremata, citra vſum & exempla inueniri, & conſtitui, propagarique cum minimè poſſint; vt percipiantur tamen, actionem praximq; non flagitant, neque cum ipſa comprehẽſione, neceſſario coniungendus eſt rerum vſus; ſed prout cuiuſque hominis eruditi animus probe affectus eſt à natura, & ab arte optimorũ auctorum lectione informatus, qui partim rebus geſtis interfuerint, partim etiam in Senatu, aut conſeſſu illo verſati ſint, vbi aſſidua mentio, & agitatio de illis habetur; ita quoque non minus eruditè quam prudenter ab earum ſe tractatione expedit. Quæ ſententia tantum abeſt, vt veritati ipſi, & rectæ rationi minimè conſentanea ſit, quod non antiquorum modo exemplis quæ ſupra retuli; ſed recentium quoque Scriptorum illuſtribus monumentis confirmari poteſt; inter quos non omnes ſanè vt Langæus noſter, & Georgius Baſta Germanus, inimici pectus lanceà hauſerunt, priuſquam animum ad ſcribendum appellerent; ſed multi præterea rudes armorum fuerunt, & pacatioris tantum Mineruæ ſtudijs obnoxij; quales ex Philoſophorũ Scholis poſſũ nominare Petrũ Montiũ Mediolanenſem, & Franciſcum Patritium virum acris ingenij, & ſibi ac alijs minime indulgentem; ex Iudicum verò tribunalibus Robertum Valturium, & Guillielmum Caulium ſiue à Quercu vt ſeipſum aliquoties etiam nuncupat; ex Scribarum ordine Florẽtinum hunc, cuius libri politici flagitioſa eruditione reſperſi, ſuam quoque làbem operi quod de Militia ſcripſit, velut peſtilentis auræ contagionem afflauerunt; ex Humaniorum literarum profeſſoribus Iuſtum Lipſium, & quos enumerare facili negotio poſſem infinitos alios minoris famæ; ex Theologorum Suggeſtibus Aegidium Romanum, & Petrum Charondam Pariſinum; ac demum quod mireris magis, & ſtupeas, ex inclita illa, & virorum vndequaque doctiſſimorum fœcundiſſima Societate cui à Ieſu nomen

Digitized by Google

eſt, duos celeberrimi nominis Scriptores Ioannem Antonium Valtrinum, & Hermanum Hugonem. Quare horum omnium labores in illuſtranda militari diſciplina feliciter exantlati, ſatis liquido declarant, mentem hominum non huic, aut illi ſcientiæ mancipatam, in corporis ergaſtulum detrudi, ſed omnium principijs & ſeminibus imbutam, vt prout ipſam poſtea agit impetus, hanc excolat, ex qua vberiorem poteſt ſibi meſſem promittere, ſiue illa ſit imperatoria, ſiue militaris. adeoque procliue eſt omnibus à natura, negotium non modo ſuum agere, ſed etiam alienum tractare non indecenter, vt vilem quoque popellum, & abiectam plebeculam, nulla de re frequẽtius garrire videas, quam de militum virtute, & Imperatoris officio, *in circulis enim omnibus,* dicebat Liuius, *atque etiam ſi Dijs placet in conuiuijs, ſunt qui exercitum ducunt, vbi caſtra locanda ſint ſciunt, quæ loca præſidijs occupanda, quando cum hoſte manus conſerenda, quando quieſcendum ſit.* Neque profecto inepta ſimilitudine ſe defendũt, qui verentur ob hanc libertatem quàm ſibi aſſumunt, nimię temeritatis, & audacię accuſari: vt enim verum ſit quod robuſtus Agricola melius fodiet, & arabit quàm vir Conſularis, aut Senator aliquis delicatus; prudentius tamen de agricultura, & ſingulis eius partibus ediſſerent, certioraque de ſingulis præcepta dabunt M. Cato, Plinius Secundus, Columella, & his ætate ſuperior Theophraſtus, qui hanc Philoſophiæ partem diligentiſſimè ſunt complexi; quam quiuis ruſticus & illutibarbus arator, cuius facies continuis Solibus peruſta ſit, manuſque vomeris ductu ita occaluerint, vt quod Scipio, nõn impune tamen, cauillatus eſt, ipſis æquè ac pedibus ambulare videatur; & ſanè cum Magonem Carthaginenſem, & Varronem Romanum operis quidquam ruſtici aliquãdo feciſſe; nemo ſit tam præpoſtere doctus, vt aſſerat, tam diminuta & alienata mente vt credat; Cur in militia pariter euenire non poſſit? vt optimè de illa ſcribat qui nunquam gladium ſtrinxit in hoſtem? nullus equidem video.

Lib. 41.

4. *Sed in genere tantum.*

His igitur rationibus, Ludouice Comes, facili negotio cõficere poſſem, quod etiam ſi de regulis, è quarũ obſeruatione bellorum omnis ratio pẽdet, vitæque ac ſalutis momenta ſpectantur, dicere vellem; iſtud omnino tam honeſtum mihi eſſet, quam liberum ſemper fuit vnicuique, ex aliorum experimentis, & monitis de rebus

Digitized by Google

rebus varijs multúmque etiam ab arte propria diuerſis pronunciare. Veruntamen quia hic conatus laborem, & meditationem, lectionemque requirit quæ in eiuſmodi obſeruationibus diutiſſime impendantur, multaque in homine poſtulat ſagacis naturæ adiumenta, quibus me non vſque munitum, ornatumque intelligo; ſatius idcirco eſſe duxi, metiri me meo pede, nihilque ſupra vires aut officij mei rationem aggredi, quàm de ſingulis dicendo quæ in bellis fieri conſueuerunt, imprudentiam ſimul ac ignorantiam meam cunctis teſtatum facere; præſertim cum nulla me ad hoc tentandum neceſſitas impellat, qui te vnum alloquor Ludouicè Comes, quem à teneris annis Illuſtriſſimus pater tuus in Schiamachia, aut ſi latinè mauis vmbratili pugna ſolicite de omnibus illis edocuit, quæ poſtea grandior factus, in pellibus hybernans, & integras noctes in ſtatione perdurans, ac nonnunquam etiam denſas Batauorum phalanges ferro perrumpens, tuo periculo & propria experientia didiciſti. Atque etiamſi horum omnium eſſes ignarus, melius certè ex aliorum ſcriptis, qui in hac palæſtra cum laude deſudarunt, quàm ex meis, qui in ipſa ne ſufficienti quidem meditatione me exercui percipere ea poſſes. Proptèreaque cum in militia non ſecus ac medicina, & cæteris artibus, generalia quædam præcepta vſurpentur, quæ eam doctrinam conſtituunt, cuius ſi ſolitaria ſpectetur nullus eſt in operatione fructus; ſed tum demum vires illius ſeprodunt, cùm præceptionibus quæ magis ad artem ſpectant applicata, omnes illas tanquam exortum iubar illuſtrat, & impellit; non ſecus profecto ac in legum quoque ſcientia contingit, vt quamuis conſilia, iudicibus de præſentium cauſarum ſtatu quemadmodum monet Agellius, capienda ſint; generalia tamen quædam præmonita, & præcepta communiter tradantur, quibus ante cauſam præmuniri iudex, præpararique ad incertos caſus futurarum difficultatum debeat; idcirco harum tantummodo monitionum quæ generales ſunt, curam in me recipio; ſpondéoque quantum artis, & experientiæ Campidoctores ipſi afferunt, vt diſciplina ſuos Tyrones inſtruant, & exercitio obdurent ad laborem; tantum me ingenij, & diligentiæ allaturum, vt generalis illius doctrinæ pleniorem ſuccum, tuis auribus ſuauiter inſtillem, cuius poſtea beneficio, cœteris actionibus quas in bello meditaberis lib. 14. cap. 2.

beris

Digitized by Google

beris, ſingularis decor & venuſtas accedat. Hoc autem & ſi non ignoro multos ante me, ſublimes ingenio, & dicendi facultate viros præſtitiſſe, qui in tanta eruditorum luce ſic eminent.

Vt pura nocturno renidet
Luna mari, Gnidiusque Gyges.

illud tamen quod inquit Terentius in prologo Phormionis,

in medio omnibus
Palmam eſſe poſitam, qui artem tractant muſicam

animum mihi facit ad ſtadium iſtud confidenter ingrediendum, atque vt libere dicam nonnulla etiam me ſpes habet, quod velut Attici, Strabone teſte, quas veteres Fabri negligentiùs excoxerant maſſas, recoquendo, grande operæ præcium fecerunt; ita ex antiquorum libris denuo examinatis, multa eruam, quæ tibi, Ludouicè Comes, non poterunt eſſe non ſummopere grata, & accepta.

III Partitio totius operis.

Verum quo te minime lateat conſilij mei ratio, faciam apud te quod Elioġabalus Imperator apud conuiuas ſuos, quibus mantilia dabat his edulijs depicta quæ deinceps apponerentur, vt cognoſcere facilius poſſent quot miſſus eſſent habituri; etenim eùm, ſicut Ariſtoteli, & Tullio viſum eſt, egregius Imperator eſſe non poſſit, qui iuuenis Militię non aſſueuerit, priuatique militis officio functus, aliquod ſpecimen non ediderit futuræ ſuę virtutis & excellentię; nec alia de cauſa felices Sparciatas, reputaret Ageſilaus, niſi quod omnium rectiſſime conſueuerant Militis viciſſim ac Imperatoris partes ſuſtinere: vtriuſque autem officium ea qua decet alacritate, & animi contentione excoli pro dignitate, exercerique non poſſit, niſi quanta ſit ipſius artis Militaris ſupra reliquas præſtantia, certiſſimis rationibus innoteſcat, viſum eſt mihi propterea optimum factu, ſi præſens Syntagma tres in partes diuiderem; ac in ipſa quidem præfatione multa dicerem tum de Militiæ præſtantia, & nobilitate, tum varijs de rebus, quæ minus commode referri potuiſſent, & explicari duobus libris ſequentibus; quorum primus Militis officio dicatus eſt; poſtremus vero Ducem effingit, & exornat virtutibus quæ maximè ſunt Imperatoris propriæ. atque hoc ordine, & trina ſermonis partitione vniuerſam Militiæ tractationem complectar; de qua cum animus meus ſit per ſe paratiſſimus ad narrandum,

virtus

virtus autem tua ingens & conſpicua, certe non tam ille viam inueniet, quam iſta vim dabit ad bene dicendum mihi.

Itaque priuſquam ex tranquillo portu ſoluam, & in altum narrationis prouehar, permitte quæſo Comes illuſtriſſime, vt eius artis quæ tuos Maiores æterna laude cumulauit, teque etiam aliquando ad immortalis gloriæ ſudum extollet; dignitatem tuear, aduerſus nimium ſibi blandientes quoſdam, & fucatæ probitatis Literatos; qui vt imperium illud in Milites retineant, quod ſibi ſuis in declamationibus vendicare ſolent in mortales reliquos; hanc artem continuo damnant, velut hominum ſaluti, & legibus aduerſam: quæ non tam proprijs rebus tutandis, quàm inuadendis quæ ſunt aliorum, ex Principum libidine inſeruiat, omniaque permiſcet; nec vicinas modo gentes, ſed toto penitus orbe diſſitas, quas montium repagulis, & Oceano tumente natura ipſa, ſatis ad perpetuæ tranquillitatis felicitatem, ſibi perſuaſerat eſſe munitas, crudeli Marte ſœpius inter ſe committit: qua vigente nec labor conſtat Agricolis, nec Artificibus induſtria, nec Mercatoribus diligentia, nec Magiſtratibus honos, nec ſacris rebus reuerentia. Sed nec iſtud mirum videri debere contendunt, cùm ab hominibus geratur a bieƈtiſſimis, fraƈtis otio, luxuria diſſluentibus, ganeæ addiƈtis, cicatricibus deformatis; qui tribus aut quatuor teruncijs conducuntur, vt tanquam viƈtimæ cum occaſio tulerit immolentur. vel certe reliquos immolent; quique nôn aliter quam Thraſones nonnulli apud Mneſimachum gladijs cœnant acutis, obſonij vice faces ardentes deuorant, Creticoſque mucrones, & Iaculorum reliquias quaſi ciceres, aut bellaria habent, catapultis interim & arcubus coronati; à quibus profeƈto nihil aliud ſperari debeat, quam, quod omnino ſæuum eſt, inſolens, impium, & æque ab omni iuſtitia, pietateque alienum; ac Militia ipſa, quæ ſeruitutem imponit liberis, ſilentium legibus indicit, metumque, & pauorem incutit omnibus, ab humanitate videtur eſſe aliena. Nimirum hi ſunt Arietes quos ſuperba literatorum natio in Militiam impellit, hæc tela quæ in bellatores conijcit, vt ipſos de priſtino nobilitatis gradu deijciat, Martemque cogat quantumuis ferocem, & inuiƈtum Muſis ſuis concedere.

Interim vero earum dignitatem ſic extollunt à contemplatione,

IV. 1. Artis militaris defenſio aduerſus literatorũ calũnias.

in fragm. veter. comic.

2. Quod ipſa nõ verſetur in cõtemplatione qua res eſt prope diuina.

ne, cui ſe totos dedicant, ſic efferunt à multiplici ſcientia, quam ſe conſecutos arbitrantur, ſic ab arte dicendi, vel ſcribendi iactant & euehunt, vt reliquos præ ſe Blennos ac fungos reputent, qui poſt habitis illorum otioſis diſſertationibus, periculum quidem à patria propulſant, aras, focos, ac Penateis tuentur; ærumnoſam ætatem in aſpero vitæ cultu duriter exigunt ſub armis, ac de fortunis, & capite quotidie dimicant, quo ſuis ciuibus optata pax, ac tranquilla libertas cum honeſtate contingat; huc enim ſpectant illa omnia nocturnæ vigiliæ, Caſtra vallo, & flumine munita, ſpeculatores miſſi, qui reſciſcant hoſtium conſilia; commeatus ſummo ſtudio conquiſiti, cruenta denique acies, iacturæ, vulnera, mors ipſa, in quibus tanquam præclaris vitæ actionibus obeundis, militum negotia, vitaque omnis vſque conſumuntur. At Hercle ſua literatis fuſtra daretur facundia qua cæteros laudant, niſi ipſam primùm quidem ad ſui cultum, & ornatum conuerterent; ſed quod iſta velut Tyranni faſcibus abutantur, ad imperium ſupra fortiſſimos duces, & Milites occupandum, quorum in præſidio, & tutela Muſæ ipſæ, & Deorum aræ latent; iſtud profectò minimum abeſſe videtur ab oſtentatione, & inepta laudis cupidine, quam omnes boni & ſapientes quotidie in illis damnant, ac repræhendunt. Nam quid obſecro magnificentius ſibi tribuere poſſent? Si ſpeculationi deditos, literarumque ſtudijs inſignes, diuinis honoribus affeciſſet antiquitas, quemadmodum certè Iouem, Martem, Liberum, Herculem, Pollucem, Perſeum, Quirinum in deorum numerum retulit; non quod ſubitiles queſtiones agitauerint de rerum principijs, de elementis, de materia prima, & priuatione, de Cœlorum conuerſionibus, animorum natura, ventorum origine, & rebus alijs quarum nulla apud ipſos conſtat, ſed de ſingulis eſt ſumma diſſenſio; at vero quod aſpera bella compoſuerint, regna & prouincias ſubegerint, Feras monſtraque domuerint, & nihil illis fuerit antiquius quàm

Horrida Mauortis tractare ferociter arma,
Hoſtilique ſuam temerare in ſanguine dextram,
Et ſibi pugnando immortale acquirere nomen.

Quid etiã honorificentius de ſtudioſorum laboribus decernerẽt? Si vates ille maximus, de quo non minus, præclare Latini ſenſiũt

quàm

quam Græci de Homero, Populum Romanum ex orbe deuicto triumphantem, & ſuperbum, ſcientiarum potius laude, quàm armorum tractatione partum decus retinere voluiſſet; & tamen ipſum videre eſt æneide ſexta poſt enumeratos duo fulmina belli Scipiadas, animamque ſuperbam vltoris Bruti, & quotquot vnquam Romanorum in armis fuerant illuſtres, ne verbum quidem de Varrone, aut Ennio, & Lucilio feciſſe; ſed totum ſe ad iſtud compoſuiſſe, vt cæteris nationibus ſeu bello deuictis, ſeu cultu & Inſtitutione Barbaris, laudes concederet quæ ab reliquis artibus petuntur, velut ignobilis fortunę ſolatia; quæ vero fortes viros decent, & ob continuos Labores Martiſque dubios euentus maſculos animos requirunt, eas vni Populo Romano tanquam omnium nobiliſſimo, præſtantiſſimoque, excolendas eſſe ſuaderet. ſed quid demum elatius atque ſublimius de ſe cogitarent literati, ſi conſenſus vniuerſalis gentium, vox ipſa populi, & communis fama bonorum, ſtudium liberale de quo ſe adeo iactant & efferunt, eiusque inſtrumenta Calamum, Lucernam, Pluteum, Palimpſeſtum, Clepſidram, Gladiolum, Thecam pennariam, & id genus alia inter bona quæ humanis præſtantiora iudicantur repoſuiſſet; non autem totum iſtud commendationis argumentum in Militiam, & quæ ei ſubſeruiunt arma deriuaſſet.

Bellorum exuia, truncis affixa Tropæis Iuuenal. 10.
Lorica, & fracta de caſſide Buccula pendens,
Et curtum temone iugum, victaque triremis
Apluſtre, & ſummo triſtis captiuus in arcu,
Humanis maiora bonis creduntur.

atque vt iſtarum rerum aſpectus, mentes hominum gloriæ, laudisque auidas mirum in modum reficit, ac recreat, & velut ambitionis nectare ſuauiſſimo paſcit; ita non minus iucundè in illorum aures ſe inſinuant, quæcunqe de pugnarum & militarium facinorum euentu à bellatoribus ipſis referuntur; nam vt de Penelope taceam.

Quę Troia caſus iterumque, iterumque petebat: Ouidius.
adeo verum eſt quod omnium ſermonum qui de rebus alijs inſtituuntur cito nos faſtidium capit, vt non immerito dixerit poeta Venuſinus.

Sed

Sed magis
lib. 2. ode 13. *Pugnas, & exactos tyrannos*
Denſum humeris bibit aure vulgus.

de Inuent. cuius rei hanc afferri poſſe rationem conijcio, quod vt inquit Tullius *omnibus in rebus ſimilitudo eſt ſatietatis mater*, hæc vero nullibi minus apparet quàm in bellicis actionibus, quarum cùm ob mores, & ritus populorum diſcrepantes, tum ob accidentia quæ cautiſſimos duces plerumque inuoluunt, & eiuſmodi cauſas quę ſimiliter in omnibus ſe habere non poſſunt, maxima ſemper eſt inter ſe differentia, & quod conſequens eſt diuerſa etiam narratio; cui prætèrea non minimũ delectationis accedit ex Heroicarum, & incredibilium ferme virtutum commemoratione, quæ ſuo pręcellenti merito, longè potentius in animos incurrunt quàm vel contemplationes de natura perobſcuræ, vel impliciti legum nexus, & Labirinthi, vel Mileſię fabulæ, & narrationes de turribus & pectine Solis, quæ ſtolidos tantũ ac infantes, attentos detinere poſſunt. His igitur rationibus abunde cõfeci, quod nec ipſimet opinor liberalibus ſtudijs exculti homines inficias ibunt, Militiam longè aptiorem eſſe quæ homines adumbratæ cuiuſdam diuinitatis & verę glorię participes reddat, quàm ſit ipſa contemplatio quæ de rebus etiam præſtantiſſimis & ſublimibus inſtitui ab ipſis ſolet, & de qua tam prolixè abblandiri ſibi conſueuerunt, vt cum in Deum euadere non poſſint, ſaltem eius ſimiles haberi velint, cùm ſui ipſius tum cæterarum rerum aſſidua contemplatione, cui ſeſe nimium quantum totos impendunt & dedicant. Verùm quàm ipſi longe à ſcopo aberrent & ſua opinione fallantur, non operoſum eſt meo quidem iudicio demonſtrare; etenim quam habent amabo in hac re ſimilitudinem? illorum vanæ meditationes & ſomnia de rerum cauſis, cum Dei natura qui ſeipſum perfecte intelligit, qui rerum omnium naturam cumulatè nouit, fouet, & temperat; qui cœlorum conuerſiones dirigit, tempeſtatum viciſſitudines ordinat, elementa paribus inter ſe momentis librat, Terram in mundi centro firmat, Oceanum certis limitibus conſtringit, ventos de theſauris ſuis promit; cuiuſque tandem, prouidentiæ & moderationis imaginem, licet infinito quodam interuallo, innumerabilibuſque differentijs illi tantum imitando proſequuntur, qui ita ſe erga ſui ſimiles gerunt, vt omni

ope

Digitized by Google

ope,& ingenio commodis illorum proſpiciant: *homines* enim vt optime Tullius contendit, *ad Deos nulla re propius accedunt, quàm ſalutem hominibus dando*; hoc autem ipſi tantummodo præſtare exiſtimandi ſunt, qui præclaris legibus, & inſtitutis populos informant; ciues moribus optimis expoliunt; fœdera ſanciunt; pacem, aut tuentur, aut bellum cum opus eſt gerunt; omnia deniquefaciunt quibus mortalium vita commodior, atque beatior eſſe poſſit; quod equidem cum varijs in rebus exercitatos homines poſtulet, & corporis æque ac mentis agitatione continua procliues ad laborem, fateatur tandem oportet totum iſtud eſſe actionis, non vanæ contemplationis negotium; ſicque diuinitatis ſpeciem lōgè melius opere ipſo quàm tacita cogitatione exprimi: cui ſententię pariter accedit Horatius, his verſibus laudatis iam antea in ſyntagmate de Studio liberali.

Res gerere, & captos oſtendere ciuibus hoſtes.
Attingit ſolium Iouis, & cœleſtia tentat.

& ſanè quod militum virtus lōgè ceteris præcellat in publici boni procuratione, iſtud optime fuit a Thucydide demonſtratum, cum ſcribit Periclem in ea laudatione, quam is ſummum Magiſtratum gerens, ad ſepulchra militum more maiorum habuit; antequam ad cauſæ caput accederet, accuratè deſcripſiſſe iuſtiſſimæ Republicæ formam, tum fructū honeſtiſſimę pacis, & vberrima legum cōmoda recenſuiſſe; quibus, vt erat diſertiſſimus, luculenter explicatis; addidiſſe poſtremo militū mortuorū magnifica pręconia virtutis: vt diceret, quod ſuperſtites Athenieſes eſſent, quod beati florenteſque, & omni genere bonorum cum altiſſima pace fruerentur eorum proculdubio iuuenum eſſe certiſſimum munus, qui ciuium otium cruento ſuo negotio, patrię ſalutem ſua cæde texiſſent adeo nempe verum eſt quod; pro Murena M. Cicero protulit, *omnia quæ ſunt in Imperio, in ſtatu ciuitatis, ab ijs defendi, & firmari putantur, qui militari virtute antecellunt!*

Verum poſtquam præſidium iſtud litteratis ereptum eſt, quod in contemplationis præſtantia tanquam arce munitiſſima conſtitutum habebant, ad aliud certè tanquam claudi ad equum confugiunt: & ſummam vim, facultatemque ingenij oſtentant qua generoſo quodam, & audaci conatu, ſcientias omnes, arteſque ita penitus occuparunt; vt nihil ſit, vel in Theolo- 3 *nec in varietate ſcientiarum quas omnia docent, & efficiunt.*

gia

Digitized by Google

gia reconditum, vel in Philoſophia obſcurum, vel in Mathematicis perplexum, vel in Iure dubium, aut in communi bonarum artium cognatione, ſeu quam Græci dicunt, Encyclopædia difficile; de quo ſemel interrogati ſubtiliter, & ornatè reſpondere non poſſint; vt mirum ſit pr fecto de ingenij humani vaſtitate, quod Muſæi cuiſdam anguſti parietibus concluſum, tot ſcientias illuſtrare potuit, tot artes conſtituere, tot abdita proferre, tot obſcura, & difficilia enodare; quorum certè fructus, & cõmoda multo latius ſe diffundunt, quam vt cum ipſis, diſciplinæ militaris vtilitas vllo pacto conferenda ſit. Hæc enim omnia, præclara ſui cognitione, animã primùm ab ignorãtiæ tenebris explicant, & puriorem etiã efficiunt, ſciẽtiæ quę de Deo, & de peccato tractat perceptione; incolumitatem præterea corporis ſeruant, præſidijs quæ medicina ſuppeditat; mores componunt, regulis, quas de virtute, & vitio Philoſophorũ libri continẽt; bona, fortunaſq; tuentur, legum ſanctionibus, & Iuriſconſultorum effatis; vitæ denique commoda, & voluptates promouent, tot artificum induſtrià qui abſque mathematicarum ductu, vix poſſent conuenienter lineam aliquam aut circulum deſcribere. At o! boni priuſquam vobis de eiuſmodi commodis credatur, quæ ſi perinde ſe haberent vt a vobis deſcribuntur, non poſſent etiam non ſummopere egregia, & vtilia cenſeri; mentem paulò aduertite ad Scepticos & totam Pyrrhonis ſcholam, quæ concluſiones illas de ſcientijs tanquam nugas meras, & pedicas, quibus vos inuicem irretitis abſque emolumento, ſuauiter deridet; ſapientiſſimis que populorum Romano, & Lacedemonio, qui vos, & ægre quidem receperunt, & exceptos turpiter depulerunt, violatæ literarum maieſtatis dicã ſcribite; aut queadmodum æquum eſt, expoſtulate prius cum duobus fortiſſimis Imperatoribus, quorũ vnum de toto Iure ciuili abolendo non ſemel cogitaſſe refert Suetonius, alterũ vero ad duo ferme millia librorum cõbuſſiſſe, in quibus iudicia continebãtur, quæ ab Vrbe condita ad ſuam vſque ętatem reddita fuerãt, tam exploratum eſt; vt qui hoc ignoret, ſcire etiam non debeat, qui primus tot leges ſparſas, & incõditas in quinquaginta libros titulatim digeſſit, quos nunc *Digeſta* nunc *Pandectas* appellãt, hoc autem conſilium cum miro quotidie, & incredibili conſenſu bonorum, ampliſſimis laudibus honeſtetur; nulli è contrario tot retro actis ante ſeculis ad

in Caligula.

no-

Digitized by Google

noſtrum vſque inuenti ſunt, quos facinoris iſtius Imperatorij memoria torqueret; ſi duos literatores excipias procaci dicacitate, & ſcommatum plauſtris, quæ in probos omnes,& immerentes cõgerunt, magis quàm doctrinà notos Floridum nempe,& Philelphum; quorum vterque conceptum leui de cauſa in Iuriſconſultos rencentiores virus, antiquiorum illorum deſiderio ſic exacuit, & inflammat, vt etiam ſapientiſſimum Imperatorẽ iſtius rei quam conſultiſſimè fecit aſpergat infamià; ita enim poſtremus in Satyris.

O vtinam Superi! ſi quid mortalibus vſquam eſt
Iuſtitiæ reliquum te, Iuſtiniane, ſub imis
Manibus, ardenti plectant Phlegetonte iacentem;
Poſtquam tanta Italis millena volumina legum,
Principe te clades, te principe peſtis ademit.
Cum tua venturæ moliris nomina famæ
Inſerere, & vulgi titulos dementis inire,
Lex, & Iura tuo perierunt inclita faſtu. Sat. 2. dec. 2.

quibus certe maledictis, & conuicijs ſummam eorum videtur feciſſe, quę Floridus toto libro de Iuris ciuilis interpretibus maiori rationum,& verborum apparatu, contra Zazium,& Alciatum laxioribus habenis ſcribens effuderat. Enimuero non ſolum Iuſtinianus hac arte vſus eſt, qua cæteris hominibus ab immenſa commentationum veſtrarum mole,& infinito propemodum numero proſpiceret, quandoquidem alius tum inde ex Othomanorum Proſapia Imperator, vt ſuæ quamuis profanæ Religioni conſuleręt, quæ varias in partes trahebatur, ex interpretum diſſentione, quantum octoginta Cameli librorum non Typis æreis, ſed calamo Scriptorum ferre poterant, Oceano demerſit; promulgato inſuper decreto, ne quis, aliter quàm ipſe cum ſapientioribus nonnullis conuenerat, de Religione ſcribere, aut pronuntiare poſſet, atque ita veſtræ tandem eruditionis pertæſi ſummi Imperatores, quos non temere quicquam, ac leuiter ſuſcepiſſe exiſtimandum eſt, ſucreſcentem illam in dies, & vltra quàm Reipublicæ ſaluti conduceret luxuriantem, iiſdem fatis compreſſerunt, quibus, & orbis vitia Deus Optimus Maximus ſolet interdum reprimere. Sed iniquum fortaſſe reputabitis nec ſatis tutum etiam, lite cum eiuſmodi Populis, & Imperatoribus experi-

Digitized by Google

ri, quorum auctoritas æquitati cauſæ præualet, & ſplendor, ac maieſtas officit iudicum libertati; bene quidem, ſed diſſidia, ſaltem componite, quibus, ac nulla re frequentius, Scholæ veſtræ perſonant,& vos ipſi primùm cum antiquioribus literatis, ac demum inter vos conuenite: nam qui fieri poteſt, vt interim, dum Hipparchus, ab Eudoxo, & Copernicus à Ptolemæo in Aſtronomicis diſſentiunt,vlla vobis de cœleſtium corporum ordine, cauſiſque, & natura fides adhibeatur? quomodo vultis, vt Philoſophis credatur? ſi continua quadam veluti rotæ conuerſione ipſi ſe viciſſim ex pulpito deturbant, vt aliquando regnarit in ipſo Empedocles, mox Democritus, deinde Plato, poſtea Ariſtoteles, demum Teleſius,Baſſo,Patricius,Gaſſendus,viri capitales,& prōpti nouum potius iter cæteris aperire, quam iterum terere iam antea factum ab alijs vnde ſi quis illos omnes in tanta opinionum varietate, & diſcrepantia ad ſcopum collimaſſe cenſet, deſipit is profectò non ſapit, ſi nullum, mecum omnino facit,qui hac in re cum optimo meo, & ſapientiſſimo Tuberone planè conſentio. Nec vero aliter in Medicina ſe res habet, quis enim Ruſticos videat, hoc eſt maximam & meliorem hominum partem, ſumma confectos ſenectute viuere abſque illius ope ſanos,& incolumes, vixiſſeque continuo? quis Afros,& Aſianos hanc ſola obſeruatione, & experientia facere? quis Germanos ſuis ſalibus, butyro, croco,tartaro,& id genus fornacum venenis; Gallos,& Hiſpanos profuſa ſanguinis diminutione, Italos frequenti purgatione morbis æque difficilibus, & periculoſis opitulari compertum habet? quis item Empiricos ſola Hiſtoria, & tranſitu, Methodicos Diæta, Chymicos ſecreta quadam eſſentia,Cardanum ſolius aquæ naturalis vſu, Cornachinum vnico pulueris hauſtu, Medicos alios peculiaribus ſuis antidotis, cuiuſuis generis ægrotationes profligare;& Galenum contrarijs remedijs,Paracelſum ſimilibus in illarum curatione vti depræhendit; aut tandem quis Medicos perpetuo inter ſe diſſentire magnasque de ſingulis rebus quæſtiones agitare nouit, qui nutante propria valetudine,non ancipiti cogitatione diſtractus ad Medicinæ præſidia confugiat.Sed Leges ipſæ quid etiam Societati hominum cōducnnt? fortaſſe quæſtiones agitant pulcherrimas de moribus, de virtute, de Ciuium tranquillitate, de bello, de pace, deque alijs grauibus rebus quibus

bus Reſpublicæ continentur? nequaquam:fortaſſe igitur lites implicitas explicant, controuerſias difficiles componunt, hominum paci, & ſaluti conſulunt? nihil minus; quid ergo de ſtipulationibus, de mutuis, de depoſitis, de ſtillicidijs, & alijs rebus viliſſimis operosè tractant; eaque tot gloſſis, & commentationibus inuoluunt, vt totis artubus contremiſcendum ſit ingenuis adoleſcentibus, qui ex iuriſprudentiæ limine, tantam vident reſcriptorum conſiliorum, lectionũ indigeſtam congeriem ſibi deuorandam, ſi in eius penetralia deſcendere velint; lites denique tot artibus protrahunt tot laqueos inter ſe connectunt, vt nõ ſecus ac ſi hamatæ & vncinatæ eſſent, aliquas alias, in tranſcurſu ſemper arripiant, & nulla tam parua res in ius adducatur, quæ non ſatis ſit ad ætatẽ hominis per continuos angores, & cruciatus conterendam; vt propterea ſapienter Ferdinandus Hiſpaniarum Rex, cum Pedrariam Proregem in Indiam Occidentalem mitteret, vetuerit ipſum Iuriſconſultos ſecum, aut Cauſidicos eo deducere: ne litium ſemina quæ in illis regionibus nulla erant, ab iſtis importarentur; & pernicioſa contagione, pacem illarum, ac tranquillitatem inficerent: quod equidem non adeo ſcite cauere potuit Matthias Coruinus Pannoniarum Rex, qui poſtquam Iuriſconſultos ab Italia cum magna mercede accerſiuiſſet, vt litigandi leges, ac legum actiones populum edocerent, hoc vnum adeo ſtrenue ſubtiliterque præſtitère; vt paulo poſt eiuſdem populi rogatione, nouis illis litium ambagibus ad inſaniam vſque, & deſperationem circumuenit, Cauſidicos omnes ſuis finibus arcere cogeretur. Ex eoque conſtat euidenter, Iuſtiniani Imperatoris verba, quæ in proœmio inſtitutionum hac eleganti verborum figura, & tranſlatione conſignata leguntur, quam Hermogenes *Chiaſmum* appellat, & qua pariter vſi ſunt Onoſander, & Vitruuius non infimæ claſſis autores, *Imperatoriam Maieſtatem non ſolum armis decoratam, ſed etiam Legibus oportet eſſe armatam*; ac illa quoque Theophili quæ videntur græce tantummodo ex Latinis fuiſſe reddita οὐ μόνον ὅπλοις κοσμεῖσθαι, ἀλλὰ καὶ νόμοις ὁπλίζεσθαι; patet inquam verba hæc, non eo trahenda eſſe, quaſi præſidium aliquod Imperatoriç Maieſtati repoſitum ſit, in his forenſium Legum ambagibus, quas vel tum maxime reſectas à Triboniano fuiſſe, alijſque Anteceſſoribus conſpicuum eſt. Sed ſacratiſſimas illas Conſtitu-

initio Strat. lib 1.cap. 1

Digitized by Google

tiones intelligebant, quibus nihil vtilius, aut ſanctius excogitari poterat ad communem vitæ vſum, & publicæ quietis, ac priuatæ etiam ſecuritatis votum, ſi præclara hæc ſapientiſſimi Imperatoris Decreta, homines nimia quadam ſedulitate docendi, ſcribendique, non in ſui perniciem ſtatim conuertiſſent, editis in illa, quæ per ſe facillima ſunt intellectu, tam vaſtæ, atque operoſæ molis voluminibus, vt dictum illud Callimachi apud Suidam vſurpari de illis merito poſſit, τὸ μέγα βιβλίον ἶσον εἶναι τῷ μεγάλῳ κακῷ. hoc eſt *magnum librum* ſimilem *eſſe magno malo*. Superſunt igitur Mathematicæ, quæ forſan dum in erudito puluere geometrico conſiſtunt, neſcio quid firmum, & conſentaneum ſuis lectoribus pollicentur; verum tamen cum hi ad illationes peregrinas ſe tranſferunt, & Aſtronomiam, aut Opticen nouis demonſtrationibus firmare contendunt tunc non minor in illis, quam in cæteris diſciplinis excitatur opinionum diſſentio: imo vero difficilius inter ſe conueniunt Mathematici, quod ſinguli demonſtrationibus nituntur, quæ certam, & indubitatam rei concluſæ notitiam in animo gignunt, & à proprijs obſeruationibus non facilè diſcedunt, ne quod conſequens eſt videantur in illis aberraſſe; ex eoque frequenter contingit, vt quemadmodum Centauri, nubes quaſdam Iunonis loco amplexentur; aut Procorum inſtar in Odyſſea, cum ancillis Penelopes conſueſcant, à Dominæ ſcilicet Thalamis excluſi; atque ita nobis tantum relinquitur, vt quæ nos ipſi, vel errore ſenſuum, vel fallacia collectionum rebus ipſis affingimus, non autem quæ ex propria natura illis ineſſe certum eſt, tam ſubtili hoc, & arguto colligendi, ac ratiocinandi modo cognoſcamus: quid vero? quod operibus eorum artificum quos eleganter Xenophon ἀποχειροβιώτους vocat, quaſi manibus ſibi victũ

Homil. 1. in Matth. parantes, aut quemadmodum inqnit D. Chryſoſtomus ἀπὸ τῶν χειρῶν τρεφομένους, eædem diſciplinæ non multum etiam inſeruiunt, nam quotus illorum eſt, qui ex Mathematum præſcripto operetur? quotus qui libram, vectem, trocleam, fiſtucam, malleum, peritrochium, cuneum ad Ariſtotelis, vel Heronis, aut Guidobaldi placita gubernet? certè nullus; Cum omnes artem in qua verſantur experientià tantum, & imitatione didicerint, eandemque poſtea prout ingenio ſunt à Natura hebeti, vel acuto, nouis inuentis excolant, aut inglorij, & inertes aliorum more exerceant,

atque

Digitized by Google

atque, vt nobile quoddam exemplum iјs reponam, quæ literati proferunt de Columba Architę Tarentini, de Bobus Boethij in-ære mugientibus, & de ipſamet Archimedis ſphæra, in qua

Percurrit proprium, metitus ſignifer annum,
Et ſimulata nouo Cynthia menſe redit.

equidem quocumque me cogitatione verto ad ſellularios noſtros opifices, quibus, vel prima Euclidis elementa, non magis certè, quã Pelopidarũ nomen vnquã audita ſunt, varia tamen illos non ornamenta modo, ſed incrementa artium adinueniſſe video, quę vetuſtioribus illis vno omnium ore celebratis longè præcellant; & ad quę priorum nunquam vel ingenium, vel induſtria penetrauerat; quid enim violentius machinis bellicis, quibus ab ardẽti quaſi bõbo Bombardarum nomẽ eſt inditum? Quid ſubtilius arte librorum Chalcographica? quid ipſa Pixide nautica mirabilius? at nihiloſecus certum eſt, omnia hæc, quæ homines ipſos aliquid ſupra hominem potuiſſe oſtendunt, & orbem vniuerſum deteriorem neſcio an meliorem reddiderunt, ab hominibus literarum ignaris, indoctis, nec opinantibus quidem inuenta fuiſſe, & exculta. Huc accedit quod in varijs artium propoſitionibus, vel periculoſum ſit ipſarum exactæ veritati multum concedere, vel ſaltem vanũ eſt, & inutile ex earũ præſcripto operari; nam, cum ex lege coniugatorum ſummum ius debeat eſſe ſumma iuſtitia, contrarium tamen de prudentiæ humanæ legibus, quæ vel Iuſtinianeis pręſtantiores ſunt, veriſſimum depræhenditur, ita vt ſummum ius cõtinuo in ſummã iniuriã euadat, ſi tam exacte ſeruetur, quam lex ipſa præcipit. Haud ſecus etiam in moralibus, quis eorum magiſter non docet virtutem modis omnibus ſequendam, & colendã eſſe, quod tamẽ ſi quis vltra quam ſatis eſt facere velit

Inſani ſapiens nomen ferat, æquus iniqui Horat. epiſt. 6. lib. 1.

verũ, vt ex Mechanicis de quibus ſermo erat exemplum aliquod afferam, contendat artifex tranſmittere dolium affabrè conſtructum per portam quadratam determinatæ, & certæ menſuræ, hoc ſane vt efficiat arte opus eſt, quæ docet rationẽ, ſiue vt loquuntur proportionem diametri circuli ad ipſum circulum eſſe, vt 7 ad 22 at enim, quia talis proportio aritmeticis damnatur, veluti minimè rationi cõſentanea, & in fractiones cadit, quę ferè in effectũ reduci non poſſunt, idcirco non quæret, artifex veritatem in

Digitized by Google

hoc opere, ſed falsò tertiam partem circuli accipiet, eamq; aptabit diametro portæ quadratæ, nec tam habebit rationem veritatis exactæ iſtius præcepti artis, quam ad vtilitatem reſpiciet, quæ ex opere quocumque modo abſoluatur in cõmoditatem hominum redundat: nimirum hæc ipſa ſunt, ad quæ tandem ſe reducit varia illa, & multiplex ſtudioſorum erudtio, propter quam tamen adeo ſe efferunt, vt cæteros homines, qui ſimilibus illecebris non ducuntur, nullo in cenſu habeant, quaſi omni prorſus meritorum commendatione deſtitutos; eo ipſo nempè, quia tot lucubrationum fuligines non ebiberint, tot libros continua lectione non attriuerint, tot aduerſaria, & opiſtographa lituris, & ignorabilibus notis non impleuerint, vt ad vmbratilis cuiuſdam ſcientiæ cognitionem, velut ſtadiodromi ad metam anhelantes perueniant: & tamen ſi Pythagoram imitari, aut Socratem audire vellent, quorum hic Thamum Aegypti Regem longè ſapientiſſimum inducit, Teutati qui primus literarum, & figurarum vſum inuenit grauiter inſultantem, quod non memoriæ quidem, ſed obliuionis, & confuſionis Pharmacum inueniſſet; ille vero diſcipulos ſuos quicquàm ſcriptis mandare prohibebat, quo ab ipſius ore ſolùm penderent, & nihil niſi valde vtile, & exquiſitum memoriæ committerent; procul dubio certum eſt, quod ſcientias ipſas minori cum faſtidio poſſent addiſcere, nam Gallorum vates & Druidas (quos ſi quis negat omni diſciplinarum genere fuiſſe excultos, is longè mea quidem ſententia à veritate, & Hiſtoricorũ fide aberrat) Iulius Cæſar auctor eſt, in omnibus quæ iuuentuti traderent, voce dumtaxat vſos; ſeu quod diſciplinas in vulgus efferri conſentaneum minus iudicarent, ſeu quod re vera deprahenderent, eos qui diſcunt, libris confiſos nunquam rebus ipſis ſedulo inueſtigandis operam impendere: enimuero iſtud mihi in mentem reducit, quod ſępius cogitaui non inutile futurum ſi rectè conſideretur, nempe, vt quemadmodum nullis libris, aut ſcripturis, ſed voce ſola innumerabiles opificum artes ediſcuntur, Agricolarum, Architectorum, Nautarum, Pictorum, Sculptorum, nec vlla in ambiguitate verborum repugnantia, aut ſententiarum in ediſcendo difficultas oritur, idq; ſolum in arte pręcipitur, quod vſus, & vtilitas approbarunt; idem ſimiliter in ſcientijs & artibus quæ liberales dicuntur vſu veniret receptum,

quia

quia dum omnes ex libris auctorum docentur, quos Magiſtri ſuis diſcipulis explicant, magna plerumque in horum dignitate retinenda difficultas ſuperanda eſt, homines enim ſunt, & erroribus quos humana parum cauere poteſt induſtria, obnoxij; vnde quoties eorum dicta pronũciataque tamquam ſi falſa eſſe non poſſent proponuntur, vt fermè ſemper à ſectatoribus fieri conſueuit, difficiles nonnunquam explicatus habent, & ſenſim occaſionem afferunt tot commentarijs, obſeruationibus, controuerſijs, additionibus, quas omnes quanto melius, & fidelius aliquis tenet, & intelligit, eo magis omnium iudicio ineptus euadit, qui vel rectè de Natura philoſophari, vel ſapienter de legibus conſulere, vel feliciter opem ægrotis ferre poſſit; ad quæ munia longe magis idoneos eſſe videmus qui parcè, mediocriterque in illis facultatibus erudiuntur, quàm qui in intimos illarum receſſus penetrarũt, & omnium ambages, ac ænigmata mente animoq; ſunt cõplexi: & ſi enim omnia acutè quidẽ proſpiciant, & quid in agendo, ſequendũ, aut fugiendũ ſit plane intelligant, mirificeq; mentẽ ſuam cùm in circulis, tum in pulpito verbis explicent; neſcio tamen quomodo plerunque contingit, quod vbi facto opus eſt, deſtituti conſilio, & tanquam manci aut lymphati inconſulto omnia, & temerè perficiũt illudque Timonis veriſſimũ eſſe exemplo ſuo comprobant πολυμαθημοσύνης ὡς οὐ κενεώτερον ἄλλο. Ideſt *multiſcientia, ſeu deſiderio multa ſciendi haud quidquam vanius extat*, vnde nihi, amplius habent viri illi tam multiplici rerum ſcientia illuſtres, quod de vtilitate vel laborum tolerantia cum militibus paria facere poſſint, à quibus omnia quæ ſunt in Imperio, in ſtatu ciuitatis, in priuatis cuiuſque bonis, & hæc ipſa ſtudia, forenſis laus, artificum induſtria, ſpeſque omnium, & vota defendi, & firmari putantur, etſi tibi ò ſtudioſe

licet exercere Togatæ
Munera militiæ, licet, & ſine pulueris hauſtu,
Mitia legitimo ſub iudice bella mereri. In carmine ad Piſones.

oportet etiam milites Caſtrẽſem ſequi; quæ eo honeſtior eſt, quod non verbis, tantum in eo pugnatur, ſed vt inquit Ennius.

Pes pede premitur, armis teruntur arma.

ſi tu de noctu vigilas quo tuis conſultoribus reſpõdere poſſis, Miles idem etiam facit, ſed vt quo intendit, mature cum exercitu

perueniat; ſi te Gallorum, illum buccinarum cantus exſuſcitat; ſi tu actionem aliquam, aut declamationem inſtituis, ille aciem inſtruit; ſi tu ſollicitus es circa vnius ægri valetudinem, aut conſultoris litem, quo feliciter vtraque cedat, ille non minus accuratè prouidet, ne vrbes, aut caſtra capiātur; ſi tu quomodo aquę pluuię, aut Stillicidia arceantur optimè tenes, ille vt hoſtium copię; ſi tu in finibus regundis exercitatus es, ille in propagandis; ſi tibi plauſus datur in theatro, at illi triumphus decernitur in campo. Cęterum quod addebant de vitæ ſanctitate, de morum integritate, de commodis tum publicis tū priuatis, quæ à literarum ſtudijs proueniunt; mirum ni potius, vt eorum moris eſt, paradoxa, & admirabilia loquantur, cùm hæc omnia ſibi tribuunt, quæ potiori iure ſunt à militibus expectanda, nam cum ſapientes nonnulli, cœtus, & communitates hominum, qui mutuationis operarum gratia in Ciuitates conuenerunt, tres in partes ita deſcripſerint; vt prima quidem ſit eorum qui conſilio Rēpublicam gubernant, altera eos contineat, qui eādem armis, & obiectu corporum defendunt; tertia denique ex eis componatur, qui artes neceſſarias exercent, quales ſunt opificū, Mercatorū, Agricolarum; equidem quis locus in hac diuiſione militibus aſſignatus ſit, quorū abſque ope, & pręſidio munera ſua obire duæ reliquę ciuiū claſſes nō poſſent, optime video; quis vero literatis iſtis publicæ ſalutis curatoribus? eſt adhuc apud me penitus ignotum; certè memini Ariſtotelem in politicis de liberalium diſciplinarum cultoribus, Muſarumque ſtudio addictis hominibus hoc modo ſtatuere, vt quoniam ex officio, omni opere ſoluti reliquorum laboribus, quibus veſcuntur oneri ſunt, longè propterea minus ipſorum ſit in ciuitate, quàm aliorum, ſeu Magiſtratuum, ſeu Opificum. Itaque de publicis commodis nō eſt opinor quo ſibi multum placere poſſint literati, quod vero ad priuatas opes ſpectat, illud ſanè poſtea videbitur; ſed interim venit mihi in mentem Philemonis comici, apud quem digladiantibus inter ſe philoſophis de Bono, Ruſticus quidam illud à ſe, laborando, & arando inuentum fuiſſe retulit: *Philoſophi,* inquit, *quærunt vt audiui, in hocque temporis multum conſumunt, quidnam ſit Bonum, nec dum vllas inuenit quid ſit, virtutem, & prudentiam aiunt, & magis hæc intricant; proculdubio quid Bonum ſit in agro me exercens, Terramque fodiens ego nunc inueni,* (in frag. veter. comic.)

pacis

pacis quæ ſunt Iuppiter Chariſſime, quæ venuſtiſſima, & amabilis, & ſumma Dea eſt, nuptias feſtiuitates, Cognatos, liberos, amicos, diuitias, ſanitatem, annonam, vinum, ipſa confert, & equidem ſummopere vereor, vt ſtudioſis illis hominibus moleſtiam maximam afferat exemplum aliud valde illuſtre cuius fidem eſſe volo penes Sotadem Poetam vetuſtiſſimum, nam ſi illi credendum eſt.

τὸν θεῖον Ομηρον λιμὸς καταδαπάνησαι

Diuinum Homerum fames abſumpſit.

verùm ſimile quidquam Belli ducibus, ac ne militibus quidem, modò tamen præclare fortiterque ſe geſſerint, vix vnquam acci diſſe conſpicuum eſt. Quin potius, vt Ariſtoteli placet, res militaris ſecum fert naturalem acquirendi modum, ex lege, & velut pacto quodam communi, quo bello capta capientibus acquiruntur, vnde prudenter monebat Antiſtenes, optandum eſſe, vt hoſtibus bona adeſſent ſine virtute, ſic enim non eorum, qui habent, ſed qui capiunt, illa fieri: & eodem ſpectat quod de dedentibus ſe dicebat Liuius *vbi omnia ei qui armis plus poteſt dedita ſunt, quæ de iis habere victor, quibus mulctari eos velit, ipſius ius atque arbitrium eſt.* Accedāt igitur Oratores, Iuriſperiti, Medici, qui plus cæteris literas in lucro habēt, & ſi me velint à propoſita ſententia dimouere, oſtendāt mihi prius, ſibi aliquid eiuſmodi fuiſſe vnquam à virtute, aut à fortuna conceſſum. Supereſt ergo nobis dicendum de vitę, & morum integritate, in qua nullus equidem video cur literatis miles concedat, preſertim cum à literis nulla per ſe virtus oriatur nullaque per eas edātur niſi caſu, & fortuito virtutū opera; neque enim ſcientia de virtutibus virtus eſt, contra quàm Socrates alicubi defendit; nec ſi alicui literę inſunt etiam vberrimæ, ſtatim propterea conſequitur ei ineſſe virtutem aliquā imo vero peruulgata omnium fermè ſapientum conſenſu ſententia eſt, homines quo plus reliquis eruditione præſtant, eo etiam in vitia magis eſſe procliues, vt Auerroes de ſeculi ſui ſapientibus teſtatū reliquit, & experientia ipſa veriſſimum eſſe patefacit quod de oratoribus in ſpecie protulit Volaterranus, *ego* inquit, *collatis veterum ac nouorum exemplis, quæque legi, partim etiam vidi, ad firmare auſim, pauciſſimos, viros bonos eloquentes inueniri*, nam vt de Critia, & Alcibiade nihil dicam; item de Tyberio Graccho, atque Caio Carbone, viris eloquentibus at ciuibus pernicioſis;

1. Politic.

libro 34.

for-

fortaſſe nec ipſum Demoſthenem, nec Ciceronem quibus tamen nemo magis poterat

Silius lib. 2. *Voce mouere Fora, atque orando, & fingere mentes.*

inter bonos habebit bonus vitarum cenſor. Quamobrem certè dicebat Marius apud Saluſtium *Neque literas græcas didici, parum placebat eas diſcere, quippè quæ ad virtutem doctoribus nihil profuerunt*; & multi ex eo conijciunt literas non, vt bene viuamus inuentas eſſe, ſed potius, vt iucundè oblectemur, quemadmodum de contemplatiua Philoſophia dicebat ſummus Orator; vel, vt intelligamus quid verum ſit in actionibus, quidue in mortali vita bonum; poſſumus autem intelligere, vt inquit Ariſtoteles quid ad rectam vitam conducat, quidue vitiorum, aut virtutum deſcriptione contineatur, etiamſi nihil quicquam laude, vel vituperio dignum agamus; ſic enim homo purus, & illibatus, & ſi intemperanter non viuat, optimè tamen noſſe poteſt, quibus in actionibus libido conſiſtat; & qui nullo, aut admodum ignauo eſt animo, de magnitudine, & fortitudine præclarè ſentiet. Verum, qui vitam in armis degunt, & ſe periculis, rebuſque aſperis, deuouent, etiamſi de fortitudine, aut animi anguſtia, & imbecillitate nihil prorſus audierint, non poterunt tamen hanc non propellere à ſe, & amandare longiùs, illã verò arctiſſimè complecti, & præ ſe ferre: quod ſi non omnes idem faciunt, & aliqui in tractandis armis, vel animo ſunt imbelli, rapaci, ſæuo, vel ſe ganeæ, luxuriæ, impudentiæ, aliiſque vitijs dedunt, non proptereà tamen militaris diſciplina culpanda eſt, qua tãtum abeſt, vt homines ad luxum ad libidines, ad ſcelus, ad inertiam erudiantur, quod potius ex ſceleratis, & flagitioſis ad omne genus virtutum aſſueſcant, ſi eam quibus legibus fundata eſt, iiſdem adminiſtrari velint ij, quorum intereſt publicæ ſalutis, & honeſtatis curam gerere. Et adhuc erũt qui dubitẽt plus dignitatis ne ac vtilitatis afferat res militaris, quã literarum ſtudia? erunt certè neque enim, ſicut vulgo perſuaſum eſt, adeò imbelles ſunt, & animo defecti, qui Muſas cum Marte committunt, & vna cum ipſis ſiſtunt ſe in arenam, vt dum illis telum aliquod ſuppetit pugnà velint abſiſtere.

(Margin notes: in Iugurth.; 1. ethic.)

4. *nec in copia, & nitore ſermonis, qui longè viribus potentior eſt.*

Igitur ad vltimum deueniunt, quod vt ab eloquentia, & à facultatis rectè dicendi, & ſuadendi præſtantia deſumitur, ita non mirum eſt ſi mille verborum phaleris, & totius ſuadelæ purpuriſ-

ſo

ſo eius vim,& dignitatem quantùm altiùs fieri poteſt eleuant; qu d enim illa præſtabilius inquiunt, vel admiratione audientium, vel ſpe indigentium, vel eorum, quos diligentiſſimè tueri, ac defendere ſtuduit, gratiarum actione? quàm delectat illa reconditorum verborum vis, & ingenioſa diſpoſitio? gliſcit ea ſenſim in hominum aures, & per exquiſitiſſimos tranſitus, per explicatiſſima argumenta, in animos etiam ſe inſinuat. Oratorem vides in roſtris, Herculem Gallicum eſſe puta; qui mox Auditores ſuos, q uo vult pertrahet aureis quibuſdam catenulis, quaſi deuinctos, qua in re quantum arte militari præſtantior ſit facundia cæcus eſt, qui non videt, inuidus, qui ſi videt, illud diſſimulat? nam, vt miſſos faciam Homericos illos Oratores Neſtorem, Menelaum, Vliſsē, ac nobilem concertationem de armis Achillis, in qua vna euidentiſſimè

Quid facundia poſſet
Re patuit, fortiſque viri tulit arma diſertus.

atque etiā, vt multa ſicco pede tranſeā, quæ de Homero ipſo dici poſſent, qualia sūt, verbi gratia, illud quod aſſerit Dion Chryſoſtomus eum lenocinio verſuum ſuorum homines *καταγοητεύειν incantare*: & Epitheta varia, quæ illi tribuuntur à Tullio *veri Oratoris*, ab Hermogene *Rhetoris præſtantiſſimi*, & à Demetrio, ac Longino *eloquentiæ Magiſtri*, ex quibus non abſurdè colligi poſſet, eum non alia ratione, quàm propter ſummam illam dicendi ſuauitatē, tamdiu apud omnes in pretio, & exiſtimatione fuiſſe: his inquam omnibus omiſſis, quæ longiùs forſan petita videri poſſent, Quæro num aliquis Dux, aut Imperator bellum vnquam abſque militibus geſſerit? at quis milites legit, aut delectos in fide, & ſacramento continet, niſi orator, dum erudita ſua, & flexanimi lingua deſiderium illis inſtillat, vel propulſandæ iniuriæ, vel tuendæ religionis, aut gloriæ per ingentia facta propagandæ. Scimus omnes Gothifredum Bulionium, & alios Principes Catholicos, bellum ſacrum pro gloria Chriſtiani nominis incredibili pietate ſuſceptū inuſitato etiam fortitudinis,, atque admirabilis felicitatis exemplo confeciſſe; ſed neſciunt fortaſſe multi, Petrum Eremitam primum fuiſſe, qui ſuis concionibus, omnem fermè Europam diuino furore concitauit, vt innumerabiles illi ſuppeditaret exercitus; ſcimus Matthiam Coruinum Regem optimum, atque fortiſſi-

orat. 12.

tiſſimum, inuicti ſui roboris fiduciâ, Turcarum potentiã ſœpius prouocaſſe, eiuſque in Illyriorũ fines excurrentis impetum vimque omnem repreſſiſſe; verum quis ignorat iſtud factum fuiſſe, Beato Ioanne Capiſtrano ſic eius milites ad pugnam impellente, & accendente, vt eorum impetus quandoque velut fræno iniecto cohibendus fuerit? Sed neque præſidijs illis deſtituitur eloquentia, quæ ad hominum gratiam, ad opes, aut amplitudinem comparandam multi in militia, magis quàm in alijs artibus reperiri cenſent; huius enim beneficio, qui vel famę, vel capitis periculo liberantur, eos non modo ſibi adſciſcit orator, atque conciliat; verum etiam adiutores efficit, & amplificatores dignitatis ſuæ, atque in quacunque cauſa Fautores; & quod honeſtius exiſtimatur pręclaris etiam ducibus gloriam quàm merentur aſſerit, dum res ipſorum geſtas, & egregia facinora, literis mandare, & omnibus poſteris, omnique æuo conſequenti quantùm in ſe eſt notas reddere contendit

Lib.9. *Venturi me*, inquit Lucanus, *teque legent Pharſalia noſtra*
Viuet, & à nullo tenebris damnabitur æuo.

pro Archia. proindeque Cicero de Achille, & Homero loquens rectè ſubiungit, *niſi Ilias extitiſſet illa, idem Tumulus qui corpus eius contexerat, nomen etiam obruiſſet*; vnde negari nõ poteſt quin Milites ipſi, gratiam prolixè debeant tum oratoribus; tum Hiſtoricis, & vatibus, qui quod ipſi fortiter geſſerunt, nitidè eleganterque ſcribere conantur. Verùm numquid hoc incentiuo deſtituta priſcorum Heroum virtus elanguit? numquid inter pericula animum deſpondit? aut remiſſius arma tractarunt Romani, cum tenuis fiſtula ipſorum laudes inter conuiuas perſonabat, quàm nunc aut antea quidem ſub Imperatoribus illis factum eſt, quorum auſpicijs ventoſa hæc & enormis eloquentia, maſculam Heroum virtutem, nec iſtius profecto opis egentem effeminauit, ſuſpectamque fecit ne parum natiuæ pulchritudinis obtineat, quæ ſic aſcititio cultu velata potius quàm ornata prodit in publicum. Quod vero ſpectat ad turbam clientum, qua ſtipati oratores, Forum & concilia frequentant; quod ad xenia, & Apophoreta quæ ob egregiè nauatam operam recipiunt, vereor maximè ne adeo ſint honeſta aut magnifica, quemadmodum nobis perſuadere volunt; alioqui non dixiſſet Ouidius.

Tur-

Digitized by Google

Turpe reos empta miſeros defendere lingua,
Quod faciat magnas turpe Tribunal opes.

& equidem, ſi Iuuenalem quoque percunctemur quod vocis pretium? continuo hic, reſpondebit.

Siccus Petaſunculus, & vas Satyr 7
Pelamidum, aut veteres Aphrorum Epimenida Bulbi
Aut vinum Tiberi deuectum quinque Lagenæ.

& nihilominus ipſe in vrbe ſcribebat, quæ totius orbis deuicti ſpolia in ſplendoris, & magnificentiæ ſuæ pompam traduxit atque ſi res ipſa propius inſpiciatur, ad ſummum inueniemus Fuſco oratori datam fuiſſe palmam; ſphyngem aureã Hortenſio; ſyrenem Iſocrati; ſtatuas Demetrio Phalereo, Gorgiæ, Proæreſio; Legationem Cyneæ; Præfecturas Libanio; conſulatum etiam Plinio iuniori, & Auſonio tanquam egregia inuſitatæ ipſorum facundiæ ornamenta; quę tamen ſi quis Duci aut Imperatori offerret, viam ſibi per arma ad ingentes opes, ad ſummos honores, ad regna, & maxima quęque ſternenti; næ profecto parum ſapienter id facere videretur, & milites ſatis ſua natura ad iram procliues hac imminutione præmiorum, & gloriæ velut œſtro quodam in furorem concitare. Maxime cum ſenex ille vultus exercitati, qui ſe Eumolpo poetam eſſe nec quidem humillimi ſpiritus confeſſus eſt, ita hoc verſu militum præmia atque diuitias extollat. In petron. Satyr.

Qui pugnas, & caſtra petit præcingitur auro.

vt illas ingenuè literatis deneget, & apertè etiam contendat amorem ingenij neminem vnquam diuitem feciſſe; quamobrem non mirum eſt ſi de cultu ſuo quem Eumolpus non proindè ſpecioſum eſſe mirabatur, ita ſe excuſet,

Sola pruinoſis horret facundia pannis,
Atque inopi lingua deſertas inuocat artes.

Nam & Palladis Grammatici epigrammata quæ paſſim in Anthologia leguntur hoc ipſum elegantiſſimè conprobant; & Cynulcus apud Athenæum tam de hoc ipſo fuit perſuaſus, vt etiam argutè diceret famelicos Scholaſticos intentos Magiſtrorum ſubtilitatibus λογάεια δείπνων. Præterea ſi verum eſt, quod de ſingulari declamatorum vſu in Reipublicæ moderatione ſupra contendebant aduerſarij, Quid cauſæ tandem fuit? cur Portius Cato Lib. 6. cap. 7.

vir

vir ita præſtanti, itaque ad omnia quæcumque ageret ingenio habili, & verſatili natus, vt idem clariſſimus Imperator, ſummus orator, peritiſſimus Iuriſconſultus euaſerit; quid inquam cauſæ fuit? cur tres illos Athenienſium Oratores Carneadem, Critolaum, Diogenem quos de rebus ciuilibus diſputantes ex Rhetoricæ præceptis audiuerat, protinus vrbe pellendos cenſuit; niſi quia præclarè tantus vir intelligebat, nihil in Republica opus eſſe ijs hominibus, qui vel inanium diſputationum illecebra iuuentutis ſtudium à Iure ciuili, & vſu rerum auocant; vel tanquam Lydia modulatione in Phrygiam verſa, illud idem in rixas ſeditioneſque compellunt, & forum omne miſcent; vt in eo quemadmodum Tullius, & Demoſthenes regnare poſſint, plebemque, vt in quãcumque partem voluerint inclinet, pro libidine agitare. Sic enim obſeruamus Brutum; Caſſium, Graccos, Catones, & quos modo nominabam Demoſthenem, & Tullium, vt omnium habiti ſunt eloquentiſſimi, ita ſemper omnium fuiſſe ſeditioſiſſimos; ac proinde Chilo apud Plutarchũ ſapienter dicebat, eam optimam eſſe Reipublicæ formam, *in qua maximè leges, minimè oratores audiuntur* nam, & ſi aliquoties contingat, vt fato potius quàm voluntate, ſuas artes in Reipublicæ ſalutem conuertant, tunc nihil eloquentiã ſua efficiunt, quod multi quibus Pitho nunquam propitia fuit, non item ſua naturali facundia poſſint efficere, & quidem longè præſtantius; nam nec Petrus Eremita, nec Capiſtranus, aut alij popularium concionum torrentes, circumducebant orationes ſuas per tot labyrintheos figurarum plexus, nec turgidis, & bene ſonantibus verbis metaphoras implebant, prout illorum mos eſt qui plus inſtitutioni debent quàm naturæ, ſed ſimplici quadam oratione, verbiſque in ſuum ſenſum ſponte fluentibus, quæ diuinum pectus fundebat, quæ cauſa melior animabat, res magnas, & incompræhenſibiles peregerunt. Atque hæc ſunt, Ludouice Comes, quibus antequam de militia dicerem, eorum opinionem infringere, & labefactare volui, qui ſibi pluſquam æquum ſit, & vnius Ciceronis fama auctoritateque permoti, quod nimirum hic.

[Margin: in Conuiuio]

[Margin: V. *Additur eiuſdẽ artis militaris in reliquas præſtantia.*]

Super Gangem, ſuper exauditus & Indos.
Impleuit terras voce, & furialia bella

Ful-

Fulmine compreſſit linguæ.

Tum etiam Ouidij apud quem.

Facundis ceſſerunt arma Togatis:

quem de ſe idem Cicero Triumphum erexit, in hoc verſu qui certè notior eſt quàm, vt vnquam intercidere aut emori poſſit

Cedant Arma Togæ, concedat Laurea linguæ.

eundem, ad omnes alios qui Muſarum in caſtris *ære merent paruo* extendere volunt; & vel inuitis qui plurimum inter ipſos auctoritate valent Franciſco Petrarcha, & Torquato Taſſo, quorum hic Miniſtrum Regis Aegypti Caſtris præfectum; ille vero cùm Triumphos explicat, Arma digniori ſemper loco honeſtarunt; eadem rurſus deprimere tentant, & velut indigna Cenſere quæ cum literis in prærogatiua dignitatum committantur. Tu vero pro ea qua polles ingenij perſpicientia, & ſubtilitate, rationes meas ad Trutinam explorabis quæ ſi tibi legitimæ videbuntur aſſenſu illas confirmabis, ſin minus quod illis propter ingenij tenuitatem conferre non potui, auctoritate tua afferes, vt per te tandem Arti omnium præſtantiſſimæ ſuus conſtet honos, ſua dignitas accedat, & quam in cæteras obtinere debet, præſtantia reſtituatur. Quid enim ad gloriam præclarius inueniri, ac excogitari quidem poteſt, quam eos qui tibi pares natura ſunt, parentes videre, atque ad nutum ſubiectos? Quid ad opes, & diuitias vtilius, quàm velut Prouinciarum, & Regnorum Meſſem facere, & omnia quæ victi poſſidebant tuos in vſus, & commoda conuertere? Quid ad honeſtum laborem conuenientius, quàm ciues, & patriam defendere, hoſtibus obuiam procedere, illos forti pectore, & animo excipere, conſilio, virtute, manu, vincere, a finibus focis, & aris fugare? Quid demum ad probitatis, & ſapientiæ opinionem præclarius, quàm non principes dumtaxat animæ facultates, vt literati ſolent in rerum compræhenſione, & dijudicatione, ſed virtutes præterea omnes exercere, fortitudinem in periculis, conſtantiam in aduerſis, prudentiam in agendo, conſilium in prouidendo, temperantiam denique liberalitatem, magnificentiam, clementiam, & ſimiles. At hæc omnia ſi vſquam gentium reperiuntur profecto inter milites exiſtunt; ſi quædam ars, vel diſciplina largitur, omnino militia eſt; quæ ſola orbem temperat vniuerſum; nec Regna modo dat aut

adi-

Digitized by Google

adimit, ſed vitam ipſam; qua denique vna nihil vnquam extitit aut moribus cultius, aut diſciplina ſanctius, aut amplius imperio; vt propterea nulla vnquam Reſpublica abſque ea floruerit, nulla certè perennarit; imò vero prout quęque gens ſanctioribus inſtitutis, & legibus fuit, ita eam ſemper meliorem habuit, & præſtantiorem, vt Romana; quæ dum Tyrones ſuos diſciplina exercebat, vt vallum ferre aſſueſcerent, vt labores exhaurire, vt inediam, æſtus, algores tolerare, vt diſcrimen vitę ſubire interriti, vulnera corpore auerſo excipere, ſanguinem profundere, mortem demum, & extrema quæque non reformidare, quid aliud ipſam fuiſſe putes? niſi Scholam in qua vera virtus addiſcebatur, & artes vigebant quæ fortiſſimis hominibus neceſſariæ ſunt, quibus de inimicis atque de orbe deuicto triumphare poſſent: tantùm abeſt, vt literatis ipſis inferiores haberi debeant, quorum omne ſtudium quantumuis honeſtū & vtile, priuatorum officijs artibuſque, velut clauſtris, & repagulis quibuſdam continetur; cum interim Bellorum adminiſtratio, publici muneris decus ſuſtineat, & tam longè pateat, quàm ipſa ſe Regnorum Maieſtas, & publica ſalutis, ac Honoris cura diffundunt; ac proinde Tacitus cum de Domitiano, & Agricola loqueretur *fruſtra*, inquit, *ſtudia Fori, & ciuilium artium decus in ſilentium acta, ſi militarem gloriam alius occuparet: cætera vtcumque facilius diſſimulari, ducis boni Imperatoriam virtutem eſſe.*

VI. *Et conuerſio ad comitem, vt armis ex familia ſua antiqua propenſione totus circũbat.*

Ad hanc igitur ſicut laudabiliter cœpiſti contende, Ludouice Gomes, ad hanc enitere, & quantum ſe hominis paſſus extendere poſſunt, arduus accelera; hoc enim hominum generi propè à natura inditum eſt, vt quæ in familia laus aliqua fortè floruerit, hanc ferè, qui ſunt eius ſtirpis, cupidiſſimè proſequantur, rapiturque ad ſimilitudinem ſuorum excellens quæque natura; & decus in ea retinere contendit, quod à maioribus ſuis videtur accepiſſe; vndè cum tuorum propria laus ſemper fuerit, armorum tractatio, &

Auus tibi maternus ſint atque paternus,
Olim qui magnis legionibus imperitarint.

profecto nihil magis in votis habere debes, quam vt ipſis, & Illuſtriſſimo fortiſſimoque Marchioni à Montebello, qui horum in ſe gloriam, & virtutem præclare ſuſtinet, non impar, nec magno-

rum

Digitized by Google

rum vnquam indignus auorum ſuccedas. Quod equidem te factũrum aliquando vltra ſpem, & vota mea, haud leuiter conijcio ex optima tua indole, ex ardenti & erecto ſpiritu qui te medullitus vrit & exagitat; ac demum ex tacita illa cogitatione, qua tecum continuò reuoluis, quomodo adlecta in vitę, & fortunarum participationem nobiliſſima ſapientiſſimaque coniuge, & rebus domi tuę cõpoſitis; vel in Orientem poſſis excurrere cum Roberto à Balneo; vel in Africam, Belgium, & Germaniam tranſire cum Ioanne Franciſco; vel in Siciliam cum Guidone Guerra; vel in Hetruriam cum Nouello; aut in Vmbriam, Latium, Flaminiam cum Ioanne Franciſco Seniori, & Nicolao; atque quàm ipſi fortitudinem in illis partibus exibuerunt, velut in te denuo ſpirantem micantemque vberius repræſentare. Certè hi omnes oculos in te conuertunt, hortanturque, ne quam ipſi Guidiorum Familiam ſola bellicę virtutis gloriâ ad tantum decus extulerunt, vt inter paucas, quæ prę cęteris clariſſimæ in Italia, generis antiquitate cenſentur, Heroas ſuo non interrupta Serie, ab Othone primo dinumeret, alio quàm armorum præſidio in eodem dignitatis gradu ſuſtentari poſſe tibi perſuadeas; ac quanta in poſterum eſſe debeat non tam in Illuſtriſſimo tuo Patre Marchione à Montebello, aut Eminentiſſimo Patruo; quàm in te ipſo ſitum eſſe atque conſtitutum intelligas; & ſi enim hic ampliſſimam tuæ Familiæ, ex rubri Galeri inſignibus quæ tam præclare ſuis virtutibus illuſtrat, dignitatem attulerit; ille vero maximis iam beneficijs, ab optimo eodemque Maximo Pontifice cumulatus, nullum adhuc ſperare non debeat, quod præcellentium ſuorum meritorum vim ingentem ornare poſſit. Nemo tamen hunc ſplendorem Genti tuæ conciliabit, quo illuſtrari perpetuo ac condecorari poſſit, niſi eo ſubinde quaſi nouo gloriæ, & honoris pabulo foueatur, quod tu continuo, & qui ex te erunt illi ſufficient; velut Sol qui micantiſſimos in nube radios emittit, omniumque oculos iucundiſſima luce perſtringit, & exhilarat; diem quidem ipſum longè pulchriorem reddere poteſt, ſed nunquam tamen illum abſoluit, niſi continua motione circumactus ab Oriente ad Occidentem: nempè quamdiu non euilùit per inertiam indoles, circumfunditur lumine ſuo, & tanquam renouat quicquid Maiores fuere, efficitque vt occupato rectè animo, me-

C reri

reri claritatem generis videatur qui illam extendit; dignuſque ſit auito nomine qui magis virtutem illius exprimit. His igitur de cauſis adductus, compellabo te libenter, Comes Ludouice, hac oratione Iuuenalis cuius mihi opportunè in mentem venit, cùm idem ac ipſa, quanquam non iiſdem verbis me dicturum credebam.

Sed te cenſeri laude tuorum
Ipſe ego noluerim: Sic vt nihil ipſe futuræ
Laudis agas, miſerum eſt aliena incumbere famæ.

& vero cum in res geſtas Maiorum tuorum, quantum longiſſimè fieri poteſt recurrens, atque inde vſque repetens memoriam temporum, duos tantum ex illis inueniam qui præter Eminentiſſimum tuum Patruum, pacis artibus, & ſacrorum adminiſtratione inſignes extiterint, *Bandinum* videlicet *Aretij*, & *Alexandrum Vrbini* antiſtites; profecto venit mihi in mentem cum ſapientiſſimis hominibus arbitrari; quod ſicut ipſa armorum tractatione nihil eſt præſtantius ad Imperij & antiquorum Stemmatum conſeruationem, ita etiam nihil ad eorum euerſionem efficacius ſit ceſſatione ipſa, & officiorum quæ in pace ac otio exercentur adminiſtratione. Secus enim non dixiſſet Horatius.

Vt primum poſitis nugari Græcia bellis
Cœpit, & in vitium fortuna labier æqua,
Nunc Athletarum ſtudijs, nunc arſit equorum
Nunc Tibicinibus, nunc eſt gauiſa Tragœdis.

ac propterea Turcę, Othomani illius qui primus inter ipſos Regis nomen tulit, tantique Imperij fundator extitit, imaginem ardentibus maximè oculis, & habitu acinacem diſtringentis expreſſerunt, quo nunquam eius ſimulachrum hoc modo depictum intueri poſſent, quin etiam continuo recordarentur, Othomanorum Imperium, quod armis quæſitum fuit, armis defendi proferrique debere; & etiam num hodie vetus iſtud atque perpetuum apud illos inſtitutum ſolemni conſuetudine vſurpatur, vt intranti templum ſacrificandi cauſa Imperatori, Taliſmanus ædituus Sacerdos occurrat, claraque voce pronũciet, vt meminiſſe velit imperium quod iuſtitia, & virtute bellica partum ſit, non alijs quàm iiſdem artibus conſeruari propagarique oportere.

Digitized by Google

tere. Certè Roma ipſa qua nulla vnquam Ciuitas fuit aut ſcientia rei militaris peritior, aut virtute audacior, aut bello præſtantior, aut victorijs felicior, aut ditione amplior, aut vlla denique ex parte auguſtior, vt non alia arte quam militià molem illam maximi ſecundum deorum opes imperij conſtituerat, qua in excolenda ſic omne ſtudium impendebat, vt Romanorum hoſtis Taxiles libero ore apud Tigranem faſſus ſit *ἄμαχον πρᾶγμα τὰ ῥωμαίων ὅπλα rem inuictam Romana arma*; ſic poſtquam Comitia pluris quàm caſtra fecit, poſtquam candidatos, Magiſtratus, Oratores; Græculos & eiuſmodi militum impedimenta in Vrbem admiſit; tunc occaſionem dedit Satyrico ingenuè fatendi quod *Gracia capta ferum victorem cœperat*; tunc virtutem, & antiquam laborum tolerantiam qua Orbem ipſum ſubegerat, remiſſione fregit; atque omnia demum in peius ruere cœperunt, ita quidem, vt ludibrium tandem omnibus Barbaris debuerit. Nec Romanum modo imperium, ſed Aſſyrium, Græcum, Perſicum idem fatum exercuit, adeoque per reliqua omnia graſſatum eſt, vt nec minoribus etiam pepercerit; ex quibus multa referre non admodum difficile eſſet, quæ tum hic præſertim in Italia, cum etiam alibi gentium, tamdiu auctoritatem ſuam retinuerunt, quamdiu, vel proprijs armis ipſam tutari, vel principum ſummorum auſpicijs bella gerentes quod hactenus Maiores tui fecerunt, illuſtriorem illam, & firmiorem reddere ſunt conati. Quare opus eſt omnino idem etiam vt efficias, Ludouicę Comes, quo actis ſaltem ſi non auctis bello rebus, domeſticam laudem cumulatiorem reddas, Patriſque, & Auorum gloriam altius in dies extollas, & nouo meritorum quaſi fulgoris acceſſu colluſtres; abſque hoc enim bonam famam habere potes, non potes magnam; honeſtè viuere potes, non potes mori glorioſè. Neque vero mihi pertimeſcendum eſt ne grauiter, & moleſtè feras quod tibi qui freno magis quàm calcaribus indiges, quaſi deſidi & otioſo claſſicum intonem, & tot labores diſcriminaque offeram ſuperanda, quot monſtra Herculi debellanda fuerunt; cum te potius ad honeſtas voluptates, amœnitateſque iuuenibus conceſſas inuitare deberem; etenim præterquam incitatum te ac ſponte currentem, longè facilius impellere poſſum, quo feſtinus admetam properes, quàm ſi nulla ad iſtud animi pro-

penſione vix vnquam è carceribus te proripias, non ſecus profecto quàm

Ouidius.

Acer, & ad palmæ per ſe curſurus honores
Si tamen horteris, fortius ibit equus.

noui inſuper quàm Patris, & Patrui ac Maiorum tuorum naturæ retinens, alienus etiam euaſiſti ab omni ſenſuum oblectamento; noui quàm conſtantiſſimè ſemper delicias omnes reſpueris, quā frugaliter viuas, quàm te laboribus continuis obdures, quàm pertinaciter exerceas; quā generosè Tyrocinium quod in Belgio per Quadriennium poſuiſti, *Montiſcutuli* quotidie renoues, vt non tam intermiſſum quàm alio modo, & alibi factum videri poſſit; Noui denique quàm ſapienter apud te conſtituas in Solem potius, in puluerem, & aciem prodire; in vulneribus, & periculis, ac aſſiduo vitæ diſcrimine verſari; quàm in vmbræ aut puellarum otioſorumque cœtibus, & coronis, plenos hilaritatis dies traducere; & merito quidem cum in hac vita infamiæ, & dedecoris plena, nullum vnquam ſummum virum diu voluptas retinuerit; ab illa immortalis gloriæ parente, nullus vnquam, vel labor, vel periculum magnos viros deterruerit.

Digitized by Google

GABRIELIS NAVDAEI

PARISINI.

SYNTAGMATIS

DE STVDIO MILITARI,

LIBER PRIMVS.

De Militis Officio.

PRAECEPTVM eſt à communi artium omnium tradendarum regula, & generali Technologia deſumptum, vt quæ vulgo Progymnaſmata dicuntur, Prothœoriæ, Prodidagmata, ea initio diſputationis cuiuſque præmittantur, quo tota demum tractatio clarior, & facilior euadat; Quare poſtquam in ſuperiori præfatione hoc ipſum præſtiti, & neceſſarijs prælufionibus animum tuũ abundè præparaui, ad ea quę me de ſtudio Militari dicturum recepi, maiori cum attentione percipienda; Tempeſtiuum eſt, Ludouice Comes, vt mihi benignus adſis tecum in caſtra ſubeunti, & per Militis ac Ducis conditiones calamum circumferenti meum; in quibus, ſi minus facile dicendo expedire me poſſum, quàm tu agendo, vtriuſque prouinciam ſuſtinere; non tamen audaciæ meę ſuccenſebis, ſed titubantem in aliquibus animum reges, excuſabiſque votum quod non ſolum docendi te, ſed ornandi quoque de cauſa forſan imprudens ſuſcepi.

1. *In militis, vt & Ducis Officio eplicando non minima quæque, & in certa excutienda ſunt.*

Verum ne te diutius in limine morer, & ijs verborum officijs ſuſpenſum detineam; cùm generalis ſtudij militaris duas antea partes conſtituerim, prima certè quæ de Tyrone eſt, tum

Digitized by Google

ordine tractationis, cùm etiam neceſſitate inſtitutionis, alteram omnino, quæ circa Ducem occupatur præcedere debet; vnde rationi apprimè cōſentaneum eſt, vt ab hac incipiam de vtraque dicere; quod equidem dum facio æquè iuxta ab eorum more, inſtitutoque mihi declinandum eſſe perſuaſi, qui ſublimia tantùm & extra vulgi mentem, iudiciumque poſita ſequantur; ac ab illorum conſuetudine, qui nimis exiguè ſingula ad calculos reuocant, nullumque vnquam ſuæ diligentię, & ſolicitudini terminum ponunt, vt minima quæque, & obſcura poſſint ad aliorum exempla, vel præcepta componere. Nam ſi prius tentarem Deos me quoſdam, aut Heroas immortales ſapientiſſimos, fortiſſimos, non milites, aut Imperatores humanis caſibus obnoxios depingere, & tu ipſe Comes Ludouice, & qui tecum vna ſentiūt cordati omnes, ſtatim obijcerent: atque me ſimile quoddam nunc fortaſſe moliri eorum, qui tales Reſpublicas, ac tales Reges, & Oratores informarunt, quales neque vnquam fuerunt, neque apud homines eſſe poſſunt; ſi verò quemadmodum alij de rebus infinitis, & ſingulis actionibus cauere vellem, ad quas certiſſimum eſt, nullam poſſe artem, vel prudentiam pertingere, irrideres me inſuper, tanquam hominem, nec inter ſeria negotia grauitatem retinere ſolitum, nec in leuibus etiam non leuiter ineptientem: quid enim aliud quam ineptiunt illi? qui ex eo quod Iuſtinus aſſeruit, in bello nihil tam leue eſſe, quod non interdum rei momētum faciat, ſuos continuò milites admonent, vt ſcutum, vel bombace muniant, vel manu ſublatum longè ab armis teneant, ſi quādo clanculum, & Diomedis inſtar aliquid aduerſus hoſtes illis tentandum fuerit; quoniam Decium inquiunt, inter hoſtium caſtra peruadentem, offenſi ſcuti prodidit ſonus: ſimiliter, vt equos diligenter habenis retineant, ſi tumultus declinare velint, quos ab illis fugientibus, excitatos fuiſſe in Cecinnæ, & Chriſtianorum exercitu, auctores ſunt Cornelius Tacitus, & Paulus Aemilius: vt gladium ita commodè, prudenterque lateri accommodent, ne aut vaginā inter currendum excidat; aut iactatione adeo poſt tergum auertatur, vt capi manu, nudariq; ab equite non poſſit, cùm Catonem dum ab hoſte vehementer premeretur, ſimilis caſus in manifeſtum diſcrimen coniecerit; ac denique, vt magna ab illis calceationis equorum cura habeatur, quandoquidem Sfortiæ cōtigit

lib. 1. Annal.

lib. 6. Hiſtor.

tigit

igit aliquando, vt in vmbris pugnans equo ipſius ſoleis omnibus inter pugnandum excalceato, eoq; propterea in manibus hoſtiũ relicto, vix ipſe pedes effugerit; quibus præceptis an leuiùs aliquid, aut magis à dignitate, & iudicio ſcriptoris alienum excogitari poſſit, non equidem video; nam qui de re aliqua ſcribere cum decoro, & maieſtate volunt, ipſius præcipua tantùm attingere, nec niſi ad faciem collimare debent; ne ſi leuibus, aut incertis legem poſuerint, non bene prouiſa, & diligenter explorata conſilia ſumpſiſſe videantur, & tamen proh malum, adſunt quotidie innumeri, qui ex tali muſtaceo lauream ſibi quærunt, & præclarum omninò ducunt

Talibus in nugis conſumere turpiter æuum,

de quibus ſanè tantùm abeſt, vt quicquam, vel honeſtè à viro graui, & conſpicuo; vel prudenter à ſapiente; vel certum ab experto; decerni atque conſtitui poſſit, vt ne quidem in ijs, quæ per ſe magis digna conſideratione exiſtunt, minuſque Fortunæ caſibus ſunt obnoxia, aliquid, niſi admodum timidè, & cunctanter ſtatuere debeant; rerum enim agendarum varia, & inconſtans natura, nullam de ipſis legem ferri permittit, quæ ſemper, aut vbicunque conueniat; & leges ipſæ dum aliquid præcipiunt, communem quandam rationem ſibi proponunt, quæ vt in plures cõuenit, ſic interdum locis quibuſdam, & temporibus immutanda eſt, efficiturque his de cauſis, vt multa neceſſariò hominum conſilijs, & arbitrio deliberanda, & iudicanda relinquenda ſint, quæ profectò ſi quis poſtulet ratione certa fieri, *is* ex Poetæ Comici ſententia, *nihilo plus agat, quàm ſi det operam, vt cum ratione inſaniat* Terentius. inſanire ſi quidem ab omnibus iudicati ſunt Heracleotæ, dum referente Parthenio lege cauerunt, ne quis colligatas impoſterum In erotic. Ouiculas exigeret, eo quod Antileon temerè in illas offendens, à Stipatoribus Archelai Tyranni, quem occiderat, interceptus fuiſſet.

II Atque hæc ratio tãtùm apud me obtinet, vt quæ multi ſcriptores proletarij quotidie in hac materia diffusè congerunt, breuiter digerere, & cùm hic de milite dicendo, tum etiam poſtea vbi de Duce ſermo habebitur, paucis ſed vtilibus valde præceptis, quidquid ex vtriuſque ſtudijs, & officio pendet mihi ſit in votis, & animo explicare; præſertim cum videam iſtud antea quidem *Sed ea tantũ quæ enumerantur ex ſapientiſſimorũ Ducum ſententia.*

Digitized by Google

à ſapientiſſimis viris vſurpatum, vt breuibus ommino, & tribus tantum aut quatuor verbis, illud omne quod ad Militem ſpectat, complexi ſint. Nam Paulus Aemilius apud Liuium, tria ſolummodo illi curæ eſſe volebat, nempe vt corpus quàm validiſſimum, & pernicisſimum haberet; arma etiam apta, & expedita; ac animum denique paratum ad ſubita imperia; & Braſidas referente Thucydide, cēſebat optimi militis munera eſſe τὸ ἐθέλειν, καὶ τὸ αἰσχύνεσθαι, καὶ τοῖς ἄρχουσι πείθεσθαι *velle, reuereri, obedire Ducibus*, cætera vero, quod item dicebat Aemilius, Dijs immortalibus, & Imperatorum curæ eſſe relinquenda. Nec immerito ſane cum illius non ſit quicquam meditari, aut inuenire, in quo varijs artibus, & ingenio præcellenti opus habeat, ſed in eam tantum partem Andabatarum ritu inclinare, in quam Ducum ſuorum conſilijs, & arbitrio impellitur. neque enim ſui iuris ſunt milites, aut minori quam Gladiatores ſacramento aſtricti, vt quocumque illos impetus, & inconſulta ratio rapuerit, in illud ſtatim præcipites ſe dedant; ſed potius, vt tanquam Laruę, & Oſcilla, quæ in conuiuijs ſpecies mille formarum exhibebant, & icunculæ mobiles tractileſque funibus, quas Neurobatæ in Theatris oſtentabant, ita hi Tribunitijs imperijs circūacti, & alieno nutu non ſuo viuentes; eas modo actiones, & motiones repręsētare debēt, quas ſuis Ducibus, conſultum videbitur illis imperare; ita enim, vt facerent milites ſuos præclariſſimus Imperator Phocion admonuit, cùm aduerſus Macedonas, qui in Atticam irruperant præliaturus, certatim omnes ad illum accederent, hortarenturque, vt colle quodam, qui mirum in modū opportunus eſſet occupato, illic collocaret exercitum; neque enim potuit ſibi temperare quin iuuenilem hanc audaciam tali exclamatione cōprimeret, *ò Hercules quàm multos video Duces, milites verò perpaucos!* quo dicto ſimul, & imprudentiam eorum notauit, qua Duci præire conabantur, & eius ſe conſilijs immiſcere, contra quàm poſtulat militis officium; cuius eſt non tam dare, vel petere muneris ſui, aut alterius rationem, quàm fortiter pugnare, & egręgium ſe in omnibus, ac animo prompto, & interrito exhibere. quod item videtur Otho Imperator ſuis militibus, quanquam non eodem penitus modo ſapienter præcepiſſe, *vobis enim*, dicebat ille, *arma & animus ſint, mihi verò conſilium, & virtutis veſtræ regimen relinquite*.. & magnus ille Sforcia, qui pri-

apud Tacitū 1. Hiſtor.

primus ſuis maioribus vera virtute præluxit, è turmarum,cohortiumque præfectis Martium Fauentinum, Euſtorgium Vicecomitem,Ludouicum Columnam,Thomam à Typherno, & Scorpionem,atque Tarentulam,Parium Derthonem,& Angelum Lauellum, cui ob hæſitantiam linguæ,tumultumque oris Tartaleæ cognomentum fuit, viros omnes exploratæ fortitudinis maximè adamauit, fraternoque amicitiæ iure ſibi deuinxit;diuiſa enim inter Ducem, & militem eſſe militiæ munera dictitabat, vt victoria pararetur; quum in illo ante omnia rationem;atque prudentiam, in his autem expeditam vim,peracrem impetum,& indomitum robur, omnino requireret, propcereaque eos præſertim deuitare, damnareque erat ſolitus,qui in coronis,ſolicitè nimis,atque ſubtiliter de belli ratione, exituque rerum diſſerendo, quid ſtatuendum, quidue tentandum foret Imperatori conſulere, atque præſcribere viderentur,cęterum ipſi perlibenter aſpera quæque, & periculoſa omnia detrectarent, ſoloque, & inani ſapientiæ nomine contenti,fortibus viris, veræ laudis materiam relinquerent, qui imperantibus alacriter parere, vehementerque pugnare, nec vulnera, aut mortem timere didiciſſent. & certè cum videam Romanos illos,qui de cunctis rebus prudenter ſtatuere conſueuerũt, milites ab agris,& paſcuis collectos,pluris ſemper, quàm reliquos omnes feciſſe;in hanc etiam opinionem facilè deuenio,quod cùm in iſtis robur corporis, vitamque ſpectarent, continuis laboribus ad militares actiones duratam, & exercitam; tum etiam morum aſperitatem, ingeniumque planè hebes,& obtuſum requirebant; quia dum minus apti,habileſque erant, quàm vt vel multis de rebus argutè, ſubtiliterque iudicare, vel in aliorum dicta factaque curioſius inquirere poſſent; minus propterea frequenter iſtud facere conabantur, quam arguti quidam cincinnatique Thraſones, ex Vrbium, & Academiarum frequentia ad omnes artes, & nequitias inſtructi, qui ipſius etiam Taciti iudicio, & *refractarÿ, plerumque ſunt, & iuſſa Ducum interpretari malunt, quàm exequi.* 2. Hiſtor.

III. *Quanquam hæc omnia cõmodius adhuc referri poſſint ad delectum, & diſciplinam.*

Nudum igitur militem volo, ſpoliatumque non modo propria voluntate, ſed omni cognitione rerum, quæ ad Tribuni ſui iuſſa ſtrenuè, fortiterque exhaurienda non faciunt; illæ vero paucæ numero ſunt, & omnes fermè diſciplinæ militaris pomerio ſeptiſque concluſę;quanquam nonnullæ pręterea deſiderentur cõditio-

ditiones, ad eius delectum apprimè pertinentes, quæ licet à caſu vel à natura citius quàm ab electione hominibus ipſis indantur, mirificè tamen inſtitutionem militis promouent; & quemadmodum in alijs diſciplinis, ſic in militari ſæpius efficiunt, vt vnuſquiſque prout liberalius fuerit iſtis ſubornatus; ita quoque cæteris præſtantior, digniorque, qui ad ſumma quæque, & honeſta contendat habeatur. Eiuſmodi vero ſunt Patria, Corpus, Aetas, vitæ genus, & Animi diſpoſitio ad fortitudinem, & gloriam requiſita; quæ cuncta ſi diſciplinæ regulis, de quibus poſtea nobis dicendum eſt, exculta diligenter in Milite reperiantur; hunc profectò non dubitarem pro eius exemplo proponere, qui ſummus in eo genere, numeris omnibus eſſe poſſit. Cætera enim quæ de domeſtico, vel externo; pedite vel equite; ordinario vel ſubſidiario milite hic à non nemine quæruntur, non tam eius ſunt loci, quàm illius, in quo de Duce tractandum eſt, qui pro temporum & locorũ opportunitate, ſuos vel alienos ad arma vocat, eoſq; pedibus, vel equis vt cõmodius illi atque vtilius fuerit merere iubet.

IV.

1. Delectus igitur neceſſitas proponitur varijs exẽplis priſcorum militum.

Enim vero cùm mirari ego perſæpe ſoleã quid cauſæ tandem ſit, cur noſtrorum temporum militia, nihil vſpiam efficiat quod cum antiqua Romanorum, vlla ex parte conferendum ſit; non equidẽ iſtud propterea contingere cenſeo, quod natura. Sicut aliqui credunt, liberalius veterum militum, quàm eorum qui nunc ſunt animis, fortitudinis, ac audaciæ, & induſtriæ naturalis ſemina inſeuerit indideritq; nam ipſa ſemper ſui ſimilis extitit, & generoſos, ac fortes animos eædem, quæ olim regiones, & loca producunt; neque etiam hoc fieri dixerim, quod numeroſiores olim exercitus in campum præliaturi deſcenderent, cum Alexander, Marius, Lucullus, Martellus, Scanderbechus mediocribus ſemper turmis ſtipati, ingentia bella confecerint; & quemadmodum rectè monet Vegetius *in omni conflictu non tam proſit multido quàm virtus*; ita vt etiam referente Tacito *in multis Legionibus, pauci ſint qui prœlia profligant*; ſed culpam huiuſce rei integram in cõtemptum delectus, & exercitationis refero, quibus ita Græcorum omnium, ac Romanorum diſciplina ſemper excelluit, vt nulla fermè ſit apud antiquos Auctores militum mentio, abſque illa, quæ de eorum quoque delectu inſtituitur: ſic enim Catullus de Argonautis

Cum

Cum lecti iuuenes Argiua robora pubis. de nupt. Pelei, & Thetid.

& Virgilius eodẽ etiã Epitheto vſus eſt cùm de iiſdem loqueretur,

Altera quæ vehit Argo Eclog. 4.

Dilectos Heroas.

qua in re videtur vterque Euripidem ſequutus, qui hos ipſos τοὺς ἀρίστους τῆς Ἑλλάδος vocat, ex eoque poſtea Lucretius dixit in Medea.

Ductores Danaum delecti, prima virorum.

ac iterum vates maximus eodem penitus ſenſu

Arcadas huic equites bis centum robora pubis Aeneid. 8.

Lecta dabo.

quod vero hic militũ delectus ſubſequutis poſteà temporibus, ac florente potiſſimum Imperij Romani Maieſtate, haud minori diligentia à cenſoribus haberetur, non eſt ſanè quod aliquis dubitet, poſtquam Varro contendit Legiones *à legendo* dictas fuiſſe, aut quemadmodum ſcribit Plutarchus *à deligendo*, quod ex omnium Tyronũ delectu, ac veluti flore delibato fortiſſimorũ militum cõponerentur, quod etiam innuit Vegetius, cùm enumeratis diuerſarum gentium naturalibus præſidijs, quibus illas Romanis præſtitiſſe in confeſſo eſt apud omnes, ipſe demum ſubiungit *ſed aduerſus omnia profuit Tyronem ſolertem eligere.* in Romulo. lib. 1 cap. 2.

Atque vt ita delectos Tyrones in officio continerent, ſolebãt eos punctis quibuſdam ſeu ſtigmatis notare quemadmodũ fertur in cõſtitutione Arcadij, & Honorij Imperatorũ cod. de Fabricẽſibus, quæ talis eſt *Stigmata hoc eſt notæ publicæ Fabricenſiũ brachijs ad imitationẽ Tyronum infligantur, vt hoc ſaltẽ modo poſſint latitantes agnoſci*, ex quibus verbis patet milites ſtigmatias ſeu notis compunctos non ſecus, ac ſeruos fuiſſe; ſed hiſ frõte notabantur, quod oſtendunt illa Neuij veteris Poetæ in Lignaria, *ſignare oportet frontem calida forcipe*; & Apulei iocus in Myleſijs vbi ſerui vocantur *frontes literati, & Capillum ſemiraſi, & pedes annulati* milites vero impreſſa geſtabant in brachijs huiuſmodi ſigna, quibus etiam probabile eſt nomen Imperatoris exaratum fuiſſe; ſi tamẽ eodem modo de illis, ac de Aquarijs, & Hydrophilacis ſtatuendum eſt, de quibus ita cod. de aquæductibus ijdem Imperatores præcipiebant, *vniuerſos autem Aquarios, vel aquarum cuſtodes, quos Hydrophylacas nominant qui omnium aquæ ductuum huius regiæ Vrbis cuſtodiæ deputati ſunt, ſingulis manibus eorum felici nomi-*

II. *Qui etiam notis Imperatorũ in brachio compuncti.*

ne

ne pietatis noſtræ impreſſo ſignari decernimus: ſanè quod ad Tyrones
lib. 8. c. 12. ſpectat elegans eſt Aetij medici locus, quem lubenter in medium
profero, tanquam à paucis quod ſciam hactenus delibatum, & animaduerſum στίγματα καλοῦσι τὰ ἐπὶ τοῦ προσώπου, ἢ ἄλλου τινὸς μέρους τοῦ σώματος ἐπιγραφόμενα, οἷά ἐστι τῶν στρατευομένων ἐν ταῖς χερσίν. hoc eſt, *Stigmata appellant, quæ ori, aut alteri cuipiam membro inſcripta ſint, qualia ſunt in militum manibus*. Cæterum idem etiam probant D. Gregorij epiſtolę ex quibus diſcimus cōſtitutum fuiſſe *ne quis manu ſignatus ante expletam militiam, in Monaſterijs reciperetur*. & his omnibus pro cumulo accedit Vegetij auctoritas,
Lib. 1. cap. 5. quàm Critici ex melioribus membranis hunc in modum legunt *nam victuris in cute punctis milites ſcripti, & matriculis inſerti iurare ſolent*. at hodie quidnam horum ſimile in militum delectu obſeruatur, & quos milites legimus præter tumultuarios, ac nullius ordinis, & diſciplinæ; pecuniola proponitur, tympanū ſtrepit, & ecce coeunt aliquot ignoti inter ſe ignorantesq; Vrbium videlicet purgamenta, nebulones ſubroſtrani, lixæ, pecuarij, cerdones, baiuli, cruſtularij, veſpillones, ac nepotes ex ſcortatorū, aleatorumque fæce deprompti, temulenti omnes, peruigilijs, & Bacchanalibus, quàm diſciplinæ, & caſtris potius aſſueti, atque vt vno verbo abſoluam verè galeati Lepores; quibus vt ad populandos finitimorum agros, tectaque vrenda, & abigenda pecora aliqua vis ſit, certè in pugna, & ſignis collatis nulla eſt; vnde ſi quis nomen illis militum adimat, non magis profecto cum antiquis comparandi veniēt, quàm Syri cum Romanis, aut cum Macedonibus Sybaritæ; atque ex eo eſt, quod etiamſi veterum pugnādi morem multis paraſangis ſuperare videamur, ob recentes illas machinas quarum tanta vis eſt, vt non inſtructas modo acies, ſed aggeſta immani ſumptu murorum propugnacula incredibili celeritate deijciat, neſcio tamen quomodo neglectis, quæ ſemper apud antiquos ſumma in obſeruatione fuerunt militum delectu, atque diſciplina; non dicam ſicut Romani orbem ipſum deuincimus, ſed ne quidem, vt Perſæ, vel Macedones imperium proferimus, vix etiam aliquoties ab aliorum inuaſione tuti. Quamobrem vim maximam Delectus eſſe oportet, qui tot victorias peperit, tot regna, & imperia ſtabiliuit, dum ſolus idoneos milites efficit ad diſciplinam. quid enim prodeſt ſi exerceatur aliquis diligenter, ſi plura

ſtipen-

Digitized by Google

ſtipendia in caſtris conficiat? dum vero animis opus eſt & pectore firmo, tam inepto corpore exiſtat, adeo viribus defectis, & generoſa indole ſic aſſueta, fractaque delicijs, vt cum vel belli incõmoda perferenda ęrumnęque ſe offerunt, vel ſolidos dies laboribus exigere oportet, vel fluuios natando traijcere, aut cum hoſte vel vno, vel pluribus pedem conferre, impreſſioneſque repentinas ſuſtinere, & glandium imbrem, tædas ardentes, calcem viuam, ſaxa, mortemquè ipſam intrepido, & aduerſo vultu excipere; ſtatim ipſe palleat, titubet, hæreat, & indecoro geſtu ac paſſu, iſthęc omnia cane peius, & angue decliner ac fugiat; ad quę tamen cœteri qui legitimè, & ad veterum libellam à conquiſitoribus qui nunc cenſorum loco delectum habent conſcripti ſunt, & in militiam adlecti, tam alacri, & præcipiti animo feruntur, vt Statius in Achilleide tot diſcrimina, & pugnandi libidinem ingenioſè quidem ac verè *dulces bellorum furias* appellarit.

Quoniam igitur vires regni, & Romani nominis fundamentum, in prima eiuſmodi delectorum examinatione conſiſtebat, non cuiuis illa, vt nunc moris eſt, temerè committebatur, ſed adeo curioſè peragebatur in Republica libera, vt longo tempore. Ciues tantum Romani, ingenui, & artis ludicræ voluptuariæque expertes, inter legionarios milites quos illa fouebat conſcriberentur, ex eoque Seneca occaſionem ſumpſit, vt aſſereret quod *Caſtra quos ad laborem, & pericula recipiunt, faſtidiosè legunt*, & huius quidem diligentiæ rationem aſſignat Vegetius quia nimirum *iuuentus, cui defenſio prouinciarum, cui bellorum committenda fortuna eſt, & genere, ſi copia ſuppetat, & moribus debeat excellere*; idemque auctor, inter præclaras Sertorij virtutes diligentiam illam præ cęteris commendat, quàm in Tyronum delectu ſolebat adhibere; quo genere laudis multi etiam referunt Marium conſulem, & Pyrrhum Regem Epirotarum inter paucos excelluiſſe, ſed non prætermittendus eſt in hoc cenſu fotiſſimus Iſraelitarum Dux Iudas Machabæus, qui altioris vt par eſt credere, & diuinioris conſilij afflatu, aliam præter vſurpatas à Romanis delectus rationem excogitauit; ſi quidem cum aduerſus innumerabiles profanos, falſiſque Deorum cultibus mancipatos hoſtes contenderet armatus, non vt cæteri modo duces, quaſdam fortitudinis, & bellicæ virtutis notas in militibus ſuis inda-

3. *Additurque varia eius ratio à varijs ducibus obſeruata.*

Epiſtola 44.

cap. vij. lib. 1

Lib. 1. Mach cap. 3.

da-

Digitized by Google

dagauit; ſed cum intelligeret multorum virtuti paucorum ſœpius ignauiam officere, facultatem omnibus indulſit *qui ædificabant domos, & plantabant vineas, & ſponſabant vxores, & formidoloſis, vt rediret vnuſquiſque in domum ſuam*; quod Hercle tam prudenter fecit ex diuinæ legis ſtatuto, quod pluribus in deuteronomio, & libris Iudicum explicatur, quàm Annibal aſtute, qui priuſquã iter longum, & inſolens per inuios, Saltus tantæ colluuioni Barbarorum in Italiam aperiret, ſeptem illorum millia domum remiſit, quos minus libenter ab aris, & focis in tam longinquas regiones abripi; ac in alium velut orbem deduci animaduertebat. Nempè vterque illorum merito timuit, ne paucorum metus communem audaciam corrumperet, & in ſociorum animos, præſentibus malis, & difficultatibus penè iam emotos, contagione infeſta proſerperet, non aliter quàm in exercitu Cæſaris aliquando

Lib. 1. com.

contigit, vt quorumdam vocibus ac timore, qui propter imbelliam, ne Germanorum quidem nomen ferre poterant, paulatim etiam ij qui magnum in caſtris vſum habebant milites, Centurioneſque, quique equitatui præerant, perturbarentur non mediocriter ſcilicet quia, vt inquit Satyricus.

Grex totus in agris
Vnius Scabie perit, & porrigine Porci,
Vuaque conſpecta liuorem ducit ab vua,

Verum, vt orationem ſenſim ad illud referam quod in tali militum delectu primum quidem obſeruari debere conſtitui, certè

Lib 4.

Patria eſt; nam quod Manilius contendit de Scorpione cœleſti qui peculiari ſuo influxu.

In bellum ardentes animos, & martia Corda
Efficit, & multo gaudentem ſanguine ciuem.

V.
1. Mox de patria Tyronis, dicitur ex aſtrorum. influxu, qui reijcitur.

equidem non tam ineptus ſum qui commentum iſtud recipiã, ab æruſcatoribus, & offuciarum magiſtris excogitatum; dum ex eo quod viderant terrena quædam inter homines ſita, cœleſtium rerum ſenſu atque ductu moueri; quale forſan eſt quod Oceanus veluti Lunæ Comes & paraſitus cũ ea ſimul ſeneſcit adoleſcitque, hinc videlicet ſibi argumentum fecerunt, vt homines etiam quaſi habena quadam de cœlo vinctos gubernari, & omnia rerum humanarum tam parua quam maxima, ſtellis ipſis: atque ſideribus euincta duci exiſtimarent. Hoc vero cum nimis quàm abſurdũ,

&

& inconſequens ſit, quis amabo non conuenientius iudicabit? ex manifeſtis qualitatibus quæ in cœlis ipſis, & locorum diſpoſitionibus liquidò percipiuntur, hominum naturas, & propenſiones elicere, quàm ipſas ex occultis quibuſdam, & imperceptibilibus cauſis fingere; ſimulque vaniſſimis illis artibus ſuffragari, quas peſſimi nebulones multorum ad id facilitate, & incauta nimis credulitate prolecti, in reliquarum artium dedecus, & perniciem continua mendaciorum ſerie accumulant. Maximè cum illos videre ſit tanquam ex bonæ mentis tutela præcipitatos, nihil vnquam ſani cogitare, ſed ex vno errore in alios ſenſim nonminus abſurdè inconuenienterque prolabi; Mundum enim ſeu compagem illam quę ex mutua elementorum ſocietate coaleſcit, fictis ex ingenio coſtellationibus, ſtellarumque vertigini, non ſecus ac hominem ipſum mancipant; quæ ſi recto breuique luminis traiectu regiones quaſdam feriunt; ſi obliqua affulſione perſtringunt; Si velut tranſcurſu prætervectæ extremitates illarum lambunt; aut vnum, vel aliud ſignum pro metatore accipiunt; ita quoque variam in illis indolem effingant, diuerſos mores, penituſque auerſam ab aliorum conſuetudine, & diſcrepantem naturam. Ex eo ſi quidem fieri volunt quod Germanos, Leonis, & Sagitarij dominatio ad ſubeunda pericula Martemque intrepide laceſſendum confirmat; Cor Scorpionis Hiſpanos, nec non Armoricos, & Normanos ad callidas fraudum artes extimulat; Chaldæos ad humanitatis cultum, cœlique obſeruationes Sol & Leo componunt, Iudæos & Syros aſcito in perniciem Scorpione veteratorum technis, & imbecillis animi ſuperſtitionibus imbuunt; quem ratiocinandi modum inſequuntur etiam cùm de reliquis terræ partibus apud ſe conſtituunt. Sed cum ille ita vaniſſimus eſſe depræhendatur, vt non multo magis ineptum ſit Platonis commentum, qui ſexto de legibus varietatem hanc Demonibus, Genijſque Prouinciarum cuſtodibus acceptam refert: quonam alio in locorum inueſtigatione, quæ feroces, & ad arma perquam idoneos Tyrones conquiſitoribus ipſis ſuppetant, nobis tandem vtendum eſt?

Profecto, haud aliunde melius iſtiuſce rei peragendæ rationem iniri poſſe mihi perſuadeo, quàm ex varia terræ ipſius conſtitutione, & longa etiam annorum obſeruatione; quæ duo ita per ſe ad — 2. *Locorum ſitu.*

ad

ad iſtius argutę diuinationis momenta faciunt, vt qui certiora ſigna cupit moroſi, qui plura nimium Hercle ſeduli diligentiſq; notam haud difficulter incurrat. Nam vtcumque veriſſimum ſit nullum eſſe locum deſignatum, qui aut malos omnes, aut probos procreet & efficiat, quemadmodum Epicharmus ſapienter opinatus eſt, conſtetque in omnibus locis, & ſtrenuos, & ignauos naſci, non tamen fruſtra dixiſſe Cicero cenſendus eſt cùm ad Trebatium ſcriberet *natio me hominis impulit, vt rectè putarem*; nec incaſſum Nathanaël illud interrogauit, *à Nazareth quid boni?* aut Horatius damnauit

Pantolabum ſcurram, Nomentanumque nepotem,

cùm experientia compertum ſit rem ita in pleriſque locis, & nationibus ſe habere, vt ex natura, vel inſtitutione magis procliues ſint, & ad quaſdam virtutes, & ad vitia etiam nonnulla, quæ frequentius in illis, quàm in cæteris vigere depræhenduntur; quemadmodum per exempla populorum decurrens facile demonſtrare poſſem in ſingulis, niſi paſſim hæc obuia eſſent apud ſcriptores, & in quemquam iniurius, aut adulator videri nollem. Huiuſce igitur rei cauſam inueſtigāti illud primo occurrit, quod ſicut vites lætiores in collibus proueniunt, Syluæ in montibus, Segetes in planicie; & plantæ quędam vegetiores in partibus Solis exortui vicinis ſponte luxuriant, vix autem inualeſcunt etiam diligenti cultura ſollicitatæ, in illis quas vel occiduus, vel tantum obliquus illuſtrat, ſed omnes imbecillæ, & elangues exiſtunt; ita quoque in hominibus fieri amat, in quibus frequenter euenit, vt gens genti alteri in bello præcellat, & Mundi plaga ad robur non tantum corporum, ſed etiam animorum plurimum momenti afferat, nam prout illa continuis teporibus feruidam cordis temperiem laxat, aut frigoribus intendit, propterea etiam fit, vt timorem in illis, aut audaciam ingeneret. Cor enim à quo in nobis affectus omnes, propenſionesq; tanquam à moderatore præcipuo dependent, ſic illas inflectit, vt nunquam à temperie ſua diuerſum quicquam efficiat, cuius vſque adeo retinens eſt, vt qui inter molles, & effeminatos Sybaritas, corde erit impensè calido; & exuſto, is non poſſit niſi educationis vitium naturæ leges infringat, non aliquid robuſtæ, maſculæque virtutis obtinere; verum vbi conſentiente in mutuam op[...] externa illa plaga-

rum

rum orbis temperie, natiua cordis diſpoſitio corroboratur, tunc non inter priuatos homines ſua munera amplius diſpenſat, ſed integras nationes in eiuſdem propenſionis cõſortium trahit. Vnde cum aëris nos ambientis calor vehementer intenſus, occultos cutis meatus in homine diducat, & per ipſos effluentem humorem internum, atque vna cum ipſo calorem ferme omnem exterminet, frigus autem eiuſdem circumſtantis, contrarium è directo efficiat; dum vias illas anguſtiores obturat, & ex conſequenti caloris effluuium reprimit, qui poſteà velut ab hoſte præpotenti intra vallum concluſus, ſanguinem ipſum acuit, ſpirituſque omnes concalefactos maiorem in modum ad ſua quoſque præſidia, & ſtationes amandat; profectò conſentaneum eſt nos cum ſapientiſſimis hominibus in hoc conuenire, quod ſquallidis in regionibus, & retorridis, molles, atque effœminati progignuntur incolæ, in algentibus autem, ac gelu niuibuſque damnatis, audaces & generoſi; quo minus enim à Sole, eo magis à ſeipſis ferueſcunt, calore qui difluere, ac diſſipari flagrante vehementius aere ſolet, ad interiores receſſus per vim frigoris externi retuſo; non ſecus omnino atque antra cryptęque profundius excauatę, & hominum ventres, coacto per brumales dies intus feruore, abundantius caleſcunt, pluraque alimenta conficiunt, quàm æſtate, aut flantibus Auſtris, quos diuinus Senex in tertia ſectione aphoriſmorum aſſerit auditum hebetare, caliginẽ viſui offundere, caput grauare, & membris omnibus tarditatem languoremque conciliare; contra certè quàm Aquilonis aura faciat ventorum omnium ſaluberrima, & maximopere vitæ vſibus, ac commodis inſeruiens. Verum alia ſunt præter morbos, & ciborum elaborationem, in quibus raro cum Auſtralibus Boreales conueniunt; horum enim vis pectoris obfirmata, nullo periculo deterretur, nullum vitæ diſcrimen extimeſcit, non horret vulnera, ſæpiuſque conſpecto ſanguine virtutem in ſe acrius exſtimulat, & ardentius in aduerſarium conſurgit adeoque, vel poſtquã conciderint vincere didicerunt, vt cum Alexandro magno de genu pugnare illis pro ludo ſit, cum Cæſare alieno Clypeo viridentibus etiam cum Romano milite qui in Cannenſi pugna morſibus ad extremum ſe defendit; his denique non labor eſt inſolitus, non locus vllus aſper, aut armatus hoſtis formidoloſus; Iſtis

Aphoriſ. 5.

vero geniales apparatus cordi ſunt, motus doceri gaudent Ionicos, petulantiæ omni, voluptatibuſque ſe committunt, nihilque demum ardui conficiunt, ſed nec aggrediuntur quidem, niſi extrema neceſſitate, aut inſigni contumelia forſan impulſi. Vt ex eo Cyri iudicium, vimque ingenij præclaram ſuſpicere liceat, qui rogatus à Perſis, vt in feraciorem ipſos regionem deduceret, *ergo* ſtatim innuit ille; *ad ſeruiendum vos parate, mollis terra molles, & demiſſæ indolis homines producit, non eiuſdem eſt regionis fructus, & viris edere generoſos*, & eodem pertinet quod Lucanus non poeta modo, ſed philoſphus inſignis tanquam ex Tripode pronunciat,

Lib. 8.

Quicquid ad Eoos tractus mundique Teporem
Labitur, emollit gentes clementia Cæli;
Omnis in Arctois populus quicumque ruinis
Naſcitur, indomitus bellis, & Martis amator.

cuius rei non poſſum locupletiorem teſtem laudare quàm illam Terrarum Gentiumque deam vrbem Romam, quæ vbi in Aſiam Duces ſuos verè Martis pullos ad cohercendum Regem Antiochum, alioſque motus compeſcendos tranſmiſiſſet, eorum poſteà loco quos armis horridos, diſciplineq; tenaciſſimos è ſuis mœnibus eduxerat, corruptos eos, ac laborum impatientes omniq; vitiorũ genere perditos recepit, & luxus ille ab Aſia cũ exercitu Romano allatus, exitium ei ſimul ac perniciem ingentem attulit, vt non de nihilo fuerit Cn. Manlij cũ Gallogręcis pugnaturi, hæc ad ſuos milites oratio *vobis me hercule Martijs viris cauenda, ac fugienda quàm primum amoenitas eſt, tantum hæ peregrinæ voluptates, ad extinguendum vigorem animi poſſunt, tantum contagio diſciplinæ, moriſque accolarum valet*; ſed ille augurio ac præſaga mente ſua minime potuit, hanc ab exercitu Romano peſtem propellere, ſiquidem, vt notat Saluſtius *ibi primum inſueuit exercitus populi Romani amare, potare, ſigna, tabulas pictas, vaſa cælata mirari, ea priuatim ac publice rapere, delubra ſpoliare, ſacra prophanaque omnia polluere*. Ac proinde Spartana Ciuitas, vt inquit Valerius Maximus ſeueriſſimis Lycurgi legibus obtemperans, aliquamdiu ciuium oculos à contemplanda Aſia retraxit, ne illecebris eius capti ad delicatius vitæ genus prolaberentur. Quod certè eos non fruſtra timuiſſe, Dux eorum Pauſanias pateteſcit,

apud Liuium lib. 8. decad. 4

in Catilin.

ſecit, *qui maximis operibus editis, vt primum ſe Aſiæ moribus permiſit, fortitudinem ſuam effœminato eius cultu mollire, non erubuit.* Atque eam ob rem Iulius Cæſar cùm poſt Pompei mortem, tam facile celeriterque totam Aſiam ſubegiſſet, non immerito fertur eius de Mithridate victoriam irriſiſſe: nec ab ipſo Pompeio quicquam admiſſum fuit magis inconueniens, quam quod bellum cum Socero geſturus auxiliares copias ex Aſia, quę illi olim ingentes triumphos pepererat, accerſiuit, ibique ſe recepit vbi olim fauente fortuna multoties victor euaſerat: etenim quum probè ſciret nihil ſibi auxilij ſperandum eſſe, ab inertibus populis, & qui iam præ luxu, & mollitie omni prorſus militaris diſciplinę laude exciderant, debebat potius ſi Romam deſere ſtatuerat, in Hiſpaniam proficiſci, vbi & viri admodum bellicioſi erant, & diſciplina militaris eiuſmodi qualem ipſe ſœpius probauerat, ac præſertim dum ſtrenuè cum Metello aduerſus Sertorium militaret. Quis enim non videt Pompeio ſi iſtud conſilij mature ſumpſiſſet, procliue admodum fuiſſe Cæſarem ad eaſdem, aut grauiores etiam anguſtias redigere, ad quas poſtmodum ab eius filijs ibidem in eum depugnantibus redactus fuit, cum in vltimo prœlio, quod tamen feliciter commiſit, deſperatis ferme rebus ſuis de conſciſcenda ſibi nece cogitauerat. Hoc vero ſi contigit illi cum Pompei liberis, quid de Pompeio ſperandum erat præſertim ipſius belli initio, quo Cæſar tantas vires auctoritatemque nondum acquiſiuerat, atque hæc, vt de hominibus veriſſima ſunt, ita etiam animalia reliqua, longe plus roboris obtinent in Europa quàm in Aſia, aut Africa, propter ſitum hunc, & poſitionem aquilonarem, quæ viuentia omnia vegetiora efficit, cohibito intus calore, qui in regionibus calidis diſſipatur, meatibus vſquequaque hiantibus; ita fit etiam; vt validiores ſimus hyeme quàm æſtate; & beſtiæ montanæ, aues, homines, ſtirpes robuſtiores ſint, quam quæ in conuallibus, & locis calidioribus naſcuntur. Quæ cum ita ſe habeant nemo iam negare poteſt, Auſtrales populos quorum verticem propius ſol flagellat, vt ingenio magis quam ſeptentrionales ſunt habili ad ſcientias, Imperia, Religionem; ſic minus ipſis valere ad armorum tractationem, & omne aliud negotium, quod à viribus magis quàm ab induſtria dependet. Quamobrem certè videmus homines prudentiſſimos, qui rei

D 2 mili-

Digitized by Google

militaris præcepta literarum monumentis tradiderunt; eorum populorum qui ab Auſtro, & occidente verſus ſeptentrionem recedunt, vim, roburque corporis, & inſitam animorum ferociam reliquorum ſtudijs, & excellenti ingenio prætuliſſe; ac merito quidem, cùm nullus adeo ſit in hiſtoriarum lectione hoſpes, qui leues, & pendulos Aegyptios, ſuperſtitioſos Iudæos, Nabathæos mercatores, fluxos veſtium Arſacidas, pauperes Scythas, odorum diuites Arabas, infames Syros, Seruiles Lydos, Indorumque, vel Abyſſinorum, & Peruanorum quicquid vſpiam eſt, cum populis magis ad Septentrionem attinētibus velut æqua lāce conferre velit. Licet enim in his varietas quædam naturę, & propenſionis obſeruetur, ob adiuncta nonnulla quæ ex peculiari locorum conditione, & diuerſis hominum inſtitutis proueniant; fatendum tamen eſt tractum hunc omnem longè, latèque verſus Aquilonem diffuſum, qui ob mirabilem fœcunditatem vagina gentium; & populorum antiquitus dicebatur, etiam num hodie propter incredibilem virtutem ab antiquiſſimis vſque probatam temporibus, haud iniuria quidem vocari poſſe ſelectorū militum officinam; eo tamen diſcrimine quod præſtantiores exeſtimentur, qui minus inter hos ad extremitates ſe diffundunt, cū illi qui gradibus tantum quindecim ab vtroque polo recedunt, omnes ſint exigui, debiles, macilenti, & a frigoribus perinde vſti ac Auſtrales à calore: Siue id contingat quemadmodum voluit
4 meteor. Ariſtoteles propter vim caloris interni, ab obſiſtente aduerſario magis in ſe contractam; ſiue frigore ad intima penetrante, & humorem perurēte, eodem omnino ſenſu quo Virgilius dixit *penetrabile frigus adurit*; & Regius Vates *Sol non vrat te per diem neq; Luna per noctem*. Sed multo tamen longiori interuallo ab iſta glaciali intemperie noſtris Tyronibus recedendum eſt, ſi Vegetio
Lib. 1. cap. 2. & quibuſdam eius ſequacibus probari velint; qui optimos tantū legi contendunt in regionibus quæ ſub quarto, & quinto climate continentur, quoniam quæ loca propius ad Septentrionem accedunt, in his robuſtiores quidem animos, & magis intrepidos, ſed tardi nimium, ac hebetis ingenij volunt prouenire; ad Meridiem contra intelligentiā præſtantes homines generari, quales fuerunt Hippocrates, Plato, Ariſtoteles, Demoſthenes, & omnes fermè qui nouis opinionibus cùm in Religione tum in ſcientijs

ori-

originem dederunt; ſed qui infirmioribus tamen animis exiſtant ad ſubeunda pericula; in medio autem homines naſci vtraque facultate quantum ſatis eſt inſtructos, qui nec in conſilijs capiendis intelligentia, nec in ſubeundis periculis viribus, & animo deficiant; quæ pariter fuit Galeni ſententia, in libro vbi oſtendit quod animi mores ſequantur temperamentum corporis; & eius ſacerdotis Aegyptij, qui apud Platonem in Timæo temperatas regiones prudentiſſima ingenia dixerat procreare. Quæ omnia etſi in pluribus vera ſint anceps tamen animi ſum, ne quantum ſpectat ad opinionem Vegetij de Tyronum delectu, illa tam rectè ſibi cõſtare poſſit, quàm ad fidem opus eſſet; cum Aſtures, & Cantabri, qui in ſexto climate reponuntur, Dominos cæterarum gentium Romanos diutiſſimè exercuerint, ſæpiuſque de ſumma rerum periclitantes, in Italiam redire compulerint, iniquis ſubinde conditionibus abactos; vt omittam præterea, quod non excellens vſque adeo iudicium mentiſque ſolertia in milite requiratur, vt eius adipiſcendæ ſtudio de fortitudine, & audacia, quæ propriæ virtutes eius appellantur, quicquam remittere debeat. Quin etiam Carthaginis exemplo quam Sebaſtianus Corradus in prægrandi Commentario, quem Euthathium Homeri interprætem imitari cupiens ad primum Aeneidos librum ſcripſit, male in primo climate collocat, dum verſus illos explicare conatur

Quibus orbis in oris
Iactemur, doceas.

cùm potius ex geographorum omnium conſenſu, in tertio Climate reponenda ſit, procliue eſt arbitrari; quod extra omnem illam de qua loquimur, & quæ cum Vegetio, tum nobis optima maximeque conueniens videtur locorum temperiem, populi reperiuntur fortes ſimul, & in obeundis, adminiſtrandiſque bellicis muneribus per quam idonei. Iam vero quia inter plana, & montana hoc in hominum naturis intereſt, quod inter Auſtrum & ſeptentrionem, & eadem fere cœli, ac aëris qualitas vtrobique viget, ſic vt in montanis ad Auſtrum, non minus frigoris intemperies, quàm in planis ad ſeptentionem percipiatur, conſequens eſt velut ab eadem cauſa, vt montani homines duri ſint, & agreſtes, bellicoſi, laboris patientes, & maximè apti ex quibus legiones fortiſſimæ conſcribantur. Vt Marſorum veterum Apen-

nini incolarum exemplo patet, de quibus Romæ vulgatum erat ſine Marſis triumphaſſe neminem; & illud admiratione dignum eſt, quod qui montes Arabiæ tenent, nunquam feritatem, & animi robur deponere potuerunt; haud ſecus profecto quàm Heluetij, qui non modo ſeipſos, ſed etiam finitimos populos tirannide oppreſſos in libertatem vendicarunt; ex quibus etiam intelligitur id quod dicebat Cicero, *Ligures montanos ſuapte natura duros, & agreſtes, maritimos verſutos eſſe.*

3 *& longa obſeruatione in multis populis.*

His igitur ita de locorum ſitu, & natura conſtitutis reliquum eſt vt ad obſeruationē deueniamus, quã alterũ caput eſſe dixi, ex quo certius meo quidem iudicio, ac fidelius nationum mores expiſcari debent, qùam ex tot cauſarum inter ſe combinatione, quæ nunquam ita recte conuenienterque ſociari inter ſe poſſunt, vt in iudiciorum lãce, non alicui ſemper nationi famæ damnum inferatur, cum multæ licet naturalibus cauſis non vndique ſtipatæ quæ ad fortitudinem faciunt, hanc tamen ex quibuſdam alijs multoties in ſe deriuent. Quamobrem certè longe pluris obſeruatio facienda eſt, quæ ſicut in rebus cuiuſque geſtis fundatur, nemini propterea iniuriam facit, ſi prout ille vecordes ſunt, aut generoſæ, ita quoque ipſas libere, & bona fide repræſentet. Illa vero cum hiſtoria conſtet, tum etiam iuuatur mirum in modum auctorum teſtimonijs, & communibus illis dicterijs, quę paſſim inter nationes de ſingularum vitijs aut virtutibus diſſeminantur. hæc ſi quidem, etſi leuia primo aſpectu, atque prorſus indigna videri poſſint, quæ auctoritatem aliquam in re grauiſſima obtinere debeant, multa tamen vſu ipſo protrita, varijſque experimentis confirmata in ſe continent, propter quæ fidem ſemper habuerunt, apud ſacros iuxta profanoſque ſcriptores penitus illibatã ſed nec illa quidē diligēter in omnibus populis requiremus, quandoquidem præter Europæos, qui fœderibus inter ſe, & auxiliaribus copijs coniunguntur, cæteri ita nobis ignoti ſunt, vel tam immani aquarum diuortio à noſtra familiaritate ſeiuncti degunt, vt eorum militares ſpiritus eadem diligentià ſcrutari; non tam videri poſſit ad mutuæ cõſuetudinis neceſſitatem vtile, qùam ad communem voluptatem opportunum. Nam Turcas omnes, & quicũque ritus profanos in oriente cum illis participant, non minus ab alijs ſuperſtitionum impietas, quàm ingens Cœli, terræque

ræque

ræque ſpatium diſterminat; Africam vero atque Indias pauci tantum Mercatores littorum tenus perluſtrare ſolent, aut ſi forte nonnihil vlterius à fluminum oſtijs in Regiones illas inuehuntur ſubita nec ad amicitiam valida pacta cum incolis nectunt; præterea rari apud nos curant cum Tartarorum fœda, & plerumque miſera gente communibus vitæ officijs miſceri; Americam, denique qua cultum animorum paſſa eſt ſic tenent Hiſpani, vt ſolis liceat, & commodum ſit gentium illarum indolem pernoſcere; atque ita eo tandem res ipſa deuenit, vt de quibus populis antea demōſtraui, Naturā illis prolixa benignitate bellandi vim, & vſum indulſiſſe, de ijſdem nunc obſeruationibus ſelectis conficiam, hanc laudem ita ſemper propriam eorum fuiſſe, vt nunquam ex illa partum decus ſegnitie, aut vecordia corruperint.

Verū antequā particulatim explicemus, quid ſingulis illorum hoc in genere tribuendum ſit, non abſurdū erit pauca quædā ſtrictim, ac veluti per tranſennam annotare, de quorundā aliorū virtute bellica, quam ipſi ſeu naturà ſubornati ad audaciam, ſeu alijs de cauſis ad hanc impulſi, præ cæteris in pugnando exhibere ac repræſentare conſueuerunt. Ac in primis quidem Meſſanæ in Sicilia accolas bellicoſiſſimos olim extitiſſe, ſunt qui ex *Mamertinorum* nomine quod ſibi fecerunt proprium nō leui coniectura aſſerant; quaſi Martij id eſt *ἀρήιοι* eſſent vt ſcripſit Plutarchus in Pyrrho, & Feſtus Pompeius ex Alphio quodam retulit, ac propterea Martis nomen, qui Oſcorum lingua *Mamers* vocatur, ſibi merito tribuere voluerint; ſed cùm Polybius referat Campanos qui in Sicilia ſub Agathocle militabant, poſtquam vrbe Meſſana potiti ſunt, primùm ſe Mamertinos nuncupaſſe, citius ego crediderim gentile aliquod fuiſſe *Mamers* ſicut *Camers*, & inde Mamertinorum nomini occaſionem fuiſſe. Huic autem rationi pene ſimilem adduxit Iornandes, qui de Gothorum origine, & rebus geſtis commentarios edidit, vt Getas militari fortitudine clariſſimos extitiſſe probaret, ſic enim inquit, *adeo fuere laudati Getæ, vt dudum Martem, quem Poetarum fallacia Deum belli pronunciat, apud eos fuiſſe dicant exortum, vnde, & Virgilius.*

4 *Qui olim bellicoſi fuerunt partim ex natura.*

lib. 1. Hiſt.

cap. 5.

Gradiuumque patrem Geticis qui præſidet aruis.

quamquā morē hūc apud illos obtinuiſſe ex communi Scytharū conſuetudine probabile ſit, apud quos enſes pro numine venerari

Digitized by Google

lib. 1. cap. 1. ſolitos referunt Pomponius Mela, & Solinus cuius verba ſunt *Populis iſtis Deus Mars eſt, pro ſimulacris enſes colunt* ego vero cap 20. tanto lubentius Iornandi aſſentior, quod Polonorum gens, quæ eaſdem ſedes occupat, quas olim Ouidius Getarum feritate, adeo infames fecit; vt etiam in elegijs de Ponto dixerit

Nulla Getis toto gens eſt truculentior orbe;

barbariem quidem illam depoſuerint, non vero martium vigorem, & ardorem pu nandi, quo etiamnum hodie Turcarum impetus præclariſſimè reprimit, atque cohercet. Myrmillonum nomen gladiatoribus olim inditum ſignum eſt Romanorum opinione, fortiſſimos hominum fuiſſe Myrmidonas, antiquos illos Achillis milites, quandoquidem quia Myrmillo in amphiteatralibus ſpectaculis Gallica erat armatura, qua pariter vſos arbitrabantur Myrmidonas; idcirco vnius literæ in lib. 3. aduerſar. cap. 4. alteram cõmutatione, gladiatoribus ſuis vt inquit Turnebus hoc nomẽ inditum voluerunt. Spartanorũ vero inuictæ fortitudini, cũ omnes Græcorum hiſtoriæ certatim ſuffragentur, non hic moroſior ero illis referendis; præſertim cùm ipſa ſatis innoteſcat, ex eo quod Philippo Regi, ciuitatem illorum immenſis vectigalibus, alijsq; oneribus implicãti, l berè reſponderũt, ſi quid morte grauius imperare perſeueraret, mortem ſe prælaturos; & ſane cum inuictum illis ineſſet animi robur, tam facile mortem contemnere poterant, quam ipſi reipſa vbi honeſtè licuit, atque in ludis ipſis, & ſacrificijs quæ verberibus ad arã Dianę peragebãtur, homines fuerunt αὐτοκτόνοι quod etiam exiſtimo Petronium Arbitrum in mente habuiſſe, cum Encolpus ſpartanam nobilitatem prouerbij vice vſurpauit; *& ego quidem*, ait, *tres plagas Spartana* ode 7. lib. 1. *nobilitate concoxi*: Certe ea de cauſa Horatius *patientem* Lacedemona dixit, & qui inuicti in ea dimicatione quæ διαμαστίγωσις dicebatur, exanimeſque cadebant eos honore ſtatuarum affectos fuiſſe teſtatur Lucianus in Anacarſide; quod vero ad necem vſque 2. Tuſculan. verbera perferrẽt, res fabulæ proxima videretur, niſi flagitiũ eſſet Ciceroni fidẽ hac in re nõ dare, eam ita ſe habuiſſe aſſerenti *Spartæ vero pueri ad aram ſic verberibus accipiuntur vt multus è viſceribus ſanguis exeat; nonnunquam vt cum ibi eſſem audiebam ad necem; quorũ non modo nemo exclamauit vnquam, ſed ne ingemuit quidem.* Cum vero ſignum hoc proferatur ab auctoribus inuictæ fortitu-

dinis

dinis Spartanorum, quod plagas, & ſponte ſuſciperent, & conſtanter perferent, cur non & Thracum inter bellicoſas gentes mentio, eadem ratione hic inſtituetur? quandoquidem, vt inquit Arthemidorus, in Thracia generoſi adoleſcentes flagris cæ- cap.9. lib.1. debantur σίζονται παρὰ Θρᾳξὶν οἱ εὐγενεῖς παῖδες, equidem per me nō ſtabit quin ea laude Thraces ad plenum fruantur, maximè cum Virgilium huius opinionis ducem ſequar in his verſibus diui- Aeneid. 12. ni operis.

Terra procul vaſtis colitur Mauortia campis.
Thraces arant.

& Pomponium Melam. Solinum, Florum, Herodotum ac alios ex antiquis qui de eorundem magnanimitate, fiducia, & vitæ contemptu non niſi cum ſtupore loquuntur. quid plura Vege- lib.1.cap.28. tium audi, *Dacos autem, & Medos ac Thraces in tantum bellicoſos ſemper fuiſſe manifeſtum eſt, vt ipſum Martem fabulæ apud eos natum eſſe confirment*; quod equidem ne gratis ab illo dictum videri poſſit, ſunt qui vadem Homerum ſiſtant, vbi aſſerit Martem in Odyſſ. vinculis Vulcani ſolutum, in Thraciam ſtatim aufugiſſe; ſunt, & qui Euripidem, ac Statium quos certum eſt Martis domiciliū lib. 4. ibidem conſtituiſſe; ſed mihi ſatis erit Arnobij locum proferre, qui Spartanis æque ac Thracibus faueat. *quis Spartanum fuiſſe Martem, nonne Epicharmus? quis in Thraciæ finibus procreatum, nonne Sophocles Atticus cunctis, conſentientibus Theatris?* Denique Peligni, Marſi, Samnites antiquitus in Italia valde inſignes fuerunt armis tractandis, vnde Cicero de his ad Cęſarem ita retulit, *poſſum fortiſſimos Sabinos tibi probatiſſimos, totumque Agrum Sabinum, florem Italiæ, robur Reipublicæ proponere.* pro Ligario. ex aduerſo autem Campanos Romani Imperatores nullo in loco habebant; & Senatores ipſi qui rerum in florente Republica Principes fuerunt, Brutios, quod omnium facillime ad Annibalem defecisent, non modo pro ſocijs habere noluerunt, ſed illud etiam ſtatuerunt quod notat Appianus, vt ad maiorem ignominiam in Annibalic. omnes Brutij Romanis in Prouincias proficiſcentibus parerent, ſub finem. ac veluti mancipia viliſſima iiſdem inſeruirent; ita vt illorum deinceps munus fuerit reos vincire, & verberare; vt ex eo patet quod M. Cato quem Plinius omnium bonarum artium magiſtrum optimum vocat, Quintum Thermum acerrimè inſecta-

tus

tus eſt, quod is imperauerit atque auctor fuerit, vt ipſi etiam Decemuiri a Brutianis vapularent; nam Brutianos illic intelligit eos qui accincti loris verbera,& plagas incurerēt. Eodē etiā modo Heluetij, quos ab oppido Suiſſa *Suiſſeros* vulgo dicimus, reliquos Germanos iam diu virtute ſuperarunt; & hac quoque tempeſtate, non omnes orbis terrę partes eadem virtute homines alunt, ſed in ſingulis bellicoſi, imbelleſque exiſtunt, quod equidem rei bellicæ curam gerentibus ſcire perneceſſarium eſt, ſi ad antiquæ militiæ decus contendere nitantur.

5 *partim ex Imperij forma in qua vixerūt.*

Sed præterea animaduertendum eſt illis, maiorem copiam virorum fortium, & bellacium exiſtere ſolere in ciuitatibus liberis, quàm in ijs, quæ principis cuiuſdam dominatu tenentur, vnde in hiſtorijs veteribus multo plures legimus Athenienſes, Lacedemonios, Romanos quā Aſſyrios, aut Medos, fortitudinis laude excelluiſſe; cuius rei cauſam ſolerter indagantes ſcriptores politici, cum aliqui hanc aſſignent quod Ciues liberos magis æmulatio ſollicitat, & accendit, vt per egregia quæque, & præclara facinora ſuis æqualibus obſtruere poſſint, viamque ſibi ad gloriam, & honores præmunire; Alij verò illud fieri opinentur, quod extra Rempublicam viuentibus bonis eſſe, ac generoſis non liceat, eo quod *virtus, ac ferocia ſubditorum ingrata eſt imperantibus*, quibus maximè formidoloſum eſt priuati hominis nomen ſupra Principis attolli; & cæteri varias in partes, & ſententias ſe torqueant; à nullo tamen maiori cum iudicio, & veritate aſſignatam illam fuiſſe deprehendo, quam à Medicorum Principe in libello quo explicat, quid efficiant Cœli, aquarum, & locorum varietates, ait enim id ex eo euenire, quod *homines pro ſuis, quàm pro alienis commodis; pro ſua, quàm pro aliena gloria longè alacrius, atque animoſius pugnant; in ijs autem Ciuitatibus, quæ ſuis legibus viuūt ſi quid bello partum ſit, eius intelligit quiſque ciuium, aliquid ad ſe pro virili parte pertinere: at vbi ſumma rerum omnium penes vnum eſt, ibi labores quidam militares, & pericula, & vulnera, & cædes pertinent ad eos, qui imperio ſubſunt; gloriæ autem, & imperij amplificatio, & omnis denique fructus, qui ex victoria capitur ad eum vnum redit, qui cæteros oppreſſos tenet, eoſque habet in mancipiorum, aut in pecudum loco*; quibus verbis an ſapientius quicquam excogitari poſſit, valde dubito.

Tacit. in Agricola.

Ab

Digitized by Google

Ab inſtitutione denique ſuum habent pugnādi morem, & ſua 6
ſibi quaſi propria arma ſingulæ nationes, quibus dum liberè per- *atque etiam*
mittuntur vti, rarò cæteris concedunt, quæ non ſimiliter, ac illæ *ex inſtitutio-*
exercitatæ ſunt, in eo genere armorum vſurpando, aut præcauen- *ne.*
do. ſic enim vt obſeruat Sidonius Apollinaris in Paneg. aui.

Curſu Herulus, Chunus iaculis, Francuſque natatu, ſocer.
Sauromata Clypeo, Salius pede Falce Gelonus

præ cæteris inſignes fuerunt; & Cyrenæi currus peritiſſimè agitabant; Acarnanes iaculabantur; Thraces commodiſſimè ſe peltis muniebant; Aetoli graſſabantur potius quàm bellum gererent; Romani velut à ſe inuicem diuulſi pugnam adoriebantur; Macedones in Phalangem conglobati hoſtium impetum ſuſtinebant; Colophonij etiam Theſſali, Pœni equeſtris militiæ gloria præcipuè florebant, ita quidem, vt horum fortitudinem mirè commendet Liuius, illos verò Polybius *inſuperabiles* vocet, & Curtius *inui-* lib.26. c.38.
ctam bello manum; de Colophonijs verò Auctor eſt Strabo, quod lib.4.
vbicunque gentium bellum aliquod confici non poterat, illuc lib.3.
aduocati Colophonij equites fortiſſimo ſuo auxilio illud profli- lib.14.
garent, ita vt prouerbium inde manſerit *colophonem alicui rei imponere*, quod idem eſt, ac finem ei afferre. Porro cum eadem ratione iudicandum ſit de varijs recentioris militię modis, & telis, quibus ſingulæ nationes magis afficiuntur; ita de omnibus iſtis paulo infra me dicturum recipio, vt ſi aliquando tibi, Ludouice Comes, copias libero delectu conſcribere operæpretium fuerit, non futilia experiri poſſis quęcumque tibi in hac occaſione ſeruanda præcipiam. Cæterum quoniam hæc, quæ in genere hactenus dicta ſunt, nihil te, aut parum iuuarent, velut extra communem, & hiſce præſertim temporibus vſurpatum bellandi morem ſeiuncta, niſi ad quatuor præcipuas nationes, quarum robore, ac lacertis omnia apud nos bella geruntur me referrem.

Gallos ecce vides, vt ab illis incipiam, quos non tam communis 7
patria mihi, quàm incredibilis virtus, & audacia cęteris omnibus *Nūc vero in*
commendauit; tanto ſemper viuidæ virtutis, & alacris naturæ im- *Gallis.*
petu, in bellicæ laudis facinora incubuiſſe; vt nulla alia gens operoſius vnquam, aut felicius illam excoluerit: nam ſi diſciplinam illorum ſpectes inſtitutionemque, vel ab incunabulis diligenter excultam ad militiæ labores tolerandos, quid illa ſeuerius, quàm

Digitized by Google

Aeneid. 9. ex ipſorum moribus ad Rutulorum gloriam Poeta maximus videtur deriuaſſe?

Durum à ſtirpe genus natos ad flumina primum
Deferimus, ſæuoque gelu duramus, & vndis,
Venatu inuigilant pueri, ſyluaſque fatigant;
Flectere ludus equos, & ſpicula tendere cornu.

ita enim Cæſar, & Ariſtoteles vitam illos inſtituiſſe contendunt, quibus aſſentiũtur Strabo, & Diodorus Siculus, quorum ille Gallos natura potius bellatores quàm Agricolas naſci tradit; hic autem tanto illos æſtuantes bellorum deſiderio repręſentat, vt quoties hoſtis non aderat, quem mactarent, per cædes, & priuata odia, ac latrocinia graſſarentur in amicos: ſi vero graue Martis opus præliorum frequentiâ; & conſuetudine magis domeſticum fieri, atque velut in naturam ipſam tranſire conſideres; ſanè perpetuũ illud apud Gallos fuiſſe fatendũ eſt, nã ante Cæſaris aduentum, ferè quotannis accidebat, vt vel ipſi iniurias inferrent, vel illatas propulſarent; deinde verò quotidianis velitationibus Germanos laceſſebant, & cum à Cæſaris aduentu nunquam poſtea quieuerint, minus adhuc probabile eſt ipſos antea quidem ſegnes, & otioſos vixiſſe: etenim ſi deuictas ab illis gentes, tranſmiſſaſque per totum orbem Gallici nominis colonias, atteta quis animi cogitatione perluſtrare velit, inueniet profecto quod Britannia pręſertim maritima, Hiſpania, Italia, Germania, Illiricũ, Pannonia, Græcia, Macedonia, Aſia denique ipſa Gallorum aliquando, vel armis deuaſtatæ, vel obſequijs, & imperio mancipatæ fuerint; nempe hi

per omnem
Inuecti Europam, quaſi grando Aquilone, vel Auſtro
Importata graui paſſim ſonuere tumultu.
Scit Romanus adhuc, & quam Tarpeia videtis
Arx, attollentem caput illo in monte ſuperbum.
Pannones, Aemathij norunt, ſcit Delphica rupes.
Intrauere Aſiæ fines; prope littora Ponti
In Gentem creuère nouam: quæ tenditur vſque
Ad iuga Pamphilùm, Garamantica ſidera contra,
Inter Cappodoces poſita, & Bithinica regna

ſicque progredienti ab Occaſu in Ortum, qui Geographorũ mos eſt

eſt, vix vlla pars occurrat noſtrorum aliquando vim, aut humanitatem non experta; quemadmodum ex nuperis ſcriptoribus multi, & ille præſertim, qui mores veterum Gallorum ex Cæſare collegit, tam verè demonſtrant; quam Iuſtinus ampliſſimè fatetur, Gallorum ea tempeſtate tantæ fœcunditatis gentem fuiſſe, vt Aſiam omnem, velut examine aliquo impleuerit, nec Reges orientis, ſine mercenario Gallorum exercitu vlla bella confeciſſe, aut regnis ſuis expulſos, ad alios, quã ad Gallos cõfugiſſe: tãtus nempe terror Gallici nominis, ſiue armorum inuicta fœlicitas erat, vt aliter, neque maieſtatem ſuam tutari, neque amiſſam recuperare ſe poſſe, ſine Gallica virtute arbitrarentur. Sed non Orientales modo verum Europæi, & inter hos cæterarum gentiũ victores Romani, tanti ſemper Gallorum fortitudinem, & honoris, ac gloriæ ſitientem animum fecère, vt cum M. Tullius diuerſis nationibus peculiares quaſdam dotes concedat, quibus inter alias præcellant, atque Hiſpanis numerum, quem tamen Vegetius potiori de cauſa Gallis attribuit, quærens *quid aduerſus Gallorum multitudinem paucitas Romana valuiſſet*. Pœnis vero calliditatem, Græcis diſciplinas, & artes, ac Romanis pietatem aſſignet; ſoli demum Gallo robur militare tribuat. qua in diſtributione conſentientem habet Saluſtium, qui vt Græcos facundia, ſic gloria belli Gallos Romanis anteponit; nimirum quia ſicut idem ſubiungit, *Romani ſemper ſtatuerant alia omnia virtute ſua prona eſſe, cum Gallis pro ſalute non de gloria certari*. Quid ita? quoniam vt veriſimile eſt arbitrari, hærebat adhuc illorum animis penitus infixa calamitoſi temporis recordatio, quo fuſis ad Alliam, profligatiſque legionibus, Galli ipſi Romam incenderant, & Capitolium auri mille pondo pretium pacti, obſeſſis Romanorum reliquijs vendiderant. Cuius rei narrationem, etſi Liuius tanquam omnium fœdiſſimam non bona fide repræſentet, dum aſſerit, Deoſque, & homines prohibuiſſe redemptos viuere Romanos, & Camillũ negaſſe eã pactionem ratã eſſe, quæ poſtquam ipſe Dictator creatus fuerat, iniuſſu ſuo ab inferiori Magiſtratu facta eſſet, licet etiam non minimum ei ſuffragentur Plutarchus in Camilli vita, & Sulpitia Caleni vxor, quæ de hac Gallorum fuga non diuerſum à Liuio cenſuit in duobus hiſce verſiculis

lib. 24 · lib. 1. cap. 1. · in Catilin. · lib. 5. · in Satyr.

Nunc Capitolino veluti turbante Camillo

Enſi-

Digitized by Google

Enſibus, & trutina Galli fugère relicta.

miror tamen, qui fieri poſſit, vt hiſtoria tam inſignis, non aliter omnino ſe habeat; cum Iuſtinus in Epitome commentariorum Trogi Pompei non victam ſolum dicat Romam à Gallis, ſed etiam captam; ita vt vnius tantum montis cacumen illis relinqueretur, *nec bello hoſtem, ſed pretio remotum*; & Suetonius, cui planè eſt incertum plus ne debeat eloquentia, an hiſtoria, Druſum narret, cũ pro Prętore Prouinciam Galliam teneret *retuliſſe aurum Senonibus olim in obſidione Capitolij datum, nec vt fama eſt extortum à Camillo.* quo etiam videtur mihi referendus locus ille ex Themiſtij oratione de pace ad Valentem Imperatorem οὐδεὶς εἶδε χρυσίον ἀπαριθμούμενον τοῖς βαρβάροις, *nemo vidit aurum Barbaris adnumeratum*: loquitur enim ibi de varijs pacis conditionibus, quas olim Romani cum diuerſis populis non ſatis honeſtè pepigerant; ſed quid tandem de hac controuerſia ſtatui debeat, viderint alij, quos non amor Patriæ, non fouendæ litis iam antea quidem à maioribus inſtitutæ ſtudium, nec ſuſcepta hic de Gallorum robore militari tractatio, ab eius componendæ officio remouent. mihi verò ſat eſt quocunque tandem modo res ipſa ceciderit, Romam Vrbem illam præclariſſimam, &

in Tiberio cap. 3.

Qua nihil in terris complectitur altius æther

Gallorum inuicto robore diu ſtetiſſe in Lance pendulam, & non ſecus ſorti creditam fuiſſe, quàm apud Homerũ Iupiter fata Græcorũ, & Troianorum in monte Ida libræ geminæ lancis cõmiſit: ex hoc enim caſu neminem eſſe autumo, qui non facilè poſtea conijciat, cur demum Romæ cautum fuit, ne quoties Galli tumultum intuliſſent, ſacerdotibus, ſenibusue ab armis vacatio eſſet; cur etiam Lucanus cum de Arimino, & alijs Ciſalpinæ Galliæ Ciuitatibus loqueretur, exclamationem hanc, velut ex intimo pectore traxerit,

lib. 1.

O male vicinis hæc mœnia condita Gallis!

& quod denique ab illis deducitur, cur Cicero, & Agrippa tot laudibus Cæſarem ornarint, ob gentes illas ab eo domitas, & repreſſas, quarum impetus Romani ſuſtinere vix poſſent, laceſſere profectò non auderent, verum priuſquam oſtendamus Martium hunc vigorem, ſpe nuſquam dubia, aut fallente, in ipſorum poſteros fuiſſe transfuſum; operæpretium eſt vno, eodémque orationis

tionis ductu obicem alium amoliri, quem idemmet Titus Liuius velut Remoram quandam ad alia pleno curſu feſtinantibus inijcit, tam audacter quidem, & ambitioſè, vt qui rem penitiſsimè inſpicit, de latente quadam in eius ſcriptis, occultaque malitia continuo ſubdubitet; quemadmodum facere contigit Henrico Glareano, qui prout erat homo perquam eruditus in humanioribus literis, & quod præſertim Heluetium decebat minimè malus, non ſemel conqueſtus eſt, Gallorum gentem omni ætate illuſtrem, & bellicoſam, durè nimis, atque odioſè ab hoc Auctore pertractari; nam præter Hiſtoriam redemptæ Ciuitatis, cuius fidem ſic eleuat, vt Gallos etiam aſpergat infamià, varijs præterea in locis adeo frequenter illos mollitiei, & imbecillitatis inſimulat, vt nihil ſit videre apud ipſum frequentius. Sanè cùm Cæſarem vidiſſet dum eximiam animi magnitudinem Gallis attribuit, mollitiem etiam penè contrariam eis obijcere, iſtud tam inſolenter arripuit, vt locis omnibus Gallos noua perpetuò aliqua huius generis contumelia perſequatur, ſic enim de Gallis Togatis lib. v. *Gallica gens humori, ac frigori aſſueta pulueris, & æſtus intolerantiſſima*; & decimo. *Gallorum corpora intolerantiſſima laboris, atque æſtus fluere, primaque eorum prœlia pluſquam virorum, poſtrema minus quam fœminarum*: quod item repetit varijs in locis librorũ conſequentium, eadem fermè ſemper ſententia, quanquam diuerſis aliquando verbis; quibus occaſionem poſtea fecit Tacito, & alijs, vt quod Septentrionalibus populis commune fuit, in Gẽtis tantum vnius contumeliam pertraherent. Certum eſt enim Septentrionales omnes propter humorem copioſum, quo præ cæteris auſtralibus, & obuerſis ad Orientem populis luxuriant, quoties ad Auſtrum iter faciunt, aut in calidis regionibus bella gerunt, ſudoribus diffluere, & languore ſupra modum confici; quod Cymbrorum exemplo Plutarchus confirmauit, vbi fluxa eorum corpora caloribus ſolui conſueuiſſe ſcribit, ideoque contigiſſe vt cum magnitudine corporum, ac legionum multitudine, Romanos primum terruiſſent, ſubinde tamen ingenti clade ſuorum, & duplici Romanorum victoria fuſi ſint, ac proſtrati: Cui ſimiliter congruit quod Agathias de Germanis, & Crantzius de Scandis ſcribunt illos nimirum, non ita promptè volenteſque per æſtatem bella inferre, ac per Hyemem, tunc enim eſſe præualidos, & labo- in Mario.

laboribus ſeſe ardenter ingerere, vt qui frigoribus inſueuerint, ac gelida præcipuè loca incolant; quod etiam de Gallis non iniuriâ dici poſſet cũ Claudianus *Galliam niue ferocem* appellet, & Petronio *Gallica nix* pro re frigidiſſima vſurpetur, ac demũ Diodorus aſſerat, *glaciem gallicam eſſe tam robuſtã, & contumacem, vt flumina congelata ſint peruia totis exercitibus cum curribus*, & ea de cauſa contingit, vt Germani, ac Galli, cùm Romam, aut Neapolim, quæ pars Italiæ maximè auſtralis eſt proficiſcuntur, vix incolumitatem, ac ſalutem, ſine multa ſolicitudine tueri poſſint. vt minus propterea mirum ſit, quod ex quatuor Germanorum legionibus, quæ Romam Borbonio Duce nefandis cladibus compleuerant, vix anno vertente dimidia tantùm ſuperſtes in Germaniam redierit, tametſi nullam omnino præter, quàm à *telis Apollinis, qui Sol æſtimatur*, ſi cum Ammiano loqui volumus, ſeu ab aere feruidiori, & crapula, quę ad Auſtrum maximè lethalis eſt, offenſionem accepiſſent. certè Goffridus Abbas Vindocinenſis, qui ab Vrbano Secundo purpuratorum Antiſtitum Collegio

epiſt. 13. lib. 1. aſcriptus eſt, his verbis ad Calixtum ſcribens, veniam deprecatur, quod Romam venire non potuerit, *nunc vtique veniſſem, ſed ſocietatem non potui inuenire ſecuram, & mortiferos Italiæ calores timebam, baiulare quidem crucem Chriſtus iubet, non quærere ſepulturam*. Scilicet reducebat ſibi in mentem verſus illos Lucretij.

lib. 6. *Nonne vides Cœli nouitate, & aquarum.*
Tentari, procul à patria quicunque domoque.
Aduenïunt.

Quamquam diuerſa longè ſit auſtralium ratio, qui vegetiores euadunt in regione frigida, Mauri enim, & Arabes in Hiſpaniam profecti, ac Africani in Italiam, clariſſimas de fortiſſimis gentibus victorias retulerunt. nec verò Homines tantùm ſed Bruta quoque ipſa varietas Mundi regionum, & cardinum vehemêter afficit, & inmutat; cùm in gregibus, & armentis obſeruatu facillimum ſit, illa quæ ad Auſtrum aguntur, lactis copiam amittere, ac paulatim tabeſcere, contra quàm accidat iis quæ ad Aquilonem iter faciunt, & aues ipſæ cum ſpirantibus auſtris fatali quadam ignauia confectæ, iaceant in nidis elangues, vegetiores ſtatim ab Aquilonijs flatibus, & alacriores exiliunt; quæ cunctaſi ad Gallorum mores retuliſſent, qui cum Liuio cæteriſque Romanæ hiſto-

hiſtoriæ ſcriptoribus, laſſitudinem in eis, molleſque vbi ira conſedit animos, & ſitis, atque pulueris impatiētes culpant; cōducibilius vt exiſtimo, ſibi credidiſsēt, ab iſtiuſce generis cōtumeliā prorſus temperare, quā propriæ regionis inclementiam turpiter vna accuſare, & prodere: quæ ſane tanta eſt, vt conſuetis illam perferre non admodū cōmoda ſit, & ſalubris, cæteros vero quamquā robuſtiſſimos, ſi minimū in victu aberrarint: cōtinuò proſternat. atque his rationibus Titi Liuij petulantiā cōuenienter retundi poſſe arbitror; præter quas nonnullorum adhuc cogitationes mihi valde probantur, qui à natura & ſtirpe Gallicæ gentis, promptum illum atque alacrem animum ad bella ſuſcipienda, prouenire contendunt, mollitem vero, è diſciplinæ militaris inſolentia, cuius neglectus, & ignoratio, cùm Tyrones tantùm afficiat, non autem Veteranos milites, quos labores conſtanter ferre, & reſiſtere periculis conſuetudo ipſa, & vſus docent; hinc fit vt ad omnes Gallorum copias, ſimilis calumnia non pertineat, ſed ad illas tantummodo, quæ coniuratione potius quam legitima militia, vel euocatione coactæ, hominū colluuiē ineptorum, ad ſubita pericula, vel coloniarum deductionē pertrahebant; in reliquis enim ſpecimen inerat generoſæ illius indolis, quā Iulianus Imperator Coſtantiū laudans his verbis expreſſit, elegāter admodū latinè redditis à doctiſſimo Petauio *quippe pudebat ipſos fugiētes videri, vt quod mortalibus omnibus incredibile videretur, id in ſeipſis cōtigiſſe mōſtrarent militē ſcilicet Germanū, Gallumque militē hoſtibus terga vertiſſe.* στρατιώτην Κελτὸν, στρατιώτην ἐκ Γαλατίας τὰ νῶτα τοῖς πολεμίοις δείξαντα. Hic autem honoris, & gloriæ appetens animus, continuatione facinorum, ſic in eorum poſteros defluxit, vt nunc etiam in illis ad inuidiam vſque vigere conſpiciatur. Ecquid enim in antiquioribus illis deſideres, quod in his primo ſtatim aſpectu, & cumulatè quidem non reperias, nullis mortalibus; inquit elegantiſſimus animorum pictor Ioannes Barclaius, indoles ad ſpeciem virilis elegantiæ magis facta, oris intrepidi habitus, motuſque, atque geſtus, qui totum corpus decent; gens ipſa armis ſtrenua, ſed equeſtri certamine melior, ignara perfidiæ, indomitæ intra ſe molis, & vbi in exteros exundat, non ſtatim impetus ſui oblita, quod inquit ille, ſed tum demum poſtquam fortia quæque, & obuia proſtrauit, fulminis inſtar elan-

gueſcit, & in ſe moritur. vitę autem contemptus, quo vno reliquę militum virtutes continentur, tantus apud illos, vt ne quidem apud Indos, aut veteres ipſoſmet Gallos, maior vnquam eſſe potuerit; quod equidem eo confidentius apud te dico, Ludouice Comes, quia inter illos cum ageres, in Comitatu Eminentiſſimi tui Patrui, qui Bruxellis Lutetiam conceſſit, & Vtrobique Legationis apoſtolicæ munere, ſumma fide & prudentia functus eſt, multos illorum non ſemel videris, qui viuida virtute, ne dicam impetu, & cæca, ac furente audacia, fatorum violentiam in ſuum caput laceſſere non dubitant; & etiam ſi martium illum vigorem ac pugnacem animum minimè præſens obſeruaſſes, locupletiſſimos tamen huiuſce, teſtes laudare poſſem quāplures Italos, inter quos vnus omnino Babtiſta Mātuanus, omniū feliciſſimè mihi videtur eorū naturā, & mores delineaſſe, & ſi ne ab orbita diſcedam bellicos tātū ex eius Dionyſio, mihi in pręſētia laudare cōſtiutū ſit.

Seruire, iugumque
Ferre negant, fugiunt figmenta, & Hypocriſim, ore
Liberi, vt ingenis mos eſt, tetricoſque peroſi;
Venatu, aucupio, campos, montana, lacuſque
Sollicitant, bellandi vſu lætantur, equorum
Terga fatigantes; loricæ, haſtilia, & arcus
Deliciæ genti; ſub dio ad ſidera ſomnum
Carpere, fuſcari Sole, & ferrugine pulchrum eſt;
Puluere conſpergi, grauibus ſudare ſub armis,
Pro patria, pro cognatis, pro Regibus ire
In pugnam, & gladios, & morti, occumbre dulce eſt.

Iam vero ſi bella narrare vellem quæ geſſerunt, ab imperio ſub Regibus conſtituto; ſi prouincias, & regna recenſere, quæ ſubegerunt; ſi varios euentus explicare, quos dubio Marte ſunt experti; profecto infinitum quid aggrederer; nec minus forſan tibi lectione, quàm mihi ſcriptione moleſtum. Breuiter dico, ſi res per ſe quidē ampliſſima ex illorum relatione poteſt intelligi qui melius quā cæteri magnitudinē eius, & pręſtantiā percipere conſueuerunt; Gallorum certè virtus, & gloria militaris infinita ſit oportet, quæ non hiſtoricorum modo calamum in ſui laudationem pertrahere potuit, ſed maximos quoque totius orbis principes, in ſui conuertit admirationem: atque vt ex bellis quæ pro re-

li-

Digitized by Google

ligione geſſerunt quid de cæteris conijciendum ſit explicem; memini me Franciſci Philelphi literas quandoque legiſſe, in quibus ſic libere vagatur per Gallorum laudes, & egregia facinora quæ præſertim in bellis aduerſus Barbaros, & profanos homines ediderunt, vt tandem ita conc'udat *poſtquam impia, & immanis illa ſceleratiſſima Mahumeti ſecta inualuit, nullum eſt hominum genus, cui plus debeat* Chriſtianorum *Religio, quàm inuicta Francorum nobiliſſimaq; virtuti*. Nempe ſciebat optimè vir prudentiſſimus; & qui omnis literaturæ melioris, etiam ſupra ſœculi ſui fatum, callentiſſimus extitit, Gregorium nonum Pontificem Maximum, talem iam antea de Gallorum inuicto robore opinionem concepiſſe, quo ruentem in præceps religionem ſufflaminarè armis ſœpiſſimè conati ſunt, vt *Regnum* Galliæ *quaſi pharetram eſſe dixerit, quàm* Chriſtus *ſibi circa femur accinxit, ex qua ſagittas electas trahens, ipſas vt ſibi gentes, & regna ſubijciat, in arcu*, ita enim loquitur, *brachij potentis emittit*. Et hac de cauſa, Pius ſecundus Pontifex item Chriſtianorum ſummus, Muhamerem Turcarum Imperatorem, eo quidem ſenſu ad Memphiticum ſultanum ſcripſiſſe auctor eſt, S*i pax tibi eſt cum* Gallico *ſanguine, bellum cum noſtra expecta*. Adeo ſcilicet terrori fuerunt ſuperbiſſimo Principi, noſtrorum arma, vt ne quidem Aegyptios cum illis conuenire æquo ſatis animo ferre potuerit. Verum quid opus eſt in aliorum principum mentem, dictaque inquirere, poſtquam Zenocares qui vitam Caroli quinti tam minutè conſectatus eſt, vt plerumque etiam multa ſuperſtitioſè admiſceat, fidem ſuam interponit, eundem Imperatorem, *præ cæteris Regibus* Chriſtianis *vnum Galliæ Regem plurimi ſemper in animo feciſſe; quem ſi poſſet ad ſocietatem belli Turcici fœderibus ſemel pertrahere, ſummam, & vltimam ſe Reipublicæ operam illam nauaturum eſſe, dicebat*. Quę quidem verba cum alijs quæ apud Zenocarem ſequuntur, licet ab eo dicta ſint, quo bellorum occaſiones, à Principe quem ornandũ ſuceperat, in alium deriuaret, totieſq; interrupti fœderis inuidiã, vni tantũ Franciſco Regi conflaret, nemini tamen dubiũ eſſe poteſt, quin valde illuſtria ſint, & honorifica Gallorum nationi; quæ per ſe alacritatis, & fiduciæ plena, mirumque in modum dedita Regibus ſuis, quibus diuinum quemdam vigorem ineſſe perſuaſum habet, ipſos ex more gentis in prœlia ruentes animo-

Epiſt. ad Carol. 9.

Digitized by Google

ſe conſequitur, nec ijs ductoribus quicquam ſibi arduum aut difficile exiſtimat.

8. *Germanis.* Gallorum autem naturæ adeo bellè cum Germanorum inſtitutis conuenit, vt præter nomen quod Suidas vtriſque commune fuiſſe dicit, Γερμανικὸς ὁ Φερέζρας λέγεται: οἱ Γερμανοὶ, Κελτοὶ λέγονται; mores etiam vtriuſque nationis, Iulius Cæſar ſibi comparandos eſſe duxerit; & Strabo cùm Germanos à Romanis propter iſtam morum ſimilitudinem videret appellatos, tanquam *veros Gallorum fratres*, Gallorum idcirco veterum mores, à Germanis ferè repetitos aſſeruerit: quæ profectò cauſa eſt, vt abſoluta de Gallorum virtute militari tractatione, ad eam quæ Germanorum quoque propria fuit aditum mihi faciam; hanc vero ſi valde præclaram, & eximiam fuiſſe dixerim nihil equidem mentiar, aut quicquã illis præter meritum affingã; Nemo enim, ſcribit Tacitus, cum Germanis bellum geſſit, quem non pœnituerit, quique non plus ex illo iacturę quã cõmodi, acceperit; vnde apud illorũ vicinos eiuſmodi prouerbia iactabãtur, qui vult infœliciter pugnare, Germanos adoriatur; qui verberibus laniari non timet, cum Germanis contendat; & vero quid aliud ſperari poterat à gente, ſic armorum tractationi aſſueta, vt ferreos artus habere, vel ſaltem pro pelle Thoracem à natura accepiſſe videri poſſit. Nam præterquam Deorum ſtatuas niſi armatorum nullas colebant Germani, & cœtus ipſos, ac conſilia, non niſi armati inibant; quoties inſuper laxabant curis animos, & ſpectacula, vel ludos adibant, non cantibus, aut Choreis animum effœminare, ſed certis conditiſque ſaltibus inter gladiorum, & framearum varias diſpoſitiones, illum incitare ſolebant; & quod magis ſtupeas, quoties vxorem ducebant, vt incipientis matrimonij auſpicijs illam admonerent venire ſe laborum, periculorumque ſociam, idemque cum viro in pace, idem in prælio paſſuram; non illi pro dote, quàm apud illos non vxor Marito, ſed Maritus vxori afferebat, ſignatam pecuniam numerabant, non mundum muliebrem ſpeculo, gemmis, inauribus, armillis, vento textili ſeu Cois veſtibus, aut interulis follicantibus pretioſe adornatam, tranſmittebant, nec innumera alia ad humanitatem, & delitias compoſita; ſed Boues, & frenatum equum, & ſcutum cum framea, gladioque. Nimirum hæc arcana ſacra, hos coniugales

deos

Digitized by Google

deos arbitrabantur, & qui nihil vnquam neque publicæ, neque priuatæ rei, niſi armati faciebant, ſi Tacito fides adhibenda, nolebant quoque ad iſtud negotium, quod in vita grauiſſimum eſt, & quo maximè Regnorum æternitati conſulitur, inermes accedere; belle igitur Seneca in hanc rem, *Germanis quid eſt animo ſius? quid ad incurſum acrius? quid armorum cupidius? quibus innaſcuntur, innutriunturque: quorum vnica illis cura eſt, in alia negligentibus: Quid induratius ad omnem patientiam? vt quibus magna ex parte non tegumenta corporum prouiſa ſunt, non ſuffugium aduerſus, perpetuum cœli rigorem*. Ex quo mirum videri non debet, ſi Regio illa quàm incolebant, nunquam à Romanis exactè cognita, ſed vix dum poſt ducentos & decem annos ſubacta fuerit; breui ſcilicet tempore Græciam, Aſiam, Macedoniam, Aegyptum aliaque regna ſubegiſſe fortunæ Romanorum fuerat: quæ maximas rerum inclinationes momento peragit; Germanos vero deuincere opus fuit virtutis, & negotium longiſſimo tempore, laboribus improbis, & plurimo fuſi ſanguinis diſpendio conficiendum; adeo nempè illis ad libertatem acres impetus natura indiderat, vt totus orbis antea ſub iugum mitti debuerit, quàm Germania domaretur; nec abſque de cauſa Imperatores Romani, vix vnquam tanti duxerunt ſe Parthicos, Perſicos, Armenicos, Pios, Felices, Patres patriæ nominare quàm Germanicos; cum Ciceronis dictum de Romanis, locum etiam obtinere apud Germanos, proprijs continuò damnis edocti faterentur; *Nationes* ſcilicet *alias ſeruitutem pati poſſe, Germanorum vero proprium eſſe, ſuis ſe gubernare, & regere arbitrijs*. Quod illos etiam hodierna die facere, nemo vt arbitror inficias ibit, qui attente in illorum mores, & preſentem Imperij ſtatum aſpiciet: cum in ipſo validiſſimæ partes tanquam è ſuo corpore exciſæ, in diuerſos motus, animoſque ipſa dominantium varietate, numeroque trahantur; & quod rem ita ſe habere planè conficit, imitatæ Procerum morem multæ Ciuitates, ſe quoque velut in ſingulares Reſpublicas colligant, leges ſibi ſtatuunt, Magiſtratus præficiunt, ac ne quis exiſtimet illas ab antiquo receſſiſſe officio, plures etiam fœderibus inter ſe conueniunt, pro aſſerenda libertate. Verum quicquid tandem de Imperio, & eius adminiſtratione ſtatuendũ ſit, certe de virtute militari, & conſtantia, atque fortitudine du-

bitari non poteſt, quin eximia ſit, & prorſus laudabilis; vt merito Aeneas Siluius qui poſtea ſupremę dignitatis titulos adeptus, Pij ſecundi nomine magis innotuit, ita eos compellare non veritus, ſit in epiſtola de rebus Turcicis. *Mihi ſeu noua conſideranti, ſeu*
epiſt. 131. *vetera mente repetenti, inter omnes nationes quas bello idoneas iudicant, nulla fortior, nulla peritior, nulla audentior quam veſtra, ô Germani, videtur. Vobis homines, vobis equi, vobis arma, vobis pecuniæ ſunt; & vbi obſecro tot clariſſimi principes, tot generoſi proceres, tot fortiſſimi equites, tot potentes Ciuitates, tot diuitiæ, tot auri, tot argenti, tot ferri mineræ; vbi tanta populi multitudo, tanta iuuentus, tantum animi, tantum roboris?* præclarum certè elogium, & eo magis quod ab homine italo, & optimo prolatum; imo etiam confirmatum experientia quam oculis quotidie vſurpamus, nullus ſiquidem Germano pedite in ſtataria pugna melior habetur; nulla Phalanx turbulenti prælij diſcrimen, & procellas animoſius ſuſtinet quàm Germanica, in nullis denique ſpes maior, aut certior cùm deciſę ſunt res, & afflictæ quàm in Germanis militibus; qui ſi non fallit Beroaldi pictura.

in elegia de Land. b. Ger.

Glaucis oculis, comaque flaua,
Grandes corpore, ſpiritu feroces,
Septi robore, prodigique vitæ
Hoſtes aggrediuntur, & laceſſunt

eoque ſenſim concepta de illorum virtute opinio ſe in hominum animos vſque inſinuauit, vt nullus ſit hodie princeps Chriſtianus, nulla Reſpublica quæ illorum copijs deſtituta, bellum aggredi non reformidet. Et Heluetiorum præſertim tanta eſt inter ſubſidiarios milites authoritas, vt quod primum teſte Comineo fieri
lib. 2. cœpit in bello ſociali principum aduerſus Regem Ludouicum vndecimum, quo quingenti Heluetij Ioannem Calabriæ ducem primi ſuæ gentis in Galliam ſecuti ſunt, etiamnum hodie iſtud perduret, apud potentiſſimos alios Reges & populos, à quibus magnis ſtipendijs euocati, pretium virtuti ſuæ faciunt ex aliorum ignauia, & bellorum euentus in quamcunque partem ſtudio partium inclinarint non raro conuertunt; itaut in illos optime quadrent verſus illi poetæ facundiſſimi

Claudianus.

Illi terribiles quibus otia vendere ſemper
Mos erat, & requiem, & fœdus mercede paciſci.

&

& equidem penitus mihi in Germanorum naturam moreſque intuenti, videntur hi omnes ſpeciem quandã obtinere militaribus dignam officijs; roburque corporis valde idoneum armorum geſtationi, & prægrandibus gladijs rotandis quibus ſe terribiles hoſtibus præbent: quandoquidem Gallos de quibus Cæſar dicebat *plerumque omnibus Gallis, præ magnitudine corporum ſuorum breuitas noſtra contemptui eſt*, auguſta ſpecie, & amplitudine non modo æquant; ſed ſuperant; ita vt Iſidorus à prægrandi corpore Germanos nomen ſortitos arbitretur, & Vegetius eorum proceritatem, ac Germanicus apud Tacitum, corpus viſu toruum celebrent; indeque Manilius non ſatis habuit dicere. annal. 1.

Flaua per ingentes ſurgit Germania partus. lib. 4.

Sed vt rem poetico more, & cum admiratione audientium referret, addidit.

Et ſtupefacta ſuos inter Germania partus

quemadmodũ ante me vidit, & notauit erudiſſimus Stevvechius in notis ſuis ad Vegetium. Hoc autem & ſi Manardus, ac alij ſanioris iudicij homines, Septentrionalibus omnibus tribuant, vix alio quam Cereuiſiæ potu vtentibus, à quo formam illorum, & ſalubritatem, ac roboris præſtantiam fere contingere autumant, verior tamen mihi videtur aliorum ſententia, qui totum id intemperiem ac ſitum regionis referunt, in qua frigus externum calorem ad intimos coporum aditus cogit, efficitque vt humorem quoquo verſum extendat, & dilatet; vnde Vegetius Concludit quod *Septentrionales populi, remoti à Solis ardoribus inconſultiores quidem, ſed tamen largo ſanguine redundantes, ſunt ad bella promptiſſimi*, quæ fuit etiam Vitruuij ſententia, *ſub ſeptentrionibus*, inquit, *nutriuntur gentes immanibus corporibus, candidis coloribus, directo capillo, & rufo, caſijs oculis, ſanguine multo: qui autem ſunt ad axẽ meridianum breuioribus corporibus, colore fuſco, criſpo capillo, nigris oculis, cruribus inualidis sãguine exiguo, Solis impetu perficiuntur*. Sed neque illis etiam deeſt animus ferox, impatiens, & ſæuus qui molem illam corporis in aduerſarios, & vulnera cùm opus eſt impellat; nam pręterquam natura crudeles ſunt & truculenti, ita vt referente Tacito occidere ſoleant non diſciplina, & ſeueritate, ſed impetu ac ira, vt inimicũ; atq; ab illis profectum ſit, octoginta ab hinc annos in Galliam diriſſimi exempli

in epiſtolis. cap. 2. lib. 1. lib. 6. cap. 1. lib. de morib. Germanor.

ſupplicium, quo in latrones viarum inſeſſores animaduertunt, rotarum radijs incuſſis membra diffringendo, quodque lentæ mortis ludibrio ſi quod aliud, vel maximè infame eſt; ferociores inſuper exiſtunt, ac validiores ex longa bellorum conſuetudine, ita vt cum nullum ferme in Europa conficiatur, abſque Heluetiorum præſertim auxiliaribus copijs, concludere hinc merito liceat illos fide, ac pugnandi conſtantia, & ordine nullis alijs militibus eſſe inferiores. Sic enim videmus eos qui in extremis cuiuſque imperij finibus poſiti ſunt, cæteris qui intimos Prouinciarum receſſus occupant, magis audaces eſſe, & in armis exercitatos, quia fere ſemper de finibus, aut de gregibus, & armentis inter finitimos certatur, qui vero bello aſſueſcunt animoſiores, & fortiores euadunt, vt qui pacem, & otium colunt mitiores ſunt & humaniores. & eadem de cauſa fit, vt multę gentes quæ in otio & quiete vixerant bellicam fortitudinem in ipſis bellorum anguſtijs, dum frequenter in illis verſantur acquirant; vt Macedonibus contigit quibus dum aſſiduum certamen cum Illyrijs, & Thracibus eſſet, veluti quotidiano exercitio indurati, gloria bellicæ laudis finitimos poſtea facile terruerunt; ſic Athenienſes agreſtes primùm, & armorum rudes nemo euexit, quàm qui oppreſſum eos venerat Perſarum armis; & Ligures ſubalpinos, aduerſus quos Paulus Aemilius expeditionem ſuſcipere coactus fuit, Romani crebris prælijs artem bellicam docuerunt: vt propterea ſapienter Lycurgus prohibuerit aduerſus eoſdem ſœpius militare, ne aſſueti iniurias repellere, bellicoſi tandem euaderent: quæ omnia cùm perbelle Germanis conueniant, quos in medio bellicoſiſſimarum nationum conſtitutos, perpetuus hoſtis externus, & ſi ille quandoque ceſſat, domeſticus etiam, & familiaris ſubinde laceſſit, non eſt profecto quamobrem quis miretur, ſi tantopere bellis inclaruerint, edictoque apud ipſos cautum ſit, vt domi, foriſque arma habere, & ferrum geſtare quiſque poſſit; ſic enim nati, ſic educati ſunt, vt prius ſibi vitam quàm arma de manibus extorqueri patiantur.

9. *Hiſpanis.* His autem proximè accedunt non minus antiquę laudis æmulatione, quàm Imperij, & fœderum ſocietate coniuncti Hiſpani, robuſtum hominum genus, laboriſque illius patientiſſimum, non quo arua coli ſolent, aut artificia procurari, ſed qui maximè eſt

ad

Digitized by Google

ad bella idoneus; in quibus, ita ſe per omnes fortitudinis gradus ab antiquiſſima memoria exercuerunt, vt miro tuendæ libertatis deſiderio, & ad extrema, penituſque ſtupenda ferocitatis exẽpla compulſi, à nullis hoſtibus, ſed à ſeipſis tantum ſuperari potuerint. Hinc ad Romanas olim partes obſtinata Saguntus, excidio ſuo, & mutuæ cædis exemplo clara. Hinc Numantia fama ſua minor, quę quatuor Hiſpanorum millibus propugnata, ſupra decennium illud Troię fabuloſum, exercitum ſuſtinuiſſe traditur, quadraginta millium non Perſarum, aut Aſianorum, ſed fortiſſimorum militum quos tunc haberet Reſpublica Romana, quorum, & ſui ipſius ad extremum victrix illa fuit; cum vrbe expugnata, nullus tamen vir Numantinus in catenis duceretur, præda nulla, & triumphus tantum eſſet de nomine. Hinc Luſitania repentinis viribus, & cogi, ſoluique facilibus Viriatum ſuum ſuccingens; & acerrimorum militum natio ad Sertorij diſciplinam fide, & moribus prona, ipſumque cum Pompeio Metellum fatigans. Hinc etiam Cantaber Auguſti fortunà cui totus orbis debebatur, non Romani Imperij potentià ſub Iugum miſſus, idque tam tardè, & difficulter vt Horatius dixerit ode 6. lib. 2.

Cantabrum indoctum Iuga ferre noſtra.

& alibi quoque

Cantaber ſera domitus Catena.

Hinc denique Hiſpania ipſa omni alia terrarum parte bello reparando aptior olim exiſtimata, partim quidem locorum, partim vero hominum etiam ingenijs: quæ omnia & ſi per ſe magna quidem ſint, & illuſtria priſcæ virtutis, ac innatæ fortitudinis decora, longè tamen hæc ipſa pulchrius enitent, cùm à Velleio lib. 2. non ſine aliqua etiam amplificatione referuntur, *per ducentos annos, inquit ille, in Hiſpanijs multo mutuoque, ita certatum eſt ſanguine, vt amiſſis P.R. Imperatoribus exercitibuſque ſæpe contumelia, nonnumquam etiam periculum Romano inferretur imperio. Illa enim Prouinciæ Scipiones; illa contumelioſo decem annorum bello ſub duce Viriato maiores noſtros exercerunt, illa terrore Numantini belli Pop. Rom. concuſſerunt; in illis turpe Q. Pompei fœdus, turpiuſque Mancini, Senatus cum ignominia dediti Imperatoris reſcidit: illa tot Conſulares, tot Pratorios abſumpſit duces; patrumque ætate in tantum Sertorium armis extulit, vt per quinquennium diudicari*

non

non potuerit, Hiſpanis Romaniſue in armis plus eſſet roboris, & vter populus alteri pariturus foret. Succeſſere demum Gothi, Vandalique, à quibus Romanorum cataſtis exempti Hiſpani, mox in fulmen illud inciderunt, quod excuſſum è Mauritiana, per ſeptingentos, & amplius annos, cędibus, ac incendijs Hiſpaniam fermè omnem peſſimè compleuit: Cantabris interim quibus

Silius Italic. lib 3.

Omnis in armis
Lucis cauſa ſita eſt: damnatum viuere paci.

tam prefractę virtutis, atque audaciæ animum, in varia iſta rerum conuerſione retinentibus, vt quemadmodum tardius in ditionem Romanorum venerant, ita nouiſſimè ſemper ab ea deficerent, nec quidem tunc cum Sarraceni Roderico rege Gothorum cęſo Hiſpaniam occupantes, mox in Galliam per Pyrenem confidenter tranſmiſère; vnde quemadmodum notauit Stephanus Forcatulus à Sarracenis ipſis, voce punica *Byſcaini* appellari cœpere, id eſt *proterui, & rebelles*. Sed non Cantabris modò conceſſum fuit in turbatis illis, & difficillimis temporibus, præclaræ ſuæ virtutis ſpecimen aliquod edere; cum reliqui etiam Hiſpani, tot egregijs facinoribus innotuerint ad famam, vt nuſquam in Hiſpania meſſis gloriæ fuerit vberrior, aut præſtantior; atque vt vnum ex infinitis referam, quo in omni temporum hiſtoria nullum, aut fortius, aut laudabilius poſſe reperiri exiſtimo; Curam tuendæ Vrbis *Tartſſe*, quæ veterum *Tarteſſus* eſt ſiue *Carteia*, receperat in ſe Alfonſus Pereſius Guſmanus, & res ex voto ſuccedebat ob ducis, ac militum præſtantiam; cùm Alfonſi vnicus filius à Mauris interceptus, qui illi niſi oppidum ſtatim reciperent, fœdam, ac certiſſimam mortem comminabantur, omnium obſeſſorum animos fregit, attonitoſque fecit metu proximi periculi; ſed pater nihil eo territus, conſtanter reſpondit, *Si vel centum filios Mauri in poteſtate haberent, non ideo ſe à fide, & honeſto abiturum*: & ſi *tanta*, inquit, ad hoſtes, *vobis libido iugulandi eſt, en gladium*, & cum dicto ſuum è mœnibus proiecit, atque inde domum reuerſus eſt, à qua ſubinde reuocatus militum eiulatu, qui filium barbara crudelitate ipſomet patris gladio confodi viderant, en inquit, *hoc erat? credebam vrbem ab hoſtibus fuiſſe interceptam*, & ſic pari tranquillitate ad prandium, & vxorem redijt, eaque inuicta animi magnitudine, & conſtantia hoſtes compulit,

de Gallor. imper. lib 3.

pulit, vt nihil vlterius tentantes diſcederent. Verùm ſucceſſere tandem Ferdinandus, & Iſabella, qui fractos iam antea multorum Regum victorijs Mauros, & Arabas, vltimumque communibus armis deuictos, ſuę Africæ reddiderunt. Atque iſta fuit ſumma, valdeque memorabilis rerum in Hiſpania commutatio; qua ſenſim coeuntibus in vnū tot regnis; quæ partim ingruentes Mauri, partim etiam Principes ęmuli velut à proprio corpore diuulſerant; creuit quoque cum fortuna Hiſpanorum animus, & eos progreſſus fecit, qui nunquam deſinent illorum opes, & vires, & vota cum reliquorū principum virtute, & potentia committere; quo euentu incertum adhuc eſt, cùm Gens hæc facta præ cæteris eſſe videatur ad peruigilium, ſitim, inediam, duraque omnia perferenda, & omnino ad militaris diſciplinę obſequium, ita vt quod olim de ipſis dicebat Tullius *Ceſar exercitū inuictum ex* Hiſpanis *militibus conduxit*, hac quoque tempeſtate vſurpari merito poſſet, qua non minus quàm priori, & antiquiori illa, ad quidlibet arduum, & difficile au[illegible]endū tolerandumque, ſtudio laudis, & gloriæ concitantur. Deinde vero illorum pertinax, & ab exu[illegible]ta b[illegible]le conſtantior animus, præcipuæ virtutis partem credit diffuſos in patriæ magnitudinem conatus nulla vi, aut metu cohibere; quare dum fortiter obnitendo, aut laceſſendo, bella cum finitimis miſcent, occaſionem ſaltem conſequuntur, maioris indies virtutis, & experientiæ militaris per continuos eiuſmodi motus acquirendæ. de Aruſpic. reſponſ.

Superſunt igitur Itali de quorū antiqua virtute quid ego loquar quod non ſit infra eorum meritum? ſanè gloriam illam, quæ tam longè ſe diffudit quam mundus ipſe; tot nationes deuicit, quot illis temporibus innotuerant; tam altè ſe in hominum mentes, & admirationem intulit, vt nulla vnquam vetuſtate aboleri debeat, ſi ſcriptis æquare vellem, omnium merito ineptiſſimus haberer. Et ſi quid tandem de illa dicendum èſt; hoc vnum certe Alexandri Moloſſi referre ſufficit, qui dum in Italiam populo Romano bellum facturus proficiſceretur, ſe quidem ad Romanos abire dixit, quaſi in ἀνδρωνῖτιν, nepotem verò ſuum Alexandrum Magnū in alias nationes mouiſſe, quaſi in γυναικωνῖτιν, hoc eſt, ſe contra viros, illum contra fœminas arma deſumpſiſſe; cuius ſententię acumen imitatus eſt M. Antonius Caſanoua, quū paucorū verſuum 10. *Italis.*

ſpe.

Digitized by Google

ſpectanda poſteris elogia, priſcis Romanæ virtutis Heroibus, tanquam manentibus eorum ſtatuis inſcriberet, ſic enim ex hiſtoria quã refert Suetonius, arguto hoc, & valde concinno epigrammate Cæſarem laudauit.

in Iulio c. 7.

Spectat Alexandri picta vt certamina Cæſar
Aſt ego nondum aliquid geſſi: ait illacrymans;
Quid ſi & Alexander *ſpectaſſet* Cæſaris *acta,*
Dixiſſet Perſas vincere pigritia eſt.

Hæc tamẽ opinio, bonorum omnium licet, & prudentium virorũ conſenſu firmata, cùm non eadem ſemper integritate ad illos tranſierit, qui nunc tot maiorum ſuorum factis illuſtribus, velut inæquales deprimuntur; diſcutiendum eſt breuiter, vnde hæc labes immerenti, & omnium, quæ nunc ſunt præclariſſimæ nationi inuſta fuerit. hanc verò non dubito ſub inclinationem imperij cœpiſſe, cum alio ſe vertente fortuna, peſſumdatiſque Barbarorum incurſione omnibus diſciplinis, militaris quoque velut extincta diutiſſimè latuit, tandemque vigor etiam ille animorum ſe remiſit, in varias partes diſtractus; quando nimirum ſuccedente paulatim Imperatorum à Romanis Pontificibus diſceſſione, & pernicie factionum exorta, ſingulæ ferme Italiæ Ciuitates; aut ſui iuris eſſe voluerunt, aut fatis vrgentibus, in quorundam Regulorum poteſtatem conceſsère, qui proprijs viribus non benè confiſi, auctoritatem, quam beneuolentiã retinere non poterant apud ciues, & ſubditos, externorum militum præſidio tueri, ac munire cœperunt; & ſi qui interim Italorum proprias vires ad defenſionem conuertebant, tam rudi, & abſurdo plerumque more iſtud faciebant, vt mirum profectò eſſet, ne minimum quidem apud illos antiquioris illius diſciplinæ veſtigium remanſiſſe. atque hic veternus tamdiu omnium animos detinuit, donec excuti cœpit felicibus auſpicijs *Alberici Balbiani*; hic enim primus extitit, qui iuſta quadam indignatione permotus, quod exteræ gentes mercenarijs armis Italiam quaterent, multaque indignè committerent, ingentes alas cataphractorum equitum ad ſigna vocauit; qui auſpicijs Diui Georgij militantes, & Sacramento adacti, nunquam ſe terga daturos externo hoſti: coniurabant; ab his ſiquidem non vno in loco Britones profligati; cæſi Galli; pulſi, deuictique Germani; Hiſpani fuſi; Allobroges, Anglique deui-

deuicti, decus illud antiquæ virtutis, quod apud Italos penitus extinctum credebatur, reuiuiſcere poſſe iuſta confeſſione docuerunt; quemadmodum etiam teſtatum reliquit vir, vltra quam ætas illa ferret,& eruditus, & eloquens Leonardus Aretinus, cuius verba, quia ſatis exculta ſunt, & rem omnem, de qua ſermo eſt mirificè confirmant, ne te eorum deſiderio torqueam, lubenter appono. *Arma per hoc tempus*, inquit; *in manus Italorum penitus redierant: cùm ſuperiori tempore, per equites exterarum nationum mercede conductos, bella geri per Italiam conſueuiſſent, veniebant enim viri domi nobiles comitatum equitum in Italiā trahentes, mercede, vel apud Ciuitates, vel apud Principes militaturi: plurimique ex Germania, aut Gallia, ſed & Hiſpani generis permulti, & Vngari, & Britanni per Italiam militabant: apud hos gloria equeſtris habebatur; noſtri autem perpauci militia ſe dedebant. Me puero primùm noſtri veterem equeſtris militia gloriam recuperantes, magnis Italorum turmis militare cœperunt: creſcenſque paulatim multitudo, vſque adeò peritia, & audacia præſtitit, vt nemo iam exterum equitem habere vellet: victoria, & ſpes omnis bellantium in Italico equitatu reponeretur*. Sed breui tamen illa durarunt; cùm inferente demum arma in Italiam Carolo Octauo, hæc rurſus, aut inſcitia, atque auaritia Principum, aut deſuetudine, ac ocio reſtincta concidiſſet; ſic vt referente Iouio, nemo quidem Ducum, aut militum ſupereſſet, qui cruentam aciem ſe vidiſſe teſtaretur; atque ille propterea, vehementi impetu obuia quæque perrumpens, quātum Galli armis, auſuque valerent, cum ignominia Italicæ diſciplinæ pluribus prælijs oſtendit, omnemque ſimul priſtini ſplendoris gloriam, cuius illa poſt tot viciſſitudines opinionem adhuc aliquam apud exteras nationes ſuſtinebat, ita penitus obſcurauit, vt paulo poſt etiam, Italorum degeneres animi, in prouerbium abierint, & Batauus ille, qui Centurias adagiorum primus ordinauit, non veritus fuerit, in illius explicatione, quod de Myconio caluo circūfertur, idem eſſe aſſerere, *ac ſi quis* Scytham *dicat eruditum, aut Italum bellacem*, quod genus contumeliæ maximam tamen auctori ſuo inuidiam conflauit, Petro Curtio nobili Rhetore Romano, commune gentis ſuæ decus ita ſtrenuè, acriterque propugnante, vt calumniator ille, primum quidem excogiatæ grammaticationis cuiuſdam verſutià, ſuam ſententiam interpretari, mox verò

in Hiſt. de ſuis temporibus.

etiam

etiam in excuſſores reijcere coactus fuerit; quorum inſcitiâ contigerat, vt cum in prouerbio Attalum fuiſſe imbellem notaſſet, quia Hecateus in Dionyſium, cum ἀπόλεμον, καὶ ἄμαχον appellat, ipſi repoſuerint Italum, quem tamen adeo fœda, & atroci iniuria onerare, ne quidem per ſomnium illi vnquam in mentem venerat: & hercle neſcio, qui fieri potuiſſet, vt homo ſubacti iudicij laude potiſſimum commẽdatus, Italiam fortibus viris, atque omni bellica laude effœtam eſſe, tam leuiter pronũciaſſet; cum & ſua, & noſtra etiam ætate, certiſſimum ſit, viros illam tuliſſe, qui inſignibus maximarum virtutum ornamẽtis, vel clariſſimos antiquorum triumphos æquaſſe videntur; certè viget adhuc in hiſtoricorum libris memoria virtutis, & conſtantiæ, quam in præclariſſimis occaſionibus ſemper ediderunt cohortes illæ Italicæ, quæ ob Ducis ſui Ioannis Medicis egregiè quidem fortis, & audacis interitum, à funeſto vexillorum colore, vulgo *nigræ* vocabantur. & nunc etiam in Belgio, nullæ Legiones æque ac Italorum *Tertia*, ad omne decus exercitationis, & bellicæ fortitudinis accedunt; vt non propterea quis temere crediderit, quoties Itali ad eiuſmodi certamina deſcenderunt, in quibus populorum gloria, priuatorũ quorundam audaciæ, non ſatis conſultò committitur, fortunam illis cùm aduerſus Hiſpanos in Hetruria; tum etiam contra Gallos, ex Namurtij exercitu, impenſè ſemper, & ſupra volubilitatis ſuæ morem fauiſſe: imo verò quod in alijs nationibus, neſcio vtrum ſimiliter ſe habeat, diuerſæ ſunt in ſingulis Italiæ Ciuitatibus ad arma propenſiones, diuerſique ad hunc, aut illum bellandi morem impetus: nam ſi fides habenda eſt Lando cuidam Hortenſio, qui ſub Philalethis polytopienſis ciuis nomine, Forcianas queſtiones duobus libris emiſit, quibus varia vnius Italiæ ingenia deſcribuntur; in bello Peruſini *Strenui* ſunt; Calabri *præcipites: rapaces* Piceni; Spoletini *callidi*; Senenſes *fœlices*; Bononienſes *feri & animoſi, ſed parum ducibus obedientes*; Pratenſes *ſacrilegi*; Aemiliani *fortes ſed inconſulti*; *crudeles* Ferrarienſes, & Placentini; Coſſenſes *libidinoſi*: *maritimis bellis* Genuenſes præualent, *non item terreſtribus*; Neapolitani *intrepidè hoſtem aggrediuntur*; *reſiſtunt pertinaciter* Fauentini; *peltati* Piſtorienſes; & Laudenſes *acerrimi*; Patauini, & Veronenſes *equeſtri militiæ idonei* habentur; Papienſes *vix fugiunt*; Vicentini *victi ſe vindicant*; Florentini *excubitores*

Digitized by Google

res ſunt, atque exploratores idonei. Denique Veneti *optimi ſunt in claſſibus*; Bergomates *pluteos, & crates ingenioſè conficiunt, ac locant*; & Brixienſes *extruendis aggeribus, & cuniculis* maxima ſemper induſtriæ commendatione incumbunt. His igitur ita explicatis abundè ni fallor illud præſtiti, quod ſub initium iſtius ſermonis de delectu me facturum receperam; nimirum, vt inter tot nationes, quæ ſeſe continuò bellis immiſcent, has potiſſimum, deſignarem, ex quibus optimi Tyrones, & omnium maximè ad militiam idonei cōſcribi poſſent; raro etiā fallente votorū ſummā euentu, modo tamen cultura diligētior illos per omnes diſciplinæ gradus, ad artis militaris cognitionē perducat; quod non itēm ab omnibus populis ſperari debet, quorum aliqui, vel natura timidi, vel inſtitutione, à militia alieni; aut animi non habent, quantum ad bella ſufficit, aut hunc diſciplina excolere non poſſunt, quæ tamē ſummopere naturam promouet, & ſola efficit, vt homines etiam timidi in optimos plerumque milites euadant. vnde cùm in militia idem omnino quod in fabrica contingat, in qua ſi praua eſt regula prima, omnia demum obſtipa, atque obtorta, fieri neceſſe eſt; veniam propterea te mihi facile conceſſurum eſſe nullus dubito, Comes Ludouice, ſi in hac delectus ſecundum nationes obſeruatione, quæ reliquarū omnium velut fabrica, & amuſſis eſſe debet; diutius forſan immoror, quàm tibi, aut alijs conueniens eſſe videbitur.

Quanquam enim plurima hactenus in medium attulerim, eorum quæ valde vtilia eſſe poſſunt; illud tamen reſtat, vt Mantiſſæ loco hic adijciam, quibus præſertim in rebus quatuor illæ nationes, reliquarum mea quidem ſententia bellicoſiſſimæ, inter ſe differant cùm ad graue Martis opus, & militares actiones ſe conuertunt. nam, & ſi ad illas pari omnes virtute, & audacià contendant, nihilomninus tamen certum eſt, quod pro diuerſitate coſuetudinis, & temperamenti, quædam in nonnullis excellunt, ad quas fruſtra ſis, ſi cæteras æque fœliciter credis inſudare. itaque politicorum ſcriptor merito damnatus, optimum Imperatorem ab Italià, non militem legi voluit, quod Itali maiore prudentia quam robore valent, *Corporis autem munus* inquit Amianus *à milite, ab Imperatore animi poſcitur* ſic Gallorum, & Italorum Alæ nō iniurià preſtantiſſimæ cenſentur, quod equis omni II. *Qui omnes inter ſe collati.*

omni

omni motionum genere inflectendis peculiari quadam inclinatione aſſueſcant; contra Germani, atque Hiſpani pedites laudantur, tum quia hoc modo pugnare conſueti, tum quod nobiles Hiſpani, pedibus quàm equis ſtipendia merere, multo ſibi glorioſius ducunt; vt omittam etiam quod vtrique ſariſſis frequentius quàm fiſtulis chalybeis vtuntur, & quod hi animo, iſti corpore graues, non ita libenter fugæ ſe committunt. Ijdemque propterea in pugna ſtataria plus valent, quemadmodum in velitationibus Galli, & Itali; & qui hos, ac omnes alios hoſtibus laceſſendis ſuperant Scoti velites, atquè equites Græci. Germani, & præſertim Heluetij difficulter in muros, & aggeres crebis ictibus infeſtos perrumpunt, Galli lubentiſſime, quod id munus agiliora militum corpora, & expeditiores animos requirat, atque impetu perficiatur. longis obſidionibus reliquæ nationes vix ſufficiunt, Hiſpani pares inueniuntur, vt omnium frugaliſſimi. Germani prœlio terreſtri aptiores exiſtunt; Angli Luſitani, & Cantabri maritimo, Itali vtroque inclaruerunt. Gallus prælia ſolus miſcet, nec ſocios præſtolatur cùm in hoſtem decurrit; Germani vero, ac Hiſpani in acie, & maxime Phalange conglobati, quàm ſingulari diſcrimine meliores ſunt. atque hi ordines ſtationeſq; ſemel aſſignatas cõſtantiſſimè retinẽt, illi cum Italis palantes curſitant, & metu, vel audacia à ſe inuicem diſtracti, facilè funduntur. Germani, & Hiſpani ſtipendiorum moram ægerrime ferunt, & eorum gratia ante pugnam tumultuantur, vt Galli ſtatim à pugna. Hiſpani atque Itali vix abſque diſciplina quicquam proficiunt; ſed Galli, & Germani ſola ferme natura milites euadunt. Hiſpani omnium promptiſſime fulminalibus exiguis ſeu tubis ſulphureis vtuntur, quemadmodum olim Angli ſagittis, Germani commodiſſime ſariſſas vibrant, criſpantque, Galli ſi permittantur vti ſuis gladijs rem breui conficiunt, & ſibi à nemine timent. Hiſpani partim natura, partim etiam militum penuria vt Germani inferiores, bellum protrahunt per longas obſidiones, & incruentum ferme gerunt; Galli vero, & Germani ſuperiores, prælia quotidie miſcent, & per magnas ſtrages campeſtris pugnæ, de ſumma rerum libenter decernunt. Germani, & Hiſpani Caſtra ligone muniunt, & operam ſuam foſſis atque aggeribus ducendis æquo animo accommodant, Galli quia

ſe

ſe tutos vbique putant laborem hunc faſtidiunt; Angli vero, & Scoti, ac Hyberni etiam dedignantur, quia nobilitati qua ſe plurimum iactant minime videtur honeſtum. Galli tam audacter cominus pugnant ex Genio qui ſtatim illos, vt gladiatores in Arena committit, quàm Itali eminus, priuatas inimicitias fiſtulis longioribus terminare aſſueti; quanquam ipſi cum Hiſpanis hoc etiam ex diſciplina obſeruent; & eadem ratione Germanus cum Gallo conſentit in gladiorum tractatione; licet ille punctim rem gerat, & breui cædat aut cædatur; hic vero cæſim libratis velut ad dimenſum ictibus, & per moras, alternatimque ductis. Denique vbi malorum, & calamitatum ilias ſuſtinenda ſe offert mirabilis eſt Hiſpanus; cum diſcrimen manifeſtum, & via inuia, morſque ipſa præſens, & certa audaces ad ſe vocat, timidoſque, repellit, Gallorum virtuti negotium tuto committitur; ſi pugna quædam obſtinatè pertinaciterque committenda ſit, Germani loco cedere neſciunt. Itali denique, vt ſunt ingenio verſatili, & ad omnia nato, facile ſe ad præclara quęuis facinora componunt, ita vt nihil in ipſis deſideres quod in alijs admiramur; ſed quando ſolertia, & cautionibus opus eſt, quando aſtutè tractandum de re aliqua, hoſtiſque factis, vel dictis circumueniendus, illud eſt certè in quo reliquis omnibus merito præcellunt.

Quemadmodum vero non ſatis eſt animalium curæ præfectis, Equos ex Hiſpania laudare, vel Canes ex Dalmatia, aut Apes ex Hymetto, niſi prætetea quibuſdam impreſſis vnicuique a natura, & patentibus notis, ſingulorum præſtantiam, aut ignauiam depræhendãt: ita vt niſi equiſo optimæ eſſe indolis equos iudicet & cæteris præferendos, quorum *pectora*, vt inquit Caſſiodorus *vel crura ſphæris carneis decorè ornantur, coſtæ in quandam latitudinem porriguntur, aluus in breuitate conſtringitur, caput ceruinam reddit effigiem*: aut (ſi credis rem quæ maximè ad ſcientiam rei militaris pertinet tribus illis, aut quatuor ſignis non recte cognoſci, ac dijudicari poſſe) quibus argutum caput, & macilentum eminet; ceruix ardua, & flexibilis; os amplum, lacerumque, & glomeratis frænis ſpumam eijcens; oculi prominentes; arrectæ, micanteſque aures; nares patulæ; grandes, armi, & erecti; venter ſubſtrictus; carnoſæ clunes; toroſum pectus altior denique ingreſſus, & mollia crura reponens. venator au-

VI.
1. Deinde corporis cõſtitutio laudabilis deſcribitur.

lib. 4. variar. cap. 1.

F tem

tem canes eligat atroci vultu, & ceruice; maximè rubicundis, & micantibus oculis; apertis naribus, acutis dentibus; tumenti collo pectore amplo, & leonino; pedibuſque ſpatioſis, & diſcretis. ac Ruſticus denique ex traditis à Virgilio, & Columella ſignis, Apes illas præferat, quæ ſunt paruulæ; oblongæ, breues; nitidæ;

Ardentes auro, & paribus lita corpora guttis,

ac moribus etiam placidis; omnes iſti grauiter profecto in delectu errare depræhenduntur. haud ſecus in milite res ſe habet, quem non ſatis eſt ex probatiſſimis regionibus elegiſſe, cùm in omnibus locis ignauos pariter, & ſtrenuos naſci exploratum ſit; ſed Phyſiognomica ſigna in conſilium vocare oportet, quæ ſic idoneos ad militiam ſub aſpectum ponunt, vt imbelles, & timidos facilè ſummoueant
lib. 9. cap. 3 *hi enim non ex ſola profeſſione natiuitatis, ſed ex aſpectu, & valetudine corporis æſtimantur* vt inquit Iſidorus.

2 Atque eadem ratione vetuſtiſſimus ille Philoſophorum Pythagoras, vt notat Iamblichus, in explorandis diſcipulorum ingenijs hæc ſigna curatè obſeruabat; id quod Indi etiam Sapiẽtes in vxoribus ducendis factitarunt, vt refert Nicoſtratus apud Stobeum; & hac arte imbutus cùm eſſet Euſthenes, eiuſmodi à Theocrito Epitaphium obtinuit

laudaturque eo nomine phyſiognomia

De Vita Pythag. cap. 17 ferm. 89.

Εὐσθενίος τὸ μνᾶμα φυσιογνώμων ὁ σοφιστὴς
Δεινὸς ἐξ ὀφθαλμοῦ καὶ τὸ νόημα μαθεῖν.

quos verſus ita ab Interpræetibus Latinè redditos exhibeo.

Euſthenis hoc monimen naturæ doctus in arte
Doctus, & ex oculis intima ſcire virùm.

ſed nõ hic ſolus apud Græcos, qui talem artem profiteretur, vtpote quam Zopyrus olim in Socrate exercuit, & Loxus, ac Polæmon ſcriptis etiam explicarunt, vt Origenes contra Celſum teſtatur: quinimo non puduit Ariſtotelem, & Adamantium Sophiſtam in eodem argumento verſari, vt neque Trogum Pompeium inter
lib. 11. c. 52. Latinos, cuius breue, ſed elegans fragmentum vna cum Plinij Hiſtoria ad nos perẽnauit; nec ſi Chryſis ancilla Circes olim ad Po-
in Petr. Satyr. lienum dixit. *vides me, nec auguria noui, nec Mathematicorum Cælum curare ſoleo, ex vultibus tamen hominum mores colligo;* eiuſque exemplum ſequutæ Nubienſes quædam, ac ægyptiæ vetulæ, artem fermè omnem ad fraudes, & mendacia tranſtulerint; propterea quidquam de eius vtilitate, ac præſtantia dubitandum eſt, ſi

modo

modo rectè tractetur; omninoque prudenter Vegetius præcepit vt *qui delectum acturus eſt, vehementer intendat, vt ex vultu, ex oculis ex omni conformatione membrorum eos eligat, qui implere valeāt officium bellatoris*. ita enim feciſſe Matthiam Coruinum Hungariæ Regem Auctor eſt Bonfinius, qui eum phyſiognomicæ diuinationis adeo ſtudioſum fuiſſe refert, vt ex vultu, de temperamento, & moribus militum ſolertiſſimè iudicaret; & Plutarchus idem de Cæſare varijs experimentis confirmat, Brutū enim quod pallidus eſſet ſuſpectum ſemper habuit, & de Caſſio nonnunquam ita loquebatur *quidnam Caſſium velle putatis? haud enim mihi magnopere placet is, qui maximè pallidus, macieque extenuatus eſt*. cùm verò Antonium, & Dolabellam aliqui calumniarentur *non hos*, inquit, *pingues crinitoſque pertimeſco*. nimirum, vt ſapiens protulit *ex aſpectu vir cognoſcitur, & ex obuia perſonæ ſpecie deprahenditur, qui mente valet*. Quærebāt igitur antiqui in Tyrone oculos acres; erectam ceruicem, latum pectus, humeros muſculoſos, brachia valentia, digitos longiores, ventrem modicum, ſuras, pedeſque non ſuperflua carne diſtentos, ſed neruorum duritia collectos: volebant præterea ſtaturam mediam, quæ Romana, iuſtaque, & militaris habebatur, vnde qui hanc excederent, ſtatura proceri, & eminentes erant, qualis depingitur apud Spartianum Hadrianus, qualis apud eundem Peſcennius Niger; qui verò iuſto minores eſſent, exiles, & breui corporis forma dicebantur. Quanquam non eadem ſtaturę ratio ab omnibus ſemper obſeruata fuerit, cū Marius Tyronum proceritatem laudaret, admitteretque lubentiſſimè inter alares equites, & in primis Legionum cohortibus, qui ſenos pedes, vel certè quinos, & denas vncias altitudine ęquarent. & Pyrrhus ſimiliter apud Frontinum dilectori ſuo ita præcepiſſe fertur, *tu grandes elige ego eos fortes reddam*. Alexander verò Magnus è diuerſo paruos, & ſui ad vnguem ſimiles præferebat; vt Ninus fortes, & robuſtos.

lib. 8. Hiſtor. Vngar. dec. 4

in Eccleſiaſtico.

lib. 4. cap. 3.

Ex quo arbitrari iure quis poſſet, variū hoc & penitus diſcrepans in maximis Ducibus iudicium, non ſatis rationi conuenire; niſi quotidiana fermè experientia conſtaret, in vtraque menſuræ illius iuſtæ, & militaris extremitate, ac veluti confinio, generoſos & fortes homines deprahendi; vt ſanè in alterutra reperiuntur etiam puſillanimi, & imbelles. Germanos enim, & Gallos videmus

3 *Nō tamen vt iudicet ex ſtatura modo qui fallax eſt, tam in magnitudine.*

F 2 mus

Google

mus eleganti corporis proceritate ſupra cæteros ſpectabiles, nulli quoque inferiores eſſe in omni palæſtra honeſtiſſimarum actionum; 1. comment. vt Aduaticos propterea Iulius Cæſar impensè laudarit: & Stercaterus ille pene gigas apud Saxonem Grammaticum, nulli mortalium virtute cedere deſcribitur; indèque proceritas corporis ſummopere commendatur in Scipione à T. Liuio, & Plutarcho; in Traiano, à Plinio Iuniore; in Carolo Magno ab Eginartho; in Franciſco Primo, a noſtratibus Hiſtoricis; & in Henrico Rege Angliæ à Iouio: præter quos, vt Sacræ literæ Saulem, ſic Virgilius Turnum non mediocriter extollit in his verſibus

Ipſe inter alios præſtanti corpore Turnus
Vertitur arma tenens, & toto vertice ſupra eſt.

& Pallas cuius corpus prægrandi ſtatura repertum nō ita pridem fuiſſe, multi fabulantur, apud eundem Virgilium.

cunctis altior ibat.

Vt etiam Harminius, quem velut audaciſſimum, ita deſcribit,

Deijcit Harminium, lato cui vertice fulua
Cæſaries, latique humeri, nec vulnera terrent.

At ex aduerſo vox illa μέγας ſæpius Ariſtophani malignè ſonat, & ſola innuit quod Lucilius tribus iſtis denotare viſus eſt, *nequam, & magnus homo*. Vnde ingenioſiſſimus Poeta Arioſtus Ducem Oranum, vt mole corporis prægrandem, ſic timiditate, & ignauia ridendum, aſpernabilemque eleganter ſupra quàm dici poteſt, & argutè deſcribit; nec aliter apud Homerum Aiax Telamonius, quia foret longiore, latioreque corpore, perſæpè ſtultus, & aliquando furens; ac Polyphemus imbellis etiam & ſtolidus oſtenduntur. vnde meritò Græcis ὁ παχὺς, καὶ πολύσαρκος Ideſt *craſſus, & multas carnes habens*, inter turpia, & inhoneſta cenſentur; quemadmodum etiam voces hæ Italorum frequentibus dicterijs vſurpatæ, *Paccheo, & Pacchione*, quas à priori illa Græca originem ſumpſiſſe valde conſentaneum eſt arbitrari. non ſecus atque illa *Baccello* cùm pro inſipido, & amente ſumitur, originem ſuam repetit à voce βάκηλος, quoniam, vt inquit Apoſtolius Biſantius, quidam homo eius nominis valde lōgus, erat ἀνόητος, καὶ γυναικώδης. *amēs & effœminatus*, quod pluribus explicant Nunneſius, & Hœchelius in Phrynichum: ſed nondum his vocibus ſufficienter ab Italis ſubſannati ſunt Longuriones iſti, nam vulgo etiā

paleas

Digitized by Google

paleas longas illos appellant; quaſi *Iuncеos* cum Terentio diceres; In Eunucho.
vel *Clematides*, *Aegyptias* cum Demetrio Phalereo; aut denique *καννάβους*, vt à Græcis vocabantur homines longi, & macilenti; ac De eloc.
inter alios Sannyrion à Strattide Poeta Comico tali ſcommate perſtrictus fuit, quia macilento, & tenui corpore erat; eſt enim vt Pollux ſcribit *Cannabus*, *lignum gracile*, *cui Imaginarum fictores lutum applicant*. atque ita certũ eſt cùm magnitudo corporis æque Lib. 4. c. 11.
in audacibus, & timidis reperiatur, nihil ex ea cõcludi poſſe, quod multum ad robur, aut animum militis pertineat. 4 Quam in Paruitate.

Neque minus profecto, in puſillis hominibus, & breuiſſimis, idem obſeruatur animorum diſcrimen, nam licet communis multorum exiſtimatio, nihil ſibi promittat nobilis, ac generoſi, de eo, cui forma corporis, ſtaturaque ignobilis contigerit; ac propterea Gualterus auctor *Alexandreidos* non ineptus, nec illaudatus viris doctis, Reginam Amazonum, vt primùm in Alexandri conſpectũ ſe dedit, velut attonitam repræſentet, ac reputantem apud ſe, qui fieri poſſet, vt tam ingentes animi in adeo breui, & anguſto domicilio hoſpitarentur. lib. vltimo.

Mirata eſt inquit, *famæ non reſpondere Thaleſtris*
Exiguum corpus, taciturnaque verſat apud ſe,
Principis indomiti virtus ubi tanta lateret.

& Aegidius Corbolienſis loquẽs de Pipino Rege, cui *breuis* nomen ex ſtaturæ modo fuit inditum, quaſi pro re mira, & inſolita afferat. In Carolinã.

Quod licet, vt moduli bipedalis homunculus eſſet,
Mente gigas, & vi fuit auctior ille Pipinus.

licet inquàm hæc, multaque eiuſmodi pro eorum opinione militent, quibus forma liberalis, ſola videtur, & ingenio pollere, & digna eſſe imperio. Non eſt tamen hæc obſeruatio tam conſtanti, firmoque tibicine ſubnixa, quin contraria æque facile ſuaderi poſſit, cùm Vlyſſis exemplo, quem Homerus *βραχύν, καὶ φρόνιμον* vbique depingit; tum etiam Diomedis Tydæi filij, qui in bello Troiano adeo ſtrenuè ſe geſſit, vt poſt Achillem, ac Aiacem Telamonium Græcorum fortiſſimos, nullius plura memoratu digna facinora ab Homero referantur; nam præter occiſos à ſe Reges, & prouocatos, laceſſitoſque ſingulari certamine Hectorem, ac Aenam, alioſque inſignes Troianorum principes; ſolus præterea

 Rheſi

Digitized by Google

Rheſi Tracum Regis equos ſurripere noctu, ipſumque cedere, & Palladium quo vno Troiæ Incolumitas conſtabat, vrbe illa efferre potuit, quinimo Martem quoque in bello vulnerauit, & Venerem etiam ſauciam in dextra manu fecit, cum Aeneam filium ipſa protegere vellet: & tamen hic ipſe qui tantus animo erat, ſic in obſcœno carmine depingitur, ex Iliade vt puto ſecũda.

Vtilior Tydeus: qui ſi quid credis Homero,
Ingenio pugnax, corpore paruus erat.

quo etiam reſpexiſſe Statium credibile eſt, cùm dixit

Maior in exiguo regnabat corpore virtus.

Sed ne quis ficta his Heroibus à diuino Homeri ingenio, eiuſmodi corpora fuiſſe obijciat; en breuioribus adhuc lineis, & humilioribus membris effictum ab ipſamet natura profero Xantippum Lacedemonium, ducem illum exploratæ fortitudinis, qui res Carthaginenſium attritas reſtituit, magnumque ſibi decus conflauit ex debellatis iuſta acie Romanis, vt grauiſſimus auctor Polybius, ac Sylius Italicus, & alij memoriæ conſignarunt. Enimuero tantum abeſt vt ex illa corporis dimenſione, quam plerumque ad caloris interni menſuram componi Philoſophi contendunt, quicquam de viribus, aut audacia, & virtute militum pronunciari poſſit, quod Eunuchi ipſi qui ſunt omnium hominũ frigidiſſimi, in fortiſſimos non modo milites, ſed duces præclariſſimos aliquoties euadunt. Quemadmodum mulieribus quoque non paucis vſu venit, vt ſequioris ſexus aſpernatæ molliciem, armorum, & laborum caſtrenſium ſupra fidem patientes exiſtant, cuius rei vel Amalazuntham Gothorum Reginam, vel Mariam Puteolanam, aut Bonam Longobardam teſtes laudare poſſem idoneas, niſi domeſticum exemplum haberem, & illud quidem valde inſigne, in Lucretia Tritaui tui Nicolai ſorore pudiciſſima; quæ alterius fratris ſui Guidonis Guerræ contra fidem à Pandulpho Malateſta interempti, ſollicitata deſiderio; copijs quas ille reliquerat, aduerſus Tyrannum, ducem ſe præbuit; & ea demum velut egregia de gente Camilla geſſit, quæ non tam commodè hic, quàm in Guidiorum Hiſtoria referri poſſunt.

5 *Sed ex roboris ingenui, & ſeruilis diſtinctione qua vtrumque ſuis notis indicat.*

Quamobrem ſi minimè volumus in hoc delectu aberrare, non tam ſtaturæ modus, quàm alia quædam inueſtiganda ſunt, quæ per ſe poſſunt difficultatem omnem componere; hæc vero pendent

dent ab Ariſtotelis diſtinctione, quàm habet libri primi politicorum capite tertio, vbi robur aliud dicit eſſe ingenuum, & ciuile, aliud autem prorſus illiberale quod in foſſore, mediaſtino, & palæſtrita deſideratur; ac proinde non eadem eſt vtriuſque definitio, ſicut neque etiam ſigna inter ſe conueniunt, quæ alterutrum demonſtrant; nam ſeruile, potius ad corpus attinet, & dura cute, dorſo firmo, ac prævalido, brachijs craſſis, & bene colligatis, cruribus toroſis, ac ſimilibus notis abſoluitur: qualem membrorum firmitatem, ac articulorum colligationem fuiſſe putandum eſt in Milone Crotoniata, & Titormo Buſſequa, qui vt corpore ſtaturoſo erant, & viribus prævalidis, ſic varia aliquando incredibilis roboris exempla ediderunt; cuiuſmodi ſunt quæ à Pauſania in Heliacis de Milone referuntur, qui ita malum Punicum tenebat, vt nemo illi è manu extorqueret, aut digitum corrigeret; cùm tamen is nullibi malum læderet; idemque diſco vncto inſidens, à nemine diſtrahi poterat; ſed & funem veluti coronam fronti alligans, eum retento ſpiritu, veniſque plenis firmabat. Vnde cum Maximinus Cæſar amaxas manibus traheret, rhedam onuſtam propelleret, aliaque ſupra fidem permulta efficeret, cum ab exemplo roboris, Milonem Crotoniatam vulgo appellarunt. Ciuile autem ac vrbanum robur non eiuſmodi eſt, ſed ad animum ſpectat, & fortitudo potius appellatur, quæ ad belli, paciſque munia deſeruit, vt robur quale eſt baiulorum, & dorſualium equorum ad geſtanda onera. Neque ſemper contingit, vt vel fortis robuſto corpore præditus ſit, vel qui prævalidas vires obtinuit, animum item generoſum, & fortem nactus ſit à natura; Cameli ſi quidem, Aſini, Muli clitellarij, Boues firmiſſimis artubus innixi, molli tamen, placidoque ad parendum animo donati ſunt; at ex aduerſo paruuli quidam canes apud matronas in delicijs habiti, ira, audaciaque Moloſſos ipſos ſuperant. Sic in Auium genere, Struthiocamelum robuſtiſſimum eſſe, non Hiſtoricorum modo fide, ſed eius experientia depræhendimus, qui anno proximè elapſo in hac Ciuitate Reatina occubuit, poſtquam Eminentiſſimus tuus Patruus eum totos nouẽ menſes Romæ in Palatio ſuo habuiſſet; hunc enim ſæpiſſimè vidimus, non tantum pueros lactantes, quod inquit Oppianus, ſed altos calones per ſtabuli longitudinem, in quo familiariſſimè lib 3. Cyneg.

cum equis verſabatur, detuliſſe; ſed ipſum prætera ſingulis diebus obſeruare quiſque poterat, ſua innata ſtolíditate ludos ridiculos pueris facientem, cum panem, aliaque edulia fruſtillatim conſcerpta è blandientium manibus ſumeret, vel frumenti grana ſigillatim exhibita colligeret; mox vero præmentes fugeret, & fugientes inſequeretur; aut plumas etiam vellentes, flexuoſis, & anguineis colli ſinubus terreret, ac immane diducto roſtro, quaſi cunctos deuoraturus videretur: erat etiam aliquoties cùm niſu & impreſſione puſionum omnium viribus tentata, ingens bellua loco ſuo violenter dimoueretur; mox vero adulantium palpo delinita, in gratiam cum illis facile rediret,& numeroſo comitatu geſtiens, tollutim incederet per regionem Leoninam, certatim illam ad communes epulas inuitantibus accolis, quibus per tot ineptias, ſpectaculum præbebat omnium certè gratiſſimum, & iucundiſſimum; at audacior longe Trochilus, quem & Regulum dicunt à puſillo corpore, vix vnquam ſicut euadit, & Aquilas ipſas audet laceſſere. Huius autem diuerſitatis ratio in eo poſita eſt, quod ex opinione ſententiaque Ariſtotelis, corporis robur in ſicco, terreoque poſitum eſt, animi vero in calore atque ignea ſiccitate conſiſtit, quam aliter ſplendoris ſicci nomine vocabat Heraclitus; vnde, quemadmodum robuſtus definitur, qui facile labores ſuſtinet, ac in illis perdurat, eo quod craſſi ſpiritus, propter carnes duras, & bene compactas, cutemque minus perforatam, non niſi tardè reſoluuntur, & diffluunt; ſic fortis ille dicitur qui ex vi ac impetu tenuis ſpiritus valde mobilis, & calidi, pericula non refugit, ſed illa volens, & ſpe laudis, ac honeſti ductus aggreditur. Cùm autem ignis & terra in affini ſiccitate conueniant, efficitur aliquando, vt expulſa frigiditate, partes hæ craſſiores, ac terreæ, in aliquo incaleſcant, qui ea potiſſimum ratione robuſtus ſimul, & fortis euadet, vt Hercules, Theſeus, Marius, Scanderbechus; ſecus vt alterutra qualitas præcellet, vel fortiores erunt quàm robuſti, vt Vlyſſes, Tydæus, Diomedes; vel robuſtiores quàm animoſi, vt Aiax Telamonius, Oreſtes, Turnus & alij: ac proinde cum apud omnes ſit in confeſſo, non tam in milite ſpectandum eſſe robur corporis, quin etiam aliqua ratio habenda ſit virium, & fortitudinis animi, eo tandem diſſertatio tota deuenit, vt concludat ſigna quæ vtramque hanc

lib. 4. meteor.

diſpo-

Digitized by Google

diſpoſitionem in milite produnt, cœteris omnibus, neglectis diligenter eſſe obſeruanda.

6.

Scilicet robur corporis nõ ex manu valida tantum ſed ex toto corpore.

Roboris igitur ſignum aliqui maximè proprium ex manu deſumunt, quę ſi valida ſit, & neruoſa, firmiſſimeque aliquid apprehendat, qualem nos in Equite Pibracio Romæ vidimus, coniecturam ex illa faciunt de reliquis viribus corporis, exemplo Caroli magni, Sfortiæ, Selimi, Fraiſpergij, Guillelmi Puſterlæ, & Branci de Luſchis de quibus omnibus, neſcio tamen an verè, narratur quod funes craſſiores manibus diſruperint, ferrumq; vel ſoleam equinam obnitentium inter ſe brachiorum vi diuulſerint; at enim licet Vegetius patulas quoque manus in Tyrone laudarit, quod earum opera vſque bellicis vſibus neceſſaria ſit, vt olim qui munus Martium auerſarentur, ſibi pollicem amputarent, quia ſolus digitorum *ἀντίχειρ* ab vſu, quaſi *altera manus* dicitur, itaut poſtea ficto ex latino vocabulo, *Poltroni* quaſi *pollice trunci*, homines ignaui, & ſecordes appellati ſint; conuenientius tamen exiſtimò ſignorum collectionem in conſilium vocare, quàm vni tantum aut alteri notæ confidere. Quare robur in Tyrone explorandum eſt ex figura corporis erecta; pilorum duritie; oſſium, ac coſtarum, & extremorum omnium magnitudine; latis, & diſtantibus armis; collo forti, nec multum carnoſo; pectore amplo; ſuris deorſum contractis; & cute dura ac nigricante, quæ ſigna facillime in oculos incurrunt, & ab ipſomet Ariſtotele in phyſiognomicis proponuntur.

7.

Fortitudinem vero animi ex peculiaribus ſignis.

Animi vero audacis, & prompti ſigna, vulgares phyſiognomi proponunt caput mediocre; faciem virilem; frontem quadratã, oculos micantes; naſum Aquilinum; mentum acutum; vocem canoram; inceſſum grauem, & capillum ſua ſponte ſurrectum; ac brachia piloſa, ſeu ſetis aſpera, quæ Sidonio *dura*, & Vegetio *Valentia* dicuntur; quoniam vt inquit Iuuenalis

Dura per brachia ſeta
Promittunt atrocem animum.

vnde etiam Horatius dixit cum de gigantibus loqueretur ode 4. lib. 3.

Magnum illa terrorem intulerat Ioui,
Fidens iuuentus horrida brachijs.

& Plinius expoliationem pilorum quam veteres pumice, reſina, lib. 29. cap. 2. Pſilothro, Salamandra in brachijs, & cruribus procurabant,

cui-

cuirationem merito appellauit. Attamen cùm hæc ſigna, aut fallant aliquando, aut rariſſimè coniunctа in Tyronibus obſeruentur; aliud quoddam genus illorum proponit Aegidius Columna, quæ a ſimilitudine ducuntur, quàm habent nonnulli homines in membrorum proportione cum animalibus generoſis, vt exempli gratia cum Leone in magnitudine extremitatum, & latitudine pectoris; quæ conformatio talis eſſe in hoc animali, viſu ipſo deprehenditur: nec vero mentem illius improbo qui ſciam grauiſſimis illam auctoribus probari, vt certe nec Virgilium accuſo negligentiæ, quod Entellum cùm fortiſſimum fuiſſe deſignare vellet, ſigna tantum ab eius magnitudine protulerit, in hoc verſu tardiſſimo, confictoque ad narrationem accomodatè

parte vltima de reg. princ.

Et magnos membrorum artus, magna oſſa, lacertoſque
Exuit, atque ingens media conſiſtit arena.

æneid. v.

quaſi vero Aegyptius ille, qui ab vxore ſua apud Theocritum *ἀνὴρ τρεισκαιδεκάπηχυς homo tredecim cubitorum* appellatur, prȩ ratione longitudinis, audaciæ quoque, & fortitudinis modum obtinere debuerit?

eidil. 15.

8.

Et inquiritur num cordis magna moles ad audaciam cōferat.

Hoc potius cōtendo, ſi cordis magnitudinem, certiore quadam indagatione perueſtigare poſſemus, fruſtra fore alia ſigna quæ tanto ſtudio, atque diligentia aliunde quæruntur; quia omnium ferme auctorum conſenſu, pronunciatum iſtud Ariſtotelis veriſſimum eſt, *pauida eſſe animalia quibus cor grandius; audentiora, fidentioraque quibus mediocre*, non quod quantitas quæ per ſe inepta eſt ad actionem, illud efficiat; verum quia index eſt, & norma caloris in corde ſtabulantis, qui vt non ęque intenditur; feruetque in magno, atque in exiguo, & mediori domicilio, ſic neque eoſdem effectus in vtroque producit. Vnde cùm omnis audacia, animique robur, & alacritas à ſanguinis, & ſpirituum feruore proueniat, conſequens eſt, vt in cuius corde plus caloris abundat, & magis feruet, in eo etiam ſit maior audacia; & è contra minor, in quo parcior ille eſt, magiſque remiſſus, vt in animalibus contingit, pro corporis ſui ratione magnū cor habentibus, quę timidiora ſunt quemadmodum Cerui, Damę, Lepores; cùm alia quibus eadem proportione, cor exiguum à natura datum eſt, audentiora ſint vt Leo, Canis, Accipiter quorum præcordia, tantus calor obſidet, vt in Leonibus præſertim, degenerare in febri-

3 de partib. animal. cap. 4.

brilem, à quibuſdam creditus ſit. Ratio autem iſtius rei non vna afferri ſolet à philoſophis, qui calore omnia in mundo, ne dum in animalibus vigere, & excitari ad ſuas actiones obeundas contendunt; cuius rei argumentum cùm alijs permultis, tum vero ex anni temporibus maximè intelligitur: cum enim ſoluitur acris Hyems grata vice veris, & Fauoni, mox omnia oculis arrident, omnia auribus ſubblandiuntur, omnia pubeſcunt, & laſciuiunt, prata, arua, colles, ſyluæ, conualles, ferarum, & cicurum omne genus; Cœlum, & natura ipſa ad pulcherrimum, & iucundiſſimum ſui ſpectaculum homines inuitant; quæ tamen omnia ſuo aduentu veluti ſiderata, proſternit glacialis Hyems canos hirſuta capillos. Vnde merito Empedocles vitam tantum in Elementis dicebat pugnam eſſe, vnumque diuortium, quia ipſe in ea opinione erat, quod aër, aqua, terra Igni; Ignis verro ſolus his omnibus, propter incredibilem, vim & efficaciam, qua cætera, & ſeipſum mouet, ac tandem perimit, opponeretur. Et equidem ne diuagemur in multiplices caloris effectus, qui huc non pertinent; notius eſt quàm, vt probari debeat, actiones omnes in animalibus, fieri ab ipſius caloris victoria in reliquas qualitates, vnde Serpentes, Cochleæ, Salamandra. Teſtudo, Glires, quia non multo calore pollent, nihil ferme edunt actionum, & motionum præter illas quæ ſunt ad vitam neceſſariæ; mulieres etiam ex eo debili, & retuſo, pigræ ſunt; pueri ex non dum confirmato, molles, & inualidi; ſenes denique vnà cum ipſo ſenſim langueſcente, moriuntur, & deſinunt; eodemque modo in viris, ſi calor modicus in vaſto conceptaculo exoleſcat, refrigereturque, metum in illis concitabit; ſi copioſior loci anguſtia confirmetur, & quaſi in ſe coactus inualeſcat, animoſos eos, alacres, impigros, & in periculis ſubeundis audaces reddet. Sic enim Lucanus tribus his verbis *ſtat corde gelato*, timoris cauſam ſapienter expreſſit, vt audaciæ, cum alibi dixit

Feruidus hic iterum circum præcordia ſanguis
Incaluit.

atque hoc ita verum eſt quod *ſi*, vt inquit Galenus, *cor multum in caliditate exceſſerit, tunc furibunda quædam iracundia, & temeritas adſint*, ὀξυθυμία μανιώδης. Præterea cum ex Stoicorum placitis, animam in corde, tamquam in nobiliſſima parte artis medicæ cap. 9.

cor-

corporis, ſedem ſibi, ac regiam conſtituiſſe, exploratum ſit, cur alibi timorem, ac audaciam diuerſari putãdum eſt, quæ ſunt eiuſdem animæ fidi ſatellites, ac internůcij? his autem rationibus aliæ ſimiliter ab euẽtu deſumptæ conſentiunt, nam ſpiritus multi, calidioreſque in nobis exiſtentes, facilè mouentur à concepta ſpe, aut imaginatione honoris, vindictæ, & rerum eiuſmodi; motus verò ſpirituum ad exteriora factus, lætitiam, & fiduciam inducit, ex quibus audentiora fiunt animalia. Sed eorumdem quoque ſpirituum inſignis copia, maius robur efficit, quod poſtea in cauſa eſt, vt ſpes certior de victoria concipiatur. Accedit quod præceps caloris motus, animum facilè perturbat, nec ſinit eum diutius apud ſe meditari, quantum periculi ſuſtineat, quoue in diſcrimine verſetur. Tandem vero, huic opinioni ſuffragatur, longè omnium aptiſſima ad perſuadendum experientia, Ariſtomenis ſiquidem Meſſenij, qui trecentos Lacedemonios occiderat, quique, & fortitudine, & calliditate præſtiterat; mortui cor hirtum, & denſa quaſi ſylua pilorum obſitum repertũ eſſe tradit Plinius. idemq; de Lyſandro Lacedemonio, qui & ipſe tum fortiſſimus, tum aſtutiſſimus fuit, Græci quidam memoriæ prodiderunt; & ſimilia exempla, in latronibus quibuſdam ferociſſimis obſeruata fuiſſe referunt Beniuenius, Muretus, & Amatus Luſitanus; ita vt occaſionem inde ſumpſerit grandiloquus Poeta Nonnus, fingendi libro vigeſimo ſexto Dionyſiacon, Sabinos populos cor denſis veſtitum pilis habere, ideoque audaciſſimos eſſe, neque vnquam in prælijs metuere. at vero pilos in corde fruteſcere ab eius ingenti calore, qui fuliginoſa vltimi alimenti excrementa, per occultos meatus propellit, nemo, qui paulo diligentius in Philoſophorum ſcholis verſatus ſit, ignorare poteſt; atque ita rectè conficietur, & Ariſtomenem Meſſenium, & cæteros qui vt mox dicebamus, tam inuſitatæ fortitudinis exempla ediderunt, corde fuiſſe calidiſſimo.

lib. 11. c. 37.

cap. 33. obſeruat

lib. 12. var. cap. 10.

cent. 6. obſer. 65.

9 *An milites debeant eſſe natura in irã propenſi.*

At enim quia tali cordis temperie præditi, iſtud ſecum habere videntur incommodi, vt plurimum ſint in iram procliues, quam Nemeſius ex materiali cauſa definiebat *accenſionem ſanguinis circa cor, ex conturbatione fellis,* nõ abſurdè quidam exiſtimare poſſet, me non admodum prudenter hic inquirere, quænam ſint ſigna cordis calidioris, vt in quibus illa ſe produnt manifeſtè; eorum potiſſi-

potiſſimum ad militiam fiat delectus; quoniam idem eſt ferme, ac ſi dicerem, deligendos eſſe milites ex eorum hominum ordine, qui ſint maximè iracundi, quique non ex licentia modò quàm in armis habent, ſed etiam ex natura, quæ in præcordijs feruet, & ebullit, ad omne ſcelus, atque libidinem procliues exiſtant; nempè, vt poteſtati addatur inſolentia, vt perditis audacia; vt inſaniæ furor; vt ſæuitiæ rabies; vt gladijs faces; & non vni calamitati, nouæ aliæ, & variæ calamitates continuò ſuccedant. quandoquidem vt monet Philoſophus ille, qui Stoicorum rigidiſſimus dicitur à Lactantio *nullum eſt animal tam horrendum tamque pernicioſum natura, vt non appareat in illo, vbi ira inuaſit, noua feritatis acceſſio.* certè nulla peſtis humano generi pluris ſtetit, nec vllus naturam rerum magis ignorat, quam qui ferum, ac pernicioſum vitium militibus aſſignat, quod idem Seneca opinatus eſt, ne quidē eſſe ſecundùm hominis naturam, cùm potius illam euertat; tantumque abeſſe, vt conferat ad animi magnitudinem, vt morbus ſit, qui parum ab inſania diſtat, & in quo perſæpè irati faciunt, quod ipſe 1. De Ira c. 3

Non ſani eſſe hominis, non ſanus iuret Oreſtes: Perſius.

vt omittam quod nuſquam minus quàm aduerſus hoſtes, & in prœlijs ira neceſſaria eſt, vbi non effuſos eſſe oportet impetus, ſed temperatos, & obedientes rectæ rationi; at hæc affectio ira ei aduerſatur, vt etiam nos de præſidio mentis deijciat, vnde quidam apud Terentium non iniuria dixit: *præ iracundia, Menedeme, non ſum apud me*. Sic Theutonas, & Cimbros tam patientes Laborum, tamque præualidos lacertis, ſola ira comminuit, dum inconſultè, & ſolo impetu, ac furore impulſi, præliabantur; *Gladiatores quoque* inquit Seneca *ars tuetur, ira denudat*, in temeritatem enim prona eſt, & pericula dum vult inferre, ea non cauet: Quin imo ira deſcribitur à Valerio Maximo *conſternationis plenus affectus, ac nunquam ſine tormento ſui violentus, quia dolorem cùm inferre vult patitur amara ſollicitudine ne non contingat vltio, anxius.* Verum ſi attentè reſpicias in alia incommoda, quæ iratos conſequuntur, hoc certè à Valerio relatum, iure inter minima connumerare poſſis, quid enim pallor ille vultus? quid cordis palpitatio? quid linguæ impotentia? quid pedum, ac manuum tremor? quid ardor oculorum? quid oris tumor? quid inflammatio Cap. 19. lib. 1 de Ira.

totius

totius corporis? quam obeſſe illa militibus exiſtimandum eſt, & tamen omnia hæc iratis accidere, vel vnius Ouidij teſtimonio conſtare poteſt.

Ora tument ira, nigreſcunt ſanguine venæ,
Lumina Gorgoneo ſæuius angue micant.

5. de loc. affect. Iam vero ſi quis epilepticos inſultus addiderit, quales in celebri quodam Grammatico, Galenus ſe vidiſſe teſtatur; ſi vomitus billioſos, ſi tot malorum pediſſequas febres, quid tandem homine irato poterit eſſe calamitoſius? atque his rationibus multi conficere nituntur, laudari potius in milite ἀοργησίας ſeu *iræ vacuitatem, & lenitudinem*; quàm ſuperbos illos, & elatos ſpiritus; quos ira, & inſolentia facile commouent. qua in re videntur etiam mihi non prorſus cum ratione loqui, quoniam tam in culpa eſt qui omino non iraſcitur quàm qui ſupra modum iraſcitur, & excandeſcit; ſi quidem non iraſci vbi oportet, eſt improbè factum nolle emendare; plus vero iraſci quàm oportet peccatum peccato cumulare: ſunt quidam adeo ſegnes, ac remiſſi vt nulla iniurià, nullaue contumelià excitari poſſint, quos merito ſic arguit Virgilius

Quis metus: o nuquam dolituri, o ſemper inertes
Tyrreni; quæ tanta animis ignauia venit?

alij vero non humano more iraſcũtur, quicquid impetus ſuggerit rectum putant; quouſque, quoue, modo ſit puniendum, nihil aduertunt; ſed ex paruo momento, ex tiriuillitio, furore ardent

& rabie iecur incendente feruntur
Præcipites, vt ſaxa iugis abrupta, quibus mons
Subtrahitur, cliuoque latus pendente recedit.

Epheſ. 4. verſ. 40. ab vtriſque igitur abeſt ira opportuna, & moderata, quam Apoſtolus non vetat imo permittit, ὀργίζεσθε, καὶ μὴ ἁμαρτάνετε *iraſcimini* inquit, *& nolite peccare*; nam ſicut pati, non vbique laudi; ſic iraſci, non ſemper vitio datur; nec eſt quærendum an quis iraſcatur, ſed quare iraſcitur. Iraſci enim ſceleſto, mœrere ex bonorum oppreſſione, timere periclitanti, eſt, & officij, & pietatis; at ſcelerum atrocitate, & prauorum facinoribus non commoueri nequitiæ potius, quàm modeſtiæ adſcribitur: vnde ſicut nulla Reſpublica, ſine aliqua iræ acerbitate commode regi poteſt; nec facile eſt patrifamilias, ſuam domum abſque

aculeis

aculeis iracundiæ moderari, qua etiam ſi careat ſimulanda eſt, vt familiâ in officio contineatur; ſic bellum multo minus abſque illa geri, adminiſtrarique poteſt. preſertim ſi illius partis iuſtitiæ ratio habenda ſit, quæ delinquentibus pœnas irrogat, tam in defenſionè propria qua nihil naturæ conuenientius, nihil magis rationi conſentaneum eſt; quàm in vindicanda, Magiſtratus auctoritate, publica aliqua iniuria, vt religionis contemptu, liberorum, patriæ, ac parentum oppreſſione; ſiquidem vt optimè Tullius declarat, ***cùm duo ſint genera decertandi*** quibus homines ius ſuum ſolent inter ſe tueri ***vnum per diſceptationem, alterum per vim; tum demum ad poſterius confugiendum eſt, ſi vti non licet ſuperiore.*** præterea conſtans eſt Peripateticorum opinio, iram non temere nobis a natura inditam fuiſſe, cùm fortitudinem quibuſdam velut additis calcaribus excitet, imo vero eius quanquam non veræ, adumbratæ tamen ſpeciem conſtituat, quam Ariſtoteles ab iracundia dicit prouenire; ***fortes enim videntur eſſe, etiam hi, qui ab impetu animi, tanquam belluæ in eos irruunt, a quibus vulnus acceperunt.*** & licet ferina ſit hæc fortitudo, non legitima, ſœpius tamen accidit, eos qui honeſti cauſa res præclaras faciunt, ab eadem plurimum iuuari; vt propterea Statius, non ineleganti tranſlatione iras ***armigeras*** vocarit, & Virgilius dixerit ***furor arma miniſtrat***, tum vero etiam ***rimãti telum ira facit.*** & ſi Ariſtoteli atque Homero credatur, hic eſt ille impetus qui bellatorum animis robur inijcit, vt vterque Glauci atque vlyſſis exemplo demonſtrant; hic ad virtutem & decus capeſſendum, calcar eximium habet; omnem hic ex animo mollitiem, languorem, hebetudinemque omnem exterminat; hic infirmos, ſopitoſque animos erigit, & maiores ad rem gerendam facit; ita vt ſi conſilio regatur, & finem honeſtum ſibi proponat non modo veram fortitudinem æquare, ſed eam nobilibus ſtimulis excitare, & promouere poſſit. quod mihi Poetæ videntur innuere voluiſſe, cũ Heroas ſuos, quos omni genere virtutum ornatiſſimos fuiſſe certum eſt, iratos quoque nonnunquam repræſentant, talis enim Achilles fingitur ab Homero, talis à Virgilio Aeneas, qui immortalitatis ſplendoriſque ſtimulis accenſus

1 Officiorũ.

Cap. 8. lib. 3. de Morib.

Terribilis ſæuam nullo diſcrimine pugnam
Suſcitat

Suſcitat, irarumque omnes effundit habenas.

1. Metam. talis, & Acheloum Ouidianus Hercules

Iamdudum lumine toruo

Spectat, & accenſa non fortiter imperat ira.

nempe ſequuti ſunt hac in re placita grauiſſimorum Philoſopho-
Cap. 8. lib. 3. rum Ariſtotelis, & Platonis, quorum ille *calcar virtutum* iram
Lib. 2. appellauit; hic vero libris de Republica quærit, *num fortis eſſe poſ-
ſit, ſi non ſit iracundus equus, vel canis, an aliud quoduis animal?
an aduertiſti quàm ſit inexpugnabilis ira, & inuicta? qua præſente
animus hominis ad omnia intrepidus eſt, & inuictus?* iuuatur ergo
fortitudo iracundiâ, ſed modicâ; nam ſi nimia ſit corrumpit, ma-
culatue fortitudinem, perinde ad Barbarorum ſagittas venenum
inficit, & nullum vitium aut atrocius, aut deteſtabilius hominem
euertit; cætera enim animum impellunt, furor vero, & ira men-
tem præcipitant: vnde natum eſt illud Platonis, nihil eſſe tam
contrarium Reipublicæ, quàm ſit iræ commotio, & impetus fu-
roris, qui vſum rationis adimit, & conſultationem tollit. quare
de eiuſmodi iracundia quam omnes in vitio ponunt, interpræ-
tanda cenſeo, quæcunque huius quæſtionis initio ab aduerſarijs
dicta ſunt, non autem de ira que attribuitur naturæ, & non niſi
ex cauſa legitima procedit, vt altera a moribus, & praua inclina-
tione dependet. alioqui ſi ab eo qui recenti adhuc ætate neque
laude, neque ignominia moueretur, nihil quicquam egregium
ſperandum fore Lacedemonij iudicabant; ſi Quintilianus eum
ſibi puerum dari poſtulabat qui victus ploret, & victor inſultet;
næ ego parum conuenienter facere viderer, ſi eum Tyronem
deligendum cenſerem, qui præcipientem Tribunum ſomnicu-
loſus audiat, cui ſit auris iugiter vellicanda, qui excutiendus
manu ſit, qui in conſpectu hoſtium totus formidet, totus contur-
betur, qui nec corpore nec animo valet,

Cunctaturque metu, telumque inſtare tremiſcit.

Sed magis forſan vrget quod Seneca creberrimis ſuis, ac pun-
gentibus ſententijs, nullum iræ locum tribuendum oſtendit in
bellorum adminiſtratione; nam vt inquit, *quo alio Fabius affectas*
Cap. 11. lib. 1 de Ira. *imperij vires recreauit, quàm quòd cunctari, & trahere, & morari
ſciuit quæ omnia irati neſciunt? Quid Scipio? nonne relicto Annibale,
Punico exercitu, omnibuſque quibus iraſcendum erat, bellum in Afri-
eam*

cam tranſtulit tam lentus, vt opinionem luxuriæ, ſegnitiaque malignis daret. At ex aduerſo quicũque in eo bello Dux, iræ ſuæ indulgens, victoriam accelerare voluit, ſe ſuoſque milites, & Rempublicam in ſummum diſcrimen adduxit, *Cum toto eo bello damnoſa præpropera, ac feruida ingenia Imperatorum fuiſſent,* vt notat Liuius in Hiſtoria belli Africani, atque eam ob rem Homerus, poſtquã in Rege Agamemnone iram ineſſe dixiſſet, non illam quidem remiſſam, & placabilem, ſed diuturniorem quàm illiberalis contumaciſque naturæ ſignum eſſe ſapientes arbitrantur; eidem deinceps recta quaſi analogia plurimorum, turpiumque vitiorum, ac facinorum perpetua ſtigmata inurit.

Verum quis non videt, quàm inique hæc argumenta in milites torquentur, quorum maxima pars, in duces ipſos refundi potius debet, qui vt munerum, & officiorum ratione, ſic temperie corporis, penitus à milite diuerſi ſunt: nam vt hunc ira iuuat, & in prælium quo tendere debet alacriter impellit, ſic duci maximè nocet, eumque impedit, ne quid imperandum ſit, & quo ordine videat, quemadmodum egregiè Virgilius Turni exemplo oſtendit, etenim hic interemptis cuſtodibus hoſtilem vrbem irruperat, 10. *& explicatur ducis temperamentum quod etiam Eunuchi habere poſſunt.*

> *Et ſi continuo victorem ea cura ſubiſſet*
> *Rumpere clauſtra manu, ſocioſque immittere portis,*
> *Vltimus ille dies bello gentique fuiſſet.*

Sed ira, cædiſque inſana Cupido, eum tũc egit in aduerſos hoſtes, atque ita grauiter in eo peccauit, vnde priuatus aliquis miles ſummam audaciæ, ac virtutis laudem retuliſſet. Quod vero ducis temperies nihil ferme cum militis temperamento commune habeat, vel Eunuchorum exemplo certiſſimè patet, in quibus cùm ob deciſam libidinis radicem, & fomitem caloris extinctum, audacia quæ à ſpiritu copioſo, & præualido ſanguinis feruore generatur, eatenus extincta ſit, vt animi ſatis non habeant ad militis officium ſuſtinendum; quia tamen ob eaſdem cauſas, ratio potentius in illis dominatur, & perturbationibus facilius obſiſtunt, ita vt experientia doceat, caſtratis hominibus nihil magis ingenioſũ fieri poſſe, & nomen etiam eorum illud planè ſignificet, ſaltem apud illos qui Eunuchos dictos volunt παρὰ τὸ εὖ νοῦν ἔχειν *à mente bene conſtituta*, potius quam παρὰ τὴν εὐνὴν ἔχειν *à cuſtodia cubilis*;

inde inquam eſt, quod ducis munere præclare fungi poſſunt, vt præter Narſetis exemplum cuius prudentiâ Gothorum gens indomito corporum, ingentiumque animorum robore terribilis, ad internecionem ferme deleta fuit; illud quotidiana ferme experientia comprobant Turcarum Imperatores, quorum numeroſi exercitus, feliciter plerũque ab hominibus quibuſdam gracilibus, puſillis, & quod maximè miſerum eſt, defectæ virilitatis Eunuchis adminiſtrantur. Quamobrem non ſatis intelligere videntur in quo nam ducis officium conſiſtat, qui eadem ratione de eius, ac militis temperamento ſibi diſcurrendum putant, nam huius conditionis homines, licet animi magnitudine, & corporis robore præ cæteris excellant, ſæpius tamen præcipites impelluntur, nec quid facto opus ſit facile cognoſcunt. multo vero longius a ſcopo aberrant, qui vna cum Ariſtotele, effectum hunc in melancholicum humorem referunt, cuius vbi in homine copia incanduit, pro caloris intentione, aut remiſſione, alijs ingenium addere ſolet vt Lycurgo, Soloni, Rhadamanto, & ingenioſiſſimis quibusque Poetis: alijs audaciam afferre vt Herculi, Theſæo, & Heroibus cęteris, quos omnes melancholicos fuiſſe, & huius æſtu concitatos in ferrum, & ignem intrepidos irruiſſe, ac nihil quod humanis viribus effici poteſt intentatum reliquiſſe, idem commemorat. Etenim licet hæc non plebei Sophiſtæ, ſed maximi Philoſophi ſententia ſit; videtur tamen propius in illam intuenti, non multum in re de qua hic quæſtio eſt; aut veritatis, aut momēti obtinere: cùm non tali Imperatore nobis opus ſit, qualis olim Hercules extitit.

Hora:. epiſt 2. lib. 2.

Duram qui contudit Hydram,

Notaque fatali portenta labore ſubegit.

aut quales fuerunt Theſæus, Caſtor, Bellorophon, Perſeus qui mōſtra, Furias, Serpentes, Harpias, Cerbereoſque Canes proprijs manibus compreſſerunt, ad quæ opera fateor quidem, non potuiſſe eos impelli, niſi eo humore acri, & recocto qui reliquos homines in furorem, ac ſui, & reliquorum odium impellit, namque vt obſeruat Rutilius in Itinerario.

Huic nimia bilis morbum aſſignauit Homerus:

Bellerophonteis ſollicitudinibus.

Quamobrem vt certius aliquid pronunciari de ducum imperio, poſſit

poſſit qualenã ſcilicet illud eſſe debeat,& à quibus cauſis dependeat? Statuendum eſt in primis quòd eius officium non eſt, manus in acie conſerere,gregarij cuiuſdam militis inſtar, ſed vt hoſtem,quàm commodiſſimè aggredi,aut declinare poſſit videre, idque per inſidias potius,& occulta conſilia ex Vegetij præcepto apud quem, *boni duces non aperto Marte prælium,in quo eſt commune periculum, ſed ex occulto ſemper attentant;vt integris ſuis quantos poſſint hoſtes interimant certe,vel terreant.* Vnde multa Ducem ſcire conuenit,multa introſpicere,& ſecum animo verſari, multa ſolerter excogitare, prudenter diſponere,celeriter exequi,& per fraudes, ac ſtratagemata attentare; quorum omnium ratione, tandem factum eſt vt *malitia*,quam Cicero,*Verſutam fallacemque nocendi rationem* appellabat, multum etiam eſſe affinis *militiæ* cenſeretur: ac proinde concludendum eſt, tot diuerſas actiones quæ minimè ſunt a natura,ſed a conſilio, non poſſe a ſimplici aliqua cordis,aut ſolius corporis tẽperie proficiſci,ſed ab imaginatiua facultate pendere,vt cõmunis eſt multorũ opinio;vel ab ipſius prudentiæ ſpecie,quæ ob affinitatem quam habet cum vafricie, & ſolertia,non minimum, & ipſa ab imaginatione iuuatur. licet vna ſit è quinque virtutibus dianoeticis quæ mentem regunt, & perficiũt.Atque has omnes actiones,doteſque Imperatorias,adeo verum eſt a prudentia dependere, vt ſi quid dux in bello peccauerit,non falſa eius imaginatio culpetur,ſed iudicium quo parum conſideratè vſus eſt; & ſeu rerum agendarum occaſiones neglexerit,ſeu nimia feſtinatione eaſdem corruperit, *imprudens* ob eiuſmodi errores ab omnibus audiat. quomodo vero prudentiæ, & imaginationis opera, diuerſam cerebri temperiem requirant, & qualem,ac quænam vtriuſque ſigna, ad præſtantiſſimum Ducẽ ex his cognoſcendum, afferri poſſint fruſtra omnino eſſem ſi explicare conarer,poſt Antonium Zarã qui hęc omnia, quanquam turbidè ſatis, & confuſe ex Anacriſi merito damnata, in ſuam ingeniorum anatomiam tranſtulit. Quare ſatius eſt vt me recipiam in gradu,& quę antea dicere cœpi de calida Tyronum cordis temperie,è qua militaris audacia prouenit,ea nunc de eiuſdem notis,& ſignis tractando abſoluam.

Cap. 9. lib. 1.

Lib. de Natura Deorũ.

II.

Poſtea audacia militaris ſigna proponuntur varia.

Enimvero,quia hominum pectus feneſtratũ nõ eſt,vt ex Momi voto, quomodo cor intus ſe habeat, & vtrum pili in illo ſuccre-

ſcant,aut maxima caloris vis intus ebulliat, cognoſcatur; Galenus,& qui eius doctrinam ſequuti ſunt Medici alij percelebres,ſic conſultum eſſe voluerunt huic difficultati,vt caloris in corde modum, & temperiem, primùm quidem eliceren:, ex tactu, & contrectatione totius corporis; quod ab vbere, validoque ſanguinis, & ſpirituum feruore, per cordis arterias in ambitum effuſo; non niſi impendio calidum eſſe poteſt. Deinde idem conijciebant ex reſpiratione,pulſu,voce,anhelitu, quorum omnium frequentia, magnitudo, velocitas calori atteſtantur vehementiſſimo; vt contrarij effectus debilem indicant, & per laxiores cordis ventriculos,quaſi fatiſcentem. Præterea ſedulo obſeruabant ,ſi pili fuerint denſi, nigri, frequentes in pectore,& locis non multum ab eo diſſitis, quoniam ex calido illo viſcere multæ fuligines attolluntur, & potius in anteriorem partem thoracis quæ rarior eſt, & minori oſſium vallo circumſepta, quàm in poſteriorem erumpunt. demum conuertebant ſe ad Thoracem, quem natura aeri multo continendo, qui æſtuanti cordi ad refrigerationem neceſſarius eſt, magnũ,& capacem præparare ſolet. Verum non tam facile vt hæc ipſa dicuntur, ita & obſeruari poſſunt, cùm Hepatis frigida temperies, corporis feruori obſiſtat; & anguſtiores arteriæ pulſum;conſtrictio pectoris, reſpirationem æque citam,atque velocem vt calor efficiant: nihilque certi ex thoracis magnitudine ſequatur,quoties caput in eandem amplitudinem excreuerit,quia tunc a conformatione,aut materiæ copia, aliſque de cauſis, vtrumque diſtendi manifeſtum eſt. Quamobrem, quia malè cùm delectoribus ageretur, ſi quoties milites conſcribunt, animum ad eiuſmodi cautiones aduertere deberent, duo tantum ex præcedentibus ſignis propono; quæ vt obuia ſunt & obſeruatu facillima, ita vt nullo conatu ſe oculis, auribuſque inſinuent, ſic longè certiora ſunt,quam vt de illorum vtilitate dubitare liceat.

12. *Maxime autem a voce.* Primum vero ex voce deſumitur, quæ Marco Antonio Bonciario ſecundum etiam indicabat, nempe colorem cutis, ſic enim ille in epiſtola qua ſe ipſum de cæcitate conſolatur, *cæterum naturalis ille, ac viuidus color quem virilis pulchritudo deſiderat, me nunquam fallit voce internuncia*; & quidem addiderat etiam antea, *quas primum voces illi proferrent qui ad ſalutandum ingrederentur, illas ſibi frontem, oculos, ſupercilia, totum denique oris habitum*; *præ-*

præterea ætatem, vigorem, indolem; ad hæc ſi ſtantes loquerentur, molem ipſam, & corporis truncum repræſentare. Verum non iſtis immoror, quæ ioco ne, an ſerio dicta fuerint, haud facile poſſum aſſequi. vt nec illud valde curo quod Democrito accidiſſe teſtatur Laertius, cùm cæcus de læſa, violataque cuiuſdam Virginis pudicitia certiſſimam coniecturam fecit ex voce, quæ vt inquit Plinius *in homine magnam vultus habet partem*; (lib. 11. c. 51.) Sed illud tantum dico, vocem elatam, grauem, & plenam, audaces naturà, & iracundos homines ſignificare; quoniam in illa multum aeris, & celeriter quidem propellitur, quod à vehementi calore, & peramplo Thorace, ac magno deſiderio fieri neceſſe eſt; vnde quod iratis impetus, id in illis natura facit, vt nimirum præ calore qui circa cor efferuet, vocem attollant, cùm timidi, & ægri ex refrigeratione, & imbecillitate, eandem è contra demittant: & ſanè cum talem habuerint magnanimi Heroes Gottifredus Bullionius, Franciſcus Sfortia, & Ioannes Medices; atque Ariſtoteles diſertis verbis (Phyſiogn. cap. 7.) contendat, grauem, & intenſam vocem fortem virum deſignare, acutam, & remiſſam timidum; videtur haud iniurià ſignum iſtud, quod adeo certum, & facile eſt, plurimi ſemper in Tyronum delectu faciendum eſſe.

13 *Et colore cutis, & pilorum.*

At non minoris etiam exiſtimari debet alterum obſeruationis genus, quod ex colore cutis, & pilorũ in Equis præſertim ſpectari ſolet; & quod ab his ad milites, alioſque homines transferri ſumma cum ratione poſſe nullus dubito. quemadmodum enim dixit Virgilius, cùm laudabilium equorum notas inueſtigaret.

Honeſti
Spadices, glaucique; color eſt deterrimus albis. (3. Georg.)

ita vellem omnino vt qui milites conſcribunt, eorum potiſſimum rationem haberent, qui pilis ſunt nigricantibus, colore vultus ſubfuſco, cute liuida, & exuſta; glaucis oculis, vel nigris; & eo demum totius corporis colore, qui magis ad atrum & retorridum accedat, quàm ad dilutum, albicantemque, aut penitus candidum; etſi enim color albus magnam omnibus venuſtatem afferat, & ad delitias voluptateſque expetatur, ita vt quemadmodũ niger infauſtus, & morti, Diiſque inferis dicatus erat, teſte Statio in Thebaide, *nigræ præcedunt nubila mortis*, (lib. 9.) & alibi

Ille deos, Furiarum que atra fatigat (lib. 4.)

Digitized by Google

Concilia.

ſic albus maximè auſpicatus, & cœleſtium proprius cenſeretur, vt etiam Seruius Virgilianum illud, de Cæſare ſub Daphnidis nomine prolatum.

Eclog. 5. *Candidus inſuetum miratur lumen olympi*,

ita reddiderit. *Candidus, id eſt Deus.*

lib. 1. ode 2. & Horatio *Nube candentes humeros amictus*
Augur Apollo

deſcribatur; eaque colorum varietas in victimis quoque apud antiquos ſeruata fuerit dum offerebant.

Aeneide 3. *Nigram hyemi pecudem, Zephyris fœlicibus albam.*

Ouid. 15. met. In ſuffragijs etiam, & capitalibus ſententijs, in quibus perſæpe
Omnibus à nigro color eſt mutatus in album.

ac denique in Augurijs, quę Tibullus *candida* vouebat amico ſuo, cùm è contra Ouidius *nigra*, vt nefaſta deteſtatus ſit
Nigraque funeſtum condidit omen auis.

Licet inquam color albus nigro, ac fuſco in his omnibus longè præcellat, à nemine tamen ſuffragium vnquam tulit, cùm robore corporis, & præſenti animo opus eſt, ad aggrediendum aliquid difficile, plenũque moleſtiæ, & ingenui ſudoris. Cuius rei talis vt videtur mihi cauſa aſſignari poteſt, quod in albis abundat humor aqueus, & frigidus, qui præterquam à victu pleniore, & liberaliori, vitaque remiſſa, ac natiui caloris penuria, non ſatis honeſtè cõgeritur; inſuper, mores motuſque animi omnes tardiores efficit; ſenſus obtundit, mentẽ hebetat, ſomnoſque graues, & profundos, cum tarditate, & ignauia inducit, quæ omnia quantum ſint muneribus bellicis aduerſa, colligendum vnicuique relinquo. idque non modo perſpicuũ eſt in hominibus, de quibus rectiſſimè iudicare poſſis, ex trito illo, & cõmuni Faceti ignobilis Poetæ diſticho.

Raro breues humiles vidi, rufoſque fideles,
Albos audaces, *miror magnos ſapientes*

aut in Capris, Bobus, Gallinaceis Equis alijſque animalibus quæ multum à temperamentis, & humoribus immutantur, Sed etiam in alba Terra quæ ab omnibus agricolis vituperatur, cùm nigerrima frugibus abundet, atque etiam auri fœcunda laudetur ab Homero; item in albo Magnete; in Populo aba; in alba Quercu; in Coralio albo; quæ deteriora ſunt. ac fieri poteſt vt inquit Bodinus,

Digitized by Google

dinus, quod gręca vox ελὰξ quę *lãguidum* ſignificat, in eũ ſenſum à Gallis, vel potius Gallogræcis detorta ſit, vt quod Latini *album* dicunt, ipſi *blanc* appellent. quæ ingenioſa vocum interſe mutatio, alterius mihi in mentem reducit, quam vir multiiuga doctrina, & omnifaria ſi quis alius lectione expolitus Petrus Laſeyna Neapolitanus, in Stromatis quæ vulgari lingua ſed non eruditione, prima inter ſtudia, ac ingenij tentamenta conſcripſit, hunc in modũ contra Academicos, qui ſibi à furfure nomen indiderunt, in voce *malandrino* explicat; vt illam non à verbo *malandare*, quemadmodum ipſi volunt, ſed à vocibus græcis μέλας, & ἀνὴρ ἀνδρὸς deducat, quaſi vox hæc italorum *malandrino* nihil aliud ſignificaret, quàm nigrum hominem, & ex quadam deductione ſceleratum etiam, ac inquinatæ vitæ, quia nimirum humor aduſtus & recoctus, qui in hominibus tinctis vt loquitur Arbiter *colore noctis* id eſt nigra cute, nigroque capillo, præualet; vt illos ad audendum promptiores efficit, ita & ad peccandum, conuerſa in ſcelus, & violentiam audacia. Vnde Plutarchus hoc Pythagoræ Symbolum *à Melanuris*, ſeu quibus nigra cauda eſt *abſtineto*, ita explicat, quaſi Pythagoras voluerit, non conſueſcẽdum eſſe cum hominibus ob malitiam nigris, eo plane ſenſu quo Horatius dixit.

Hic niger eſt, hunc tu Romane caueto.

& Creta inſula damnatur à Virgilio, vt *nigris exeſa colubris*. Sed loquimur tantũ hic de ſubfuſcis, & nigricãtibus viris qui ex bilioſi, aut melancholici humoris dominio, maius ad fortitudinẽ animi, roburque corporis, & facultates quæ ab vtroque dependent, incrementum ſuſcipiunt; non vero de illis qui eodem humore ad ſcelus, & flagitium abutuntur; ac proinde non debet ille abuſus in cauſa eſſe, quominus cenſores, aut militum delectus curam in ſe habentes, magis ſaturato colore quàm diluto, & fuſco potius quàm albicante, prędítos homines in militiam adſcribant, modo tamen diligenter animaduertant, quinam inter Germanos, & Gallos, atque illis etiam finitimos Anglos, ex proprio temperamento, aut ex eo quod toti nationi commune eſt, naturaliterque in his, & quibusdam alijs populis ad albedinem propendet, colorem hunc contraxerit: Secus enim grauiter offendent, nec minimum iniurij erunt in eas nationes, quarum natiuo colori his verbis optimè, ſapienterque patrocinatus eſt Galenus. *Gallis*,

lib. 3. Theatri naturæ.

lib. de educ. pueror. ſub finem.

2. Georg.

2 de temper. *& Germanis, & omni Thracio, & Scythico generi frigida, humidaque cutis eſt; ideoque etiam mollis, alba, & pilis nuda; omnis vero naturalis calor in viſcera vna cum ſanguine his confugit, vbi dum agitatur, & premitur, & feruet; animoſi, audaces & præcipitis conſilij redduntur.*

VII, 1 Tũ ætas militia idonea. Sequebatur in delectu ætatum conſideratio, cuius momentum in eo præcipuè verſabatur apud omnes nationes, vt adoleſcentes potius quam ætate prouectos eligerent; quandoquidem quæ diſcenda ſunt in militia pariter, ac in alijs artibus, & diſciplinis, citius arripit, & tenacius retinet minor ætas quàm lacertis effœta, viribus que animi flacceſcens; vt omittam quod corpore iam ad ſenectutem inclinante, ſpatium multis rebus addiſcendis non relinquitur. Vnde hoc etiam in Laudibus Romanorum merito ponebat Saluſtius, quod iam tum apud illos iuuentus ſimul belli patiens erat, & in caſtris per labores improbos, atque vſu ipſo militiam addiſcebat, quod eximiæ virtutis decus, factumque domeſtica conſuetudine velut gentis ſuæ proprium, ne deſidiâ corrumpi permittant, ſic illos hortatur Romanæ fidicen
ode 2 lib. 3. Liræ Horatius.

Anguſtam amici, pauperiem pati
Robuſtus acri militia puer
Condiſcat, & Parthos feroces
Vexet eques metuendus haſta
Vitam quæ ſub dio & trepidis agat
In rebus

epiſt 18 lib 1 idemque, cùm Lollio ſummopere abblandiri vellet, ſatis habuit quæcumque in eius commendationem prius attulerat, hoc verſu claudere.

denique ſæuam
Militiam puer, & cantabrica bella tuliſti:

lib. 4. cap. 4. & Vegetius quaſi pedibus iret in Horatij ſententiam, melius eſſe dicit *vt exercitatus iuuenis cauſetur ætatem nondum aduenisse pugnandi, quàm doleat præterijſſe*, quæ cauſa profectò fuit, vt Ga-
1. de ſanit. tuen. lenus qui in hominum natura veſtiganda, ſtudio, & induſtria facile excelluit omnibus, Pædotribas moneat, vt à ſecundo ſeptennio ad expletum tertium, viribus iuuenum confirmandis diligenter incumbant,, ſi quidem ad robuſtiſſimum corporis habitum

tum

Digitized by Google

rum prouehere eos cupiunt; aut milites ſtrenuos, luctatoreſque vel alijs viribus inſignes efficere. Quanquam huic Galeni conſilio multæ gentes præuertendum cenſuerunt, ac in primis Thraces, Celtæ, Germani, Lacones & quicumque populi vitam in ſtudijs rei militaris agebant, cum hoc ſemper in more inſtituto que poſitum habuerint, vt natos recens infantes fluminum alueis abluerent; nudos per ſæuientis Boreæ flatibus infeſtas ſæuoque gelu rigentes plagas traducerent, fame etiam interdum, & plagis macerarent; quo facilius poſſent his artibus ad laborum patientiam confirmati, reliquum vitæ tempus, eo modo tranſigere, quem Sidonius Apollinaris in panegyrico ad Anthemium Auguſtum, ſcitè, eleganter que iſtis verſibus repræſentat.

Sic Lacte relicto
Virtutem gens tota bibit, creuere parumper,
Mox pugnam ludunt iaculis, hos ſuggerit illis
Nutrix plaga iocos: pueri venatibus apti
Luſtra feris vacuant, rapto ditata iuuentus
Iura colit gladij, conſummatam que ſenectam
Non ferro finire pudet, tali ordine vitæ
Ciues Martis agunt;

2 *Qualis illa fuerit apud Romanos.*

Quoties igitur Romanis liberi delectus poteſtas concedebatur, moris habebant, haud fere quemquam minorem ſeptem decem annis, aut ſex & quadraginta maiorem, militum in ordinem referre; quod Seruius Tullius, vt inquit Tubero apud Agellium, hac vltima ætate prouectiores, ſenibus; vt infra primam conſiſtentes, puerorum claſſi annumeraret; atque inde ſpatium quod inter vtramque metam annorum decurrit, velut iuuentuti dicatum qua. c.18.lib.10:

robuſtior ætas
Vlla, nec vberior, nec quæ magis ardeat vlla eſt.

militiæ quoque conueniens omnino, & opportunum eſſe veteri cenſione conſtituit; quam ſubſequentibus demum annis Cornelius Gracchus lege ſacrata confirmauit, ſtatutũ que fuit vt equites, decem, pedites autem, ſedecim ſtipendia mererent, ad ſextum, & quadrageſimum vſque ætatis annum; aut etiam valde periculoſis temporibus, ad quinquageſimum ſextum. quanquam ſub Auguſto, & alijs Imperatoribus, tàm in ſtipendiorum quàm annorum

norum

Digitized by Google

norum numeratione, non infrequenter tali ſenatus conſulto fuerit derogatum,ſed illud tamen vt plurimum obtinuit quod Polybius in fragmento libri ſexti de Republica aſſerit, nulli ciuium Romanorum licuiſſe vllum magiſtratum vrbanum gerere, qui decem annos non militaſſet;erant autem adoleſcentes Romani in toga prætexta,vſque ad decimum & ſextum annum, quo anno togam puram, eandemque virilem accipiebant. Nec dum tamen ita in viros recepti militiæ idonei cenſebantur, vt apparet ex Suetonio in Auguſto *quadrimus patrem amiſit, duodecimum annum agens auiam Iuliam defunctam pro concione laudauit, quadriennio poſt, virili toga ſumpta, militaribus donis triumpho Cæſaris Africano donatus eſt, quamquam expers belli propter ætatem*. Tirocinium igitur forenſe toto illo anno conficiebant, & ſequens qui decimus ſeptimus erat, illis demum ad militiam aditum patefaciebat; nam Titus Liuius oſtendit anno ſeptimo, & decimo fuiſſe ætatem militarem; etenim inopia iuniorum dicit creatos Trium viros, qui vndique ingenuorum copiam conquirerent, eoſque & ſi nondum militari ætate eſſent, milites facerent, ſi modo ſatis roboris ad ferenda arma habere viderentur, tum vero paulo poſt, quos vocauerat nondum militari ætate, eos minores fuiſſe dicit ſeptem & decem annis: vnde neceſſario efficitur militarem ætatem fuiſſe anno decimo ſeptimo, quam quadrageſimo quinto finiri ſolitam aſſerit Dionyſius Halicarnaſſæus, non omnino conſentiens cum Polybio qui his alterum annum addit; multoque minus cum Seneca qui quinquageſimo tantum eam circūſcribi, determinarique putat, *lex* enim inquit, *à quinquageſimo anno militem, non cogit, à ſexageſimo Senatorem non citat*; quo etiam pertinere cenſeo illud Macrobij in fragmento Librorum Ciceronis de Republica, quod ſomnium Scipionis complectitur, *nonnullarum Rerum publicarum is mos eſt, vt poſt ſextam ad militiã nemo cogatur, in pluribus detur remiſſio iuſta, poſt ſeptimam*, vbi per ſextam, & ſeptimam, auctor ille hebdomades annorum intelligit, in quibus ſingulis ponebant annos ſeptem; atque ita palam eſt in nõnullis Rebus publicis ſecundum & quadrageſimum, in alijs nonum & quadrageſimum annum, immunitatem à militia attuliſſe; & ſane cum antiquiores illi minimum inter ſe conueniant; mirum etiam videri non debet, ſi nuperi ſcriptores aliquo ſemper

lib. de breuit. vitæ.

in errore verſentur, cùm de his & ſimilibus antiquorum inſtitutis quaſi ex tripode pronunciant. 3

Cæterum vt planè non conueniunt hi termini, cum ijs quos exteræ nationes legibus ſuis prę ſtitutos habebant, ita nec penitus ab ijſdem diſſentiũt; nam ſi Ariſtotelē conſulimus, vult ille in Politicis iuuenes in optima & bene inſtituta Republica, decimo ſeptimo ætatis anno in bellicis muneribus apud Pædotribam exerceri, mox vera prœlia ſubituros: quem autem bellandi terminum poſuerit, vix poſſumus niſi coniecturà depræhendere, qui tres vltimos eius operis libros non habemus quos adducit Petrus Victorius, commentarijs in primum Rhetoricorum; & vetus interpræs diligenter à ſe conquiſitos, nuſquam reperiri potuiſſe aſſerit quare cum ipſe in libris qui ſuperſunt, virum liberis operam nauare præcipiat, ſub annum ætatis trigeſimum ſeptimum, hinc adducuntur nonnulli vt exiſtiment, hoc anno apud Ariſtotelem militaris vitæ finem, & ciuilis, ac politicæ principium conſtitui; quod tunc robur corporis decreſcens, liberorum procreationi impendi debeat, potius quam bellicis laboribus, quorum moleſtias facilius deuorare homines poſſunt.

Et exteras nationes vbi de pubertate differitur. lib. 8.

dum valida & iuuenilia membra
Sufficiunt galeæ, dumquè ardent ſanguine. Iuuenal Saty. 11.

Perſarum autẽ iuuentus à vigeſimo ad quinquageſimum annum militare cogebatur, vltra quod Tempus arma illi tractare vetitum erat. Sed Lacedemonij, quod notat Plutarchus in Ageſilao, & Xenophon libro quinto Hellenicôn, poſt quadrageſimum vacationem obtinebant, non quod bellandi peritia aut fortitudine Romanis inferiores eſſent, verum quia vt magis Auſtrales, ita quoque robore minus valebant; quemadmodum etiam Athenienſes de quibus legem hanc inter Atticas, ex Vlpiano Demoſthenis interprete Samuel Petitus ſuccenturiauit, *Athenienſes ad annum vſque quadrageſimum militent, ab anno decimo octauo; & quidem ad annum vigeſimum intra Atticæ fines, ab anno vero vigeſimo extra Atticam*. quod ſapientiſſimi Populi iuſſum, adeò eruditè interpretatus eſt idem Petitus, vt nullum vnquam eius lectionis penitere poſſit. Galli è contra neque delectus, neque ætatis rationem vllam ſeruabant, ſed quemadmodum inquit Cæſar, initium belli apud illos hunc in modum ſe habebat, communi lege

initio lib. 8. leg. attic.

5. belli Gallici.

Digitized by Google

ni lege omnes puberes armati conuenire conſueuerant, & qui ex his nouiſſimus accedebat, in conſpectu multitudinis, omni cruciatuum genere affectus necabatur. Pubertas vero quæ fuit illis στρατεύσιμος ἡλικία, ſiue *militaris annus*, non deſignati alicuius temporis vox eſt, ſed inſignis in corpore mutationis, cuius Medici cùm modum aſſignare perfectè non poſſint, quia ab anno decimo, per ſubſequentes ad duodeuigeſimum errat, non aliter profecto de eius præſentia iudicant, quàm per ſigna quæ ſtatim edit, quando vt inquit Lucretius

Lib. 5. *Tum demum pueris æuo florente iuuentus*
Occipit, & molli veſtit Lanugine malas.

quod idem alibi eleganter dixit

& impubem molli pubeſcere veſte.

qnoniam prima hæc Lanugo non modo *Floris*, ſed etiam *Veſtis* appellatione ab optimis auctoribus inſignita nonnunquam fuit; eoque ſenſu accipiendum eſt illud Virgilij

Aeneid. 8. *Aurea Cæſaries illis, atque aurea veſtis.*

nam *veſticeps* Agellio dicitur qui eſt pubes, & *inueſtis* è contra plane impubem, atque imberbem ſignificat. quanquam aliqui Lib. 5. c. 19. malint *inueſtes* appellari quaſi in Veſta, ideſt, in pudicitia & caſtitate; ſed vereor ne iſtud fiat haud aſſentiente Nonio cui *inueſtes dicuntur impuberes, quibus propter teneram ætatem nulla pars corporis pilat.* Cæterum eadem facultas quæ molli illo, & criſpante pilo iuuenes veſtit, τραγίζειν quoque ſiue *hirquitallire* eoſdem, quod tum primum Hircum olere incipiant, ſiue vocem edere grauiorẽ, & inæquabilem, Hircinæque non diſſimilem: & virginum mammas quod id ætatis adeptæ viro maturæ ſunt *ſororiare* facit, atque has ſuperflui ſanguinis diminutione per vterum; illos vero magis exquiſiti, & dealbati præparatione in coleis, in perfectorum animalium ſpecie conſtituit, quia tunc primm

Sacra Thori, coituſque nouos, Thalamoſque recentes,
Primaque dilecti repetentes fœdera lecti

Deo *Subigo*, Deæque *Pertundæ* litare poſſunt, & animal ſibi ſimile procreare. Hæc autem ſigna cum in corpore humano, ex caloris interni effulgeſcentia, & robore pendeant, qui humorem quo ſub vitæ primordis obruebatur, ſenſim depaſcit, rectè ex illis apparentibus conijci poterit, immutatum pariter fuiſſe tempera-

ramen-

ramentum, maximè ſi cum illis ſpatium ætatis huic rei determinatum conueniat, adſint etiam cætera quibus corporis humani cõſtitutio per ſe ſuoque motu luculenter immutatur. quæ fuit Priſci ſententia apud Vulpianum in regulis iuris, vbi ſic ille. *puberem autem Caſſiani quidem eum eſſe dicunt, qui habitu corporis pubes apparet, ideſt qui generare poſſit: Procoleiani autem eum, qui quatuordecim annos expleuit. Verum Priſcus eum puberem eſſe in quem vtrumque concurrit, & habitus corporis, & numerus annorum:* Crediderim tamen delectos potius fuiſſe qui ad ἐξεφήβους, propius accederent, cùm legam Alexandrum agmen pubeſcentium triginta millium barbarorum habuiſſe, qui Macedonicis erant inſtructi moribus, & *Epigoni* dicebantur, quaſi *inter ſectorum poſteri* verum vt ad antiquiores Gallos reuertar, à quibus conſecutione quadam orationis, ad hanc ſenſim de pubertate digreſſionem ſum delapſus, patet certè illos, nihil antiquius habuiſſe, quàm vt pueros ſtatim atque forti pectore, & humeris ad geſtationem armorum idoneis eſſe deprændebantur, in militum phalangem referrent. Sed neque ſenilis ætas apud illos ab iſtis muneribus immunis erat, aut confecto legitimè ſtipendio, rude tandem donata quieſcebat, quemadmodũ ex eodem Cæſare colligitur, vbi refert, Vertiſcum Rhemorum Præfectum, quamuis equo propter ætatem vix poſſet vti, tamen conſuetudine Gallorum, neque ætatis excuſatione, in ſuſcipienda præfectura vſum, nec ſine ſe dimicari voluiſſe, atque ita certum eſt id apud illos frequenti vſu, conſuetudineque obtinuiſſe, ad quod cæteræ gentes non niſi extrema quadam neceſſitate compulſæ deueniebant, vt Romæ ſolemne fuit, quoties tumultus Gallici rumor percrebeſceret; & Athenis etiam quando Conon vt fractum imminutumque exercitum nouo delectu ſuppleret, pueros immaturos quibus vires nondum ſuppetebant, ſeneſque emeritos legit: quod Phocion aliquoties item feciſſe dicitur, non aliqua ſane occaſione perſuaſus, quę ſolito vehementius vrgeret, ſed quo Athenienſes à belli furore, in quem præcipites quotidie ferebantur, hoc acerbo, & per quàm moleſto delectu cohiberet. alioqui ſi nulla eiuſmodi cauſarum, delectus formam immutaret, non modo adoleſcentibus parcebatur, ſed ipſi ex lege plectebantur ſi publici ſacramenti tempus anteuerterent, ac propterea de Iſada comment. 8.

Phœ-

In Ageſilao. Phœbidę filio narrat Plutarchus, eum quod Gymnaſio exiliens ſponte ad bellum profectus eſſet contra Epaminondam, qui tunc Spartæ grauis imminebat, corona quidem fuiſſe donatum quia ſtrenuè ſe geſſerat; verum tamen mille quoque drachmis mulctatum, quod nondum matura ætate, nec conuenientibus armis imprudenter in hoſtem irruiſſet. Noſtris autem temporibus nullibi certa delectorum militum ratio pręterquàm apud Turcas remanet, hi enim mediam pueritiam non prætereunt, & ſtata quotannis habent tempora, quibus per omnes præfecturas diſcurrunt, & eos deligunt, quorum corpus habile eſt ad militares labores, & præuias exercitationes, quę illis pro Tyrocinio ſunt, antequam in prætorianas Ianitſerariorum cohortes admittantur. quod vero Federicus Imperator nouis ſuis conſtitutionibus, ætatem militiæ idoneam incipere ab anno vigeſimo quinto, & ad ſexageſimum deſinere ſtatuit, ſtud profecto tam à nemine obſeruatur, vt pro antiquato iure haberi poſſit.

4 *Et num ſenilis ætas ſit ad bellum idonea atque etiã nũ Achilles ſenior Patroclo fuerit.*

Quanquam non ille modo ſolus extitit, cui ſeniorum hominum delectus magis quàm Iuuenum arridere viſus eſt, cùm hæc eadem ſit nonnullorum etiam hac tempeſtate ſententia, qui iſtud in primis Symmachi præferunt *nullam certè Neſtor tertio ætatis ſuæ ſeculo militiæ vacationem expopoſcit, nec Achilli excuſauit ætatis ſuæ frigus Phœnix monitor.* adduntque Herculem cuius celebrata illa toto orbe facinora recenſentur, nuſquam Iuuenis habitu depingi à Poetis, ſed rugoſi potius Senis, adeoque vieti & obſoleti. quin etiam magnum inde ſuæ opinioni præſidium accidere putant, quod Camillus cõtra Latinos, & Volſcos magna molé dimicaturus, ſeniores quibus aliquid virium ſupereſſet, in ſua verba iuratos centuriauit. Sed Marium præterea, & Alexandrum Macedonem referunt, hunc cum aduerſus Darium moueret; illum cum pro ſe contra Syllam, aut in alios, pro Populi Romani libertate pugnaret, ſœpius ætate prouectos, & ſeneſcentes ad ſigna vocaſſe. Hoc autem temere, vel inconſultò factum ab egregijs illis ducibus, ſi quis interprætetur, is omnium ſententia errabit quàm maximè. ac proinde ipſi concludunt ex communi illo Homeri verſu, quod

Epiſt. 13. li. 3.

Aetas cana etiam non eſt incommoda bello.

nec leuiter ijs ſuccenſent qui contrarium cum Ouidio arbitrantur,

tur, militiamque in ſene damnant, velut omnium minimè idoneum munus quod homo id ætatis poſſit ſuſtinere cū præſertim, Cicero ingenuè fateatur quod *ætas Tyronum plerumque melior, ſed ferre laborem, contemnere vulnus, conſuetudo docet* quod idem eſt ac ſi diceret, Senes ob eiusmodi conſuetudinem quā ſoli habere poſſunt, Iuuenibus militari diſciplina eſſe præferendos. At vero cùm multa dixerint, vereor tamen ne quicquam concludant, quod eludi ſtatim, declinarique non poſſit vnica muneris, vel tēporis diſtinctione. Neſtor ſi quidem, & Phenix vna cùm cæteris Troiā venerunt, nō Lacertis ſuis confiſi, nec vt Græcorū arma ſuis viribus & telis promouerent; Sed hic Achillem ſequutus eſt, quo illi à conſilijs eſſet, & Neſtor ab Agamemnone eadē quoque de cauſa inuitatus fuit vt ſecum in caſtra proficiſceretur, & ſane poſtquam iſtorum occaſione, cuiuſdam te erroris admonere poſſum, Ludouice Comes, qui iam inde ab antiquiſſima memoria multorum opinione inualuit, exiſtimantium Patroclum fuiſſe Achille Iuniorem, ab eoque velut adamatum, ſicut ferme Hylan ab Hercule; nolo hic prætermittere quin iſtud faciam, non quidem auctoritate Statij qui parem in Achilleide vtriuſque ætatem prædicat, ita inquiens. 2. Tuſcul.

Inſequitur magno iam tum connexus amore.
Patroclus, tantiſque extenditur æmulus actis,
Par ſtudijs æuique modis. Miſcell. c. 45

Sed Politianum ſequar, & grauiſſimum teſtem Platonem in hoc potius adducam, qui in Sympoſio multò iuniorem fuiſſe Achillem declarat, & ipſum à Patroclo adamatum, vt pote imberbem adhuc, nec Patroclo ipſo modò, ſed Heroibus cunctis, qui ad iſtud bellum conuenerant, formoſiorem; quin Aeſchylum, Plato idem ceu nugacem taxat, quod is quoque Achillem Patrocli fuiſſe Amaſium prodiderit. De Hercule vero longe ſecus res ſe habet quàm ipſi exiſtiment, ſi quidem pictura illa denotat, eum neque robore, neque vi corporis, ſed eloquentia, & ingenio tot præclara, & ardua negotia perfeciſſe. Camillus denique neceſſitati ſeruiebat dum Senes, Marius, & Alexander vtilitati dum veteranos conſcribebant; ſed omnes tamen cùm nihil præter ſolitum vrgeret diligentiſſime præceptum iſtud Horatij ſeruarunt.

Solue ſeneſcentem maturè ſanus, equum, ne

Peccet.

Peccet ad extremum ridendus, & ilia ducat.

& ipſemet Marius apud Plutarchum tardus ad bella accedebat, cùm ageret quintum & ſexageſimum ætatis annum, calore nimirum propter ſenectutem fatiſcente, & tantum non extincto, quod in Rhetorica etiam cauſa fuit vt Ariſtoteles aſſereret ſenes timidos & omnia metuentes eſſe, Senectutem que ipſam aditũ timiditati patefacere, & Vegetius eodem pene ſenſu Tyronem admoneret, qu:d lib. 1. cap. 2. *militaris alacritatis ſaltus, & curſus ante tentandus eſt, quàm corpus ætate pigreſcat; velocitas enim eſt quæ percepto exercitio ſtrenuum efficit bellatorem.*

5 *Et an Tyrones veteranis aliquãdo ſint præferendi.*

Enim vero cùm Federicus Feltrius Vrbinatium Princeps, qui ſummæ virtutis famam inter præclaros ſuperioris ſeculi duces adeptus eſt, illu , aſſerente Iouio, in militibus deſideraret; vt in conſpectum hoſtium dela:i, non prius eorum aciem reformidarent, in elogijs. quàm in eam audacter haſtas primas infregiſſent; quo impigre facto ſi ita videretur, vt ſecunda pericula vitarent, tum demum equos reflecterent; nempe quia fortiſſimus princeps, & præliorum, ac eius ſeculi morum eximiè peritus, exiſtimabat, ad primos impetus plerumque parari victoriam, qui longè vehementiſſimi à Iuuenibus, nec dum expertis militibus prouenire conſueſſent: ex eo factum eſt, vt nonnulli parum atten:è in rem ipſam conſiderantes, non Iuuenes modo milites, ſenioribus, ſed Tyrones etiam prætulerint veteranis; quandoquidem his qui De different. pulſ. lib. 4 nondum prœliorum difficultates, & pericula edocti ſunt, bellum quemadmodum retulit Galenus ex vulgari parœmia, cuius meminere etiã Pindarus, & Vegetius dulce eſt, & in prælis quorũ di- cap. vlt. lib. 3. ſcrimina nũquam viderunt, ab auida, feruentique manus conſerendi cupiditate, vehementem plerumque, & inſuperabilem vim primo congreſſu afferre ſolent; ita quidem vt perturbata valido illo impetu aduerſariorum acie, diſiectiſque, ac diſſipatis ordinibus, qui poſtea reparari facile non poſſunt, ſecundiſſimus continuò euentus, inconſultam hanc audaciam ſub'equatur. atque eadem in opinione videtur fuiſſe hiſtoricus ille rerum noſtrarum, ab excellenti iudicio nunquam ſatis laudatus Philippus lib. 1. Hiſtor. Cominæus, qui de ſagittariis loquens, ſermonem ita concludit, *ex ipſis autem, ÿ qui prœlÿs nunquam interfuerunt potiores ſunt exercitatis; & ita quoque ſentiunt Angli qui in eo genere quoſuis antecellunt,*

Digitized by Google

ſunt; ego vero qui nihil temere proferre vellem, non planè illis aſſentior; neque vnquam adeo ineptus ero, vt viros mille periculis probatos, hoſtemque videre, & vincere aſſuetos, nouis Thraſonibus quos ſola periculorum ignoratio audaces facit, poſteriores ducam; maximè cùm Tullius firmiſſimum exercitum reputet, *qui ex inuictiſſimo genere veteranorum militum comparatur*; attamen quia illi ſiue quod incertam bellorum aleam multoties experti ſunt, & plagas quas ſemel tulerunt, renouari timent; ſiue quod partis opibus Luculli militem Horatianum imitantur, aut maturiori iudicio, maiorique cum attentione diſcrimina conſiderant, cunctantur nonnunquam illa ſubire, & remiſſius, nec tanto cum impetu in Hoſtem feruntur. propterea illud ſine cuiuſquam ordinis iniuria videor mihi poſſe dicere, quod ſicut expertorum militum conſtantia, & æqualis ſemper, commenſurataque fortitudo, ruentes, præcipitesque aduerſariorum turmas facilius ſuſtinet, eaſdemque ex vi diſciplinæ, magis compoſito gradu, firmiorique ordine inuadit; ita non eſt dubium, quin iiſdem hoſtibus cæco quodam, & feroci impetu perterrefaciendis diſijcendiſque, ſingularis nouorum militum audacia, aptiſſima cenſenda ſit, vt pote quam gloriæ ſtudium impellit, quam iuuenilis ardor inflammat, quam temeritas ipſa potius quàm ratio ducit, & ablandiens fortuna nondum ſiniſtro aliquo rerum ſuarum caſtigauit euentu.

In Caton. mai.

VIII.

Aetatis curam apud Romanos ſedulitas illa proximè conſequebatur, quæ in artibus Tyronum, vitæque munijs, & officijs in quibus illi ſe exercebant dignoſcendis, exquiſitè impēdebatur; neque enim homines prouido, & ſagaci conſilio præcellentes, quemquam ad militare Sacramentum admittebant, qui vitæ anteactæ turpitudine, aut alicuius artis molli, ignauaque tractatione, eius vel dignitatem imminuere, vel religionem aliquo modo labefactare, & inquinare poſſet. Vnde quo tota eiuſmodi res melius intelligatur, animaduertendum eſt ex Gruchio, Populum Romanum antiquiſſima quadam diſtinctione *cauſarum*, & *quæſtuum* fuiſſe inter ſe diuiſum; ita vt ex plebeis, adeoque ingenuis hominibus eiuſdem Tribus, alij eſſent nobiliores, & qui ſuo quodam ordine cenſerentur; cuius generis erant Senatores, publicani milites, ſcribæ, tribuni ærarij, agricolæ qui ob publica negotia

Succedit vitæ conditio, quæ antiquitus Sellularios & ignobiles opifices à militia remouebat.

lib. 2 de comitiis Rom.

quæ gerebant inter ſe diuerſa, ideo *cauſis*, hoc eſt negotijs diſtingui dicebantur. alij vero ſuo *quæſtu* viuerent, exercendis, quibuſdam artibus intenti, vnde quæſtum facerent honeſtum, vt Lictores, Præcones, Fabri, Tibicines, Argentarij, Nummularij, alijque qui quæſtibus differebant à prioribus illis, quia artes exercebant inter ciues Romanos receptas; ſellularias vero, & quas vocant manuarias ciuibus Romanis, vt inquit Dionyſius Halycarnaſſæus, exercere fuit ab omni tempore prohibitum. cuius rei hanc rationem videtur Cicero ſatis conuenientem attuliſſe, quod *illiberales ſunt & ſordidi quæſtus mercenariorum omnium, quorum operæ, non quorum artes emuntur, eſt enim in illis ipſa merces autoramentum ſeruitutis*. ex quo intelligitur aut ſeruos aut certè inquilinos, & infimæ conditionis homines opificia Romæ tractaſſe; & equidem quod ciuium loco non haberentur, ſatis indicat idem Tullius, cùm de opificibus, quos Catilinæ coniurati ad ſeditionem inflammabant, ita loquitur *etenim omne eorum inſtrumentum, omnis opera, ac quæſtus, frequentià Ciuium ſuſtinetur, alitur otio*. abſurdum enim videretur opifices ciuium frequentia ſuſtineri, ſi ciues fuiſſent. Sed omnem dubitationem tollit Dionyſius Halicarnaſſæus, dum aſſerit ſeptimo Luſtro cenſa fuiſſe cētū millia ciuiū præter opifices. adeo vero ſemper ignobiles habiti ſunt, qui ſe ſe quæſtuarijs, & ſordidis artibus dediderant vt Herodotus ſcribat, ſua ætate omnium populorum moribus ſordidos haberi conſueuiſſe, qui opificia tractarent; in qua ſententia Xenophontem etiam fuiſſe legimus, & Ariſtotelem qui opifices omnes in Græcorum ciuitatibus à conſilio, ab imperijs, ab honoribus ſummoueri ſcripſit; quod animi excelſi vim, ac robur, mercede conducti penitus amittant. Quare cum hæc ita ſe haberent, & ipſa militiæ præſtantia talis ſit, vt ſeu fortitudine in periculis, ſeu conſtantià in aduerſis, & innumeris alijs virtutibus quibus bellatorem vndique ſeptum, & munitum eſſe oportet, viles animos, ac plebeios qui nihil vnquam præclari meditati ſunt, longè à ſe propellat; haud iniurià feciſſe cenſendi ſunt Lycurgus, ac Romulus quorum hic Agriculturam, & militarem; ille vero militarem tantum artem ciuibus ſuis permiſit. nouerant quippe ſapientiſſimi homines has ſolas artes ingenuis hominibus dignas eſſe, quæ virtutem in illis, ac gloriæ, honoriſque deſiderium

[Margin notes: lib. 2. & 9. — De officijs. — in Euterpe. — in Oecon: — Plutar. in eo. — Halicarnaſſ. lib. 2.]

Digitized by Google

rium excitare poſſent; cæteras vero quas opificum vulgus, & ſellularij homines exercent, honeſtis conatibus aduerſari, & animum potius in illis deijcere, præſertim ſi vitæ delicijs inſeruirent, nec opus ſuum valida aliqua membrorum exercitatione, ſed otio tantum & quiete perficerent. Vnde qui fundatam his legibus à Romulo, & Numa Rempublicam veluti per manus acceperunt, vt hanc iiſdem omnino inſtitutis conſeruarent, longè ſemper à Caſtris pellendos eſſe cenſuerunt piſcatores aucupes, dulciarios, & id genus hominum gulæ cupedijs, irritamentiſque inſeruientium. tum quibus ad ornatum, & luxum ſuum vtebantur nempe phrygiones, lanarios, patagiarios, flammearios, propolas, linteones, & omnes alios quos in Aulularia, matronas dotatas exagitans Megadorus, longa chiliade recenſet; ac illos prætèrea qui rerum ad Gynæcea ſpectantium curam ſuſtinebant; tandemque hiſtrioniam exercentes, aut qui per ludicras alias artes ſe populis deridendos ſiſtebant, atque vt hos omnes ob corporis molliriem à Caſtris arcebant, ſic negotiatores nonnunquam etiam ob varia impedimenta quibus diſtrahebantur fuerunt ab iiſdem prohibiti, *Milites enim* vt inquit Leo Imperator *qui à Republica aluntur, & armantur, ſolis debent vtilitatibus publicis occupari, nec agrorum cultui, & cuſtodiæ animalium, vel mercimoniorum quæſtui, ſed proprijs munijs inſudare militiæ.* L. 15. C. de re Milit.

2. *Atque etiam ſerui.*

De Seruis autem res eſt adeo euidens, vt quemadmodum nullius alterius ciuilis iuris fuere participes, ita ſub grauiſſimis pœnis fuerint ab omni bellorum officio repulſi vnde apud Saluſtium Catilina ſeruos negat ſe armaturum, *quia nolit cauſam ciuium cum ſeruis communicare.* & Marcianus Iuriſconſultus *ab omni*, inquit, *militia ſerui prohibentur, alioqui capite puniuntur.* l. 49. Dig. hucque pariter reſpexit Virgilius in his verſibus

Mæonio Regi, quem ſerua Lycimnia furtim
Suſtulerat, vetitiſque ad Troiam miſerat armis Aeneid. 9.

ad quos, Seruius Honoratus locum ex Deiotariana Ciceronis laudat, vt ſeruos nunquam militaſſe probet. Sed luculenta eſt in primis Traiani de hac difficultate reſponſio, quam hic ſolùm adſcribam, ne in re quæ omnibus ante me dicta fuit, præterquàm honeſtum, ac decorum eſſet ingenioſus fuiſſe videar: cùm igitur inter Tyrones Sempronius Cœlianus duos ſeruos deprehen-

Digitized by Google

Epiſt. lib. 10. diſſet, re C. Plinio Proconſuli nunciata ſic de ea ad Imperatorem Traianum referendum cenſuit, quia nondum iuramento aſtricti, & in ordines relati eſſent, ac proinde non viderentur militaſſe, nec aduerſus diſciplinam commiſiſſe; Imperator vero reſpondit, multum referre voluntarij ſe obtulerint, an lecti ſint, vel etiam vicarij dati; ſi enim lecti, inquiſitor peccauerat; ſi vicarij dati, penes eos culpa erat, qui dederant, ſi denique ipſi non incerti ſuæ conditionis ſe obtulerant, animaduertendum in eos eſſe: hocque decretum de ſeruis tam ſancte inuiolabiliterque cuſtoditum fuit à Republica Romana quoties ſuis legibus libere vti poterat, vt Vlpianus reſponſo quod adſcribo ex lege viij. D. de re militari ita ſtatuerit, *qui ſtatus controuerſiam patiuntur, quamuis reuera liberi ſint, non debent per id tempus nomen militiæ dare.*

3\. *Cum ex aduerſo Ciues & ingenuos ad eandem cogeret tam ex Ciuitate.*

Enimvero cùm fæx iſta, & colluuies hominum, legibus Romanis a militia arceretur, ijſdem ex aduerſo ciues, ac ingenui cogebantur, eiuſdem labores decennium perferre, ſi quidem aditus ſibi ad honores, & officia patere vellent. Quamobrem duo millia ciuium ſub haſta veniſſe proditum eſt à Liuio, quod annos quatuor ſtipendia nulla feciſſent; & Marcus Curio Conſul cùm (Lib. 14.) delectum ſubitum edere coactus eſſet, & iuniorum nemo reſponderet, coniectis in ſortem omnibus Tribubus, Polliæ, quæ proxima exierat, primum nomen vrnà extractum citari iuſſit, neq; adoleſcente reſpondente, bona eius & ipſum vendidit. quinimo Senatores ipſos in centurias, vel equitum, vel peditum diſcedere oportebat, ex Seruij inſtituto, nec obſtabat quemquam Senatorem eſſe, & in ijs tamen centurijs numerari, quæ bellorum cauſa inſtitutæ fuerant, eoque etiam ſub initium Imperij res inclinabat, vt ſolis ipſis nobilibus, arma tractare liceret.

4\. *Quam ex Agris.*

Nam cum Romanorum diuiſio ita ſe haberet antiquiſſimis illis temporibus, vt præter Vrbanas Tribus quatuor, reliquæ omnes Ruſticis annumerarentur, à quibus tranſire ad Vrbanas, Romano ciui indecorum erat; factum eſt conſequenter, vt Romanorum nobiliſſimi, in prædijs ſuis habitarent; Vnde nundinarum tempore, aut per viatores publicos accerſiti, ad ciuitatem accedebant, reliquum vero tempus agrorum culturæ impendebant, & pro varia inclinatione, varijs, quæ ab illa deſumuntur voluptatibus irretiti, nomen etiam ab illis deſumebant, vt Fabij,

Len-

Digitized by Google

Lentuli, Cicerones non aliunde appellati ſint, quàm à leguminibus quæ quiſque optimè ſerebat; ſicut Piſones a pinſendo, & Equitij, Tauri, Bubulci, Vitellij, Porcij, Scrofę ab animalibus quorum quiſque ſtudio, & educationi præſertim incumbebat, ita quidem vt populum hunc non inuidiâ, ſed vero encomio Florus *Paſtoritium* appellare potuerit. Sed cùm exercitus ducendi, aut milites conſcribendi occaſio ſeſe offerebat, non alij tamen ad iſtud muneris admittebantur, quàm qui ruſticæ illius nobilitatis priuilegio, ſoli omnium officiorum, & honorum erant capaces. Ac proinde nihil frequentius occurrit in hiſtoricorum monumentis quàm temporis illius iucundiſſima recordatio

Cum caperet faſces à curuo Conſul aratro,
Nec crimen duras eſſet habere manus.

quemadmodum non obſcurè confirmant exempla Quintij Cincinnati, qui dum terram nudus trans Tyberim araret, a viatore, S. P. Q. R. iuſſu Dictator renunciatus, Quintum Mutium Conſulem obſidione liberauit. aut Attilij Serani, quem inuenere ſerentem oblati honores, ac Porcij Catonis, Curij Dentati, Caij Fabricij, & aliorum triumphalium Imperatorum, qui eadem cura ſemina tractabant, qua bella; eademque diligentia arua diſponebant, qua Caſtra; gaudente interim Terra vomere laureato, & vberius fruges profundente, quoniam, vt inquit Plinius, *boneſtis manibus omnia latius proueniunt*. Ideoque Columella cùm in iſtorum temporum felicitatem reſpiceret, merito de ſuorum luxu, & corruptela ita conqueritur; *cum tot Romani generis intuear memorabiles duces, hoc ſemper duplici ſtudio floruiſſe, vel colendi, vel defendendi patrios, quæſitosue fines; intelligo luxuriæ, & delitijs noſtris priſtinum morem, virilemque vitam diſplicuiſſe, omnes enim, vt Marcus Varro iam temporibus auorum conqueſtus eſt, patres familiæ falce, aratroque relictis, intra murum correpſimus; & in Circis potius, ac Theatro, quàm ſegetibus, & vinetis manus mouemus, attonitique miramur geſtus effæminatorum*, non aliunde igitur florente Republica milites fuiſſe deſumptos, quàm ex hoc virtutum omnium & ſeuerioris diſciplinæ ſeminario, patet manifeſtè ex variorum quidem auctorum, ac vnius præſertim Vegetij auctoritate, apud quem Romanus Ciuis idem bellator fuit; idem Agricola; nec diuerſum munus virum alium requirebat, ſed genera tantum im-

In Præfatione,

Digitized by Google

mutabat armorum . atque etiam ſi Temporum decurſu vrbani homines legebantur, paruo tamen, aut nullo diſcrimine à Ruſticis differebant, quia tunc nullas voluptates Sectabantur, non opiparè viuebant, non delitijs, ac voluptatibus ingenuum vigorem remittebant, ſed ſudorem curſu, & campeſtri exercitatione collectũ, nando Iuuentus ipſa abluebat in Tyberi, idemque bellè etiã

Ode 6. lib. 3. confirmat Poetæ Venuſini ; iuſta hæc in ætatis ſuæ mores expoſtulatio .

Non his iuuentus orta parentibus
Infecit æquor ſanguine punito ,
Pyrrhumque , & ingentem cecidit
Antiochum , Annibalemque dirum :
Sed ruſticorum maſcula militum
Proles , Sabellis docta ligonibus
Verſare glebas .

cui ſanè tàm eleganter concinit nouus ille delitiarum arbiter elegantium , & flos delibatus populi ; Suadæque medulla Angelus

In Ruſtico . Politianus, vt flagitium ſit verſus eius præclariſſimos , & ſuauiſſimos non item in medium proferre

Stilicet his Babilon dextris , Nabateaque regna
Creuerunt ; hic Mopſopio delectus ab aruo
Miles , Achemenium Marathonis in æquore Perſen
Contudit ; his adiuta viris ſe Romula tellus
Impoſuit Mundo , & rerum tractauit habenas .

5. Hoc igitur illuſtri Romanorum exemplo factum eſt deinceps, vt certatim illo permoti auctores qui de militari diſciplina commentarios ediderunt , ac velut omnes vno ſpiritu ducti , contenderent , Tyrones optimos ex agris potius legendos eſſe , quàm ex Ciuitatibus , quæ cœtus ne hominum conſtituant , an confluges vitiorum , iure quis ambigat ; adeo illic mores inquinati ; corpora fluxa , & reſoluta ; virtuſque per omnes nequitiarum gradus emaſculata . & quidem vbi mecum opinionem hanc acurratiſſimè conſideraui , non poſſum non arbitrari illam ſapienter , omnino , & prorſus commodè fuiſſe ab illis excogitatam , nam ſiue in grauiſſimorum virorum auctoritatem reſpicio , qui hanc ſuis calculis approbarunt ; ſiue in rationum momenta, quibus fulciri tanquam tibicinibus ſolet ; tot profecto in vtroque illo probationis

Vnde optimi milites ſemper delecti eorumque occaſione quæritur cur ruſtici ſint flauo capillo, & an Sfortia ex rure ad militiam profectus ſit .

Digitized by Google

nis genere argumenta ſeſe offerunt, vt infinitus ſim, ſi cuncta vellem referre. quare compendium orationis faciam, & conditiones percurrens quæ in optimo Tyrone requiruntur, eas identidem in paganis, ſeu agreſtibus, & quemadmodum Spartianus illos appellat *Bucolicis* militibus potius quàm vrbanis reperiri, tàm perſpicuè rationibus, & teſtimonijs conficiā, vt ſicuti Varro Tritanum Samnitē propter eximias vires corporis, naturà gladiatorē eſſe dicebat; haud ſecus ruſtici ipſi ob eandem rationē, naturà milites eſſe exiſtimandi ſint. & quidem ſi fortitudinem in milite quis laudet, contemptumque mortis, & ærumnarum tolerantiam; illud certè ab Oraculo Catonis habemus, quod *ex Agricolis & viri fortiſſimi, & milites ſtrenuiſſimi gignuntur*, & ſi Vegetio credatur *ille minus mortē timet, qui minus delitiarum nouit in vita*. atque vt Plinius contendit *fortiſſimi viri, & milites ſtrenuiſſimi, ex agricolis naſcuntur, minimèque malè cogitantes*. qua in re conſentientem habet Tullium varijs locis, ſed præſertim in oratione pro Archia Poeta, & in epiſtola ad Brutum his verbis, *denique homines ruſticos, ſed fortiſſimos viros, Ciueſque optimos dementes fuiſſe iudices, primum milites veteranos, deinde Legionem Martiam*. Quod ſi moderationem in victu ſemper ex dimenſo, atque viliſſimo eduliorum genere obſeruatam alius requirat; dapibus hi veſcuntur inemptis, quas vel vbere mulgent, vel manu vellunt, vel baculo excutiunt, vel pedibus atterunt: in ſumma non illorum epulæ luxu conſtant, non ſobrietas naturæ iniurijs expugnatur, non Gulę irritamenta quæruntur, nec vlli ſunt hominum, quibus æque ac illis.

de re ruſtici cap. 1.

cap. 3. lib. 1.

lib 5. cap. 18.

Fundat humo facilem victum iuſtiſſima tellus.

ſi præterea robur corporis, duratique per laborum continuationem, & pares quibuſuis oneribus tollendis lacerti, velut multum vtiles militiæ, deſiderantur; quis facilius vallum, & arma ferre poteſt, quàm ruſtici toto corporis habitu toroſi, ac compacti? quibus foſſas ducere, puteos fodere, ligna dolare, inſtrumenta omnis generis efferre domo, & referre, ſaxa etiam, & immanes arborum truncos nullo negotio voluere, ac mouere conſuetudo de rure eſt: ad quam reſpiciens Seneca *nullum inquit laborem recuſant manus, quæ ab aratro ad militiam transferuntur*. Si denique ſpecies quædam fictæ, adumbratæque diſciplinæ, in aliquo homi- epiſt. 54

mutabat armorum. atque etiam ſi Temporum decurſu vrbani homines legebantur, paruo tamen, aut nullo diſcrimine à Ruſticis differebant, quia tunc nullas voluptates Sectabantur, non opiparè viuebant, non delitijs, ac voluptatibus ingenuum vigorem remittebant, ſed ſudorem curſu, & campeſtri exercitatione collectũ, nando Iuuentus ipſa abluebat in Tyberi, idemque bellè etiã confirmat Poetæ Venuſini; iuſta hæc in ætatis ſuæ mores expoſtulatio.

Ode 6. lib. 3.

Non his iuuentus orta parentibus
Infecit æquor ſanguine punito,
Pyrrhumque, & ingentem cecidit
Antiochum, Annibalemque dirum:
Sed ruſticorum maſcula militum
Proles, Sabellis docta ligonibus
Verſare glebas.

cui ſanè tàm eleganter concinit nouus ille delitiarum arbiter elegantium, & flos delibatus populi; Suadæque medulla Angelus Politianus, vt flagitium ſit verſus eius præclariſſimos, & ſuauiſſimos non item in medium proferre

In Ruſtico.

Stilicet his Babilon dextris, Nabateaque regna
Creuerunt; hic Mopſopio delectus ab aruo
Miles, Achemenium Marathonis in æquore Perſen
Contudit; his adiuta viris ſe Romula tellus
Impoſuit Mundo, & rerum tractauit habenas.

5. Hoc igitur illuſtri Romanorum exemplo factum eſt deinceps, vt certatim illo permoti auctores qui de militari diſciplina commentarios ediderunt, ac velut omnes vno ſpiritu ducti, contenderent, Tyrones optimos ex agris potius legendos eſſe, quàm ex Ciuitatibus, quæ cœtus ne hominum conſtituant, an confluges vitiorum, iure quis ambigat; adeo illic mores inquinati; corpora fluxa, & reſoluta; virtuſque per omnes nequitiarum gradus emaſculata. & quidem vbi mecum opinionem hanc acurratiſſimè conſideraui, non poſſum non arbitrari illam ſapienter, omnino, & prorſus commodè fuiſſe ab illis excogitatam, nam ſiue in grauiſſimorum virorum auctoritatem reſpicio, qui hanc ſuis calculis approbarunt; ſiue in rationum momenta, quibus fulciri tanquam tibicinibus ſolet; tot profecto in vtroque illo probationis

Vnde optimi milites ſemper delecti, cuiuſque occaſione quæritur cur ruſtici ſint flauo capillo, & an Sfortia ex rure ad militiam profectus ſit.

Digitized by Google

niſ genere argumenta ſeſe offerunt, vt infinitus ſim, ſi cuncta vellem referre. quare compendium orationis faciam, & conditiones percurrens quæ in optimo Tyrone requiruntur, eas identidem in paganis, ſeu agreſtibus, & quemadmodum Spartianus illos appellat *Bucolicis* militibus potius quàm vrbanis reperiri, tàm perſpicuè rationibus, & teſtimonijs conficiã, vt ſicuti Varro Tritanum Samnitẽ propter eximias vires corporis, naturà gladiatorẽ eſſe dicebat; haud ſecus ruſtici ipſi ob eandem rationẽ, naturà milites eſſe exiſtimandi ſint. & quidem ſi fortitudinem in milite quis laudet, contemptumque mortis, & ærumnarum tolerantiam; illud certè ab Oraculo Catonis habemus, quod *ex Agricolis & viri fortiſſimi, & milites ſtrenuiſſimi gignuntur*, & ſi Vegetio credatur *ille minus mortẽ timet, qui minus delitiarum nouit in vita*. atque vt Plinius contendit *fortiſſimi viri, & milites ſtrenuiſſimi, ex agricolis naſcuntur, minimèque malè cogitantes*. qua in re conſentientem habet Tullium varijs locis, ſed præſertim in oratione pro Archia Poeta, & in epiſtola ad Brutum his verbis, *denique homines ruſticos, ſed fortiſſimos viros, Ciueſque optimos dementes fuiſſe iudices, primum milites veteranos, deinde Legionem Martiam*. Quod ſi moderationem in victu ſemper ex dimenſo, atque viliſſimo eduliorum genere obſeruatam alius requirat; dapibus hi veſcuntur inemptis, quas vel vbere mulgent, vel manu vellunt, vel baculo excutiunt, vel pedibus atterunt: in ſumma non illorum epulæ luxu conſtant, non ſobrietas naturæ iniurijs expugnatur, non Gulę irritamenta quæruntur, nec vlli ſunt hominum, quibus æque ac illis,

de re ruſtici cap. 1.

cap. 3. lib. 1.

lib 5. cap. 18.

Fundat humo facilem victum iuſtiſſima tellus.

ſi præterea robur corporis, duratique per laborum continuationem, & pares quibuſuis oneribus tollendis lacerti, velut multum vtiles militiæ, deſiderantur; quis facilius vallum, & arma ferre poteſt, quàm ruſtici toto corporis habitu toroſi, ac compacti? quibus foſſas ducere, puteos fodere, ligna dolare, inſtrumenta omnis generis efferre domo, & referre, ſaxa etiam, & immanes arborum truncos nullo negotio voluere, ac mouere conſuetudo de rure eſt: ad quam reſpiciens Seneca *nullum inquit laborem recuſant manus, quæ ab aratro ad militiam transferuntur*. Si denique ſpecies quædam fictæ, adumbratæque diſciplinæ, in aliquo hominum

epiſt. 54

nium vitæ genere, quaſi in caſtrenſis, & genuinæ anteceſſum apparere ſolet; in quonam melius expreſſa illa inuenietur, quàm Ruſticorum & Paſtorum? de quorum naturali propenſione ad bellicas actiones ita pronunciauit philoſophorum primus & ſapientiſſimus Ariſtoteles *in multis vero hæc paſtoralis vita cum Agricultura conuenientiam habet, vtrique enim corporibus exercitati, ad bellicas expeditiones vtiliſſimi ſunt, ac potentes ſub dio conſiſtere*; aut quemadmodum inquit Saluſtius *hyemem, & æſtatem iuxta pati; humi requieſcere, eodem tempore inediam, & laborem tolerare*; nimirum quia Ruſtica plebs ſub dio & in labore nutritur, Solis patiens, vmbræ negligens, Balneorum neſcia, deliciarum ignara, ſimplicis animi, paruo contenta, duratisque ad laborem, & tolerantiam membris. vnde cum ad militiam poſtea deuenitur, non mirum eſt, ſi nemo Agricolis, & Ruſticis ipſis paratior, robuſtior que inuenitur.

6 politicorũ.

Politian. in Ruſtico.

Seu ducere vallum,
Seu ſit opus celſo præcingier aggere caſtra,
Seu fronte aduerſa tormentum figere ahenum;
Seu vigil inſomnem peragat cuſtodia noctem,
Seu tacitum rapt ur iter, ſeu parcere parto
Conueniat, ſi fors lenta obſidione premantur.

& ſanè vultus illorum horridus, crinis hiſpidus, veſtis ſordida, vox intra ſepta dentium concluſa, bipennes in manu, aut ligones, ad tergum ſica quid aliud niſi trucem animum ſpirant, & non modò vulnera, ſed mortem æque inferre, ac ſuſtinere paratum? hoc verò tantùm exploratæ ipſorum virtuti officere poſſet, quod primum iuuentæ flexum ingredietibus, eorum pili crinesque ferme ſemper non fuſci, nigrique, quales ſuperiori titulo, fortitudinis argumentum eſſe dicebamus, ſed albi, aut flaueſcentes erumpunt; verum cùm multæ ſint cauſæ quæ hunc, aut ſimilem colorem abſque natiuæ temperiei detrimento inducere poſſunt, crediderim facile Ruſticorum capillum nitere, & ſplendorem quendam dilutum contrahere ab apricatione, ſicut linum ſolet, & lana; & enim in Sole & ſub dio plerumque aperto capite verſantur, prætereà nutriuntur ferme ſemper lacte & aqua, quod genus alimenti neque cutem, neque crinem vehementer inficere aptum eſt; Denique parentes etiam illorum victu vtuntur ſimplici,

vnius

vnius que modi, vnde purior, ſincerior que in corporibus ſuccus efficitur, è quo pariter neceſſe eſt, id quod generatur, minus turbido, aut impuro humore concreſcere: vt nihil inde concludi poſſit aduerſus ruſticorum egregiam indolem; quam à victu illo præduro, & continua exercitatione pendere, cum Lycurgo perſuaſum eſſet, Lacedemoniorum idcirco pueros impuberes, non in Forum; ſed in agrum deduci præcipiebat, vt illic à parentum blandicijs remoti, primos annos in labore, & operibus agerent; vitam que ducerent ſine culcitra, ſine pulpamento, & quantùm fieri poterat à mollitie, & voluptatibus alienam; quo futuræ militiæ ſenſim aſſueſcerent, & ſpartanæ fortitudinis etiam cum lacte imbiberent rudimenta, *corpus enim aſſuetum tunicæ*, vt inquit, D. Hieronymus, *Loricæ onus non ſuſtinet; caput opertum linteo, galeam recuſat; mollem otio manum, durus exaſperat capulus, fortior autem miles ex confragoſo venit*: atque hoc etiam num iſtis temporibus, videtur obſeruare Turcarum Imperator, in Ianitſerorum prætorianis cohortibus, nam iſtos ita ex agris per delectos prædones vndequaque auehit, vt hi haras etiam, & mapalia perſcrutentur; aduectoſque poſtea Conſtantinopolim, in omne genus laborum abiectiſſimorum educari curat, vſque ad certum, præfixumque ætatis tempus, quod ſtatim atque attigerunt, Balthico ſuccincti, in Ianitſerorum ordinem, qui non minimus apud illos exiſtimatur cõtinuò ſuccedunt. Verum quid paucorum exemplis rem ipſam confirmo, quæ bellicoſiſſimorum omnium populorum conſuetudine, & inſtitutis recepta, ignorari à quoquam non poteſt? Parthi enim bellipotentes aliquando fuerunt, ſed ſparſi in agris; Scithæ, ſed in Tugurijs oberrantes; Germani, ſed prius quàm vrbes coluiſſent; Turcæ denique apud noſtros in maxima ferocitatis opinione habentur, ſed minus quoque cernuntur eſſe diditi in amœnitatibus oppidorum, forſan ex Genio in integram nationem transfuſo, ab Othomano primo, eodemque pugnaciſſimo illius Imperatore, quem agreſtis villici filium fuiſſe auctor eſt Egnatius. Non aliter profecto quam cõmuni rumore hominum imperitorum circumfertur, Iacobum Murium Attendulam qui poſteris ſuis ad regias opes, & fortunas facem prætulit, paterno in agro ita operis præfuiſſe, vt etiam ſua manu ſtiuam, & vomeres ſtrenuè tractarit: Cuius quidem narrationis occaſione,

in ep ad Theo dor. monach.

Digitized by Google

ne, haud abſurdum puto, fabulam huc referre ſimul, & ridere quam Factioni Braccianææ addicti, in fictæ iſtius opinionis confirmationem excogitarunt, tanta quidem inſulſæ, fatuæ que plebis delectatione, & applauſu; vt Iouianum Pontanum, qui hac de cauſa Sfortiam *ducem ab Aratro vocat*, & nonnullos præterea ſapientes in errorem perduxerit. Narrant igitur ipſum quum agrum foderet, duro labore fatigatum, ab ea indignitate operis ſuſpexiſſe in Cœlum, & deum præcatum vt vota bene verteret, euibraſſe protinus ligonem in præaltam Quercum; eo animi decreto, vt ſi decideret, eum æquiſſime ad perpetuum laborem eſſet reſumpturus, at ſi ramis hæſiſſet Caſtra continuo ſequeretur; Fortuna vero ligonem arbori appendit, & ipſe tanquam ex cõpacto enſem primum cinxit, vt fatis ſuis viam aperiret; ſic enim nugas illas canoras referunt qui ſolida non curant; aut qui malignè diſſimulant tunc temporis, quo primum Sfortia in lucem venit, *Familiam Attendulam* ex Cotignola antiquo Galliç Togatæ oppido, iuxta viam Flaminiam agri Fauentini, haud ignobilem quidem fuiſſe; ſed & ijs opibus plenam, vt cum nihil illi deeſſet eorum quibus commodè viuitur; tum etiam honeſtos ſumptus fecerit ipſi Sfortię, quando tredecim annorum puer, vt Iouius in eius vita auctor eſt, in Boldrini Caſtra conceſſit, ac rurſum cùm eques in illis factus, domum redijt inteſtinis compulſus diſſidijs: moxque armis, & equis quatuor, vt cataphractum decebat, inſtructior in eadem caſtra reuerſus eſt; in quibus non multo poſt Turmæ, ac demùm Alæ prefectus ſub Alberto Brolia, & Ioanne Acuto Britanno ſecunda fama militauit. verius confingere iſta potuiſſent de Franciſco Buſſono, cui à Subalpino Liguriæ oppido *Carmagnola* cognomen fuit; aut de Petro Nauarro, Gattamelata, & alijs quos certum eſt, ex abiecta, & vili origine in maximum nominis ſplendorem ſua virtute euaſiſſe. Sed non tam bene cum rebus humanis geritur, vt quæ ſunt meliora & veriora pluribus placeant; atque vt Meretrices fuco, & cerusà delibutæ plenius quorundam oculis, & affectibus ſatisfaciunt, ſic mendacia facilius mentes incautas ludificant, varia illa, & iucunda tot rariſſimorum euentuum nouitate. de quibus vtcumque tãdem ſtatuendum ſit, illud certè negari non poteſt, quod aſſerit Vegetius, & nos poſt illum accuratè confirmauimus, nempe ex agris optimè ſuppleri

poſſe

poſſe robur exercitus, quia ruri degentium, & cum Ligonibus rationem ſemper habentium corpora, quàm vrbanorum, propter victum aridum, horridulam vitam, laborum conſuetudinẽ, multo firmiore valetudine vtuntur, & tolerandis militiæ difficultatibus longè magis ſunt idonea: ex eo que Columella factum eſſe dicit, vt Romani ipſi quibus hoc apprimè exploratum erat, ſemper ruſticam plebem præpoſuerint Vrbanæ.

Sed nunquid propterea verum, quod, *vrbanus miles* ſicut Menander aſſerit *ne ſiquidem fingat deus, vllus ſit*. Dij precor meliora, quàm vt hac labe gens alioqui præclara, & ſuis pariter ad militiam non contemnendis virtutibus dotata onerari debeat. *nulli enim præcluſa virtus eſt*, inquit Seneca, *omnibus patet; omnes admittit, omnes inuitat, ingenuos, Libertinos, Seruos, Reges, exules, non eligit domum; nec cenſum, nudo homine contenta eſt*. præterea animis opus eſt ad bellum non minus quàm viribus, audacià, non ſecus ac patientià; æmulatione, & laudum incentiuis, æque ac artubus & lacertis; induſtrià denique, ſagacitate, prudentià, verſutià, & ſimilibus rerum quas conſilio fieri oportet, adiumentis, quorum vim longè maiorem vrbanis quàm ruſticis hominibus ineſſe, ſiquis dubitet, quaſi in clariſſima luce cæcutiat, ludibrium de ſe faciet vel pueris de triuio. vt prætermittam hic quod in ciuitatibus non eo vſque omnia luxu voluptatum que franguntur illecebris, quin aliquos in illis reperire ſit vt fabros ferrarios, carpentarios, macellarios, mediaſtinos, baiulos, & id genus homines, qui de viribus, & laborum perpeſſione, cum agreſtium robuſtiſſimis, contendere poſſint. vnde ſicut aſperis Reipublicæ temporibus cùm Iuuentutis inopia eſſet, *Capite cenſi* in militiam à Romanis legebantur, armaque ex publico accipiebant, & non capitis cenſione, ſed proſperiore vocabulo à munere, officio que prolis edendæ *Proletarij* appellabantur: ita non eſt apud me dubium quin potiori iure idem fieri poſſit in conſcribendis pedeſtribus copijs noſtrorum militum, quæ vſu ita obtinente, non aliunde iſtis temporibus, quàm ex vrbana plebe ſupplementum recipiunt. Sicut equeſtres partim conſtant ex nobilibus qui ruri degunt, partim ex locupletioribus ciuitatum incolis, quorum vita delicatior, niſi equorum commodis fulciatur, nullis laboribus ſuſtinendis idonea eſt, ſed ne ſuſcipiendis quidem. Vnde cum

6 *Quamquam Vrbani etiam milites non prorſus ſpernendi.*

de benef. lib. 3. cap. 18.

Ruſti-

Ruſticos ex mea & veterum opinione, velut aptos propono qui omniũ optimè armorũ miniſterijs incumbant, nihil propterea detractũ velle urbanis hominibus, quos ſuas partes agere decẽter, & in probatiſſimos milites euadere, armaque quoties magna volũtate illa induunt peritè tractare, ſatis ſuperque exploratum habeo.

XI. *1 Demum inquiruntur diſpoſitiones neceſſariæ ad fortitudinem, & ad gloriam.*

Atque illa ſunt Τεκμήρια, & notæ quibus diſpoſitiones quæ in Tyronibus, ſeu nouis militibus requiruntur, ab vnoquoque depræhendi poſſunt, qui modò in rem ipſam oculos, mentemque diligenter aduerterit: quanquam ſi verum fateri velimus, nõ ita promptum ſit de fortitudine, ac de reliquis conditionibus quę ab ætate, vel patria, aut vitæ genere dependent pronunciare; quoniam hæ ab euidenti, certaque notione colliguntur, quæ nuſquam aut raro ſenſibus imponat; illa vero coniectatione quadam deoris, & vultus ingenio, deque totius corporis filo, atque habitu ſciſcitanda eſt, per variorum, & diſcrepantium inter ſe ſignorum, ac nonnunquam etiam penitus ſimilium comparationem, quæ ita plerumque fallax eſt, vt in tranſcurſu depræhendi non poſſit; cùm ſingula hęc argumẽta per ſe primũ ſedulo inueſtiganda ſint, mox conferenda cum alijs eiuſdem ordinis, vel diuerſi, ac diſtinguenda à ſimilibus, & ea omnino arte exploranda, ac diudicanda quam egregiè complexus eſt, pręſtabilis homo ſapientiæ Scipio Claromontius in ſimeiotice ſua morali, ſeu egregio illo opere de coniectandis cuiuſque moribus & latitantibus animi affectionibus. vnde cum fortitudo ipſa & inſita gloriæ cupiditas, quæ à Patricio inter neceſſarias Tyronum dotes referuntur, magis in receſſu pectoris deliteſcant, quàm vt ex prædictis ſignis erui inde poſſint, atque in apertum manifeſtè proferri, ab his præſertim hominibus qui res tam longè ab officio ſuo diſſitas non aurificis staterà, ſed quadam populari trutina examinare ſatis habent; ita vt vix vnquam Centurio, vel Imperator de ſuorum militum virtute iudicare, niſi ab experientia, diuturnaque vitę conſuetudine poſſit: reliquum eſt propterea, vt hanc in ſe Tyro requirat, nec prius ſe deligendum ſiſtat, quam inſtituto totius anteactæ ſuæ vitę rationis examine, cùm fortitudinis bellicę ſignis; tum vero ſtimulis etiam, ac incentiuis ad gloriam, munitum ſe à natura, plenèque informatum cognouerit. in quibus autem vtraque virtus illa conſiſtat, aggrediar nũc tua bona venià dicere Ludouicę Comes,

Et ma-

& magnam habebo humanitati tuæ gratiam, ſi his rebus quarum in te ſpecimen à parentibus deriuaſti, ita quidem vt monitore me nihil tibi opus ſit, patientem rurſum te præbeas, benignum que audiendis.

Fortitudinem igitur vetuſtis quidem illis, ac melioribus ſæculis tanto in pretio fuiſſe, conſtat apud omnes, vt in quibus maior videretur eos Heroas vocarent, & ſemideos venerarentur. Hinc nempe Mars, & Pollux, & Bacchus, & Quirinus Cœlum meruerunt: hinc quæcumque in orbe terrarum præclara eſſent, atque admirabilia ad Herculem monſtrorum domitorem à poſteris relata ſunt: & Romani licet virtutum eſſent omnium mirificè ſtudioſi, tamen vt qui iudicarent hominis excellentiam in fortitudine maxime eſſe poſitam, virtutem eam agnominarunt: eodem planè quo & Græcorum ſapientes inſtituto, qui eandem ἀνδρέιαν ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς dixerunt, & ex eo præclarè Pindarus virtutem Heroum matrem nuncupabat, quia neminem inter Heroas antiquitas retulit, qui hac virtute duce, ad tantum honorem ſibi viam non feciſſet. hanc vero ſi forte aliquis fruſtra a nobis in Tyrone deſiderari, inductus hac ratione ſibi perſuadeat, quod vt cæteræ virtutes, ſic fortitudo hominibus à natura non inſit, ſed conſuetudine periculorum ingeneretur, vireſque ſenſim, & in progreſſu acquirat, is propterea non conficiet quin illa temperamentum calidius, & cor validè compactum, ſpiritibus quæ refertum copioſis, tanquam neceſſarias in homine diſpoſitiones poſtulet, quæ dum ſimiliter in mulieribus non repeꝛiuntur, ex eo fit, quod raro fortes euadant, etiam in crebris difficultatibus, & periculis innutritæ. oportet enim vt natura cum arte conſentiat, & principia illa ſubminiſtret, adeo quidem ad fortitudinem conferentia, vt cùm ſemel deficiunt, reliqui ſtimuli quibus homines ad illam exortari conſueuerunt, aut nulli futuri ſint, aut parum rectè idonei, quibus exercitatio adhibita, conſuetudoque adiungere haud multum poſſit.

2. Proponitur quæ prioris excellentia.

Lib. 3. Ethic. cap. 8.

Cæterum cùm Ariſtoteles dum ſingula quæque (prout moris eſt in artibus tradendis ſigillatim explicat) fortitudinis ipſius quinque differentias aſſignet, quæ etiam ſi fictæ, ſimulatæque ſint, veræ tamen ſpeciem, ac maieſtatem præ ſe ferant; nempè *ciuilem*, *militarem*, *iracundam*, *confidentem*, *imperitam* quia nimi-

3. Tum ſpecies ſimulatæ.

nimirum fortitudo propriè dicta conſiſtit in cognitione, electione, & fine quæ eſt honeſtas ipſi veræ fortitudini accommodata; ita vt ſi peccet in cognitione ſiue ſcientia, oriatur fortitudo per imperitiam; ſi abſit electio, fiat aggreſſio periculorum cum aliqua perturbatione ſcilicet ira, vel ſpe, aut confidentia, ex quibus fit fortitudo iracunda, & confidens; Si vero ſit error in fine, Hic vel propter peritiam alicuius artis continget, occaſionemque præbebit fortitudini militari; vel ob bonum aliquod proprium, vt honorem, non autem publicum, & communem honeſtatem, excitabiturque fortitudo ciuilis. manifeſtum eſt ex hac diuiſione fortitudinem militarem, non comprahendi ab Ariſtotele ſub honeſta, forſan quod milites nihil minus inter arma bellorumque tumultus, quàm ad illud quod bonum, & honeſtum eſt animum aduertant. Verumtamen quia paucorum culpa, & inſolentia omnibus imputanda non eſt; ſœpiusque experientià compertum ſit, honeſtæ fortitudini, perbelle etiam cum militari conuenire; non vehementer in hoc enitar, vt infamatæ quorundam vitio præclariſſimæ diſciplinæ, ſuum decus velut poſtliminio reſtituam. Sed de vtraque virtute quam profitetur, ſub honeſtioris appellatione, ea in medium afferam, quæ maximè videntur huic meo inſtituto conuenire.

4 *Ac vera, quæ verſatur circa terribilia.* Volunt igitur Philoſophi naturam veræ fortitudinis eſſe, vt in adeundis, ſuſtinendiſque honeſtatis gratià mortis periculis audaciam iuxta, ac timorem ratione moderetur, duobus ſiquidem modis homines peccare contingit circa obiecta, quæ ex eo quod terrorem incutiunt Φοβερὰ dicuntur à Græcis, & verbo ſatis eleganti, & commodo à latinis *terribilia*; aut enim confidendo quis in adeundis periculis exuperat; audaxque vocatur, aut ſuſtinendis nihil timet, ac ne ea quidem quæ omnino captum hominum ſuperant, & quibus vel tolerandis, vel peruincendis nullus humanæ prudentiæ, rationiue relinquitur locus, vt ſunt Terræ motus eluuiones, exuſtioneſque terrarum, quas neceſſario certis, ſtatiſque temporibus accidere Platonici docent; vnde hoc vitium neque apud Græcos, neque apud Latinos nomen inuenit; quia ſaltem, vt exiſtimo, raro cadit in homines paulo modo humaniores; Sed cùm abeſſe parum videatur à dementia idcirco in quē cadit hunc modò dementem ſolemus, modo etiam ſtupidum appellare. nam

quod

quod iuſto & tenaci propoſiti viro tribuit Horatius, vt ſi *fractus illabatur orbis impauidum ferient ruinæ*, hoc de conſcientia rectè factorum intelligi debet, quæ tam laudatur in Anaxarcho, quàm Iouis fulminum contemptus repræhenditur in Typhæo, vel Aiace: è diuerſo cum aliquis infirmo eſt animo ad ſubeunda pericula, timidus is, atque ignauus appellatur, ſiue plus metuat, ſiue minus confidat quam oportet; ſic enim dupliciter hoc quoque in extremo delinquitur. Vnde virtutis huius, quæ fortitudo dicitur, proprium eſt, affectus prædictos moderari, ac ſub ratione continere, quo medium, vel quę ab eo dicitur mediocritatem retinere poſſit. Age vero imaginem fortitudinis pingamus, vt olim iuſtitiæ Chryſippus, qui eam pingendam docet forma virginali, aſpectu vehementi, luminibus oculorum acrioribus; & itidem dicamus quod fortitudo, quam ne ſolam putes, dextro eius lateri iuſtitia, ſiniſtro prudentia ſemper adhæret, non erit propterea impetus inconſultus, non præceps audacia, non cæca temeritas, non florida ferocia, non appetitio eorum quæ omnes timent, non item eſt vana formido, terror inanis, aut fœda mollities, quæ lymphatum cæco pauore animum curis lacerant, inducuntque vt ad quoslibet inanes ſonos, & arundinum motus expaueſcat; Sed erit vis illa temperata, quam Horatius Deos in maius prouehere aſſerit, & à qua vir fortis obtinet, vt nihil habeat turbulentum, nihil fluctuoſum, & à primis ſtatim progreſſionibus ad finem vſque, perpetuo quodam tenore ſibi conſtet, idemque vbique appareat, & quantum ſibi ſufferendum, obluctandumque ſit intelligat, eoque intellecto accingat ſe ad omnia ſubeunda, excellenti vigore mentis armatus, cuius Poeta ſpeciem aliquam adumbrare viſus eſt in Mezentio, dum hunc ita loquentem inducit.

aut hodie mecum ſpolia illa cruenta Aeneid: 10.
Et caput Aeneæ referes, Lauſique dolorum
Vltor eris mecum; aut aperit ſi nulla viam vis
Occumbes pariter neque enim fortiſſime credo
Iuſſa aliena pati, & dominos dignabere Teucros.

Nec immerito quidem Mezentius mortem ſibi proponit, tanquam omnium malorum quæ viro forti toleranda ſunt extremũ, nam & ſi Tullius in ſecundo Tuſculanarum quæſtionum, duo præcipue munera fortitudinis eſſe dicat, *mortis* ſcilicet *atque doloris*

5. *Et mortis præſertim belliea actionem.*

ris

ris contemptum. & tertio de natura Deorum *Laborem* in his adiungat; Ariſtoteles tamen *bellicæ mortis actionem* cæteris omnibus prętulit, quoniã vir fortis ex hac ſola; quæquidem vt inquit Thucidides futura ſit multo pulcherrima, decus illud adipiſci cõtendit, cuius eſt quàm maximè ſtudioſus, & quo tandem vt potiatur difficillima quęquæ pericula ſponte tentare, & aggredi ſolet. Scilicet cùm reſcindi pontem iubebat Horatius; cùm integras in Africa phalanges, totamque vim Numidarum, Abauus tuus Ioannes Franciſcus Comes à Balneo, tribus tantum ſocijs comitatus ſuſtinere; intelligebat ſatis vterque quantum diſcrimen ſubiret, & in quas ſe anguſtias c nijceret, ſed patriæ charitas vt inquit Cicero, ac nobilitas mortis, & gloriæ, eripiebat omnem omnino vulnerum atque aquarum metum.

6 *Non autem eius quæ in aquis.*

3. ad Nicom.

Hæc vero adiacẽtia ſeu vt vulgo loquuntur circunſtãtiæ, quoniam in paucis eorum, qui diuerſo genere Lethi concidunt, æque frequentes animaduertuntur; factum eſt inde, vt Ariſtoteles cùm vnius exemplo de cæteris ſtatuere vellet, mortem quæ in aquis contingit, à fortitudine docuerit penitus eſſe alienam: ignauiſſimi ſi quidẽ nautæ, & ferendis procellis aſſueti, nõ perturbantur marinis tempeſtatibus, mortẽque præſentem intrepidi ſubeunt, quorũ tamen vitæ exitus, miror? an quicquam poſſit in ſe habere præclarum. ſanè cùm iſtius rationis vim, auctoritatemque ſubintellexiſſent poetæ illi omnium præſtantiſſimi, qui ſingula quæque ſuis in Heroibus, maxima cum honeſtate, & decoro repræſentare nituntur, illos merito fingunt Deùm, hominumque fidem obteſtantes, ſi quando illis periculum imminet ab irato, tempeſtuoſoque mari; quod iſtud moriendi genus, nullum eſſet illis decus allaturum; nec virtuti ſuæ locum vllum viderent, inter tranſtra, remoſque fuiſſe relictum. Hinc enim lugubris illa lamentatio, fletuſque moerens ex eo eſt, quem Vlyſſes edit in poſtremo imminentis naufragij diſcrimine perterritus; hinc gemitus Aeneæ in tempeſtate depræhenſi; hinc illi Hippomedontis quæſtus.

Odiſſda 5.

Statius 6. Thebad.

fluuione pudet, Mars inclyte merges
Hanc animam. ſegnes que lacus & ſtagna ſubibo;
Seu pecoris cuſtos, ſubitis torrentis iniquis
Interceptus aquis: adeo ne occumbere ferro
Non merui?

& ea-

& eadem de cauſa Iulius Cæſar cùm mortem quæ homines in lecto, & inter fomenta opprimit, nihil habere quod eſſet forti viro dignum iudicaret, optaſſe dicitur, vt repentino aliquo caſu decumberet.

Adeoque nonnunquam pertinaciter accelerati fati deſiderium, ſe in quorundam animos inſinuauit, vt illos falſa etiam honeſtatis imagine deluderet. nam vt taceam veterum exempla, quæ diſertorum hominum ſcriptis græcè latinèque celebrantur, quid aliud iudicari poteſt de ſingulari certamine, quod Dux ille ſpectatæ virtutis & audaciæ Scanderbechus, dum in aula ſummi Turcarum Imperatoris adoleſcens ageret, cum homine Barbaro ſuſcepit; pactis eiuſmodi conditionibus, vt inuicem nudi, & ſingulis dolijs incluſi, pugionibus decertarent: aut de Suerio Quignonio nobili Hiſpano, qui paulo ante auorum memoriam ineunte anno, quo de more Iubileus Compoſtellæ celebratur; Pontem Vrbici amnis ad Aſturiam cuſtodire ſtatuit, hac lege pregrinis exterarum nationum propoſita, vt quiſquis tranſire vellet, aut ſe quaſi victum, & virtute inferiorem dato munuſculo profiteretur, aut non aliter quàm victo cuſtode tranſiturus, ſingulari ſe pedeſtri, ſeu, mallet equeſtri certamini compararet. At horum hominum qui ad egregias corporis, animique vires oſtentandas, affectataque populari laude, quaſi tempeſtatem in tranquillo, ſic pericula in pace quærunt, nemo ſalſius inconſultam audaciam, temeritatemque deriſit, quàm nuperus Scriptor fabuloſæ narrationis Quixotianæ.

7. *Aut temerè quæſita contingit.*

Et quidem non credo vllum eſſe tam auerſum rectæ rationi, qui hæc terribilia, in quibus ſuſtinendis non vtili, vel honeſto, ſed ſola libidine homines ducuntur, & ex quorum contemptu nihil laudis, decoriue conſequuntur, ſicut nec turpitudinis infamiæue ſi ea vt par eſt reformident, ad virum fortem ſpectare exiſtimet: cum ſublato honeſtatis reſpectu, tota fortitudinis ratio corruat neceſſe ſit. imo vero, vnus è clariſſimis Pœnorum Hanno, qui primus hominum Leonem tractare auſus eſt, & oſtendere manſuefactum: damnatus illo argumento fuit, *quoniam*, vt inquit, Plinius *malè ei credi Libertas videretur, cui in tantum ceſſiſſet etiam ipſa feritas*. & eodem, vt par eſt arbitrari, conſilio Polonum militem, qui famelico Leoni cibum ex faucibus eripuerat,

8. *Quia in his, mors non eſt æque certa, & honeſta.*

lib. 8. cap. 6.

pucrat, non probauit Matthias Coruinus; ſed munere donatum, domo ſua iuſſit excedere; quaſi apud ſe reputans qui venalem ita vitam circumferret, non neceſſario, ſed ad ſolam iactantiam ſe obijciens periculo, nihil non auſurum ſi præmij ſpes aliqua refulſiſſet, vt auctor eſt Crantzius in Saxonia. Bellica vero pericula, quæ pro religione, pro ſalute Patriæ, pro legibus, pro amicorum, propinquorumque libertate, pro focis denique, & Laribus tuendis ſuſcipiuntur, tantum abeſt vt ad veram fortitudinem non pertineant, quod omnium maximè, velut cæteris grauiora, & magis formidabilia ad illam referuntur. neque enim aut morbo languentibus nobis, aut in mari à tempeſtate depræhenſis, ſtatim mors ante oculos obijcitur, nec ſpecies eius tam fœda, horribiliſque apparet, atque vbi manus in pugna conſeruntur itque

lib. 9. cap. 26.

Triſtis ad æthera clamor
Bellantum, & Iuuenum, & duro ſub Marte cadentum

tunc enim videre licet illos membratim concidi, hos tormentis abripi, alios pilis, & equis lacerari, nec vlla omnino niſi violenta cædes eſſe poteſt. quid? quod ipſe gladius dum ſtringitur, dum vibratur, dum micat, ex ipſa confeſtim vibratione neſcio quomodo percellit, & cõmouet animum, qui quod vim habere illum lædēdi intelligit, repente concutitur, ac perhorreſcit; præterea in bello, atque inter pugnandum plurima ſubito accidunt, quæ magis quàm præuiſa animum perturbant; in morbis denique dolores, & moleſtias quod vitari non poſſint, ipſa plerumque neceſſitas tolerabiliores efficit, at bellorum difficultates, quæque acerba plurima in prœlijs contingunt, quod ipſa nos mens vitari poſſe moneat, eo ægrius eſt perpeti, atque impetum eorum ferre difficilius, ipſa etiam recuſante natura, quæ ſui conſeruationem quantùm in ſe eſt moliri, ac procurare ſtudet.

9. *Indeque explicatur cur aliqui vulnera fortiter ferant morbos non item, & è contra.*

Atque ex his præclaræ etiã quęſtionis diſſoluendæ ratio ſe offert, nam cùm ſit viri fortis morbum, egeſtatem, ac reliqua quæ nec ab improbitate, nec culpa noſtra proueniunt minimè timere, nonnulli certe reperiuntur qui nec morbum, nec paupertatem metuunt, liberaliterque ſua erogant, ijdem tamen in bello meticuloſi ſunt, animique imbecillioris, vt proditum eſt à Cicerone de Græcis, qui ex hoſtium aſpectu terrebantur, firmiſſimis autem atque patientiſſimis animis ægrotabant. Rurſus alij quibus eſt.

Viuida

Digitized by Google

Viuida bello
Dextra viris, animuſque ferox, patienſque pericli,

ferro decertare acerrimè poſſunt, ægrotare viriliter nequeunt, ſicut de Cimbris, & Celtiberis traditum eſt, qui in prælijs exultabant, lamentabantur in morbo. Horum enim ratio probè conſtare potest, ex aſſignata iam differentia inter morborum, & præliorum euentus, qui prout a timidis aut ferocibus animis apprehenduntur, feruntur que patienter, vel moleſtè, ita diuerſos in illis effectus producunt; quemadmodum enim periti artifices, etiam bona ferramenta in duriore materia minus, quàm in molliore retundi, hebetarique perhibent, ſic efficta quibuſdam populis inditaque à natura, quæ conſentaneas ſtudio, & veluti profeſſioni cuiuſque affectiones attribuit, præcellentis animi fortitudo, ipſa ſe in bellis libenter exercet, quorum perpeſſio vt ſummè moleſta, ſic etiam maxima cum laude coniuncta eſt; muliebrem vero depoſiti corporis affectionem, ferre æquo animo non poteſt, præſertim nulla ſpe laudis & gloriæ propoſita: addo etiam conſuetudinem magni eſſe hac in re momenti, quam merito Galenus ex maximorum Medicorum mente, & Meletius poſt eum *aduentitiam naturam* appellarunt, quia Naturæ perſimilis eſt inquit Ariſtoteles in libris de moribus; Vnde quemadmodum illius beneficio nonnulli vitam abſque potu tranſegerunt, aliqui etiam ſine cibo; aut eo venenato vſi ſunt, & Ouidius cum in Ponto degeret ita ſuis calamitatibus obduruerat, vt etiam diceret.

Com. 3. in lib. Hippocr. de offic. part. 11.

Lib. de Homine.

7. de Morib. cap. 11.

Lib. 3. de Ponto.

Nos quibus aſſueuit fatum crudeliter vti,
Ad mala iam pridem non ſumus vlla rudes.

Sic plurimæ nationes, quibus ob ignauiam bella cordi non ſunt, cùm nihil frequentius inter aduerſa experiantur quàm morbos quibus ex luxu & crapula ſunt obnoxiæ, paulatim illis aſſueſcũt, ſanguinemque, & plagas horrent velut mala non inſolita modo ipſis, ſed penitus ignota. Cùm è contra quibus ob continuos bellorum labores infirmis eſſe non licet, cane peius, & angue morborum languores deuitent; plagas autem & vulnera eodem propemodum animo ferant, quo cæteras domeſticæ conſuetudinis actiones, & gloriæ, ac virtutis oblectamenta, cuius rei exemplum valde inſigne, obſeruatum fuiſſe ab Aeſchylo, refert Plutarchus in commentario quo edocemur quo quis pacto animaduertat ſe in

virtute proficere, ſiquidem cum pugilum certamen in Iſthmo ſpectaret, & ex duobus concertantibus alteri impacta vehementer plaga, vniuerſi Theatri clamorem excitaſſet, ipſo interim nihil admodum querente qui ita percuſſus fuerat; tum Ionem Chium qui forte aſtabat leuiter tangens Aeſchylus, *aduertis* inquit *quàm efficax ſit meditatio, & conſuetudo? plagis affectus non clamat, clamant ſpectatores:* Verum non cuiusuis eſt patientem vulnerum naturam ad bellum afferre, & in ipſa concertatione cum nullum ad vires colligendas ſpatium detur, habitu præcipue niti, animique robore malis ingruentibus obuiam ire, quod eo præclarius eſt quo difficilius.

10. *Eius vero Fortitudinis ſigna Tyro expendere in ſe debet ex anteacta vitæ ratione.*

Quare cum aditus ad hæc, & multa alia quæ ſenſus magis afficiunt, dum oculis deprehenduntur, per delectum pateat, à quo nō ſemper integrum eſt Tyroni pedem referre, poſtquam ſemel ad illum acceſſerit, ſummè propterea conſentaneum eſſe iudico, vt quiſque priuſquam merere incipiat, totum ſe ad vnguem diligenter exploret, quàm validos artus à natura acceperit? quantus illos ſpiritus intrarit habitator, & quà magnitudine animi præditus ſit examinet; actiones etiā anteactæ ſuæ vitæ replicet, diſpiciatque num in prima ætate intrepidus, audax quæ fuerit. num in Litomachia ſtrenue ſe cum æqualibus exercuerit? num pugnis, aut fuſtibus quoſdam mactarit? num etiam grandior poſtea factus dubijs rebus, ac periculoſis interfuerit? num gladios viderit diſtrictos? num plagas tulerit, ſanguinem quæ fuderit aut ſuum aut alienum? num denique ſpecimen aliquod ediderit, quo ſibimet ipſi de ſe ſuaque virtute fidem faciat; raro enim contingit, vt non aliquo ſigno ex prædictis virtus inſita ſe prodat, & ſpem aliquam excitet talem in hominibus fore vitæ morūque cōſuetudinē, qualis ſub initiū fuiſſe depræhenditur, ita namque Romulū, & Remū videmus ex paſtoritia quadā inter adoleſcentes ruſticos auctoritate, ſenſim ad Romani Imperij faſtigiū euectos fuiſſe: ita Cyrum maieſtatem inter pueros obtinuiſſe, quam poſtea in numeroſiſſimas gentes intulit: ita Viriatum e paſtore robuſtiſſimo venatorē, conuerſo à feris in homines impetu Luſitaniam vniuerſam inuaſiſſe, & ſi lubet in re ſeria Baldum adducere, qui poſt Herculem Theſeū, ac vliſſem, & Aeneā quintus in Tartara deſcendit, tam pugnacem illū in adoleſcentia fingit, qui phantaſtico carmine vitam illius

illius eſt proſecutus Theophilus Folengius, vt nihil mirum ſit illum poſtea inter ridiculos Heroas primum euaſiſſe; ſic igitur Hercules *igneos ſerpentum oculos remiſſo pectore, ac placido intuens, & tumida guttura teneræ elidens manu, proluſit Hydræ.* Sic Aſcanius interim dum venationibus periculoſis audaci am animat, &

Optat Aprum, aut fuluum deſcendere monte Leonem;

idoneum ſe habilemque fecit, qui poſtea ſumma cum alacritate Rutulos laceſſeret: & Dauid ipſe cuius exemplum nulli, quod apud ſcriptores prophanos habeatur, rei geſtæ præſtantia, aut veritate concedit, eo facilius in animum induxit, vt congrederetur cum gigante Phyliſtæo, quod antea quidem pro grege patris aduerſus vrſos, & Leones pugnauerat, *paſcebat ſeruus tuus*, inquit ille, ad Saul *patris ſui gregem, & veniebat Leo, vel Vrſus, & tollebat Arietem de medio gregis, & perſequebar eos, & percutiebam, eruebam que de ore eorum, & illi conſurgebant aduerſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam interficiebamque eos.* paulatim quippè eiuſcemodi tentamentis aſſueſcendum eſt, quæ certo experimento hominem reddunt, ad grauiora quæque pericula interritum: paulatim experientiam & vſum adhibere oportet; excurſiones ſœpe faciendæ; ſœpe bello præludendum; ſœpe aliquid aduerſus hoſtes futuros meditandum; vt animus iſtis tandem factus inſuperabilis, & inuictus, paratus etiam exiſtat non modò cum hominibus, ſed cum ipſa morte congredi, quamuis ſubito, & præter expectationem ſuſtinenda ſit.

1\. reg. cap. 17

II
Et mortis contemptus.

Hoc enim firmo conſtantique mentis decreto vallatus, qui ad pugnam aggreditur, vt nihil minus quàm mortem timeat, abundè iam munitus eſt à natura, virtutemque omnem, & vniuerſam fortitudinem animo concepit; & licèt nudus in prœlium deſcendat, timorem quidem armatis omnibus incutiet, ipſe vero nihil vnquam reformidabit: neque enim victoriam peperere vel ſubſidia Coclitis, qui ſolus in omnes pugnauit; vel manus Scæuolæ, quam mutilauit coram Porſenna; vel ſexus Clœliæ; qui ſequior fuit atque imbecillior; ſed fortitudo ſola, mortiſque contemptus, cui vni debetur quicquid in hiſtoricorum libris admiramur; quicquid loquitur vetuſtas; quicquid poſteritas vix credit, quicquid denique Romani ipſi in Oriente ſubacto, in euerſa Africa, in adiecta Imperio Europa, gloriæ vnquam, ac honoris conſecuti ſunt,

12 Et ſanè parum refert colum manu teneat, an haſtam qui time-
Qui omni telo præſtantior. re non dedidicit; nudus an armatus confligat cum hoſte, quem fortis animus deſerit, qui non tam chalybe, aut ferro quàm vitæ neglectu muniendus eſt. etſi enim quaſi arma animum adderent, frequenter ſcita, ac eleganti verborum copula ***armatum animatumque*** Plautus in Bacchide, Sidonius, alijque auctores venuſtiſſimè coniunxerint, longè tamen ſatius eſt quibus animis milites prœliaturi ſint, quàm quibus armis videre, quæ prout mos aut inſtitutio tulerit vnaquæque natio ſibi fingit & accommodat ad libitum, vt Galli ***Geſa***, ***Pila*** Romani, ***Lanceas*** Hiſpani, Germani ***Frameas***, Macedones ***Sariſſas***, Moedi ***Acinaces***, Scithæ ***Sagares***, Teutones ***Cataias***, Geloni ***Falces***, Chuni ***Iacula***, Baleares ***Fundas*** cùm tamen iſthæc omnia nihil omnino egregij ac præſtantis efficere poſſint ſi animi robore velut probatiſſima cote nō acuantur.

> ***Quippe vides animo armatas exire phalanges,***
> ***Contemptu que magis lethi, quàm tegmine vaſto***
> ***Immanis clypei.***

vt merito dixerit Accius apud Nonium ***ſi animatus iero ſatis armatus ſum***; & Ouidius ***telo animus præſtantior omni***; ac Virgilius ***in manibus Mars ipſe viris***. & iure etiā in Erethrienſes cauillaretur Themiſtocles quod gladiolis piſcibus ſimiles eſſent, qui cùm gladium haberent, deſtituerentur corde. vnde Iſæus ſophiſta cùm Lacedemonij periclitarentur, ac de Ciuitate mœnibus cingenda conſultarent, Homericum recitauit carmen,

> ***Scutum hæſit ſcuto, Galea galeæ, atque viro vir.***

& adiecit ***ſic mihi ſtate Lacedemonij, & muris cincti ſumus***; rectè enim dixiſſe fertur Lychurgus, mœnibus nequāquam carere ciuitatem, quæ non lateribus ſed viris cincta eſt. ex eoque Alexander magnus, cùm teſte Plutarcho de Rupe quadam audiſſet apud Indos, quę ob ſublimitatem velut ***auibus inacceſſa*** ἄορνος dicebatur, quod ipſe quidem locus expugnatu eſſet difficilis. Sed qui eum teneret formidoloſus, ***nunc*** inquit ***locus captu facilis eſt***, ſignificans nihil prodeſſe munimenta, niſi vir fortis ea tueatur.

13 Quare ſic apud me ſtatuo fortem, & ſtrenuum militem, quoties
1 Et bellicoſis nationibus ſamiliaris. occaſio tulerit, vt in certamen deſcendat, hoc animo accedere ad illud oportere, nihil vt minus cogitet quàm de facienda deditione, aut vita per indecoras actiones conſeruanda, ſed ſibi propo-

proponat vel vincendum eſſe, vel moriendum, quod idem eſt penitus atque *Romano more* pugnare; ſic enim fiet, vt periculi, mortiſque ſecurus, ſtrenuè, acriter que vrgeat inimicum, nec quicquã reliqui faciat, ad egregiam illam virtutem fortitudinis Heroicæ; quæ numquam illuſtrius micat apud nos, numquam latius apud poſteros ſe diffundit, quam ſi à bellica morte proficiſcitur. ſic enim videmus quatu or illas nationes, quas militaris gloriæ fortitudinis que præſtantiâ, cæteris merito præferendas eſſe ſupra dicebamus, non alia ratione decus antiquæ laudis cum recentibus ornamentis coniunxiſſe, quàm vnica illa ambitione, & flagranti deſiderio mortis, inter armorum ſtrepitus, ac horribilem tumultum fortiter contemnendæ. Atque vt de Romanis, & Germanis ſileam, quorum Fortitudini, præclaris ſum antea, locupletiſſimis quæ ſcriptorum teſtimonijs ſuffragatus: certè de Hiſpanis quin metum mortis omnem ſub iugum miſerint, dubitari amplius non poteſt; poſtquam Silius hoc ita ſe habere in his verſibus confeſſus eſt.

Prodiga gens vitæ, & properare facillima mortem,
Namque vbi florentes tranſcendit viribus annos
Impatiens æui ſpernit nouiſſe ſenectam.

De Gallis vero es vel ipſa clarior eſt, quàm vt operæ pretium ſit, vel Horatium laudare qui *non pauentem funera* Galliam vocat, vel Lucanum quem propemodum dixeris talem illis animi conſtantiam fortitudinemque inuidiſſe, adeo hanc extollit & prædicat. ode 4. lib. 4. Libro 1

Felices errore ſuo quos ille Terrorum
Maximus, haud vrget lethi metus; inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animique capaces
Mortis, & Ignari rediture parcere vitæ.

nimirum omnes illæ præſtantiſſimæ magnoque & excelſo animo præditæ nationes, tantum abfuit vt eiuſmodi mortem calamitoſam putarent, quod feliciſſimam potius eam iudicauerint, quippe quam ante vitam, cunctaſque res humanas libenter, conſtanti que animo poſuerunt.

14 *Quique non multum reformidandus eſt.*

Et Hercle quid ni poſuiſſent? cum omnia illa agmina militum, omnes illi minaces gladij, fulminalia illa turrifraga, tela, faces, & ſi quid in acie mentem, oculoſque vehementius conturbat, nihil quicquam in hominem poſſint: quod non item efficere valeat

vna febris, vnus acinus, vermis, ac capillus vnus: ſed durius inquiunt timidi, & per moras, ac cruciatus vulnerum; imo lenius, nam morbus plerumque ſerpit per inſidias, luctaturque diutius, vt naturam ſenſim expugnet, animamque è corporis præſidio veluti per feneſtras deijciat; hæc vero quia violenta ſupra modum, arcem continuo occupant, ſpiritui que per patentes plagas confertim erumpenti, quaſi effractis ac bipatentibus portis exitum parant & moliuntur. vt bene propterea dixerit Horatius *abſtulit clarum cita mors Achillem*, & eodem ſemper epitheto mortem quæ in acie contingit, omnium eſſe leuiſſimam ſignificarit. Socrates, certè omnia quæ formidabilem hanc efficiunt, non aliter appellare ſolitus erat, quàm *μορμολύκια ſiue vmbratiles Laruas* quæ pueros facile ludunt, & territant, homines vero fortes & generoſos non item: atque vt grando tectis magno ſtrepitu illiſa, ipſa tamen diſſilit; ſic iſta in firmum animum cùm incidunt, franguntur certè non frangunt.

15. *Cum potius ſummopere iuuet ad victoriam.* Quin imo tantùm abeſt vt ipſum ex ſua ſede dimoueant, quod omnia illa quæ cæteros primùm perterrefaciunt, mox vero tanquam ſui non amplius compotes, ſed lymphatos, facilius opprimunt, ipſe qui periculum, vitamque ſemel contempſit, ita ſedatè conſiderat, vt plerumque etiam eludat. Sentit quidem quàm iniquo ſæpe in loco verſetur, quantum ſibi & ferendum, & obluctandum ſit videt, eoque intellecto accingit ſe ad omnia, & in medio rerum æſtu, de ijs quæ tunc opus illi ſunt, tranquillè deliberat, ac optimi gladiatoris inſtar conſilium capit in arena. Vnde quia nũquã ſui obliuiſcitur, ſed exemplo Vlyſſis inter Cyclopas, & Syrenes: ac Scyllæ, & Charibdis voragines depræhenſi, firmum ſemper animi tenorem ſeruat: nil mirum eſt ſi facilius ab illis ſe expediat, quàm iners & timidus, qui ſalutem quam in manibus habet, pedibus committit, nec pectus ſed tergum præmentibus obijcit. At enim niſi miles placidè; ac ſedatè ad pugnam ſe accingat, niſi prudens, & ſui penitus compos in illam deſcendat, neceſſe eſt inter congrediendum turbari eum, atque confundi, quod extremæ ſtatim calamitatis cauſa eſt, ideoque Virgilius vt fuit egregius pictor fortitudinis, obfirmatam illam in Turno fuiſſe ita ſignificat.

Olli ſubridens ſedato pectore Turnus.

Incipe,

Incipe, ſi qua animo virtus, & conſere dextram.

Porrò quemadmodum circa alias virtutes contingit, vt vnū extremum magis diſtet à medio quā alterū, lōgius enim abeſt à liberalitate qui eſt auarus, quàm qui prodigus: ita fortitudini, metus aduerſatur magis quam audacia, & perferre operoſius eſt quā aggredi: tum quod volenti nihil eſt difficile, tum etiam quod aggreſſio ipſa breuis eſſe ſolet, vt tolerantia diuturnior, ac proinde etiam longè plures fiduciam regere, quàm metum ipſum ſedare conſueuerunt: vnde qui aſperis in rebus non turbatur, nec tumultuans quod inquit Cicero de gradu deijcitur, ille ſibi iure primum in arce fortitudinis locum vendicat, à quo tantùm abeſt; vt; ipſum deijcere velim, ſi vulnera ſua ſentit, ſi dolet aliquando, ſi ſibi cauet, gradumque ab hoſtibus reflectit, aut vultum auertit; quod auſim potius affirmare, virum fortem acrius doloris morſum, & aduerſa, ac moleſta omnia ſentire; eſt enim vir fortis idem & prudens, ſuique æquiſſimus æſtimator, & optimè noſcit ſe dignum qui diuturnitate vitæ, & fortunæ commodis perfruatur, quo ſcilicet diutius exercendæ virtutis materiam, & inſtrumentum habeat, ideoque ſe illis priuari indigniſſimum ducit: præterea non eſt vir fortis, quod olim *Marſias*, nunc vero *Paſquinus*, vt quaſi ſaxeus motum, ſenſumque amiſerit. Sed hoc tantum contendo debere eū ita prudenter ſe in omnibus aduerſis, ac moderatè gerere vt non molliter queratur, aut indignos eiulatus edat, quales dicuntur fuiſſe quos Mars à Diomede vulneratus, præ dolere tam ingentes emiſit, vt nouem, decemue millium hominum pugnam ineuntium; clamorem ſuperarent quosque Iuuenali in mente fuiſſe auſim, vel ingenti pignore contendere, ſi mihi cum bona Criticorum venia verſum hunc ex eius Satyra prima

16. *Quamquam nec metū pro-hibeo ſi cum ratione.*

Iliade 5.

Nota magis nulli domus eſt ſua, quàm mihi Lucus
Martis.

vna literula auctiorem facere liceat, & pro *Lucus*, *Luctus* legere; quæ vox vſurpata forſan à Poeta fuerat, vt per eam bellum Troianum ſignificaret, de quo præter infinitos, Nero etiam poſt vrbis incendium neſcio quid conſcripſerat. Sed propterea non effoeminatè ſe geret vir fortis, nec aliquid quod ſeipſo indignum ſit committet: Nam idcirco Poetæ fingunt, ſtrenuos milites ſolitos fuiſſe cùm ferro occumberent, terram ore appetere ne ſcili-

cet

cèt turpe aliquid, aut præter decorum viri fortis in victores effutirent; hinc enim Seruius verbum *oppetere* originem ſumpſiſſe aſſerit, quaſi Terram, quæ *Ops* ab antiquis dicebatur *petere*; & ne quid de ritu illo ac geſtu morientium dubites, facit Virgilius qui frequenter illum vſurpat vt æneide octaua.

Terram ſimul ore momordit.

& vndecima

Procumbit moriens, & terram ſimul ore momordit.

facit quoque Seneca Tragicus in Hercule furente

Vltrice dextra fuſus aduerſam Lycus
Terram cecidit ore.

Non denique prę metu ſtationem ſuam turpiter, & inconſiderate deſeret, aut ad deſperationem formidine properabit; Verum honeſtatis, ac officij ſui memor, multoque magis eius gloriæ, & honoris ad quem contendit, talem ſe in omnibus præſtabit, vt vitæ ſuę commodis, ac diuturnitati, partum per labores, ac pericula in dubijs, & aduerſis bellorum difficultatibus, decus anteponat, & nihil omnino metuat niſi turpem famam, ita enim animo præparatum, & omnia audaciſſimè incipientem, nunquam fortuna deſtituet.

X. *Sequitur gloria.* Hoc autem vt faciat oportet, quod ſecundo loco requirebat Patricius, vt laudis maiorem in modum ſit appetens, vrgerique potiſſimum debet flagrantibus gloriæ ſtimulis, cuius ſtudio ſi opifices ipſi ducuntur, qui poſt mortem nobilitari volunt; ſi Philoſophi, qui in libris, quos de contemnenda gloria ſcribunt, nomina ſua inſcribunt; quanto magis eiuſdem deſiderio inflammari debent, & ſuccendi bellatores, qui non vt illi ſordidam, vel adumbratam laudem à vili plebecula, ſed illuſtrem, ac peruagatam famam, ab incorrupta voce bene iudicantium referunt; qualem fuiſſe videmus Periclis apud Thucididem, ciues ſuos pro ſalute Patriæ interfectos laudantis; aut Athenienſium, qui vt in Menexeno Platonis habetur, orationem ſolemni more quotannis recitabant in publico eorum funere, qui pro Republica oppetijſſent, ac denique tot hiſtoricorum qui Leonidam cum trecentis, aut ad ſummum quingentis Spartanis, centum myriadibus Perſarum ad Thermopylas occurrentem, tamdiu laudabunt, quamdiu virtutem ipſam laudari pulchrum, & excellens eſſe iudicabitur.

Digitized by Google

tur. Verum quid illuſtrius in hoc genere deſiderari poteſt quàm præclara illa laudatio, ab eloquentiæ parente tam facundè, magnificèque inſtituta in Martiam Legionem, quæ cum Quarta primùm quidem ab Antonio ad Octauium defecit, ſeu quod idem eſt, ad Senatus auctoritatem, Populique Romani libertatem ſe contulit, ac demum ad Mutinam fortiter pugnando cæſa fuit. aut denique Epitaphium eorum qui ad Viennam pro libertate Chriſtiana bello Turcico occubuerunt, tanto Spirituum, & verborum apparatu à Iulio Cæſare Scaligero celebratum. Sanè fatendum eſt mihi, quod ſi vllum eſſet genus orationis tam diuinum, ac incredibile, vt fortium eiuſmodi, inuictorumque militum excellentiæ, magnitudinique meritorum conuenire poſſet; vnum illud profecto foret, quo ambo iſti Oratores, tam ſplendidè depræhenduntur, bellicæ fortitudinis laudem celebraſſe. Sed Phorbas ille ſenior apud Statium quanquam non ita copioſus, & eloquens, pulcherrimè tamen breui ſua, & conciſa oratione ad bellum proficiſcentes, ita exhortatur vt ſtrenue ſe gerant Philippic. vltima.

Ite alacres, veſtri nunquam morientur honores,
Bellaque perpetuo memorabunt carmine, Muſæ.

Intelligebat nempe vir prudens, & ipſo rerum vſu edoctus; virtutem militarem quæ omnium maximè ad communem vtilitatem ſpectat, nec obliuione præſentium, nec reticentià poſterum, meritaque commendatione poſſe fruſtrari; & neminem eorum qui paulo vehementius exoptarit nomen ſuum præclaris facinoribus in memoriam hominum proferre, votis ſuis non tandem fuiſſe damnatum. ad hanc enim famam vt ſe 2. *Quam milites atque duces conſequi poſſunt.*

Romanus, Graiuſque, & Barbarus Induperator
Erexit.

ita & ipſam aſſecutus eſt. Annibal quoque ſolius gloriæ deſiderio prædicat ſe ad tantos labores, & moleſtias exſtimulari

Mihi magna ſatis, ſat vera ſuperque,
Bellandi merces ſit gloria.

& nullus vnquam ex antiquis ducibus maiori nominis ſui veneratione tranſiuit ad poſteros. Sic Themiſtocles cui ſomnum excutiebant trophæa Miltiadis; ſic Theſeus qui virtutum, & gloriæ exemplar Herculem ſibi proponebat; ſic Alexander cui terrarum Orbis anguſtus erat; ſic denique Romani illi duces laudis auidi,

auidi, pecuniæ liberales, quos Saluſtius gloriam ingentem, & diuitias honeſtas voluiſſe auctor eſt, non modo literatorum ſtilo, ſed ſculptorum quoque celo viuunt, ſpectanturque illuſtres, poſt tot iniurias, & calamitates ſæculorum. Verum quoſdam audio parum his exemplis commoueri, quaſi nihil ad fortunam priuatorum militum ſpectent, qui velut capite cenſi, indignique prorſus in quorum viles pannos ſplendidum iſtud gloriæ iubar ſe demittat; virtutis quidem templum tam frequenter ſubeunt, quàm ab honoris ædicula repelluntur, in quam ſolis ducibus, rerumque dominis conceſſum eſt penetrare. Sed immane quantum decipiantur qui tam præpoſtero, & iniquo iudicio de poſteritate exiſtimant, illa ſi quidem nemini mater eſt, aut nouerca; nec vllum attollit quem ignauia deprimat, aut deprimit quem virtus attollat: Sed de ſingulorum virtutibus, aut vitijs prout illa fuerint pronunciare ſolet, æque pauperi amica ac Regi; æque militi fauens atque Imperatori, vel Tribuno: vnde non frequentius occurrunt in eius tabulis nomina Scipionum, aut Cæſaris, & Pompei; quàm illa Horatiorum Coclitis, Scæuolæ, Dentati, Cynegiri, ac eiuſmodi aliorum, qui præclaris ſuis, & fortibus auſis priuatæ ſortis inuidiam longè ſuperarunt, vt nemini amplius integrum ſit de communi fortuna, ſed de propria tantum ignauia conqueri, quæ mollem animum, & liqueſcentem affert, vbi robuſto, & obfirmato opus eſt; quæ nunquam in pericula inquirit, niſi vt ipſa declinet; quæ demum omnia facit & excogitat, non ad ſpem victoriæ, ſed ad conſeruationem vitæ, quam tamen Ageſilaus monebat debere ab eo negligi qui laudẽ maximam ambiret

D. H. lib. 3. de cõt. mort.

Omnia nam ſuperat lethi contemptus, & acer
Inuictuſque animus, nihil illi triſte minaxque,
Qui mente intrepida potuit concurrere fato
Iuſſus, & vrgenti ſubito non cedere letho.

& eodem animo ductus Sceuola Porſenæ Regi dicebat, vile corpus ijs eſſe qui magnam gloriam petunt. Vnde fruſtra ad illam contẽdit qui prius cogitat quid paſſurus ſit, quàm quo tendat; qui

3. Maximè ſi conſtanter tu lerint vulne ra, & mor'e qua valdè ſit honeſta.

non gloriatur in vulnerum magnitudine, & periculo: qui profluentem ſanguinem videre horret, nec liberiore ire meatu iubet, ſi quicquam iſtud facit, vt tanto ſplendidius gloriam acquirat.

Facere vero plurimum, vel communis opinio ſatis indicat, quę

ita

ita fermè apud omnes obtinuit, vt idem licet fecerint qui integri reuertuntur ex acie, magis tamen ſpectetur qui ſaucius redit. ac proinde Sidonius Apollinaris eleganter dixit Carmine 23.

In campis Marathonijs merentem
Vulnus non habuiſſe, grande probrum eſt.

& Gellius qui in varijs doctrinis egregius fuit, verba grauia, & illuſtria de Rege Philippo Demoſthenis, & de Sertorio Saluſtij refert, quibus, viros duces, de vulneribus gratiam faciei adimentibus, gloriam, atque lætitiam habuiſſe compertum eſt: & vero lib. 2 cap. 27. quoniam Demoſthenis verba omnino egregia ſunt, & ſplendida, non committam hic vt quiſquam poſſit ea deſiderare, ſaltem latinè reddita *videbam* inquit *etiam ipſum Philippum pro imperio, principatuque oculo effoſum, humero fractum, manu, crureque olæſum omne denique corporis membrum quod Fortuna auferre voluiſſet, id vltro, hilariterque offerentem, vt de cætero vitam cum honore, & gloria ageret*. nec videtur eius filius Alexander minori gloriæ deſiderio flagraſſe, aut maiori in ea adipiſcenda felicitate vſus; quãdoquidem referente in eius vita Ioanne Monacho in Illyrijs caput illi ſaxo pene contuſum fuit, diſciſſumque enſe barbarico ad Granicum flumen, & femur ad Iſſum; traiectus præterea Indica ſagitta circa humerum, & in crure læſus in Gandridis, & telis varijs apud Mallos appetitus cùm admotis ſcalis primus murum aſcendit. & eo ſe ardore in confertos hoſtes præcipitauit, vt parùm certè abfuerit ne vicus ignobilis Alexandri Magni fieret monumentum. atque ita non minus hic quàm pater ante fecerat, præ ſtudio laudis, & honoris, iacturarum damnorumque corporis contemptor fuit, nec minus *ſingulos artus ſuos* vt loquitur Agellius *Fortunæ prodigendos dedit, quæſtu atque compendio gloriarum.* & ſanè cum maximam laudẽ ex tot victorijs retulerint, illam inſuper valde illuſtrem, & præclaram conſequuti ſunt, quam cicatrices ſecum coniunctam habent, ſiquidã illas gloriæ, & oſtentationi ſemper fuiſſe cùm multa declarent, tum & illud Caſſiodori quemquam dubitare non permittit, *vulnera accepit quæ tantum nunc ei ſunt glorioſa, quantum tunc habuere periculi*; cui perbelle conueniunt quæ Claudianus habet librode bello Getico. lib. 8. epiſt. 10

Crinigeri ſedere Patres, crinita Getarum
Curia, quos plagis decorat numeroſa cicatrix.

& paulo

& paulo infra quamquam eodem ſenſu

Vulneribus pars nulla vacat, reciſaque contis
Gloria, fœdati ſplendet iactantior oris.

l.b.7.cap.15 Vnde merito quidam, ſic honorificè à Quintiliano deſcribitur *Saucius manibus, ac cruribus, ſpecioſior ſanguine, & ipſo periculo auguſtior*: & eam ob rem memoriæ à Plutarcho proditum eſt, Paulum Aemilium ita dixiſſe, aperto pectore incredibili cicatricum multitudine exarato: *Tu ob hæc rides Galba, ego autem glorior apud Populum Romanum, nam pro eo noctu diuque militando, hæc vulnera ſuſcepi*. quibus verbis ſimilia ſunt quæ Petronius declamatoribus antiquis pro communi lemmate propoſita fuiſſe refert. *hæc vulnera pro libertate publica excepi, hunc oculum pro vobis impendi, date mihi ducem qui me ducat ad liberos meos, nam ſucciſi poplites membra non ſuſtinent*. atque vt vulnera hæc honeſta ſunt; ſic mortem quæ in bello contingit veteres omnes pulcherrimam eſſe, ac longè beatiſſimam iudicarunt, ita vt ex eorum ſenſu Virgilius dixerit.

Initio Satyrici.

2. Aeneid.

pulchrumque mori ſuccurit in Armis.

Aeneid. 9. & idem alibi Niſum inducit voluentem apud ſe dum Eurialum ab hoſte interceptum videt.

An ſe ſe medios moriturus in hoſtes
Inferat, & pulchram properet per vulnera mortem.

cuius rei rationem hinc liquido patere exiſtimo, quod vnicuique tandem moriendum eſſe, tam certum eſt, quàm quod certiſſimum eſſe poteſt; at ſummam poſſe moriendo gloriam conſequi, non omnibus ſed paucis, atque id ſemel tantum in vita conceſſum fit. & iјs potiſſimum qui vt dicebat Menander *mori, turpe non exiſtimant, ſed turpiter mori*. Quanquam illud etiam ſœpius euenit, vt poſtquam ſe aliquis, extremis omnibus deuouit, caputque euidentibus periculis, & morti ipſi, ſi alicunde impendeat obiectare apud ſe decreuit, meſſem interim vberrimam honoris, ac gloriæ etiam abſque vulnere referat; tantum illi ſpectatæ, ſingularique militum audaciæ blanditur aliquando caſus aut fortuna, & generoſas cogitationes plerumque perducit ad exitus optatos?

4 *Et veluti ſemina reliquarum virtutū.*

Ab hac igitur honeſtiſſimæ mortis ambitione, prodierunt, tanquam ex equo Troiano, fortia illa pectora, quæ refulſerunt in ornamentum ſuarum ætatum, & omnis poſteritatis, ab hac impulſus

pulſus Theſcus reſpondebat neutiquam ſuis moribus conuenire, vt fugeret ardua; & Achilles quem Homerus hac de cauſa θυμολέοντα *ideſt Leonis animo præditum* appellauit, audacter vſurpabat aduerſus Aſteropeum. *quis tu mortalis es qui mihi obuius fieri audes? an neſcis filios infælicium robori meo occurrere?* ab eadem etiam decenter effigiatus conſpicitur apud AEſchylum, milles ille, qui per ſcalam molitur aſcenſum ad obſeſſæ turris coronam, frequenti miſſilium imbre penitus infeſtam, tantà ſui fiduciâ, & periculorum contemptu incitatus, vt nec Mars quidem ſi adſit, videatur poſſe illum ab animi propoſito deijcere. & quocumque tandem me conuerto, cùm præſentia, & præterita tempora animo complector, nullum mihi præclarum facinus occurrit, quod non ſit ab eo animo profectum, qui gloriæ potiſſimum ſtudio duceretur, nulla item regna, & Imperia quæ aliorum operà vel initio condita, vel deinde aucta, ac propagata fuerint, quam illorum qui ſibi ſuorum laborum præmium ſolam gloriam proponebant, vt è contra eadem ab ijs tantum labefactata, & funditus euerſa ſunt, quibus odium, vel cupiditas, aliaue libido quàm gloria, & exiſtimatio fuit antiquior. vnde nemini amplius dubium eſſe poteſt, gloriam ipſam excelſo magnoque animo viris, quales debent eſſe qui caſtra ſequuntur, ante cætera mortalia bona, & vitam ipſam æſtimari debere.

Nam ſi propius adhuc in rem ipſam intueri velimus, & militum quorundam vilis, atque demiſſi animi vota, preceſque ſcrutari, qui non tam honoris, & famæ quàm diuitiarum cupiditate ducũtur; quomodo precor, cùm inertię, æ nullum vnquam legatur ſtatutum fuiſſe præmium, ab infimis ordinibus ad ſupremos gradus dignitatum conſcendere poterunt? quomodo torquem, aut armillas accipere, coronas mereri, numeroſà donorum pompà ſuperbire, fortunæque ſuæ tenuioris, & anguſtæ rationem in melius conuertere? niſi fortiter, & ſtrenuè dimicando, inque pugnæ ardorem in media tela, in apertiſſimam mortem perrumpendo, dignos ſe præbeant quibus ducum ſuorum gloria, & patriæ ſalus, & bonorum commoda honeſti laboris fructum ſe debere fateantur. aſpice quæſo nobiliſſimarum nationum deleta ſtemmata, miſerrimum nomen ſeruituris, mutatas aras religionum, cultus antiquatos, euerſa faſtigia cæremoniarum, Lares priuatos, publicos,

5

Quas ex aduerſo imbellia extinguit.

cos,& antiquos peſſum datos; quantum denique mœroris, quantum miſeriarum in ſolitudine & vaſtitate deploratur, id omne contigit vnius opera imbelliæ; & adhuc tam impudens erit, tam effrons, omnique pudore deſtituta, vt in gloriæ ſortem deſcendere velit, præmiaque cum illis diuidere, qui extrema quæque ſunt perpeſſi, quo ſibi proprium virtutis decus ſartum, tectumque conſeruarent. Nihil apud Hiſtoriæ Romanæ ſcriptores frequentius occurrit quàm Lucij Cicinij Dentati commemoratio, cuius honores vltra fidem veri procedere iudicari poſſent, niſi à Marco Varrone monumentis item literarum traderentur, qui ipſum nouem triumphales imperatorum currus ſecutum narrat, totiuſque ciuitatis oculos multitudine donorum in ſe conuertiſſe; cùm ei præferrentur aureæ coronæ octo; ciuicæ quatuordecim: murales tres; obſidionalis vna, torques inſuper tres & octoginta ſupra centum; Armillæ centum quadraginta, haſtæ octodecim; phaleræ demum quinæ & vicenæ, ornamēta etiam Legioni, nedū militi ſatis multa. Verum ex alia parte quoties hoſtem laceſſiuit, quot periculis ſe ſe obiecit ſiquis attentè conſideret; non minus eius opera quàm prœmia, admirationi habebit; illudque tandem apud ſe ſtatuet, quod ex omnibus bonis, quæ à Dijs immortalibus hominum generi conceduntur, cùm duo maximè ſollicitos illos detinere ſoleāt, quorum vnum efficit vt beatè viuere poſſint, propter recordationem meritorum; alterum vt etiam ſplendidè ob copiam opum, & fortunarum; nulla tutiori, aut commodiori via poſſunt ambo hæc celerius adipiſci, quàm ſi ingentis, & verę gloriæ conſequendæ perpetua cupiditate deflagrent; ad quam ſi te natalium ſplendor, & antiqua virtus Auorum, non iam antea concitaſſent abundè Ludouice Comes, reliquum eſſet hic quandoquidem occaſio percommoda ſe offert, vt ingenuum tuum animum potentioribus ad illam ſtimulis inflammarem, multaque, & repetita ab Atauis vſque, & longiſſimè reto maioribus, nobilitatis tuæ laudatione, in vera ad gloriam, & claritatem via, per eorundem veſtigia deducerem. cùm certiſſimum ſit apud omnes. quod non ſecus ac pugilum fortitudo ſpectantium clamoribus; parataeque ad prælium acies Imperatorum ſermone accenduntur; ita vehementer, & mire alacrem hominem reddit ad præclara quæque & audenda, & facienda, laus quæ prouenit à ſingulari virtute

Auorum,

auorum; verum quominus iſta mea exhortatione opus apud te eſſe exiſtimem, tua generoſa, & nobilis indoles in cauſa eſt, quæ bellaces illos, feroces que Germanorum ſpiritus, quos maiores tui velut per traducem in ſe propagatos, tamdiu in Italia retinuerunt, ſic feliciter temperauit cùm Patris, tum etiam Patrui ſedatis omnino benigniſſimisque affectibus, vt mirificè gaudeam vigere in te omnium illorum impetus, & præclara conſenſione, totherecum mores inter ſe diuerſos copulari.

XI.

1 Poſtea ad diſcipinam venio quia in delectu nulla conditiones prater aſſignatas requiruntur.

His igitur quæ hactenus attuli de militum delectu, cùm ſatis, ſuperque, tum rei ipſius neceſſitati, cùm etiam militaris ſcriptoris auctoritati factum ſit, qui hoc vnum eſſe contendit, in quo totius Republicæ ſalus vertitur, *vt tyrones non tantum corporibus, ſed animis quoque præſtantiſſimi deligantur*: neſcio profecto quid in mētem venerit grauiſſimis auctoribus Platoni, & Patricio, vt generalibus iſtis conditionibus minimè contenti, quaſdam alias magis curioſas quàm vtiles excogitarint; vt cùm hic ſedulò cauendum eſſe monet in militum delectu, ne *cæci*, aut *ſurdi* eligantur; ille vero optādū dicit vt miles *ambidexter* ſit, vel *æquimanus* hoc eſt, vt manu ſiniſtrà, æque ac dextrà arma tractare poſſit; ſic enim *ἀμφιδέξιος* Polluci dicitur *ὁ ταῖς δυσὶ χεροῖν ἐνεργῶν δεξιῶς qui vtriſque manibus dextrè laborat*, quemadmodum Aſteropæum vnum feciſſe teſtatur Homerus, apud quem vox *περιδέξιος* nihil à prioribus iſtis diuerſum ſignificat, ſi Auſonio ſaltem, ac Symmacho fides eſt habenda: atque eodem modo laudantur in ſacris codicibus *habitatores Gabbaa qui ſeptingenti erant viri fortiſſimi, ita ſiniſtrà vt dextrà prælιantes*. ſed quis amabo tam mente captus eſſet qui cæcos, vel ſurdos milites vellet conſcribere, non hoc credo Annibal, aut Philippus, aut Antigonus qui altero tantum oculo videbant; non Beliſarius ipſe, poſtquam oculis orbatus fuit à Iuſtiniano, ſi non potius mera hæc fabula eſt; aut Andabatæ qui clauſis oculis pugnabant, iſtud vnquam facere ſibi in animum induceret. aut quis tam Blennus eſt, ac ſtupidus qui ignoret hoc, in delectu non requiri, quod ab exercitatione ipſa dependet, & longo tantum vſu poteſt comparari. ſed magnis viris hoc perſæpe contingit, vt interea dum nihil aliorum diligentiæ relinquere volunt, multa etiam inepta dicant, atque abſurda; & nuperi iſtius ſcriptoris prorſus ſimiles exiſtant, qui vt aliorum methodis, &

lib. 1. cap. 7.

lib. 2. cap. 4. artic. 32.

Iliade 9.

lib. Iudic. c. 20.

Sebaſt. Macc.

K præ-

præceptionibus de ſcribenda hiſtoria bene, ſapienterque inſti-
tutis, peregrinarum quæſtionum nouitate obſtrueret, quærit in
ſua, num cæci, ſurdi, muti, eunuchi, & qui perpetuo morbo labo-
rarunt conſcribere hiſtoriam poſſint? & quo genere, ſexu, ſtatu,
debeat eſſe hiſtoricus. Quare vt ab eiuſmodi tricis, & nitiualli-
tijs ad illud quod in Tyrone ſecundo loco conſiderandum eſſe
dixi, mentem, calamumque reflectam; diſciplinæ militaris ratio-
nem, vimque omnem, & præſtantiam quanta, nunc fieri poteſt
diligentia explicare aggrediar, parteſque eius, & munia quæ va-
riè apud auctores ſparſa ſunt, in quædam veluti circumſcriptæ
doctrinæ ſepta redigam, vt quoniam ipſa hodie apud nos nulla
eſt, ſiquis hanc reducere, & inſinuare velit, habeat in promptu
vnde, & cauſam iſtud faciendi, & modum etiam, ex antiqua con-
ſuetudinis inſpectione repetere poſſit.

2 *Diſciplina igitur inſtauranda cauſa oſtenditur.*

Et vero quantum ad cauſam attinet, ſatis per ſe hanc ſub mini-
ſtrat continuò, ſuggerit que truculenta ipſa, & immanis militum
natura, quam violato, reiectoque pudore, per ſacra, iuxta & pro-
fana graſſantem, non preces ſupplicum, non lacrymæ queren-
tium, non integritas innocentium, non religionis ipſius, aut ſexus,
ætatiſue conſideratio, ſed vnica diſciplinæ obſeruatio à concitato
furore retinere, ac refrenare poteſt. hac enim ſublata manus ſta-
tim habent pro lege; pro iure; gladij aciem; pro ratione, volun-
tatem; pro æquitate, libidinē; & in amicos quàm in hoſtes valen-
tiorem animum; ex quo tanquam ab infelici planta, ignauæ po-
ſtea propagines oriuntur, imbellia, & *totis ſocordia caſtris*; &
quod noſtris temporibus fieri amat, in quibus diſciplinam milita-
rem fruſtra requiras, vbi in campum exercitus educitur, quaſi vē-
tus quidam vehementiſſimo turbine eſſet exortus, aut locuſtarū
agmina ſatorum planiciem inundarent, ita breui ſegetes procul-
cantur, ac ſœpe priuſquam maturuerint demetuntur; armenta
fugatis cuſtodibus abducuntur; ruſticorum ſuppellex diripitur,
omniaque malorum, & calamitatum genera, nō amplius ex Pan-
doræ pixide, ſed ab vna militum legione in miſeros, & nil tale
merentes ſe diffundunt. quod ſi in Hybernis illi detinentur & cē-
turijs, cohortibuſque ſingulis ſuæ ſtationes deſignatæ ſint, ita
omnia in illis libidinibus, rapinis, atque iniurijs complent, vt
non populares, domeſticique milites, ſed hoſtes eſſe crudeliſſimi
videan-

Digitized by Google

videantur. Atque vtinam ea tantùm quæ ad cibos pertinent, & quibus ſubueniri fami eorum poſſet, ab illis diriperentur; quemadmodum Lycurgum iſtud vt impune foret Lacedæmonijs cõceſſiſſe auctor eſt Xenophon; verùm non his modo limitibus continetur proiecta eorum cupiditas, & audacia; nam quod inquit Varro in Bimarco *eum ſocis bellum ita gerunt, vt bella omnia domum auferant*; & ſi puella venuſtior eſt in ædibus, ſi matrona ſpecioſior, vitium illi non offertur modo, ſed ſæpius infertur ab inſolenti milite. qui ſi paulo magis auaritiæ quàm libidini ſit deditus, domicilia ipſa incendit, horrea excutit, granaria ſubuertit, ſuppellectilem omnem rapit, & diſtrahit quo ſuæ poſſit morem gerere cupiditati; interim vero ferocientis licentiæ tempeſtatem Paterfamilias diſſimulat, nec hiſcere tantum, vel mutire quidpiam audet, multoque minus impijs iſtis graſſatoribus obſiſtere conatur, ne longè grauiorem in ſe concitet per equuleum, neruos, fidiculas, rotarum, fulminalium, & accenſi pulueris cruciatus, quos ad emungendos pecuniâ ſuos hoſpites, nouos quotidie excogitare ſolent.

Sic animis iuuenum furor additus, inde Lupi ceu
Raptores atra in nebula, quos improba ventris
Exegit cæcos rabies;

per amicorum æque, ac hoſtium damna feruntur impunè. Sed neque ducibus ſuis minus laboris; & moleſtiæ faceſſunt, quum accepto ſtipendio ſæpe transfugiant, quum in agmine prædentur, aut opus militare detrectent; in caſtris vero nec vini, nec obſonij quidem recentis deſiderium patienter ferant; atque in acie demum canente claſſico, explicatiſque ad pugnandum ſignis, ſtipendium flagitare non erubeſcant; vt ſi rediret Iunior aliquis Africanus pullo ſe induere ſago, & perambulans caſtra, dicere meritò poſſet, lugere ſe infamiam exercitus. Hæc autem omnia ſi quis ab alio quàm labantis diſciplinæ fonte deriuari putat, quæ pœnâ, & timore milites ipſos in ſedibus corrigit, in expeditionibus vero præmiorum ſpe facit meliores, & ad honeſtas etiam actiones continua exercitatione paratos; is profectò in aperta luce cæcutiat neceſſe eſt. Etenim cum aſſerere Vegetio *paucos viros fortes natura procreet, bona vero inſtitutione plures reddat induſtria*, ſi modus ille negligatur qui hominibus ad virtutem ſtimu- 3.lib.cap.26.

lòs adigit, freniſque vitium coheret, quid aliud tandem facere poterunt naturæ ſuæ derelicti, ac velut inter cupiditatum ſcopulos oberrantes, quàm frequenter in ipſos labi, & turpiter impingere? ſi præſertim nutantes iam, atque in præcipiti collocatos, vis, & licentia deturbent; quemadmodum in milite fieri procliue eſt qui ſua naturà non minus quàm bellorum vſu, & conſuetudine, facile redditur.

Horat. in arte poet.

Impiger, iracundus, inexorabilis, acer;
Iura negat ſibi nata, nihil non arrogat armis.

Vnde cùm Romani qui peculiari quadam Deorum indulgentià, præclarius quàm cæteri mortales, in ſuis rebus loqui, & ſapere viſi ſunt, eadem etiam ratione cognoſcerent, quantum intereſſet ad ipſorum gloriam, & ſecuritatem, diſciplinæ militaris obſeruatione, motus iſtos militum inordinatos componere, & præclaras diſpoſitiones, quas per delectum in ipſis requirebant, arte, ingenioque ad virtutem inclinare; tanti ſemper ipſam feciſſe deprehenduntur, vt quemadmodum habetur apud I. G. *diſciplina caſtrorum antiquior illis fuerit quàm caritas liberorum*: & ſanè quominus iſtud ambitioſè potius quàm vere prolatum cenſeatur, faciunt exempla Quinti Metelli, & Publij Rutilij Conſulum, qui nullam quamuis lege impedirentur, quin filios ſecum habere poſſent, maluerunt tamen ipſos inter ordines merere, & caſtrenſis diſciplinæ munia fideliter obire, quo tolerandis militæ laboribus, ac bellorum periculis ſenſim aſſueſcerent, & cæteris exemplo forent virtutis per ſeueras leges conſequendæ.

leg. 19. de cap.

3 *Et inſtaurata præſtantia ac neceſſitas.*

Nec eſt quod ab euentu rerum qui præclarè ſemper de conſilijs decernit, quicquam illos vel perperam feciſſe, aut inconſultò ſtatuiſſe videri poſſit; quandoquidem Valerius Maximus, decus omne, ac ſtabilimentum Romani Imperij acceptum refert militaris diſciplinæ tenaciſſimo vinculo, in cuius ſinu, ac tutela ſerenus, tranquilluſque beatæ pacis ſtatus acquieſcebat. & Vegetius nihil æquæ Romanis profuiſſe docet aduerſus Gallorum multitudinem, Hiſpanorum vires, Germanorum proceritatem, Aphrorum dolos, & diuitias, Græcorumque prudentiam & artes; quam *Tyronem ſollerter eligere, ius armorum docere, quotidiano exercitio roborare, & quæcumque euenire in prælijs, aut acie poſſunt, omnia in campeſtri meditatione prænoſcere*, quorum omnium ſcien-

lib. 2. cap. 2.

lib. 1. cap. 1.

tia

Digitized by Google

tia quàm per ſe præclara ſit, & excellens, vel ex eo maximè depræhenditur, quod huic Populo, qui diu ipſam, acriterque præ cæteris retinuit, multarum vrbium, magnorum regnorum, validiſſimarum prouinciarum regimen largita eſt. fauces Pontici ſinus patefecit, Alpium Taurique montis conuulſa clauſtra tradidit, ortumque è vili, & abiecta Paſtorum gente, totius orbis conſtituit Dominum; ſic enim Tullius in oratione pro domo ſua *Populus Romanus dominus Regum, victor atque Imperator omnium gentium*; & Martialis

Terrarum Dea, gentiumque Roma,
Cui par eſt nihil, & nihil ſecundum.

quibus optimè conſentit elogium Dionyſij Halicarnaſſæi vocantis eam ἡγεμόνα γῆς. καὶ θαλάσσης ἁπάσης πόλιν *principem terræ, marique Vrbem*, & ex eo Pyrrhus in Tarētina victoria, quia omniū Romanorum vulnera in pectore videbat, quoſdam hoſtibus ſuis immortuos, omnium in manibus enſes, & relictas in vultibus minas; Romanorum virtutem longè plurimum admiratus, inquit, *O quam facile erat orbis imperium occupare, aut mihi Romanis militibus, aut me Rege Romanis.* Scilicet vbi ſtetit diſciplina, ſtetit & victoria, nec tam à robore, aut numero militum, quàm ab eius obſeruatione triumphi venerunt. quid enim aliud Metello Iugurtham tot antea Conſularium exercituum victorem ſubiecit, niſi militaris diſciplina? quid Scipioni poſt Mancini turpe fœdus, glorioſam de Numantia victoriam peperit; aut Lucullo, & Pompeio tam nobiles de Mithridate, & Tigrane triumphos attulit, niſi hæc eadem diſciplina? de qua Valerius Maximus propterea dicebat *itaque neglectæ militaris diſciplinæ indicium Mancini miſerabilis deditio: ſeruatæ merces, ſpecioſiſſimus Scipionis triumphus extitit* & amabo quid aliud erunt caſtra ſi quis eam ſuſtulerit quàm latrocinia? quid otium niſi ſocordia? quid negotium præter ludum, & libidinem? erunt quidem validæ militum linguæ, ſed manus ignauæ; pedes expediti, ſed ad fugam; artus lacertoſi & Athletici, ſed ad ſaginam; fortes erunt in agrorum populatione, vrbium direptione, pecorum abactione, ſed contra hoſtes timidi, ignaui, & ad quietem quàm laborem aptiores. vt pote qui delitias quærunt, non obſequium; ſeditionem non bellum: atque hoc modo propriæ tandem ignauiæ ſuccumbunt,

K 3 qui

Digitized by Google

qui hoſtes ne quidem ſibi fingunt in vmbratili exercitatione; torpeſcit enim corpus niſi excitetur crebro, & animus niſi ventiletur vt ignis cuius in ſe particulā recludit, ſuffocatur in ſeipſo, aut ſaltem tardior euadit ad ſolita munia obeunda,

Ouid. *Vidi ego commotas mota face creſcere flammas,*
Et vidi nullo concutiente mori.

ac propterea quoties apud me reputo quidnam cauſæ ſit, cur, cùm è magno militum numero, tam multos videre eſt procero, & immani corpore, forma excellenti, & apta compoſitione membrorum præditos, ipſa quoque barbâ & hiſpido cultu ferocem præ ſe ferentes animum; pauci tamen inter ipſos ad bellum idonei, ac ne quidem hoſtium vultus, tantum abeſt vt impetus ſuſtinere prompti reperiantur; iſtud in re ipſa tandem occurrit nō aliunde profectum videri, quam quod hi nimium otio, ac luxui dediti, nec in tolerandis laboribus exercitati, haud ſecus in caſtris quàm in haris & popinis degunt, quibus vitijs quicumque ſunt affecti, eos molli & effœminato corpore, ignauoque ac ſegni animo, neque ad prœlia parato eſſe oportet; nam in toto genere vitiorum quicquam non videtur, quod tam vim omnem eripiat homini quàm ocium molle, cultus corporis immoderatus, victus ipſe delicatior, liberque & ſolutus curis animus; & ex aduerſo nihil æque fortes magnanimoſque animos decet, nihil ita corpus bene firmum, ac valens efficit, atque ipſa exercitatio, conſuetudoque in laboribus, & in victu continentia: vnde cum iſtud præclaro aliquo & illuſtri exemplo confirmare vellet poetarum maximus, non ſatis habuit AEneam ipſum repræſentare vario ludorum genere ſuorum militum animos, ſimul & corpora exercentem, aut ſub perſona Numani diuerſas actiones recenſere, quibus ſe Rutuli ad militiæ labores facilius tolerandos, ab ipſiſmet etiam crepundijs obdurabant, niſi & illud idem Heroibus ipſis, mortali cōpage ſolutis apud Elyſios vſu venire docuiſſet, vbi

Aeneide 5. Aeneide 9.

Aeneide 6. *Pars in gramineis exercent membra palaſtris,*
Contendunt ludo, & fulua luctantur arenâ,
Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina ducunt,

qua in opinione vati noſtro ſuffragantur pariter illa Plutarchi ad Apollonium *præter alia enim allata de Elyſiis, partim equis, & palaſtra, partim ludunt calculis*; hac nimirum ingenioſa fictione ſapien-

plentiſſimi homines deſignare voluerunt, quàm turpè, & indecorum eſſet viris bellicoſis, quales olim Heroas omnes fuiſſe nemo dubitat, ſegnitie, ac otio conſumi; præſertim cùm militia non minus certè quàm reliquæ artes, in iugi continuaque meditatione conſiſtat. & cùm Athleta, venator, auriga propter exiguam mercedem vel plebis conuerſum pollicem ſeruare ſuas artes aut augere conſueſcant, tanto ſtudioſius militem iſtud quoque facere oportet, cui pugnandum eſt pro ſalute propria, & eorum quos tutandos ac ornandos ſuſcepit; cuique viam ad opes, & fortunas ordo tantum ipſe militaris, & Imperatoris iudicium poſſunt aperire.

Verum vt haſtenus allatæ rationes parum ad Caſtrenſis diſciplinæ inſtaurationem militibus ipſis perſuadendam, efficaces habeantur; certè non poterit ſaltem ea non validiſſima cenſeri, quam ab incommodis quæ ex eius ignoratione proueniunt indies, vberrimè quę in omnium perniciem pullulant, vnuſquiſque colligere nullo negotio poteſt. *Ars enim bellandi* ſicut optimè monet Caſſiodorus, *ſi non præluditur, quando fuerit neceſſaria non habetur; & niſi vſu præmuniatur concertandi fiducia, ſubito non paratur: animoſque vix ad arma erigunt, niſi qui ſe ad ipſa idoneos præmiſſa exercitatione diſponunt;* quoniam primordia omnia pauida ſunt, plenaque confuſionis, ac formidinis; quæ nuſquam animum deſerunt non longa exercitatione ad hæc omnia intrepidè ſubeunda confirmatum. quare ſicuti ferocientes vituli cornibus primum arbuſta diuexant, mox etiam geſtiunt inter ſe certamina, quæ demum implent ætate robuſta; & Catuli in nouellis venationibus ludunt, ſic animi hominum, niſi prius leuiter fuerint imbuti eius artis ad quam feſtinant aliquo ſpecimine, nequicquam poterunt ſatis ad illam parati accedere. & ea de cauſa Socratem adductum puto, vt fortitudinem ſcientiam eſſe putaret, ita vt quemadmodum fortis dicitur Medicus, qui fretus artis peritia intrepidè ægris medetur, vt Iapix ille Virgilianus qui AEnea lethali vulnere ſaucio

4. *Neglectaque incōmoda quibus deuitandis Galli legionarios, ac demum prætorianos milites inſtituerũt*

Spicula dextra

Sollicitat, verſatque tenaci forcipe ferrum.

& Nautæ pariter fortes exiſtimantur, qui peritiæ nauigandi confiſi, ferendiſque procellis aſſueti, non perturbantur marinis tem-

peſtatibus; eodem etiam modo fortes milites illi tantum habendi ſint, qui ex ſcientia quam habent qua ratione ictus aduerſarij declinari poſſunt, quoque modo petendus ſit hoſtis, ea ſenſim contemnunt quæ bellicæ rei imperitos terrent; freti que armorum vel vſu, vel ſcientiâ confidentiſſimè in certamen prodeunt. Hæc autem omnia cum vnius modo operâ diſciplinæ fieri & conſtare poſſint, cuius neglectus nunquam maior quàm iſtis temporibus fuit, hinc Vbertus Folieta occaſionem rectè ſumpſit introducendi Aſſanum Baſſam, bellum his rationibus contra Chriſtianos ſuadentem; quod ipſi inter ſe diſcordes eſſent, helluones, temulenti, ſcortorumque greges in caſtris haberent; quod item temerè, & ducti cæco impetu non diſciplinâ ad res gerendas ruerent; quod denique legum, & iuſtitiæ eſſent negligentes, nulliſque virtutem præmijs ornarent, nec ſontibus pœnas ex merito conuenientes decernerent. quæ cuncta cùm adhuc quàm ipſe dixit veriora ſint, mirari profecto ſubit aliquoties, tantam eſſe apud Principes, hac ætate, in qua bellorum nouæ ſemper occaſiones vetuſtioribus odijs ſuccedunt, negligentiam rei militaris, vt nunquam in pace militem alere, exercere, inſtituere, vel vllam bellicę diſciplinæ curam, quæ tamen antiquis omnibus maxima ſemper in commendatione fuit, habendam putarint; eoque tandem incuriæ deuenerint; vt vix vllos haberent milites quibus ſe tuerentur, niſi frequentibus, & inteſtinis bellis quæ inter ſe gerunt, innatam illam vim ſubditorum ſuorum animis, tumultuaria quadam exercitatione, ac vſu ipſo præliorum, & continua perpeſſione calamitatum acuerent, confirmarentque. Tametſi vt verè ac liberè dicam, quod ſentio Gallorum Reges; primi omnium videantur, ſpeciem quandam antiquioris illius diſciplinæ in vſum reuocaſſe, & cęteris poſtea principibus auctores fuiſſe, vt delectos quoſdam è ſubditis ſuis, in *paganorum* militum ordines referrent, inuitatos ad id certis immunitatibus, quas ipſi tantum conſequuntur, qui iurati huic militiæ nomen dederint; nam Carolus ſeptimus poſtquã diutiſſimè laceſſitus fuit Anglorum armis, quorum ad extremum victor extitit; vt experientia cognouerat, vilius ſemper cõſtare, ſuos armis exercere, quàm certis conditionibus, & auctoramentis externos milites conducere, idcirco primùm equeſtrium, copiarum turmas cẽtenarias

in tract. de bell. Turc.

Digitized by Google

tenarias & quinquagenarias inſtituit, ita vt numerus cataphracto-rum, Francicorum ad mille & quingentos eſſet, qui in præſidijs vrbium collocarentur, poſtea vero vt ſine externo pedite imperij fines tuerentur quinque millium peditum cohortes ex viris agreſtibus deſcripſit, qui quod liberi ab omni tributo forent, & arcu ſagittaque vterentur eam ob rem *Franci Archieri* dicti ſunt, *Francus* ſi quidem in noſtra lingua immunem ſignificat. Sed eo rege mortuo cum Ludouicus vndecimus Heluetiorum quorum tunc ob profligatũ, Burgundiæ Ducem magnũ & celebre nomen erat, aliquot millia in Galliam vocaſſet, ſagittarij ipſi qui prius in honore erant, euiluere ſenſim & ſeu à voce Græca ταπεινὸς quæ depreſſum humilemque ſignificat, ſeu alia quadam de cauſa *Franci Talpini* nuncupati ſunt, vt notat Lupanus quem in hac recenſione ducem libenter ſequor, atque hæc pedeſtris exercitus gloria tota penes exteros illos milites fuit, vſque ad Franciſcum Primum, qui multa tùm in ſcientijs, tum & in militari diſciplina ad Romanum morem reuocauit, conſcriptis tota Francia ſeptẽ legionibus, quarum vnaquæque ſex millibus hominũ conſtaret, & Taxiarcho, ſeu Colonello vno, Pręfectis Chiliarchis ſex, vniuſque ſigniferi ductu regeretur. illudque præterea Rex ſtatuerat, vt præter vacationẽ ab alijs muneribus qua ſinguli milites gauderent, ſi qui eorum aliquid præclarum geſſiſſent, ij annulo aureo donarentur, aut ſi facinus eſſet valde illuſtre, natalibus etiam reſtituerentur; & ne in prælio vrbiumque expugnatione vulneribus confecti, victũ hoſtiatim quęrere cogerentur, publico Rex ali iuſſit, vt olim in Prytanæo Athenienſi. verũ quia res illa præclarè ſapiẽterque aduerſus externos hoſtes excogitata, nõ itẽ per tot motus perduelliũ, & inteſtina diſſidia bellorũ, quæ poſtea inualuerũt perdurare potuit, eo ſenſim ſe Gallorum diſciplina reduxit vt nulli ſint apud eos certi milites, præter *nobiles electos* quibus ex Frãciæ inſtituto militare tres menſes oportet, & *Prætorianas* Regũ noſtrorum *cohortes*, quas ſi vetuſtioribus illis Romanorum Legionibus virtute pares eſſe dixerim; fortaſſe non mentiar, aut propriæ cauſæ quicquam vltra meritum affingam: cùm pleraque bella tum aduerſus Sectarios, tum alios regni aut eius ſociorum hoſtes, ſola ipſorum virtute ſuperioribus annis fuiſſe confecta, tam certum ſit apud nos quàm etiam vtile, ac glorioſum extitit, & licet

Lib. 2. de Magiſtr. Francorum.

Geni-

Genitzariorum militum quibus hodie Turcarum Principes feliciter vtuntur, diſciplina, paulo quam noſtrorum durior exiſtat, cùm inter ſepta, carcereſque retinentur; ſtatim tamen atque libertate ſimul, & armis donati ſunt, vſque adeò ſe gerunt inſolenter in omnes, atque in proprium Imperatorem etiam perfidè, vt nihil prorſus illis cum Prætorianorum noſtrorum modeſtia tam naturali, quàm ſeueritate legum imperata, ac æterna in ſuos Principes fidelitate, & reuerentia conueniat.

XII. *1 Mox hæc ipſa diuiditur in eam quæ fit extra vallum à Tyrone ſolo & in aliam quæ fit intra vallum ab omnibus militibus ſimul.*

Quibus ita præmiſſis circa neceſſitatem inſtaurandæ, reparandæque militaris diſciplinæ, & vtilitatem etiam quam ipſa ſecum in caſtra infert, ſtatim atque in illis recipitur; conſequens eſt, vt videamus quænam eius ſint partes, ac munia, qua in re multi qui de ea ante me ſcripſerunt, ſatis habent generatim illam deſcribere, ſeueram conformationem militis ad robur, & virtutem, quæ per continuos labores, & omnis generis exercitia Tyrones aſſuefacit, vt in curſu, ſaltu, armorum geſtatione, fame, ſiti, vigilijs, itineribus, ac eiuſmodi caſtrorum officijs perdurare queant incolumes, nec non haſtam more militari quatere decenter; punctim que, vel cæſim ferire, inſilire in equum, in vmbram & palum pugnare, ac denique omnia in campeſtri meditatione prænoſcere, quæcũque euenire in acie atque prælijs poſſunt: quibus inſignes leges addũt ex Aureliani Imperatoris ſanctione, vt nemò miles pullum alienũ rapiat, ouem contingat, vuam decerpat, ſegetem deterat, oleum ſal, lignum à nemine auferat, annonà ſua contentus ſit, prædaque hoſtium non ſubditorum lacrymis alatur, ſtipendium in Balteo, non in popina teneat: vt arma terſa ſint, & nitida, ferramenta que omnia parata, & equum ſuum bene curatum habeat, vt in hoſpitijs caſtè, modeſteque ſe gerat. & ſi litẽ fecerit vapulet ac eiuſmodi ſimiles quæ militum animis per ſe ad luxum violẽtiam, & ſcelera omnia, nocendique artes propenſis contrarias virtutes inducãt Ego vero qui ex operis ſuſcepti ratione, ſingula quæque diligentius explicare mei muneris eſſe cognoſco; diſciplinam omnem que vulgo *caſtrenſis*; & *bellica* dicitur; aut *extra Vallum* à Tyrone tùm inermi, cùm armato fieri debere cenſeo, aut *in Vallo* ipſo & cum reliquis commilitonibus; ita tamen vt quæ extra vallum fit referatur omnis ad exercitia corporis non ſecus atque illa quæ in vallò ſeruatur, pertinet tantum ad leges & munia, qua diſtin-

diſtinctione ſtabilita, quia nihil aliud occurrit de quo prius quàm de ipſa exercitatione dicere debeam, primùm quidem eius natura ſedulo hic, diligenterque inueſtiganda eſt, deinde vero quatenus ad bellicos vſus inſeruire poteſt ſpeciali quadam magiſque determinata conſideratione erit animaduertendum.

2\. *Diſciplina extra vallũ exercitatio dicitur & ad Gymnaſticã pertinet qua in genere explicatur.*

Gymnaſtica igitur quæ communi notione definitur à Galeno, *ſcientia quæ omnium exercitationum facultates nouit*, primùm quidem, vt inquit Plutarchus, ob Bellicas actiones quarum ſtudio, & meditationi inſeruiebat, hominibus propriæ ſalutis, vt conſentaneum erat, valde ſollicitis innotuit. Deinde vero conſecutione quadam, ad ludos qui ſpeciem in ſe belli referebant tranſijt, cum nimirum feſtiua ipſorum repræſentatio ante Deorum aras fieri ſolebat, vt Homines hoc inuitamẽto pellecti, frequẽtius ad ſacrificiorum celebrationes conuenirent: ac demum creſcente luxu, multiſque propter intemperiem à longa valetudine decumbentibus, tandem etiam ad reparandam ſanitatem, firmandamque corporis conſtitutionem, Herodicus paulo ante Hippocratis tempora exercitationes vſurpauit, atque ita ars illa quæ prius vna fuit, ob vnicum finem quem habebat, triplex ſenſim euaſit ex hominum libidine, ſingula quæque bona continuò ad diuerſos vſus pertrahentium: & prior illa quæ abſolutè quidem Gymnaſtica dicebatur. *Bellica* differentiam aſſumpſit, vt altera *Atlethica* & tertia *Medica*, quibus etiam nunc vt olim apud antiquos appellationibus innoteſcunt; : hac etiam differentia permanente, quod ſicut Ariſtoteli, & Galeno viſum eſt commune illud *Gymnaſtica* nomen ad ſolas exercitationum qualitates, & cauſas ſe extendat, modum vero quo ipſæ conuenienter fieri poſſunt, ac debent *Pædotribicæ* demandet, velut indignum prorſus in cuius conſiderationem ſe demittat. quemadmodum enim miles nihil eorum nouit quæ ad bellicam ſcientiam pertinent; nec cocus eorum quidquam quæ ad Medicinam, ſed ille tantum Imperatoris, hic Medici mandata curat; ſic Pædotriba quem idcircò Galenus cum coquo, & milite confert, exercitationum corporis omnium vim, facultatemque ignorans, Gymnaſtæ dumtaxat præcepta exequitur; & licet ob experientiam non eum quidem vſus, differentiæ, modi exercitationum fugiant, nihilominus ob ignorantiam crebrius à ſcopo aberrare poteſt.

Lib. ad Traſibul.

3\. Sympoſ. Probl. 3.

Quare

3. Quare vt Gymnaſtæ officio in illis tantum exercitationibus

Aſſignantur que tres ſpecies exercitationum bellicarum.

defungar quæ ad bellicas inſtitutiones referuntur, & de quibus nobis in præſentia agendum eſt. triplicem in primis illarum diſtinctionem fieri poſſe mihi perſuadeo; cum vna ſit exercitatio *vera* quidem, non *vmbratilis*, *aut ficta*, quæ in ipſo conflictu, inter tubas, & clamores militum, in campo cruore hoſtium exundante, in vltimo vitæ, neciſque diſcrimine pari vtrimque metu, ac contentione peragitur, vitamque militarem conſtituit. alia vero *vmbratilis* ſit *& domeſtica* non *vera*, cuius Plato duas rurſum ſpecies conſtituit, vnam τὴν πάλην ſeu pugnam *in Palum*; alteram vero τὴν ὄρχησιν ceu *ſaltationem*, & *geſticulationem*, ac tertia demum velut *media inter vtramque* conſiſtat cùm fine quidem, & inſtitutione ludicra ſit, euentu autem propius ad dubias, & funeſtas concertationes accedat; cuiuſmodi multæ fieri ſolebant antiquitus in diuerſis Italiæ ciuitatibus, vt *Peruſii* Ludus armorum, quem accurate deſcribit, & ſummopere laudat Campanus ſcriptor geſtorum Bracchij. *Eugubij* pugna nodoſis baculis, ſudibuſque præuſtis celebrata. *Venetijs* πυγμαχία ſeu conflictus ille qui ciuitatem in partes *Nicolotarum*, & *Caſtellanorum* non minus ambitioſè diuidit, quàm Romanam olim factiones *veneta & Praſina* in diuerſas affectiones ſeducebant, dum nimirum vna quæque ſuis pugilibus fauet, optatque cupidiſſimè, vt aduerſarios libratis pugnorum ictibus, ex ponte in quo pugna committitur. in ſubterlabentis aquæ riuum præcipites demittant. quem ludum, eodem, propemodo *Sparta* celebratum, olim fuiſſe ex Lycurgi inſtituto, Pauſanias in Laconicis aſſerit, vbi hiſtoriam eius habet, cui plurimum cum Veneta conuenit, niſi quod hæc paulo mitior, & inter viros ætatis prouectæ, aut Iuuenes robuſtiſſimos eſſe ſolet; nam vt inquit Pauſanias *Ephœbi Lacedemoniorum pugnant manibus, & calcibus inſultant: tum quoque morſibus corpora fœdant, & oculos inuicem eruunt*; & ne hunc ſub leſtę fidei teſtem habeas, oculatum alium laudo M. Tullium qui *adoleſcentium*, inquit, *Greges Lacedemone vidimus ipſi incredibili contentione certantes pugnis, calcibus, vnguibus morſu denique, vt exanimarentur prius quàm ſe victos faterentur*, quin & impreſſionem facientes, vna acies, alteram in aquam ſeu Euripum quo circumquaque campus ille Agonalis tanquam inſula cingebatur

7. de legibus.

Tuſcul. 5.

tur

tur, detrudere contendit, ita vt ſi pauca quædam demas, Lacedæmonium hoc certamen, facile in reliquis cum Veneto conueniat, & vtrumque non inſulsè his verſibus Iuuenalis exprimi poſſit. Satyra 15.

Sed iurgia prima ſonare
Incipiunt animis ardentibus, hæc tuba rixæ
Dein clamore pari concurritur, & vice teli
Sæuit nuda manus, paucæ ſine vulnere malæ
Vix cuiquam, aut nulli toto certamine naſus
Integer, aſpiceres iam cuncta per agmina vultus
Dimidios, alias facies & hiantia raptis
Oſſa genis, plenos oculorum ſanguine pugnos
Ludere ſe credunt ipſi tamen.

Denique celebratur à multis Lancearia illa cataphractorum decurſio quam *Ceſennæ* maximo cum diſcrimine exhiberi ſolitam, propter craſſiores haſtas, & præpilatas quibus nobiles inter ſe concurrebant, Bonifacius cardinalis Caietanus dum Flaminiã Legatus obiret, ita publico, & inuiolabili decreto temperauit; vt cum hac iter haberet Eminentiſſimus tuus Patruus, & ciuitas obuiam ei gratulabunda procederet, omnibuſque honorum officijs velut optimo ciui, & ab honeſtiſſimis legationibus reduci, gratularetur, ipſam antiquo prorſus more, niſi quod magis tuto, & innoxio, ob imminutum pondus, & robur haſtarum, maxima mea cum delectatione celebrari viderim.

Ex illis igitur bellicarum exercitationum ſpeciebus conſpicuũ eſt vnicuique ſecundam tãtummodo, ſiue domeſticam illam vmbratilem exercitationem, ad Tyronem pertinere: quia prior ad milites conſummatos potius refertur, qui non vt in olympicis, aut palæſtra certamen ludendi gratia cum æqualibus ſuſcipere, ſed illuſtrandæ gloriæ, aut defendendæ patriæ, ſuæque propriæ ſalutis cauſa, cùm inimicis cruento Marte dimicare ſolent. vltima vero non tam nobiles & ingenuos decet quàm gladiatores 4 *Ex quibus domeſtica ſtitum ſeu vmbratilis huc pertinet.*

Qui caput in mortem vendunt & funus arenæ.

Sed latius tamen huius noſtræ fines proferri debent, quàm à Platone fuerint deſignati, ſaltem in loco ſuperius laudato, nam in alijs nobiſcum conuenit, & curſum, ſaltum, natationem, aliaque exercitationes de quibus paulo poſt dicemus, militaris gymnaſticæ partes conſtituit, de cuius neceſſitate non poſſẽ locupletiorem

alium

alium teſtem laudare præter ipſummet Platonem, qui poſtquam declarauit in eodem libro de legibus rectam iuuenum exercitationem, magnum in ſe momentum habere ad optimam Reipublicæ adminiſtrationem, ibidem etiam ſtatuit, magiſtros quoſdam publicis ſumptibus alendos eſſe, qui Gymnaſticam pueros, atque puellas, & virgines edoceant; quod nil melius palæſtrica, & ſaltatoria Gymnaſticæ partibus, ad conſequendam militaris peritiæ facultatem inueniatur; id quod elegantiſſimè in tertio de Republica, & alibi ſœpe proſecutus fuit; vt etiam poſt illum fecit
8 Politicor. Ariſtoteles, dum repudiatis exercitationibus pariter vitioſis quibus Lacones, & Athletæ vtebantur; ea tãtum in gymnaſticæ parte adipiſcenda pueros inſudare præcipit, quæ minori faſtidio, manſuetiſque laboribus robuſtos illos, & in bellicis occaſionibus verè fortes reddere poſſit. Inter latinos autem Vegetius quantopere hæc gymnaſtica ad militiam conducat, quomodoque addiſcenda, & exercenda ſit, adeo luculenter & plenè edocuit, vt nullus qui ſemel eius libros euoluerit, non ſapientiſſimè Pompeium Magnum feciſſe iudicet, qui in caſtris ſaltu cum alacribus, curſu cum velocibus, vecte cum robuſtis, & validiſſimis certare pro cõſueto habuit; ne ſcilicet corporis ſegnities ſenſim obreperet in animũ, ac pręclaras illas cogitationes quibus ſe ad militaris gloriæ ſplendorem erigebat, obtunderet. & eadem de cauſa Aurelianus Cæſar nullum reliquit vacuum diem, quin ſe pilo, ſagittis, & militaribus armis exerceret. Quos imitati noſtra tempeſtate celeberrimi duces Georgius Caſtriotus Scanderbechus, & Bartholomeus Coleo Bergomas, magnam ſuæ virtutis & induſtriæ opinionem in hominum animis concitarunt; cùm hic erecta corporis ſtatura atque habili prædítus, ſpectante Regina Ioanna procaci muliere, auidaque virorum fortium, cunctos in palęſtra, iactuque ferrei vectis, & ſaltu curſuque certantes, cum magno ſpectantium plauſu ſuperaret. ille vero in ſimulacris præliorum, que ſumma cum Amurathis oblectatione, in hortis regijs edebantur, expediti cõſilij vigore, & mira vi corporis æqualibus ſuis ſpem omnem victoriæ præriperet. Et eam ob rem laudatur ſummopere Lycurgus apud antiquos, quod durius haberet iuuentutem domi quàm foris, & tum crebiora, tum etiam maiora ciuibus ſuis exercitia, intra muros, quàm intra caſtra imperaret; adeo quidem, vt ingruente

gruente bello, Lacedæmonij ſumma lætitia complerentur, quod virtutis inſuper oſtentandæ materiam eſſent adepti.

Ac ſanè cum exercitus Varroni dicatur *quoniam melior euadit exercitatione ipſa*, & Claudianus ſummo iure hanc in milite commendet. XIII. *1 Quaſi ab inermi milite fiat laborẽ primum complectitur.*

ſi bella tonant, prius agmina duris,
Exerce ſtudijs, & ſaeuo praſtrue Marti.
Non bruma requies, non hybernacula ſegnes
Eneruent torpore manus. De 4 conſulat. Honor.

quoniam vt inquit Theon Sophiſta initio progymnaſmatum qui aliter faciunt *ἐν πίθῳ τὴν κεραμείαν μανθάνειν.* hoc eſt *figlinam ex dolio diſcere incipiunt*; ex eoque Quintilianus adoleſcentes prius exerceri iubeat quàm ad declamationem ſe conferant: certè quia exercitatio hæc quoquo verſum ſpectetur, ſemper in ſe laborem includit, inde eſt quod priuſquàm reliquas exercitationum ſpecies delibem, quibus ſe nudus, & inermis miles, interim dum extra vallum otiatur, totum indulgere, ac permittere debet, in ipſius laboris præſtantia, ac virtute explicanda diutius aliquantulum immorari debeam; cùm profectò mirifica illa ſit, non tantùm ad bellicas omnes exercitationes, ſed ad cæteras artes & diſciplinas, quarum nulla eſt, que abſque labore comparari, aut retineri diutius comparata, ſine exercitatione etiam multa poſſit: vt etiam vſus iam ab omni memoria obtinuerit, vt quę ſunt elaborata eadem, & perfecta eſſe intelligantur. lib. 1. cap. 19.

Verum ne liberius exſpatiar à ſcopo ſuſceptæ diſputationis, hæreamque in rebus notiſſimis; aut in Areopagitarum conſilia peccem, apud quos olim lege ſancitum erat, ne quid fas eſſet dicere, quod ad rem & propoſitum non attineret; vnum tantùm in medium proferam quod præſenti loco, & hac valde opportuna de laboribus dicendi occaſione, non aliunde quæſitum videri poſſit, circa vitæ eorum inſtitutionem, quos parentes, aut alij quibus cura incumbit, omni ope, ac conſilio ad bellicas artes informandos ſuſcipiunt. nam cùm apud omnes in confeſſo ſit, militiam durum omnino, tolerandiſque laboribus, etiam ab incunabilis exercitum corpus requirere; ita vt hoc ipſum prorſus quoque ſentire viſus ſit, quicumque tandem auctor fuit fractæ illius diuulſæque elegiæ, que nunc Virgilij nomine excuſa legitur, poſt luſus 2. *Quo an pueri exercẽdi ſint, vt in ætate adulta fortes & bellicoſi exiſtant prolixè diſputatur.*

ſus in cuſtodem hortorum; dum his verſibus, firma, ac prædura membra habere militem oportere cecinit.

Immoderata pati nunc frigora, nuncque calores,
Sternere vel dura poſſe ſuper ſilice.

quos verſus hac ſoluta oratione ſic expreſſit Tertullianus ad Martyres *nemo miles ad bellum venit cum delitijs, nec de cubiculo ad aciem procedit; ſed de papilionibus expeditis, vbi omnis duritia, & imbonitas, & inſuauitas conſiſtit, etiam in pace labore, & incommodis, bellum pati iam ediſcunt*, & equidem aſper homo ſummuſque Imperator Marius, idem de ſe hac magnifica verborum volubilitate prædicat, in illa perelegāti concione ad Quirites, quam Saluſtius neſcio an ſatis ex decoro homini literarum, & facundiæ ignaro affingit. *at illa multum optima Reipublicæ doctus ſum hoſtes ferire, præſidia agitare, nihil metuere niſi turpem famam: Hyemem & æſtatem iuxta pati, humi requieſcere; eodem tempore inediam, & laborem tolerare:* quæ ſentētia nulla re diſcrepans eſt, cùm verſuum illorum quos ſupra quidem retuli, tum vero etiam ſubſequentiū, qui in alio veteri carmine maledictorum pleno, ac inter eadem catalecta edito hunc in modum leguntur.

in Iugurt.

Iacere me, quod alta non poſſum putas
Vt ante, vectari freta
Nec ferre durum frigus, aut æſtum pati.
Nec arma victoris ſequi.

3. de legib. vnde etiam diuinus Plato optimè prouiſum iudicabat Reipublicæ, quam velut numeris omnibus abſolutam inſtituebat, ſi fortes haberet homines quam plurimos, qui ad onera quæque ſuſtinenda apti eſſent vel maximè, præſertimque ad bellicos labores. Hæc inquam cum ita ſint, dubitant haud iniuria nonnulli, vtrum præter laboris conſuetudine, à teneris annis, pueros obfirmari ad futuras bellicas actiones, an potius in otio molliter, ac delicatè educandi ſint? etenim cum natiua ab ortu puerorum temperies calida ſit, & humida, carneſque eorum aliquamdiu molles permanere neceſſarium ſit, quo ſenſim ad debitæ magnitudinis incrementum perueniant; ſi feſtinatis illis laboribus, qui corpora impendio exſiccant, natura ſuum finem minimè conſequatur, euenit poſtea, vt etiam pueri minus habiles euadant obeūdis muneribus, quibus tamen vt maximè idonei ſint, tantà de illorum

inſtitu-

inſtitutione curà ac diligentia prouidetur ex quo Galenus commentario ſeptimo in librum Hippocratis qui de diæta inſcriptus eſt, exercitationibus moleſtis abſumendam non eſſe puerorum humiditatem cenſet; & eodem conſilio freti qui inter medicos non poſtremi nominis habentur, Theriacæ vſu, eis omnino interdictum voluerunt, ob qualitates quas habet valde pueris infeſtas nimia ſua caliditate, & ſiccitate. quinimo Ariſtoteles in politicis, Laconum inſtitutis grauiter ſuccenſet, quod grauioribus curis, & laboribus adoleſcentes ſuos afficiebant, nondum ſcilicet ob firmata ſuis oſſibus, & neruis totius corporis compage, quæ multùm propterea debilior, & nonnunquam inepta prorſus, atque flaccida in reliquam ætatem ad omnia pene fieri ſolet. haud aliter profectò quàm in equis accidere videmus, quorum ſi audacior aliquis, nondum exacto triennio, quod illis vacuum ab omni labore ſolius debitæ magnitudinis, & firmitatis membrorum acquirendæ gratià, conceditur, quicquam ſupra vires conatus fuerit; illi quaſi ſiderato animus ſenſim effluit, totius que corporis robur adeo flacceſcit, & imminuitur, vt nihil edat amplius in vita laudabile, ac generoſum. præterea tam exiguum momentum videtur ad fortitudinem conferre laborum in vita contentio, vel remiſſio; vt Pericles apud Thucydidem de ſuis Athenienſibus verè prædicarit, quamuis illi non abhorrerent à corporis voluptatibus, vitamque lenem, ac remiſſam amarent; cùm è contra Lacones duram, & aſperam colerent, eoſdem tamen cùm Reipublicæ ſalus ita poſtularet, pares eſſe quibuſuis laboribus tolerandis: & Cicero idem quoque de Romanis hominibus aſſeruerit, cùm vitam talem, ac mores, cauſa quam defendebat, vt ornaret, tuereturque, ipſum impelleret: ſic enim inquit quamquam aliquo modo diuerſus à Pericle circa Lacedemoniorum mores, *neque tamen Lacedemonij autores iſtius vitæ atque orationis, qui quotidianis epulis in robore accumbunt; neque vero Cretes quorum nemo guſtauit vnquam cubans; melius quam Romani homines, qui tempora voluptatis, laboriſque diſpertiunt, Reſpublicas ſuas retinuerunt.* Indeque Griphum illum explicari poſſe exiſtimo, quem ex primo Anthologiæ Volaterranus his verſibus expreſſit.

Lib. 8.

Pro Murena.

Sex horæ tantum rebus tribuuntur agendis,
Viueque poſt illas, Litera Zeta monet.

L hunc

hunc vero vt intelligas, Ludouice Comes, reuocare tibi in memoriam debes, Græcos, non peculiaribus figuris, quemadmodum nos ſolemus, ſed alphabeti ſui literis, numeros deſignaſſe; ita vt quinque priores cum addito ς, ſex priores horas diei exprimerent, quas idcirco *meliores*, Poetæ & Iuriſconſulti vocant, quod in his omnia ferme negotia Romæ procurabantur: vnde cùm reliquæ conſequentes his quatuor literis deſignarentur ζ. η. θ. ι., ex quibus ſi vnà colligãtur fit dictio ζῆθι, quæ *viuere*, aut potius *lætam vitam agere* ſignificat; idcirco hoc ænigmate ſignificabant; remiſſione quadam vtendum eſſe in vitæ actionibus, ac indulgendum Genio, quoniam vt inquit Menander Comicus

Vita, vita indigens, non eſt vita;
Vita eſt ſi quis viuens vita gaudeat.

quod equidem ſi in hominibus verum eſt, quos vitam honeſtis laboribus quàm otio tranſigere honeſtius eſt; tanto magis locum; iſtud in pueris habere debet, qui propter infirmam ætatem, geſtiunt *paribus colludere*, & nullis grauioribus negotijs habiles exiſtunt. Cæterum quominus vera ſit eiuſmodi hominum ratiocinatio, multa certè faciunt, ac in primis conſuetudo ipſa, quæ niſi ſenſim inducatur, grauem mutationem in corporibus efficit; quibus Hippocrates contraria ſenſim, ac per vices admouenda ſuadet, ne ſi repente, & vno quaſi eodemque tempore diuerſis mutationibus ſubiaceant, magnis inde periculoſiſque ægrotationibus diuexentur: molliter igitur, blandè; delicatè, & in otio, ac quiete ſi educatus puer fuerit; nulliſque aſſueuerit laboribus; nihil moleſtè paſſus ſit; is cùm in adoleſcentia bellicis ſe laboribus accinget, propter inſignem hanc mutationem, lædetur ſummopere: etenim non dormiet in lucem, non cœnabit commodè, non ad libitum quieſcet, ſudoreque perfuſus non hunc ſub lodice ex ſiccabit; ſtabit pedes, vel eques diutiſſime; & vltra quàm vellet in excubijs, in acie, in itinere ieiunus durabit; algores, vel æſtus inſignes perſentiet; pugnabit, ſitiet, timebit, iraſcetur, infinitaque propemodum experietur incommoda, quibus niſi pridem antea occaluerit, primis ſtatim diebus facile ſuccumbet. Quapropter ſi aſſuetudinis vim, & naturam diligenter quis conſideret, is rectius eſſe, & tutius proculcubio affirmabit, laboribus, & motionibus duris, ac rebus aſperis pueros ſenſim innutrire.

6 epidem. par. 26.

3 de legib.

Neque

Neque enim Plato, cùm durari ad labores corpora perfectæ illius Reipublicæ defenſorum vellet, aliam huiuſce rei cauſam attulit, niſi quod belli tempore, quo multa incommoda neceſſario perferenda ſunt, inexercitati, ac molles illis tolerandis pares quidem non eſſent. Quamobrem Galenus vt quod ſui muneris, ac officij erat in publicam vtilitatem conferret, recens natos infantes ſale conſpergi, ac fricari diligenter, & moueri iuſſit; quo ſcilicet durior, & firmior eorum cutis efficeretur: & Auicenna ſimiliter *Feſtinandum*, inquit, *vt infantum corpuſcula perluantur aqua, in qua colliquatus ſit ſal, vt occaleſcat vmbilicus, atque item cutis*. quæ omnia & ſi ſuo more Auerroes conuellit varijs in contrarium adductis ſubtiliter, excogitatiſque rationibus; non ita tamen ab vtroque diſſentit, quin oleum expreſſum è glandibus, effectu eodem qui in ſale ſentitur, vt credit Auenzoar, ſubijciendum horum loco moneat. & hoc conſilio vſi *Ligures* apud Ariſtotelem in politicis; *Spartani* apud Alexandrum ab Alexandro; *Itali* apud Vergilium, pueros adhuc à matre rubentes influuium frigidum, & rigentem demergebant; idemque de *Cantabris* ſcribit, Strabo, & de *Thracibus* Valerius Flaccus.

3. *Allatis variorum populorum exemplis.*

1 De ſanitate cap. 7.

Prima primi

in colliget.

lib. 7.

lib. 2 cap. 25.

Aeneide 9.

Vbi tam ſæuo durauimus amne
Progeniem, natoſque rudes

ita vt communi gentium conſenſu modus ille ſemper quæſitus ſit, vt quoniam non eſt homini cutis ex corio Elephantino vt cuidam apud Plautum; aut ex vnguium materia parata, quemadmodum illam Adamo fuiſſe priuſquam peccaret, narrat ex inſulſis *Hebræorum* commentis Rabbi Eleazar: ſaltem tegmen illud molle, quod iniurijs omnibus valde obnoxium eſt, præparari quodammodo à nobis reddique ad indolentiam, & tolerantiam quam aptiſſimum poſſet. quin etiam Theodoſius Imperator ita volebat regios pueros informari, & educari ad militiam, vt iubeat illos apud Claudianum

Frigora ſæua pati, grauibus non cedere nimbis,
Aeſtiuum tolerare iubar, tranſnare ſonoras
Torrentum furias, aſcenſu vincere montes,
Planitiem curſu, valles, & concaua ſaltu,
Nec non in clypeo vigiles perducere noctes,
In Galea potare niues, nunc ſpicula cornu

 Tende-

Tendere, nunc glandes Baleari ſpargere funda.

4. Eodemque modo Lycurgus volebat recenter in lucem editos infantes confeſtim excipere ſeueritatem Laconicæ diſciplinæ, vnde vt notat Plutarchus in eius vita, *erat nutricibus ipſis cura, vt arte quadam ſine faſcijs infantes educarent, conformantes eos membris, & reliqua ſpecie corporis ad habitum libero homine dignum*, nec indulgebatur plus pauperibus quam diuitibus, quippe vt notat Ariſtoteles, apud illos ὁμοίως οἱ τῶν πλουσίων τρέφονται τοῖς τῶν πενήτων *ſimiliter aluntur* filij *diuitum & pauperum*: proptereaque Lycurgus, vt apud Iuſtinum videre eſt, *pueros puberes nō in forum, ſed in agrum deduci præcepit, vt primos annos non in luxuria, ſed in opere & laboribus agerent*. & Megillus Spartanus in ſecundo libro Platonis qui de legibus eſt, rectè etiam cōtendit, eius inſtitutionis ſeueræ gratià excogitatam fuiſſe venationem, & doloris tolerātiā pugnis, mutuiſque vulneribus inflicti, tum & moram in locis aſperis, ac niue, & gelu horrentibus, nudis pedibus, nudoque ſępe reliquo corpore: Et ſolitarias noctu, ac interdiu diuagationes, exercitationeſque varias nudorum non iuuenum modo, ſed puellarum, & virginum, quarum corpora curſu, lucta, diſcorum, & telorum, iactu, ac reliquis id genus virilibus exercitamentis, non ſecus ac virorum obdurari ſolebant ad laborem. Cuius rei quamquam laudare poſſim teſtes plurimos vt Plutarchum in Lycurgo, Xenophontem in Republica Lacedemoniorum. Ciceronem in Tuſculanis, & alios; malo tamen amæniſſimorum Poetarum Ouidij, ac Propertij venuſtiſſimo carmine ſeuerum illud Caperati Lycurgi inſtitutum referre ſimul, ac temperare, ſic enim de illo Ouidius

Tum vero præſertim Lacedæmoniorū apud quos fœmina ſimul cum viris nuda exercebantur.

Politicor. 4. cap.9.

lib. 3.

Tuſculan. 2.

More tuæ gentis nitida dum nuda palæſtra
Ludis, & es nudis miſta puella viris.

Elegia 13. lib. 3.

Propertius vero difficultatem Romanarum puellarum criminaturus, quod ſtipatæ multis cuſtodibus incedebant, Laconicam ex aduerſo Palæſtram celebrat, in qua puellæ nudæ cum viris nudis paſſim colluctabantur, & cum amatoribus conſiſtebant citra omnem infamiam

Multa tuæ Sparte, inquit, *miramur iura Palaſtræ,*
Sed magè virginei tot bona Gymnaſii,
Quod non infames exercet corpore ludos,

Inter

Inter luctantes nuda puella viros.
Cùm pila veloces fallit per brachia iactus,
Increpat & verſi clauis adunca trochi.
Pulueruléntaque ad extremas ſtat fœmina metas
Et patitur duro vulnera pancratio:
Nunc ligat ad cæſtum gaudentia brachia loris
Miſſile nunc diſci pondus in orbe rotat.

at vero cùm quidam reprehenderet huiuſmodi muliebrem nuditatem, reſpondit Lycurgus ſe hanc ideo inſtituiſſe, vt in valido corpore, fœtus validas agens radices pulchrè adoleſceret; ipſæque deinde mulieres robore in partu fretæ, dolores facile ſuſtinerent; vtque ſi ita neceſſitas poſtularet pro ſe, ſuiſque liberis, & patria poſſent pugnare; cùm iiſdem ſtudijs quibus viri, exercitatæ. nulla in re illis eſſent inferiores, deſiderio vero honoris & gloriæ magis etiā quā ipſi flagrarent, vnde Nonnus in Dionyſiacis notat Lib.41. Lacænas mulieres parientes, ſcuto inſidere ſolitas fuiſſe; & Claudianus in Panegyrico de Manlij Theodori conſulatu, ita ad robur, & firmitatem membrorum alluſit, quam ab exercitationibus continuis virgines illæ contrahebant

Spartanis potuit robur præſtare Lycurgus
Matribus, & ſexum leges vicere ſeuera.

nempe ſciebat hic communi rerum experientià doctus, fortitudinem, ac laborum tolerantiam non æque homini à natura ineſſe, niſi conſuetudo exercitationum illam promoueat: quibus tantùm etiam ab Hippocrate tributum eſt, vt Europæos hac de cauſa cæteris populis bellicoſiores exiſtimet; & ex illis potiſſimum magis feros, ac immanes eſſe, qui regiones montanas, nudaſque, & ſteriles incolunt, quibus temporum mutationes contingunt magnæ, & diuerſæ. Hæc autem omnia licet confirmare poſſem variorum populorum exemplis vt Cretenſium, quos Heraclides in libro de politijs, in tractanda duriter iuuentute, oppidò parum à Lacedæmonijs diuerſos facit; tum etiam Perſarum, ac Celtarum, & ſeuera præſertim fortiſſimorum ducum inſtitutione vt Annibalis, Spartaci, Coriolani, quem vltimum Plutarchus refert cùm naturà eſſet militiarum certaminum præ cæteris cupidus, ſtatim à puero arma tractaſſe, corpus que ſuum ita ad omne pugnandi genus exercuiſſe, vt & curſu velox, & in Lucta validus eſſet, &

in omni congreſſu locum tenere, neque ab eo expelli poſſet; malo tamen quantum hac in re conſuetudo poſſit, ita cum Galeno declarare, *ac quidem omnibus etiã vulgaribus, ac rudibus in propatulo eſt, Athletarum corpora diuturniores, ac vehementiores motiones citra laſſitudinem ferre; & nos priuatos, ſi paulo ſupra conſuetudinem exerceamur, ſtatim labore, ac moleſtia diffluere*. Pueri igitur quos laboribus bellicis ſuſtinendis pares olim eſſe volumus, eorum quã primum aſſuefaciendi ſunt rudimentis, non in otio, & blanditijs educandi; quia vbi paululum adoleſcentia prouectior fuerit, difficilem omni ex parte mihi perſuadeo, homini ad maximos labores aſſuetudinem fieri; cùm iam nerui, oſſaque & aliæ partes corporis motionibus deſtinatæ callum, ac velut impedimentum ad exercitia, præ duritie, & ſiccitate contraxerint. Neque ſi pueri molles ſunt blandi, humidi, & abſumi ac diſſolui faciles, idcircò omni labore, & exercitatione illis ſtatim interdicendum eſt; ſed quanto citius per ætatem fieri poteſt, ab omni blando, & delicioſo victu, ac etiam mulierum contubernio prohibendi ſunt, quia viris, multum ex inquinato illo vitæ genere, liberalitatis, & fortitudinis deperire ſolet: & locum præſertim in illo habet Fabij querela *vtinam liberorum noſtrorum mores nõ ipſi perderemus, infantiã ſtatim delitijs ſoluimus, mollis illa educatio quam indulgentiam vocamus, neruos omnes, & mentis & corporis frangit*. Tum igitur conuenientibus ætati ludis, & officijs exercendi ſunt, roburque membrorum, eſt omni arte ac induſtria confirmandum, ne ſi prolixior in illos fuerit parentum indulgentia, difficilius virtutum maximarum veſtigia ſequantur; & quoties opus erit arma ſumere, manuſque in prælio conſerere, toties ad ſubeunda militiæ incommoda vires, & ad inuadendos hoſtes fruſtra iracundiam cõcitare velint, diuturnæ quietis dulcedine conſopiti, captique ab ignauia, priuſquàm ab hoſtibus capi poſſent: quæ propoſitæ quæſtionis vera eſt determinatio. Nunc ergo ad exercitationis ſpecies, ſeu præludia illa militaria deueniendum eſt, quæ ſic in Hecdicio ſuo dinumerat Sidonius *prætereo*, inquit, *quod hæc primùm gramina inceſſu, flumina natatu, nemora venatu fregiſti, omitto quod hic primùm tibi pila, Pyrgus, Accipiter, Canis, Equus, arcus ludo fuere*.

Lib. de Cau. ſis morb. cap. 2.

Cap. 2. lib. 1.

XIV. Atque vt in Circo is honor curſoribus habebatur, vt diluculo primi

primi omnium à præcone citentur, ita nos à curſu de reliquis exercitationibus dicendi faciemus exordium; cuius neceſſitatem in cunctis quæ ad vitam pertinent, hoc ſatis demonſtrat, quod reliqua hoſtis inuadendi, vel declinandi inſtrumenta, cùm natura tardiſſimè animalibus largiatur, vt vngues, denteſque firmos, & acutos, membrorum robur, calcis duritiem; & ſi de homine ſpeciatim loquendum ſit, pugnorum firmitatem, & brachia ſatis lacertoſa, vt gladium rotare, vel iaculum vibrare poſſint; curſum tamen omnibus ſtatim ab vitæ initio donauit, quo perbellè cùm opus eſt, ſuæ poſſint incolumitati conſulere. In militibus autem Vegetius hunc præcipuè commendat *vt maiore impetu in hoſtem procurrant; vt loca opportuna cùm vſus venerit celeriter occupent; vel aduerſarijs idem facere volentibus, præoccupent; vt ad explorandum alacriter pergant, alacrius redeant; vt fugientium terga facilius comprehendant*. quibus commodis perſuaſus Academicorum princeps, ita curſum commendauit, vt non modo viros, & Iuuenes, verum etiam virgines, & pueros illos qui grandiores erant, tum mulieres, omneſque tam nudos quàm armatos ad currendum exerceri voluerit. quod licet Galeno non in totum probetur, qui libro de paruæ pilæ exercitio hanc de curſu ſententiam protulit, *Curſus igitur minimè laudauerim, quippè qui corporis habitum extenuent, hominemque ad fortitudinem nullatenus aſſuefaciant; non enim celeriter fugientibus victoria debetur, ſed his qui ſtando fortiter pugnant; neque quod celerrimè currerent Lacedæmonij plurimum potuerunt, ſed quod hoſtes perſiſtendo trucidarent*: iſtud tamen impedire non debet quominus decurſio, vt plurimum vtilis eſt ad ſanitatem, ſic bellorum quoque vſibus apprime conueniens exiſtimari debeat. nam vt multa eaque egregia prætermittam, quæ in hanc rem habent Themiſtius in oratione prima ad Valentem Imperatorem, & Claudianus in panegyricis ſuis de Honorij conſulatu, vbi totus eſt in curſu, ob ſummos vſus quos in bello præſtat, iuueni Imperatori commendando

aſcenſu vincere montes
Planitiem curſu, valles & concaua ſaltu

ac rurſus in quarto

Fluuios tu protere curſu
Horrentes glacie.

1 Deinde curſû cuius vtilitas ſumma eſt.

lib. 1. cap. 9.

7. de legibus.

capite 3.

lib 3.

3. belli Pun. quod genus laudis non item Silius in Africano ſuo prętermiſit qui

Sæpe alite planta
Ilia perfoſſum, & campi per aperta volantem
Ipſe pedes præuertit equum.

& quidem ſi res aliter ſe habeat, falſum opinione ſua Platonem fuiſſe oportet, cũ dixit ἔστι μὲν πάντων πολεμικώτατον ἡ σώματος ὀξύτης παντὸς *omnium maxime ad bellum confert agilitas ſeu celeritàs corporis*. falſum item Chironis inſtitutione Achillem, de qua Statius
Achilleid. li. 2 eum ita loquentem inducit

Nunc docet ingenti ſaltu me iungere foſſas,
Nunc caput aerij ſcandentem prendere montis
Quo fugitur per plana gradu.

Sed fallat quoque experientia neceſſe eſt, qua manifeſtè com-
Veget. lib. 3. cap. 14. pertum atque deprænſum eſt, quod *vehementius cum ſaltu, curſuque tela mittuntur*.

2.
vnde quatuor eius differētia aſſignātur indicata etiam vera ſtadij menſura.

Rectè igitur antiqui omnes curſum inter Gymnicas concertationes retulerunt, eumque quatuor in ſpecies præcipuas magno, ſolertiſque diligentiæ exemplo diuiſerunt, ſcilicet in *ſtadium* quo cxxv. paſſus decurrebantur, δόλιχον qui vt vox ipſa indicat, duplex ſtadium erat in longum; δίαυλον quum decurſum relegerent, ſtadium ſine intermiſſione recurrendo; & *armatum* vnde ὁπλίτης δρόμος cum ſcilicet in armis currerent, quemadmodum obſeruat
1. cap. 22. Iulius Cæſar Scaliger in libris poetices, & poſt eum doctiſſimus auctor Gymnaſticæ Mercurialis, ac Cæſar Bulengerus in Theatro. quanquam Scaligeri Typographus rem *in Stadio* non minimum turbarit dum illud, huiuſcè literæ C. geminatione, quæ per incuriam illi exciderat, CCXXV, paſſus ſtadio attribuit, cùm
lib. 2. cap. 23. tamen Plinius aſſerat *ſtadium centum viginti quinque noſtros efficere paſſus*; *hoc eſt pedes ſexcentos viginti quinque*; & ex libello variorum auctorum de limitibus *ſtadialis ager habebat paſſus CXXV. ideſt pedes DCXXV, cuius menſura octies comparata milliarium facit, qui conſtat quinque millibus pedum*; vt luce meridiana clarius patere poſſit, non hunc fuiſſe Scaligeri errorem, hominis tam accuratè, feliciterque eruditi, vt mortales cæteros longè prætergreſſus, ad Deos propius quam ad homines accedat.

3.
Laudaturque potiſſimũ militaris.

Cæterum curſus ille qui ab armatis fiebat, & quem Olympiade ſexageſima quinta probatum fuiſſe propter rerum militarium exer-

Digitized by Google

exercitationes Pauſanias aſſerit, ſenſim poſtea in Caſtrenſis diſciplinæ munus à ludo deriuatus eſt, tanto omnium applauſu, vt Scipio, Galba, Maximinus alijque duces Romani, & exteri ſuos in eo milites exercere operæ pretium ſemper duxerint. & Cæſar ipſe qui ſuas vitæ actiones poſteris omnibus ad imitationem reliquit, quantum eius recta adminiſtratio, ſibi in acie Pharſalica commodi attulerit, tunc vel maximè expertus eſt, cùm ſui milites procurrentes in Pompeianos, ita curſum reprimere concitatiorem, & eundem de nouo cùm opus eſſet integrare valuerunt; vt nec motu fracti, nec ceſſatione, & quiete, quod aduerſarijs contigit, torpidi, ſegneſque pila miſcerent. quod idem cùm apud nos, & hoc præſertim corruptiſſimo diſciplinæ ſtatu, ne votis quidem, ac cogitatione conſequi liceat: optandum ſaltem eſſet, vt Tyrones artificioſis decurſionibus incumberent, camporum mox celeri gradu emetiendo planitiem, colles mox, & iuga montium obnitente pede ſuperando, aut in valles firmo genu proruendo, & quemadmodum non ita pridem cecinit vates quidam ex Hollandia cultiſſimus

lib. 5.

Sæpe etiam ardentem cùm Sol accenditur orbem
Millia multa viæ gradiendo, aut corpus in auras
Librando connixum haſtæ.

3. lib. de contemptu mortis.

quoniam eiuſmodi laborum contentione, viam ſibi facilius ad exercitationes munirent, ſanitate degerent inculpata, iucundiſſimè cibos deguſtarent, & ſudando, nitendo, anhelando caloribus æque, ac algoribus ſub dio ferendis, pares euaderent; quibus, nihil neque tam ſalutare, neque tam neceſſarium inuenitur in bello.

4. Nam quod Apollonius narrat de *Poliphæmo*; quod Heſiodus de *Iphiclo*; quod Nonnus de *Damneo*; quod Virgilius de *Camilla*; quod Ouidius de *Hippomene*, & *Attalanta*; quod Solinus, auctor Rhetoricorum ad Herennium, Martialis, & alij de *Lada*, qui omnes eximia pernicitate corporis, & volucri meatu magnos terrarum tractus breui temporis ſpatio emenſi ſunt, vt etiam de *Philonide* narrat Plinius quod *ex Sicyone Elin mille & ducenta ſtadia nouem diei confecit horis, indeque quamuis decliui itinere tertia noctis hora reuerſus eſt*. & quod aſſerit Catullus non de *Dædalo*, ſicut Mureto, & alijs viſum eſt; ſed de *Thalo*, quem Iupiter

Qui non à natura pedes vt in multis qui ſūma pernicitate valuerunt.

1. argonaut.
3 8 Dionyſ.
10. meram.
lib. 6
Epigram. 100
lib 10.
lib. 2. cap. 7.

piter æreis pedibus finxiſſe dicitur, cuſtodemque Europæ adhibuiſſe, vt Cretam inſulam ter quotidie ambularet; hæc inquam omnia vel ad inſolentes Naturæ conatus referenda ſunt, quos ſi quis vellet imitari, ne quidem hilum proficiat; vel ad ſolitas Poetarum artes, quibus famã ſuis operibus ex admiratione conciliãt.

5. *Sed ab exercitio.*

Propterea que ſicut in cæteris artibus, per varios, & ſæpe repetitos actus, hoc tandem conſequimur, vt maiori cum induſtria, & facilitate poſſimus illas exercere; ſic in iſta currendi exercitatione, cuncta facilius procedent, ſi in illa ſenſim adoleſcentes præludant, & breue ſub initia, à carceribus ad metam interuallum, ſibi decurrendum proponant; mox longiorem arenam ſuperent; & feris demum, ac auibus per venationum illecebras conſequendis, aut ſi fatis iniquioribus premuntur, Dominorum ſuorum negotijs obeundis; quod gnauiter facere ſolent ſerui noſtrates à pedibus, qui vulgo *Laquais* dicuntur, aſſueſcãt. hoc enim longè facilius eſt quàm Aegyptiorum conſuetudinem imitari, qui pueros ſuos ante quàm ſingulis diebus multa ſtadia curſu confeciſſent, veſci cibo nullo permittebãt; aut optare, quemadmodum monent Cœleſtium periti, vt Delphini ſidus peculiari ſua virtute, & influxu non *Hemerodromos* modò, ſed *Petaminarios* efficiat, ſic enim omnes qui præcipua velocitate pedum ſpectacula ſui faciunt, video à nonnullis eſſe nominatos.

6. *Quod non iuuatur Lienis extirpatione falſa & ridicula vt multis oſtenditur.*

Sed aliqui præterea lienem vſtione, vel ferramentis abſumi poſſe contendunt; atque hoc multos curſores feciſſe, qui vt Leno ille cappadox apud Plautum, *Liene quaſi zona cincti ambulant, geminoſque ſibi in ventre videntur habere filios*; ſcio quidem Plinium ſcriptis conſignaſſe, dum inquit *peculiare curſus impedimentum aliquando in eo; quamobrem inuritur curſorum laborantibus, & per vulnus etiã exempto, viuere animalia tradunt.* eadẽque in opinione cũ eſſet Eraſiſtratus qui σύγχρονος fuit Theophraſto, licet Peripateticæ Philoſophiæ addictus eſſet, & ex Ariſtotele diſcere potuiſſet *lienẽ habere illa animalia quæ operoſiſſimè ſunt à natura elaborata*; τὰ μόλις ἀπειβωμένα tamẽ quia viſcus illud ſectione extirpari poſſe, aut vſtione, ex veteribus illis fabulis acceperat, in hunc tandẽ ſcopulum impegit, vt lienem nullo certo fine factũ à natura fuiſſe contenderet, quemadmodũ de illo referũt Cœlius Aurelianus, & Galenus in diuino opere de vſu partiũ. quid plura? medum

Lib. 11. c. 37.

lib. 4. par. 15.

modum quoque legi apud Paulum Aeginetam illius operationis, quæ ferro cādente, & bicipiti, ter in cutem è regione lienis impacto; aut tricipiti alio quod Marcellus proponit, athletis ipſis, & cæteris malè ab hoc viſcere affectis, plus tormēti inferebat, quàm præſidij ad celeritatem, aut ſanitatem: vnde Trallianus refert curatum à ſe militem, cui tota lienis regio barbaricis ferramentis candentibus vſtulata fuerat. Et nihilominus ſunt adhuc aliqui nō dicam è plebe quæ nihil vnquam haurit è puteo veritatis limpidum, ac ne quidem ea quæ ſuis oculis videt, ſincerè dijudicat; ſed ex eorum cenſu, qui vulgo ſapientes ob literas audiunt, quos veteres illæ auiæ ſic tranſuerſos agunt, & omnia temerè credendi furor exagitat; vt hac Plinij, & aliorum auctoritate ſeducti, mille fabulis aures accommodent, quæ de lienis exciſione circumferuntur, quò ſubleuati iſtius viſceris ſarcinà homines, magis ad curſum habiles, ac idonei reddantur. & vero non poſſum inter cæteros non vehementer damnare, Victorem Palmam Caietanū notiſſimæ quidem apud nos famæ doctorem Theologum, ſed iudicij tam futilis, & ſtupidi; atque vt vno verbo dicam. lib. 6. cap. 48. lib. 8.

Qualibet à quouis mendacia credere prompti.

vt non hæc vtique bona, ac honeſta ſemper fuerit: is enim ſub finem hiſtoriæ Gallicæ, quam à pace per ſubſecutum inde ſeptennium nominauit; eiuſmodi fabulam poſt multas alias de errone, ac palabundo Iudeo; de Tremoſino; & ſpectris, ac incantationibus diuerſis, in medium reuocare conatus eſt; ex relatione nobilis cuiuſdam, qui Lugduno Pariſios venit, ſimul cum quibuſdam alijs iter per diſpoſitos equos feſtinantibus, cùm tamen ipſe nunquam ſuum mutaret, aut tardius quàm cæteri ad hoſpitia perueniret. vnde ab equo, cui per iocum, vt opinor, nobilis ille dixerat lienem fuiſſe detractum, ſermonem ad homines conuertēs, multa ex aditis, & penetralibus ſuæ philoſophiæ depromit, quibus hoc ipſum in illis etiam fieri poſſe demonſtret: & eo tandem futilitatis deuenit, vt vocem nobis familiarem *derater*, qua in excitandis, & velut à melancholiæ fæce repurgandis famosà aliqua impoſturà ſtolidorum iuuenum animis vtimur, & quam ego ſuſpicor magnam apud nos huic fabulæ occaſionem dediſſe, in illius confirmationem adducat. quaſi vero nunquam legiſſet Alanis à Probo Imperatore deuictis, repertum in præda equum, qui

quan-

quantum captiui loquebantur, centum ad diem milliaria currere diceretur, ita vt per dies octo vel decem continuaret: & tamen nec Vopiſcus, nec hiſtoricorum vnquam alius dixit, hunc Aſplenio potius quàm Fœno paſtum fuiſſe, vt facta paulatim lienis imminutione, tam velox euaderet. nec Venetæ ac Praſinæ factionis ſtudioſi homines, qui vt Galenus refert *equorum ſtercora quo intelligant, quemadmodum alimenta concoxerint, odorantur, tanquam ex eo, omnem eorum bonam habitudinem cogn ituri*; hoc ſibi in animum vnquam induxerunt, vt lienis auulſione paratiores illos ad curſum efficerent. & ſanè concludendum eſſet, ſi viſceris iſtius priuatio quicquam ad pernicitatem conferret, Simias quibus per exiguum, ac prope nullum eſt, præ cæteris animalibus in curſu excellere: quemadmodum & pecora multa Cortinæ vrbis, quæ propter abundātiam Aſplenij, Vitruuius ſine ſplene inueniri tradit, ac Sues quoque dum ex Tamariſco potant; aut Canes fabrorum ferrariorum, quos Celſus, quia chalybeatam aquam lambunt in fornace, non æque lienoſos eſſe contendit, ac ſunt venatici illi, quos tamen prægrande lienis pondus non impedit, quominus *intactæ ſegetis per ſumma volare gramina*, quotidie deprehendantur. vt iſtud omnino ſtatuendum ſit quod ſicut lien dum malè eſt affectus liberam ambulationem, ne dum curſum velociorem impedire, ac retardare poteſt; ita dum ſe habet vt moris eſt, in valente, robuſtoque corpore, nullo impedimento eſſe poteſt, functionibus eiuſmodi bene laudabiliterque abſoluēdis quoniam vt inquit Galenus *minimè doloroſum eſt viſcus ſplen, neque ſeptum tranſuerſum premit ſimiliter vt hepar, & venter, niſi maximum ſanè habeat tumorem circa caput*, vbi notandum eſt, eum per *lienis caput*, gibbam illius partem intelligere, quæ ſepto connectitur. nec etiam curſus facilis, aut laborioſus à liene dependet, ſed quibus ampli, & capaces ſunt pulmones, multiſque foraminibus peruij, diutius anhelitum cohibent, ac celeriter currendo viam multam conficiunt, ijdemque egregij ſunt vrinatores, & ſub aquis longo tempore perdurant. male autem affectum lienem intelligo qui vel magnitudine vitioſa ponderis ſenſum, ac moleſtiam reliquis partibus inferat, quales erant illi, quos adeo grandes ſe vidiſſe Columbus teſtatur, *vt viginti librarum pondus vnuſquiſque ex his longè excederet*: vel qui laxo tumore reſpirationem crebriorem

[Margin notes: lib. 7. Method cap. 27 — beside "dioſi homines"; In Epidem. ad Hiſtoriā Philiſci. — beside "vt inquit Galenus"; lib. 5. anatom. — beside "vidiſſe Columbus"]

Digitized by Google

rem præſertim in curſu, ac labore efficit, compreſſo ab illius viſceris amplificatione, maximè cùm ventriculus cibis oppletus eſt diphragmate, quo genere morbi forſan laborabat curſor ille de quo Plautus inquit *genua hunc curſorem deſerunt, perij, ſeditionem facit lien, occupat præcordia*. vel denique cum in ſcirrhum obdurvit, & omnia quàm in præcedenti affectu ſæuius adhuc miſcet, corporiſque oeconomiam radicitus peſſum dat. Quibus morbis cum ludibrium ſæpiſſime debeat Aſclepiadarum ſchola, tot rationibus inſtructa, tot munita remedijs, adeo peritis vtendi, & ſecandi miniſtris ſtipata; quibus tantùm abeſt vt lien abſumi, aut per aluum excerni ac liquari poſſit, quod perſœpe, ne quidem ab obſtructionibus expediri poteſt. quis amabo riſum continere poſſet, quoties vel Plinius tã nugaciter eius viſceris curam proponit, vt dicat: *lien recens magicis præceptis ſuper dolentem Lienem extenditur, dicente eo qui medeatur lieni ſe remedium facere; poſthac iubent eum in pariete dormitorij eius, tectoue includi, & obſignari annulo, terque nouies carmen dici. Eo liberat & Lacerta viridis viua, in olla ante cubiculum dormitorium eius, cui medetur ſuſpenſa, vt egrediens reuertenſque attingat manu*: vel Agyrta profanus tot malorum originem, ac radicem, velut agreſtes illi chirurgi *quos frigida mittit Nurſia* teſticulos arietinos, aut caninos, ſe prorſus è corpore auerruncaturum ſpondet: aut ex vaniſſima Cardani opinione, ſenex delirus vittas quaſdam ex panno, vel charta, ſupra cutim è regione Lienis decuſſatas, ſecuri quantum validè poteſt impactà, diſcindit, vt eodem ictu faſtidioſum hoc viſcus in fruſta, parteſque minutiſſimas, abſque vulnere diuidat: ac demum vetulæ quædam ex lupanari, vel popina, ipſo liuore genarum, ſulcata fronte, mento ſylueſcente, ſcaturientibus que iugiter lacrymis, ſuis muſſitationibus, & borborugmis fidem experientiæ conciliantes, tribus, aut quatuor verbis quà tacito murmure prolatis, quà vaniſſimo ritu depictis, & geſtatis, quantum in corpore lienis eſt abſumere, & curſoribus ipſis perennem ſpiritum, ac nunquam fatiſcentes neruos reſtituere poſſe ſibi perſuadent. non minus ſtultè profectò, vaniſſimèque quàm olim Apollodorus, & multi eum ſecuti tradiderunt, Barbaros ſuffitum cyperi herbæ, quam nos gladiolum appellamus, ore excipientes, lienem conſumere, & non egredi

In Mercatore

lib. 30. cap. 6.

in arte parua, lib. 8. de variet. cap. 44

domo niſi ab hoc ſuffitu, vegetiores etiam firmioreſque ſic fieri, & cortice radicis, italici capparis, ſi quis vtatur ad duas drachamas dempto interim balnearum vſu, triginta quinque diebus per vrinam, & aluum totum liene emitti; falſa enim hæc eſſe, diu eſt quod experientia docuit. & quantum ad vſtionem ſpectat; aut exciſionem, quam ex rationali methodo, nonnulli artis exercitatione freti ſe facturos recipiunt; optimè Cœlius Aurelianus alicubi dixit *Lienem exſcindendum, vel vrendum eſſe voce quidem dici, ſed non item officio compleri; quia tot inſignes arterias habet, vt id ſine periculo fieri non poſſe manifeſtum ſit*, & etiam ſi operatio illa nullo negotio fieri poſſet, notauit tamen Arethæus eos qui liene priuantur, deterius poſtea, & infelicius viuere, quia ſanguine craſſo, & impuro corpus alitur, tantum abeſt vt ſint agiliores; & ad omnes actiones alacriores; atque vt maximi viri auctoritate concludam, negat anatomicorum princeps Riolanus *exempto liene viuere animalia poſſe*.

lib. 3. chron. paſſion.

7. *Additurque ratio cur iter accliuoſum moleſtius deambuli aut per planiciem facto.*

Sed hac vaniſſima opinione exploſa, priuſquam è diuerticulo in viam regrediar, lubet adhuc paululum immorari, in eiuſdem effectus contemplatione, quo experimur, aſcendentibus nobis concitatiorem ſpiritum fieri, & crura adeo laborare, vt plus moleſtiæ homini accidat ex quingentorum paſſuum itinere ſi illud aſperum ſit, & per loca ardua, & accliuia, quam ex triplo longiore facto in æquali camporum planitie. Nam etſi pro comperto habeam, Franciſcum Philelphum magni ingenij virum, præclaram aliquando ſuos inter conuiuas diſceptationem habuiſſe, de illiuſce rei cauſis; obſcurior tamen mihi videbatur tota eius oratio, quàm vt rationes ex ea ſatis euidentes, & accuratæ colligi poſſent. Quare ſatius eſt cum philoſophis aſſerere, iſtud primum quidem fieri propter communes cauſas, quibus homines, etiamſi in planicie ambulauerint laſſitudinem contrahunt, nempe motum, qui partium ac membrorum ſpiritus exoluit: deinde quia magis attollitur corpus in accliui quam in æquali loco, hæc vero eleuatio quo altior eſt, eo grauior, moleſtiorque percipitur; ac demum ſitus accliuis magnam ſibi in hac difficultate partem vendicat, homo enim cùm erectus ſtare non poſſit, niſi pedibus æqualiter expanſis, & montium ſuperficies non ita plana ſit, vt commodè in illa perduret; ob id cogitur dum aſcendit, magno ſe nixu con-

Digitized by Google

tinere; & vel anterius totum inclinare corpus; vel extremis tantum pedibus inſiſtere; aut quod maximè laborioſum eſt, in varia diſtenſione, & contractione muſculorum permanere. Vnde præclarum cenſetur roboris experimentum, corpore erecto, & planis pedibus conſcendere per accliuia, & curſus etiam quo ſe iuuenes in montibus exercent, cæteris propterea difficilior habendus eſt.

Sunt autem curſui plurimum affines ſaltus. & ſaltatio ſiue chorea, quæ duo ſecundum genus exercitationis liberæ conſtituunt; ac prioris quidem vtilitatem cum Vegetius, quem libenter in illis ſequimur quæ ad militiam, attinent, continuo vſu perſpectam haberet; iubet idcirco vt non modo ad curſum, *ſed ad ſaltū etiam quo vel foſſa tranſiliuntur, vel impendens aliqua altitudo ſuperatur miles ſe exerceat: vt cùm eiuſmodi difficultates euenerint, poſſit ſine labore tranſire. præterea in ipſo conflictu, ac dimicatione, bellator cum curſu ſaltuque veniens, aduerſarij perſtringit oculos, mentemque deterret: priuſque plagam infligit quàm ille ad cauendum, vel ad reſiſtendum certè ſe præparet*. atque hoc vt artis, & diſciplinæ ratio nō doceat, equidē natura tamen ipſa ignorari non permittit, quæ incitationem quandam, & alacritatem omnium animis inſeuit, à primo ſtatim exortu, quam non reprimere; ſed augere debent imperatores; animique motus exilientis pari corporis vibratione, illuc vbi per ſe propendent, vehementius impellere. Vnde laudantur à multis *Theſeidæ* ceu ruſtici Athenienſes qui vt inquit Tzetzes, dum *Aſcolia* in honorē Bacchi celebrarent inflatos vtres in terra ſtatuebant, & vno pede ſaltantes, in illos ex ſuperiore loco ferebantur, ita vt ſæpe labentes in terram caderent, quia vt inquit, Eubulus apud Ariſtophanis ſcholiaſtem *illos vnguine lubricabant*, ac propterea Virgilius qui elegantiſſimè huius ſacrificij cauſam, & feſti ritum in Georgicis deſcribit, quo nihil ſolemne omitteret vnctionis etiam iſtius meminit in hoc verſu

XV. 1 *Atque huic affines ſaltū eius neceſſitas & vſus aſſeruntur.*

lib. 1. cap. 9.

Ad Heſiodi opera & dies.

in pluto.

lib. 2.

Mollibus in pratis vnctos ſalire per vtres.

& eadem ratione ſapienter feciſſe dicitur Pompeius à Saluſtio quod ſaltu cum alacribus in medio aggere contenderet, & Scipio Africanus non mediocriter commendatur à Silio Italico, quod in primæuo flore Iuuentæ

a belli Punici

Ipſe

Ipſe inter medios ventura præmia laudis
Signa dabat, vibrare ſudem, tranſmittere ſaltu
Murorum foſſas.

Sed ne hoc ſeculo noſtro nimium iratus videar; ſi quæ laudum exempla protulit, quaſi hæc præ antiquis non magni facienda ſint, reticuerim, illud in primis illuſtre cenſetur, quod narrat Iouius de Pompeio Columna, qui in ſtadium productus, cùm forte Neapoli ſpectante Rege Federico, nobiliſſimi Iuuenes triplicato ſaltu decertarēt, cæteros omnes cum multo ſpectantium plauſu ſuperauit. At verò quod iſtis in vmbra ludū & oblectationem præbuit, certum eſt multis in pugna, ſalutem plerumque etiam attuliſſe, cùm volubili impetu, celeri planta, exilitione ſubita, hoſtē velut ex inſidijs peterent, aut ab eo crebris ictibus petiti, conatum eius vimque omnem, quaſi non illic eſſent vbi pugnatur, ſubtiliter eluderent. eaque ratione cùm Mars *gradiuus* pater diceretur ab exſiliendo; ideſt, *gradiendi impetu*, quod exilire bellatores ſoleant, & gradum inferre prælìantes, *Saliſubulus* præterea ab antiquis latinis dictus eſt, à *ſaliendo ſubſultandoque* in bello ſcilicet, ijdemque *Salios* eius Sacerdotes vocabant, quod in portandis Ancilibus ſaltare eos mos eſſet, vnde Virgilius:

Aeneid. 8.

Hic exultantes Salios, nudoſque Lupercos,
Lanigeroſque apices, & lapſa ancilia Cælo,
Extuderat.

& in illo verſu Catulli qui ſic legitur

Epigr. 17.

In quo Saliſubſuli ſacra ſuſcipiunto.

nonnulli è doctioribus Criticis reponunt *ſuſcipiantur*, vt hoc epithetum tam commune reddatur Marti, quàm eius Sacerdotibus, qui idcirco *ſubſultim* ambulabant, vt exemplo militibus eſſent, idē in congreſſu faciendi; quia motus calorem, hic verò audaciam excitat. vnde nihil hic ad ſaltus commendationem referre neceſſum eſt, quod Vegetius dixit *plus armorum exercitia ad ſanitatem militum prodeſſe quàm Medicos*; vt nec illud quod docuit Galenus in explicatione popularium morborum, quorum obſeruationes extant apud Hipocratem, nimirum cum purgatione, vel ſanguinis detractione opus eſt in corporibus nondum firmis, vel minus ad hæc remedia perferenda, ob ætatem immaturam, aut alias cauſas idoneis; ſaltu, vices vtriuſque commodè impleri, & humorum

morum veluti ſaburrà corpus liberari poſſe: ex eoque idem in ſecundo libro quem de curandi arte ad Glauconem ſcripſit, medicos aſſerit ſolitos olim admonere molles, & infirmos adoleſcentes, vt *altero pede ſubleuato*, quod ἀσκωλιάζειν Græci dicunt, *ſubſultim* exultarent, vt in eam partem copioſius alimentum detruderetur.

2. *Et ſaltationē, quam nōnulli damnant.* Enimuero cùm tot nominibus ſaltandi exercitatio apud auctores commendetur, non deſunt tamen grauiſſimi cenſores qui ſaltationem ne dum in militibus, quos minimè omnium hominum decet ſaltibus, & *ſchemis leuioribus* (ſic enim vocem hanc apud probatos auctores Nonium, & Suetonium pro corrupta alia *ſcenis* Turnebus reponit) inſtar *Petauriſtarum* moueri, ſed in viris & mulieribus, graui omnino animaduerſione, ac notâ dignam iudicarint; eoque etiam magis, ſi à viro aliquo principe celebraretur, quemadmodum ex Aemilio Probo liquet, vbi liberè contendit Muſicam prout erant tunc temporis mores *abeſſe à principis perſona*; *ſaltare vero in vitijs etiam poni*; tantum abeſt vt illud probare potuerit, quod de Perſarum Rege ſcriptum reliquit Duris Samius, nempe eum ſemel in anno ſaltare conſueuiſſe, idque temulentũ: quo die ſacra Deo ſuo quem *Mithrum* vocabãt faceret. Certè apud Romanos ſummæ infamiæ erat hominem ſaltare, ac præſertim ciuem, cui multum credebant his moribus compoſitis,, & quæſitis ad aliorum oblectationem, detractum iri grauitatis, & modeſtiæ; ita vt Marci Tullij Ciceronis illud quandoque effatum fuerit *nemo enim fere ſaltat ſobrius*: & idem Gabinium, & Catilinam; vt Cato Murenam *ſaltatores* vocaſſe ſatis habuerint, vt illos probris omnibus inquinatos eſſe denotarent; quemadmodum Saluſtius idem de Sempronia iudicium tulit cùm illam pſallere, & ſaltare elegantius dixit, quàm par eſſet honeſtæ, & pudicæ fœminæ.

in Epamin. — *In 7. hiſtor.* — *In Catilinar.*

3. *Sed immeritò cũ honeſta ſit.* At omnes illos opinor non rem, ſed abuſum qui in ea nonnunquam committitur damnaſſe; nam quantum ad honeſtas, & moderatas ſaltationes attinet, ſcio quidem magnum illis ſemper honorem habitum fuiſſe à pluribus viris grauiſſimis, & qui nõ minus quã tetrici illi Catones callidè prudenterque de rebus indicabant, vt non illud vulgare ſtudium, non obſcœnum fuiſſe exiſtimandum ſit, *quippe quod à ſua dignitate*, vt Scaliger inquit *neutiquam* lib. 1. Poetic. cap. 18.

M *alte-*

Digitized by Google

alienum Heroes arbitrati ſunt; ſanè ſaltarunt, & Theſeus, & Achilles, & Pyrrhus, & Socrates. Enimuero quis maiorem inter fortiſſimos, & ſapientiſſimos Duces, vel veriorem laudem vnquam obtinuit quàm Epaminondas, & tamen hunc cantaſſe probè, & ſaltaſſe decenter, nullus eſt adeo parum in antiquioribus literis verſatus, qui apud Aemilium Probum non legerit; aut tam obtuſi ingenij, qui hunc potius ex laſciuiente, & diſſoluta propenſione talia feciſſe exiſtimet, quàm quod homines, ſaltatione videret agiliores fieri, & quendam in ſe pugnandi ardorem, modumque concipere.

4. *Et ad bellum etiam valde conducibilis.* Quæ fuit etiam Lycurgi cogitatio, cùm inter corporis exercitia, quibus Lacedæmoniorum Iuuenes durari ad laborem, & ad bellum aptos reddi volebat, choreas, & ſaltationem retulit; maximè vero illam quæ *Bibaſis* dicebatur, quæque χήματα πολεμικὰ ſeu *bellicas configurationes* quæ lentæ, & cautæ erant repræſentabat; Sic enim de illa Quintilianus *Lacedæmonios quidem etiam ſaltationem quandam ad bella quoque vtilem, habuiſſe inter exercitationes accepimus,* imo quo magis concinna motione hoſtes aggrederentur, pueri apud eoſdem nudi ſaltare diſcebant, quod his verbis teſtatur Plutarchus: *aſſueſecit* nempe Lycurgus *iuxta puellas atque adultos nudos in publico verſari, certiſque ſolemnibus ſaltare, & cantare, aſſiſtentibus atque ſpectantibus iuuenibus*: modumque vulgaris eius ſaltationis præclarè Lucianus expreſſit, in dialogo de ſaltatione. Quamobrem non audiendus eſt Iuuenalis cùm ex licentia ſatyrica, & communi Romanorum in Græcos inuidia vitio illis ſaltationem vertere conatur in his verſibus ex Satyra vndecima.

lib. 1. cap. 18. inſtit.

in Lycurgo.

ille fruatur
Vocibus obſcœnis, omnique libidinis arte
Qui Lacedæmonium pede nudo lubricat orbem

Sic enim poſtremum hunc malo legere quàm cœlum terræ miſcere, & quicquid habent antiquitatis armamentaria Muſarum excutere, vt locus in illo ſit vel *pytiſmati*, vel *pytiliſmati*, vel *poppyſmati*, vel *pyreiſmati*, vel *pedemati*, vel *propyſmati*, vel *petteumati*, vel *pygiſmati*, aliiſque doctiorum hominum lectionibus, quæ plerumque tam diuerſæ ſunt, quàm ſubtiles & argutæ.

5. Sed quid vlterius immoror in aſſerenda proborum ſuffragijs, aut

Digitized by Google

aut vindicanda ab iniquorum calumnijs ſaltatione; cùm vnius Platonis teſtimonium litem hanc optimè diiudicet in bellicæ Gymnaſticæ fauorem, eamque à ſaltatoria non fuiſſe diſiunctam oſtendat, dum ſaltationis ipſius ſecundum omnem ſuum ambitum conſideratæ, tres primum ſpecies conſtituit, *militarem* nempe; *domeſticam* ceu paci, & vrbanæ hominum conſuetudini conuenientem; ac *mediam*, ceu ἀμφισβητουμένην in ſacrificijs, atque expiationibus vſurpari ſolitam: & *militarem* quidem eorum eſſe dicit, qui modo inclinationibus ad læuam, aut dextram; hoſtium, incurſus, inuaſiones, declinationesque imitabantur; atque hanc tanti ſemper in ſua Republica fecit, vt voluerit magiſtros haberi, qui mercede publica conducti, viros ſimul, ac mulieres illam edocerent; arbitratus hac vna, non parum momenti acceſſurum ad peritiam militaris diſciplinæ, quaſi ex ſchemate conuenientiſſimo adipiſcendam: & eadem mente, optimos olim ad bellum habitos fuiſſe, qui deorum in ſacrificijs peritè tripudiarent, cenſuit apud Athenæum Socrates. Vnde profectò mirari ſubit aliquoties, quid in mentem venerit Federico Imperatori eius nominis tertio, *vt febri ſe detineri mallet quàm ſaltationi operam dare*. aut Alphonſo Aragonum, & Siciliæ Regi, vt exercitationem hanc Gallis noſtratibus admodum familiarem, vitio inſaniæ proximo verteret, cùm præter allatas ſuperius grauiſſimorum auctorum rationes, & fortiſſimorum ducum exempla, quæ contrarium ſuadere poſſent; vnius Scipionis Africani vita numquam non prudentiſſimè, ſapientiſſimèque tranſacta, per ſe ſatis ſufficiat ad iſtius calumniæ aculeũ penitus retũdẽdum; huic enim ſupercilium illud priſcæ grauitatis Romanæ, de quo ſupra dicebamus, minimè obfuit, quominus melioris vitæ & doctrinæ antiſtes Seneca, laudi illi potius quàm vitio datum fuiſſe ſcribat, quod ſaltationum modos edoctus, ſcitè nonnunquam, eleganterque tripudiaret. Aut ſi Regum ſententia, non niſi Regis alterius auctoritate infringi, & debilitari debet, habemus in promptu contrarium Ferdinandi Hiſpaniarum Regis de ſaltatione iudiciũ, in qua poſtquam Neapoli, Ferdinandum Piſcarium numeroſi inceſſus grauitate, & amoena illa pedum alternatione, cœteros nobiles adoleſcentes longo poſt ſe interuallo relinquentem vidit, quaſi futuri conſcius pronunciauit, euaſurum hunc aliquando

5. *Vnde ex tribus eius differentijs vna militaris dicebatur.*

lib. 14.

Panorm. lib. 1

in magnum atque omnium longè præſtātiſſimum imperatorem.

6\. Hæc autem omnia, de choreis noſtris vulgaribus, quæ ad hilaritatis teſtificationem inter amicos, & mulierum conſeſſus certa quadam, & aſtricta numeris pedum motione celebrantur, intelligenda ſunt; nam quod de *Pyrricha* alijſque ſaltationibus *bellicrepis* apud autores leguntur, à nemine vnquam puto fuiſſe condemnata; vt neque etiam communes illas, & ciuiles cenſeo potuiſſe vituperari, niſi ab illis qui propter quorumdam intemperantiam, ſtudium aliquod honeſtum, & laudabile continuò proſcribunt. Fuerunt autem Pyrrichæ ſaltationes apud antiquos, velut genus quoddam ad illas omnes, quæ præliorum imaginem penes diuerſas nationes, varijs item nominibus, & diuerſo plerumque apparatu exhibebant. quales erant *Orſitis*, & *Epichedios* apud Cretenſes; *Carpaea* penes Aemanenſes, & Magnetes; *Bibaſis* inter Lacædemonios, & *Bellicrepa* apud Romanos, quam Romulus inſtituit, teſte Feſto Pompeio, *ne ſimile pateretur, quod fecerat ipſe, cùm à Ludis, Sabinorum virgines rapuit*; tum etiam quæ à Iulio

Quæ varia ſemper fuit penes diuerſas nationes vt ex celebriorū enumeratione patet.

lib.4.cap.14. Polluce enumerantur *Tetracosmus* ſaltationis ſpecies Herculi ſacra, & militaris; *Comaſtica* pugnam, & plagas habens; *Colabrismus* Thracica ſaltatio, & Carica; atque ſi rem antiquiſſimam ſimilitudine quadam eius aſſequi licet, quæ poſtremis hiſce temporibus à Saracenis ad nos deriuata eſt, *Scopia* illa ſeu *Moreſca* ſaltatio quæ totius corporis, crurumque, ac oris, & colli obliquo hinc, & inde motu, perpetuaque conuerſione perficitur: niſi potius eadem ſit quæ ab Italis *Mattacina* dicitur, forſan à ἀπὸ τῦ μαθῦν quod inter alia *inſanire* ſignificat, & à Choribātibus quorum propria fuiſſe videtur, ad Saracenos deducta ſit. Denique huc etiam pertinet *gladiatiorius ludus* quem inter nudo mēſes, & infeſtos gladios, Gothi, ac Sueci celebrant, quemadmodum refert

lib.15.c.10. Olaus magnus. Quinimo quoties Pythiorum ludorum repræſentationem apud me perpendo, videntur mihi, perbellè ad eiuſmodi ſaltationes armatas poſſe referri; quod non aliunde probare contendo quàm ex eorum deſcriptione, quæ talis fuiſſe dicitur à

lib.4.cap.10. Iulio Polluce, vt quinque partes in illis eſſent, cùm ab antiquis Pythicus ille modus tibia canebatur, ſcilicet πεῖρα ſeu *rudimentum* cum Apollo, Draconem aggreſſurus locum circumſpiciebat, κατακελευσμὸς ſeu *prouocatio*, cùm Draconem laceſſebat; ἰαμβικὸν

cùm

cùm pugnabat; *σπονδεῖον* cum victoria repræſentabatur; *καταχό-ρευσις* denique, & ouatio, cùm Apollo victoriæ carminibus, atque honore exultabat. Eiuſmodi vero ſaltationes Græci communi quodam epithero *ἐνοπλίους* ſeu *armatas* aut *militares* appellabant: ſiuè *χορείας ἐν τοῖς ὅπλοις ſaltationem in armis*, quod video vſurpatum fuiſſe à Iuliano, in oratione prima de laudibus Conſtantini Imperatoris, quem ab exercitio illo ſaltandi, & *ballimachiis* maiorem in modum commendat.

Omnes autem Plato cùm de honeſtis tantum ſaltationibus loqueretur, ſub *Pyrricha* compræhenſas voluit; ſic enim inquit in ſeptimo de legibus *duo ſaltationum honeſtarum genera inſtituit is qui inuentor ſaltationis fuit, alterũ bellicum alterũ pacatum; illud Pyrrichen, hoc Emmeliam nuncupans, vtrumque nomine decoro, ac accommodato*. Emmelia enim à congrua, & decenti motione corporis appellata eſt, quia *Emmelles* Græcis illud eſt quod ad melos mouetur: atque hæc eadem genera idem auctor *σπουδαῖα* id eſt *ſtudioſa ſeriaque* vocabat, & commendabilia. Quamquam non ignoro multos eſſe ex illorum præſertim cenſu, qui ſe ab exacto iudicio, & accurata rerum eiusmodi diſquiſitione criticos nuncupant, quibus aliter de ſaltationum generibus, & differentijs ſtatuendum videbitur; vt equidẽ res eſt non minimùm apud auctores obſcura, & implicita: verum quia non opis eſt noſtræ, nec muneris tantas inter ipſos componere lites, illud interim lubenter amplector, de quo plures, ac meliores inter ſe conſentiunt. Igitur cùm ſaltationum omnium in genere tres partes aſſignentur à Plutarcho *φορά, σχῆμα καὶ, δεῖξις motio* nimirum, *geſtus* ſeu *figura*, & *demonſtratio* ſeu *oſtenſio*; armatas omnes ad *figuram* referebant; perinde ac vulgares noſtræ choreæ pertinere mihi videntur ad *motionem*, & operoſiores quæ aliquo veſtium, & ſcenarum apparatu exhibentur ad *demonſtrationem*.

7. Quamquam omnes ad Pyrricham reduci poſſunt.

At vero quoniam ſatis eſt ad præſens inſtitutum, ſi *Pyrricham* bellatoribus noſtris aſſeruero, vt dignam prorſus in qua, ſi per ſœculi mores liceret ſtrenuè ſe exercerẽt, omiſſa eius origine, quæ non ſecus ac rerum omnium antiquiſſimarum principia, inter varias, & diſcrepantes autorum ſententias, mirum quot in partes diſtrahitur; dum hic à Pallade, aut Curetibus, vt Dionyſius Halycarnaſſeus; alter à Pyrrho quodam ignobili, vt Plinius; alius à Pyr-

8. De qua idcirco multa diſtincte proponuntur.

Digitized by Google

richo, vt Strabo; nonnullus à Pyrrho Achillis filio; Scaliger vero ἀπὸ τῆς πυρᾶς; & cæteri ab alijs cauſis eius originem repetunt: certè quod ad modum attinet, vix illam puto diuerſitatem aliquam ſuſcepiſſe, niſi forſan ab armis, quæ pro more nationum pila erant, aut haſtæ, lanceæ, acinaces, geſa, ſariſſæ, peltæ, ſcuta, conti, & eiuſce generis alia: nam figura ſeu geſticulatio, aut ab vnico Pantomimo, aut à pluribus in cuneum denſatis, iiſque nondum ætate prouectis adoleſcentibus vt plurimum exhibebatur; atque vt in Myleſiarum vltimo, tanquam in tabula mira verborum, & elegantiarum varietate depictà videre licet, *eligebantur pueri, puellæque virenti florentes ætatula, formà conſpicui, veſte nitidi greſſu geſtuoſi; qui diſpoſitis ordinationibus decoros ambitus inerrabant, & nunc in orbe rotarum flexuoſo, nunc in obliquam ſeriem connexi, & in quadratum Patorem cuneati, aut in caterua diſſidium ſeparati, Græcanicam ſaltabant Pyrricham*. Sed magis adhuc curioſè deſcribitur à Dionyſio Halycarnaſſæo, qui ſaltationem hanc non ab adoleſcentibus, ſed à choro virorum factam tradit; & doctiſſimus Mercurialis illam ex antiquo marmore repræſentat, cuius beneficio facillimè poteſt in eius ritum, & cognitionem quiſque deuenire. Quamquam præter hos meminerunt adhuc eiuſdem ſaltationis ludicræ Suetonius in dictatore, capite de varijs ſpectaculis per eum editis; Aelius Spartianus in hiſtoria Hadriani; Ammianus Marcellinus libro Hiſtoriæ decimo ſexto; & Claudianus verſibus illis ex quarto conſulatu Honorij, quos lubentius refero, quod ex illis conſtat euidenter antiquum epigramma laudatum ab incomparabili Salmaſio, vt probet aciem illam, ſaltantium in armis ex viris, & mulieribus componi ſolitam, & *buxeis armis*, non *ex ferro* fuiſſe inſtructam, non de omni Pyrricha, ſed de particulari aliqua, quæ hoc modo, & his armis edita fuerit, eſſe intelligendum; ſunt vero Claudiani verſus qui hoc probant ex multis ſequentes.

7. Hiſtor.

2. gymn. c. 6.

Verſu 621. ſub finem.

In notis ad Spartianum.

Heic & belligeros exercuit area luſus.
Armatos heic ſæpe choros, certaque vagandi
Textas lege fugas, inconfuſoſque recurſus,
Et pulchras errorum artes, iucundaque Martis
Cernimus, in ſonuit cùm verbere ſigna magiſter,
Mutatoſque edunt pariter tunc pectora motus,

In

In latus illiſis clypeis, aut rurſus in altum
Vibratis, graue parma ſonat mucronis acutum
Murmur, & umbonum pulſu modulante reſultans,
Ferreus alterno concentus clauditur enſe.
Vna omnis ſubmiſſa Phalanx tantaque ſalutant
Te princeps Galea.

vides enim hic *armatos choros*, *mucronis acutum murmur*, *illiſos clypeos*, *umbonum pulſum*, *galeas*, *ferreum concentum*, & alia, que vix eſt, vt credere poſſim, rectè cum buxeis armis conuenire, de quibus hæc habet vetus illud Epigramma

Quæ tamen haud ullo chalibis ſunt tecta rigore,
Sed ſolum reddunt buxa tela ſonum.

Eiuſmodi vero ſaltationes armatæ cùm tanta apud antiquos in exiſtimatione fuerint, vt quemadmodum refert Aelianus, Athenienſes Phrynicum belli ducem creauerint, non gratià, aut fauore ad id impulſi, neque propter generis eius claritudinem, aut diuitias quas haberet; ſed quod Pyrrichiſtis in quadam tragedia conuenientes, & bellicos modulos feciſſet; vnde eum confeſtim bellicis rebus vtiliter præfuturum arbitrati ſunt, qui à viris armatis non abhorrentia carmina, in dramate confeciſſet: ſic tamen hominum incuria & longa ſœculorum intercapedine iam euiluit, vt nullum exemplum habeam illius apud nos celebratæ, prȩter hoc vnum, quod de ſe refert Iulius Cæſar Scaliger, de cuius viri ingenio cùm ita ſemper apud me iudicarim, vt illud dum ſe philoſophiæ pallio continuit, rectè, & decentiſſimè; cùm verò Imperatoris paludamentum induit, futiliter omnia, & vanè locutum fuiſſe non dubitem aſſerere; multo minus vadem, me ſiſterem apud iudices, pro veritate iſtius ſuæ ſaltationis; ſed quicquid tandem de illa ſtatuendum ſit, narrat is ſe Bonifacij patrui iuſſu Pyrricham, & ſœpe & diu coram D. Maximiliano repræſentaſſe, tanto ſtupore totius Germaniæ, vt aliquando vox illa Imperatoris audita fuerit *hic puer thoracem pro pelle, aut pro cunis habuit*: vt magis propterea mirum ſit, quomodo poſtea tam facilè illum de poſuerit quo *mutas agitaret inglorius artes*. Certum eſt autem & hanc, & omnes armatas ſaltationes ſeu *enoplias*, non ob aliud vſurpatas fuiſſe ab antiquis, niſi vt earum frequenti exercitatione, tam pueri, quàm viri, & mulieres modo hoſtes effugere, modo inua-

lib. 3. cap. 8

lib. 1. poetic. cap 8.

dere, aliosque geſtus bellis gerendis neceſſarios perdiſcerent; ſic enim Plato de illa cenſuit. Vnde etiam Lacedæmoniorũ iuuentuti loco bellici progymnaſmatis erat, apud quos pueriâ quinto ſtatim ætatis anno incipiebant *πυῤῥιχίζειν*, accinente interim aliquo
7. de legibus. carmen *Hyporchematicũ*, ad cuius numeros motus componebãt: & Paphlagones apud Xenophontem; cùm Mimam ſaltatriculã iuſſu Nyſi Pyrricham numeroſè, & per omnes modos doctè, ſciẽter que ſaltaſſe animaduerterent, Græcorum ingenium admirati percunctati ſunt *num apud illos mulieres quoque bellorum tractationi incumberent*? Sanè cùm videam efferri tantopere ab omnibus, exercitationem illam vmbratilem que fit in palum à tyronibus, quid tandem cauſæ eſſe poteſt, cur hæc non ſit pluris longè facienda; quæ non aliquod lignum immobile, ſed hoſtem viuum, ſpirantemque ſibi fingit, qui pedem tecum conferre, ſcutum protendere, iaculum torquere, ictus inferre, aut illatos fallere, probèque quantum illi mutuaueris, tantundem referre poſſit; quem etiam tuo periculo aut ex inſidijs adoriri, aut dolo inuadere, aut ſtratagematibus circumuenire diſcas, & omnia tandem experiri cum illo, quæ ſi cruorem demas, veris quam vmbratilibus pugnis ſint propiora? Quoniam igitur præter audaciam, & induſtriam quas in iuuenum animis talis ſaltatio ingenerat, vires præterea ſtabilit, adeoque robur, & ſpirituum ex motu calorem, cuius poſtea beneficio cuncta in corpore vigent, valentque mirificè; ſummo deſiderio vellem, vt qui non ſecus ac antiqui bella continuò miſcent valde periculoſa; ita quemadmodum illi, haberent inter pacis delicias, & voluptates vnde minus in bello timerent, minusque etiam periclitarentur. rectè ſi quidem dixit
De ludo par-ue pilæ. Galenus *ex omnibus corporis exercitationibus, eam proculdubio utiliſſimam uideri quæ ne dum corpus fatigare, uerum etiam animum oblectare ualeat.*

XVI.
1 His ſuccedit venatio plurimũ olim in circo commendata. Hoc vero præter ſaltationem, venationis quoque diuerſas ſpecies efficere notius eſt apud omnes, quàm vt multis rationibus probari debeat: maximè cum ex ludis qui in Circo, & Amphiteatris populo Romano exhibebantur olim à munerarijs, nulli vnquam venationibus ipſis, gratiores illi fuerint, aut in quibus edendis toto patrimonij cenſu magis ambitioſè certaretur. vt merito quidem Claudianus Stiliconem ab inuſitata diligentia con-

conquiſitis ex Dalmatia, Pindo, Germania, Apennino, Gargano, Hiſpania, theatralibus feris laudarit, vbi 3.carm.

Quodcumque tremendum
Dentibus, aut inſigne iubis, aut nobile cornu,
Aut rigidum ſetis capitur, decus omne, timorque
Syluarum, non caute latent, non mole reſiſtunt.

& Saluianus Maſſilienſis eodem ſenſu dixerit *adeuntur loca abdita, luſtrantur inuii ſaltus, peragrantur ſyluæ inexplicabiles, conſcenduntur nubiferæ alpes, penetrantur niuiferæ valles, & ut deuorari poſsint à feris uiſcera hominum, non licet naturam rerum aliquid habere ſecretum.* lib. 6. de prouident.

2. *Et principum exercitijs.*

Quin etiam pellecti hac venationum dulcedine multi Reges, qui motalium vni liquidiſſimis ſemper voluptatibus recreari ſolent, non tam viuere quam venari viſi ſunt, ac inter cœteros Mithridates, priusquàm iuuenilis ardor in illo defeiuiſſet, adeo pertinaciter venandi ſtudio fuit addictus, vt per ſeptem annos continuos ruri degens, his cum voluptate ſocitatis laboribus, ad omnẽ virtutis patientiam firmiſſimè corpus obdurauerit & ex eodem ſtudio, Darius Perſarum rex, iuſſit adſcribi ſuo ſepulchro, quod venator bonus fuiſſet hoc modo φίλος ἦν τοῖς φίλοις, ἱππεὺς καὶ τοξότης ἄριστος, ἐγενόμην κυνηγῶν, ἐκράτουν, πάντα ποιεῖν ἠδυνάμην hoc eſt *amicus fui amicis, eques & ſagittarius optimus, fui uenator, dominatus ſum, omnia agere potui*; quod epicedium refertur ab Euſtathio in commentarijs ad Dionyſium de orbis deſcriptione. Atque hac etiam ætate apud eoſdem Perſas, Imperatores illi præpotentes qui ſub *Sophorum* ſeu mauis *ſapientum* nomine tot populos ſitu diſſitos, cultu varios, moribus & inſtitutione barbaros, tranquilla pace gubernant; nuſquam ambitioſius laſciuire, delicijsque maioribus perfundi videntur, quàm dum ſylueſtrium equorum, qui in *Seruana* regione ad Caucaſi radices turmatim degunt, ſolemni quidem apud illos, ſed dubiæ tamen, multumque periculoſæ venationi poſſunt incumbere: & eorum etiam vicini Turcæ, omnia fere curant remiſſius quàm venationes, ſi quidem vt notat Laonicus Chalcocondylas Paiazetes ſeptem millia virorum habuit, qui accipitres curarent, & canes aluit ſexies mille: ita nempe illi otium ſuum condire ſolent, & à ferarum venatione, ad regna, & prouincias capiendas progredi. lib. 3. de reb. turcic.

Verum

3. Verum etiamſi in illa tot ſint oblectationes, tot ad voluptatem illecebræ, dum ſe inuicem venatores ac feræ deludunt; dum curſu inter ſe contendunt; dum pugnant vtrimque pari deſiderio, illi ne vacui domum recedant, & exhibilentur, hæ vero ne ſeptis includantur, aut in lurconum abdomine ſuum funus habeant; adſunt ex alia parte labores improbi qui ſudorem ab intimis vſque medullis proliciant; offerunt ſe pericula nec mente præuiſa, nec re ipſa leuia, nec explicatu facilia, multa denique ſingulis diebus inter venandum contingunt, quę non minus degeneres animos arguant, quàm bellorum diſcrimina. Ac propterea crediderim Ariſtotelem in politicis, quando partes rei quærendæ explicat, quinque illas ſtatuiſſe quæ non cauponando, aut permutando victum reperiunt; nempe *vitæ genera Pecuariorum, Agricolarum. Latronum, Piſcatorum, & Venatorum*. quæ ad tria tamen *Pecuariorum*, *Agricolarum*, *& Venatorum* melius reduci poſſe, optimus horum librorum interpræs, & enarrator Giphanius arbitratur; ita tamen, vt ex mente Ariſtotelis, venatorum appellatione, Aucupes etiam, & Milites veniant, quia vt inquit ipſe *pars rei naturà quærendæ eſt ars ipſa uenandi, qua uti oportet & ad belluas, & in homines qui ad parendum nati, nolunt; tanquam naturà iuſtum hoc ſit bellum*: atque ita indifferenter cùm hic, tum in ſuperioribus alijs locis has bellandi, & venandi artes vſurpat, vt aliquando θηρευτικὴν bellicam, & vice verſa bellica θηρευτικὴν ſub ſe complectatur. Quam profecto vtriuſque artis inter ſe conſenſionem vt exprimerent Poetæ, comitem Bellonæ Dianam adiunxerunt, iiſdemque telis hoſtes, quibus & feras configere cecinerunt. & Vegetius, ac cœteri qui bellorum rationes penitiſſimè indagarunt, eos potiſſimum militiæ idoneos eſſe tradunt, qui venatorio ludo à teneris eſſent aſſueti: nempe quod eadem venatori quæ militi ſint incommoda perferenda, cubandum ſuo dio; excipiendi cœli imbres, & frigora; traijcienda natatu flumina; curſu montes ſuperandi; nunc cum Apris quos dentibus, aut cum Vrſis quos eadem vnguibus inſtruxit, depugnandum; collocandæ inſidiæ, tendendæ plagæ, fraudes omnis generis texendæ, omniaque, vt ſemel dicam, quæ callidi duces, vt incautum hoſtem opprimant, ſolent moliri; eadem vt in retia feras terreſtres, & maiores præſertim adigat venatori ſunt factitanda.

Quia bellorũ æmula eſt.

lib. 1. cap. 5.

Nec

Nec perperam dico Venatori, non autem Aucupi, vel Piſca-tori, quoniam etſi *venationis*, quam hic cum Cicerone, & optimis alijs linguæ latinæ dictatoribus pro *venatu* etiam, nullo diſcrimine vſurpo; contra quàm feciſſe videntur Sidonius cuius illud eſt *vtuntur accipitribus ac ſaginatis Canibus ad venatum, venationibus crebris ad luxum*; Etſi inquam triplex conſtituatur venationis differentia, pro pari elementorum numero aeris, aquæ, & terræ in quibus triplex præda degit; & quam certum eſt Oppianum poetam maximum, & qui cum Iulius Scaliger neminem Græcorum audet comparare, nitidiſſimo carmine integram aboluiſſe; tam in *Halieuticis*, & *Cynegeticis* que ſuperſunt, quàm in *Ixeuticis*, de quorum editione poſtquam ſpes ea decollauit, quam Franciſcus Aſculanus, & Cardinalis etiam Sirletus quondam fecerant videtur mihi nihil commodius iacturæ huic ſarciendæ poſſe excogitari, quàm ſi doctiſſimus vir Leo Allatius paraphraſim græcã eiuſmodi librorum edat, quam inter alias quæ Eutecnio tribuuntur, apud ſe diligenter emendatam ſeruari, literis ſuis mihi aliquando ſignificauit Enimuero licet etiam veteres Herculi ob Erymanthium Aprum confixum, ob ſuperatam Hydram, ob Stymphalidas aues fugatas, & enectas quaſi triplicem venationis, piſcationis & aucupij palmam detulerint, longè tamen ſecus arbitrandum eſt, ſi Platonem optimum, & ſapientiſſimum Gymnaſtam de ijs audire volumus, ita in Theæteto, & ſub finem ſeptimi de legibus de venandi diſciplina conſtituentem; vt cum tres in ſpecies hanc diuiſiſſet aquatilium ſcilicet, volatilium; & terreſtrium animalium: atque illam quæ mutis, & inertibus piſcibus, qui neque gradientibus nocere, neque cœli noſtri halitum ſufferre poſſunt inſidias ſtruit, ſegnibus tantum conuenire, nullãque laudem mereri aſſeruiſſet; vt neque hanc quæ laborum inter miſſiones, habens, retibus, & laqueis non viribus animi, robur, pernicitatemque auium, aut imbellium aliorum animalium ſuperare conatur; eo tandem deuenit vt ſolam venationem in bene morata ſua ciuitate probet, quæ hoſtilis cuiuſdam prælij gerit imaginem, & cum Lupis, Vrſis, Apris, cæteriſque huiuſmodi truculentis, ac immanibus belluis, iuſtum, legitimumque bellum exercet: propterea que Hegeſander apud Athenæum ſcribit *neminem in cœna apud Macedonas accumbere ſolitum qui Aprum ex-*

tra

4. *Si præſertim terreſtres feras easque maiores & ferociores conſectatur.*

Epiſt. 8. lib. 4.

Lib. 3. de vita contempl. c. 17.

Lib. 1. *tra retia non interemiſſet*: & de illa quoque intelligendus eſt Marcus Tullius, cum inquit *uenatione ferarum nos exerceri ad ſimilitudinem bellicæ diſciplinæ*; nec aliam meo iudicio, auctor ille præ cæteris decori obſeruantiſſimus Xenophon, & quem non minus libenter quàm Platonem Cicero ſequitur, in Cyro ſuo laudauit, cùm illum exercitationis bellicæ gratiâ, ſuos milites ad venationem eduxiſſe refert.

1. De natura deorum.

1 De inſtitut. Cyri.

5. *Vnde multis ducibus pro bellorum tyrocinio fuit vt Herculi in cuius certamine cũ Leone nemæo fallũt pictores.*

Certè ingenioſiſſimus Poeta Claudianus diſertis verbis hanc in Stilichone ſuo expreſſit

Si quando ſocijs tecum venatibus ibant,
Quis Stilichone prior ferro penetrare Leones
Cominus, aut longè virgatas figere Tigres

Tum & in Honorio

Lib. 1. de laudibus Stilich.

De nupt. Hono. & Mariæ

Tu cùm per altas impiger ilices
Præda citatum Cornipedem reges,
Telis iacebunt ſponte tuis feræ,
Gaudenſque ſacris vulneribus Leo,
Admittet haſtam morte ſuperbior.

Atque eam ob rem Herculi, quem vnum in heroicæ, & militaris fortitudinis exemplum finxit antiquitas, non minutæ aues fallendæ, non piſces ineſcandi, ſed feræ quotquot in orbe fuerunt atrociſſimæ Serpentes, Aper, Leo, Taurus, Hydra debellandæ ab æmula, & infeſta ſua Iunone obijciuntur. Quamquam vt hoc obiter animaduertam, longè falluntur pictores, qui ipſum fingunt Nemæum leonem apprehenſo rictu, & diuulſis hinc & inde malis necantem; neque enim ille hac arte interfectus eſt à fortiſſimo Heroe, ſed faucium preſſu ſtrangulatus, eo modo quem exprimit nummus argenteus relatus à Golzio: nam auctor antiquus de certaminibus Herculis nondum Græcè aut Latinè quod ſciam editus, hoc accuratè notauit in primo capite, quod de leone eſt, *cũ enim* inquit *in ſpeluncam biforem confugiſſet, obturato uno oſtio per aliud in feram irrupit, digitorumque uinculis gutture compreſſo ſuffocat*: eiuſdemque penitus opinionis fuiſſe videntur Apollodorus, & Euripides, ac Tullius etiam, vbi eiulationem illam Herculis in Trachinis vera hac & germana latinitate donauit.

Faſtorum pag. 144.

In Biblioth. in Hercule furente.

O pectora! ò Terga! ò Lacertorum tori!
Veſtro ne preſſu quondam Nemæus Leo

Freu-

Digitized by Google

Frendens efflauit grauiter extremum halitum.
& eam ob rem Alexãder Trallianus, ac Sotion geoponicus, quaſi nollent falli pictores, in ſculpendis imaginibus, quas vaniſſimè proponunt ad morborũ curationem, aut alios effectus, modum ſemper exprimunt, quo Hercules Leonem ſuperauit. ita enim hic *ſi uelis herbam Orobanchem in totum non apparere, quinque teſtas accipito & in ipſis cum creta aut aliquo alio albo liquore Herculem leonem ſuffocantem pingito, easque teſtas ad quatuor angulos, & in medium arui deponito*: alter vero ſcribit *Herculis erecti Leonem ſuffocantis imaginem Lapidi inſculptam, ac annulo aureo incluſam colicæ mederi*. cap. 9. lib. 1. de agricult. lib. 10. ſub finem.

Non igitur alio ſpectant hæc certamina Herculis, niſi vt periculorum conſuetudinem ducibus ingenerent, nec alia ratione anguſtiſſima illa verè Aegyptij ſpiritus ac animi Regina, demiſſis ſubter aquam vrinatoribus alias leporem, alias feram iſtius generis, oblectantis ſe piſcatoria linea Marci Antonij hamo appendi curauit, niſi vt illum tam argutà ſubtilique fraude edoceret, liberalem magis, & fortiſſimo duce dignam eſſe campi, quàm fluminis venationem. Quantum etiam ad Aucupium attinet, certum eſt plus in illo deliciarum eſſe, quàm robuſtæ, maſculæque virtutis, & ſœpius ad pompam oſtentationemque ſumptuum, quàm ad oblectationem legitimæ voluptatis pertinere; vt confirmari poteſt exemplis cùm Baiazetis de quo paulo antea dicebam, tum vero etiam Galeacij Sfortiæ, & Caroli noni francorum Regis, quorum hic quingentis aureis accipitrem emit; ille vero ſupra centena Falconum paria, in remotiſſimis ad Oceanũ Borealem locis conquiſita, tanto alebat ſtudio, tamque immani ſumptu; vt in magnis porticibus, ſic apparatum hunc deſcribente Iouio, eæ volucres canterijs, & perticis inſidentes, mira cum voluptate ſpectarentur: quum ex his ſedibus ad ornatum, tela ſerica picta acu, ſquamoſoque, opere inaurati argenti refulgens dependeret, & volucres argenteis ſonantibus pedicis vincirentur, pileóſque geſtarent quorum apices & gemmæ & vniones adornabant. Sic Heroinæ quibus ob infirmitatẽ ſequioris naturæ, vires nõ ſuppetunt ad maiores feras curſu laceſſendas, aut earundem impetum obiectu, venabuli frenandum, his blandioribus technis lubentiſſimè ſe oblectant. vnde & Euphroſina Alexij Angelij Bizantini Imperatoris

6. *Piſcatio vero & Aucupium animos potius ſoluunt quam faciant*

in elogijs.

Digitized by Google

toris vxor deſcribitur à Niceta Choniate, auratâ chirothecâ accipitrem cæteros inter aucupes geſtans, eiuſque adunco roſtro, & pernicibus alis, non mediocre animalium innocentiſſimis faceſſens negotium.

Contra quam in ferarum venatione contingit quę ſola idcirco in militibus laudatur.

7. Ex quibus velim tandem conijcias, Ludouice Comes, quod in hoc vnum tibi alacriter incumbendũ eſt; vt dum *Montis ſcutuli*, in ſeceſſu illo amœniſſimo, & per quã opportuno venationibus omnis generis, moram ducis haud opinior tibi moroſam, vel iniucundam; piſcatione, & aucupio parcius te exerceas; ſed curſu, iaculatione, viribus corporis feras conſecteris, quia huius venationis tyrocinio imbuti Iuuenum animi, ſimul atque belli claſſicum intonuit, clangentem, & accientem Canes cornicinem ſibi videntur exaudire, nec minus fidenter, & intrepidè cum hominibus quàm antea cum feris congrediuntur. Quod Virgilius eleganter expreſſit in Aſcanio à quo poſtquam Numanum qui glorioſè Teucris inſultabat cæſum fuiſſe retulit, continuò etiam ſubiungit.

Tum primum bello celerem intendiſſe ſagittam
Dicitur, ante feras ſolitus terrere fugaces
Aſcanius.

Eodemque modo Camilla quæ virginal manu tot agmina fudit, nõ alibi nutrita fuiſſe dicitur quàm in ſyluis lacte ferino, & Dianæ ſtudijs penitus addicta. Sicut enim qui combibi purpuram volunt, ſufficiunt prius lanam medicamentis quibusdam, ita poetarum ſapientiſſimus, quorum animos præclara aliqua, & excellenti fortitudine decorari voluit, prius illos inficit venationis exercitio; qua in re non dubito quin ſimile quidpiam Homeri facere voluerit, qui ita Græcorum ducem Idomeneum dilaudat, vt eundem appellet ἄιμονα θήρης, ϗ καλὸν πολεμιςήν; huius enim exemplo, hic noſter ferme idem de Pico aſſeruit. *Aeneid. 7.*

Picus equùm domitor, debellatorque ferarum,
Ducit Agyllina nequicquam ex vrbe ſecutos
Mille viros:

Iliade 5. videturque ea laus communis fuiſſe antiquorum omnium, nam idem Homerus hanc rurſus in Scamandro commendat, & Telemachum ire facit in concionem, centum viginti quinque canibus comitatum. *Odyſ. 4.* Verum quid opus eſt fictis ex ingenio poetarum Heroibus, rem per ſe clariſſimam illuſtrare velle, aut ex Euandri, &

Carmen-

Carmentæ ſœculo, in iſtud documentum hiſtorias repetere, cùm Iſocrates in Panathenaico de Lacedæmonijs aſſerat, quod ex Lycurgi inſtituto *illi quotidie pueros mox à lecto quibuſcum ſingulis libitum, ablegant ad venationem*: & ipſas legiones Romanas ab Imperatore Maximino, ſolis venationibus frequenter exercitas fuiſſe, ſcribit Iulius Capitolinus; quinimò Sertorium hac vna arte ſœpè victoriam, ſœpe euadendi viam ex aſperrimis, difficillimis que locis præmunijſſe auctor eſt Plutarchus; apud quem Pelopidas quoque *rudimenta militiæ à venatu auſpicatus eſt*: & Philopœmen, ac Alexander ſi quando à militia ceſſarent, non alijs quam venationum ſtudijs otium impendebãt. Quibus exemplis ſi quicquam mihi ex noſtrorum temporum hiſtoria addere liceat, hoc tantum erit, quod apud noſtrates Gallos diuturna obſeruatione compertum eſt; Reges qui plurimum venationibus delectati ſunt, eoſdem præ cæteris non domeſticis modo, ſed exterarum gentium Imperatoribus, bellicoſiſſimos glorioſiſſimoſque extitiſſe; quaſi tranſlata ab obſeſſis ferarum luſtris, & earumdem cæde ad prælia, vrbium obſidiones, ac cætera armorum munia, exercitatione; quorum de cauſa dicebat prudenter Philoſtratus *ei qui belli dux & Imperator aliquando futurus eſt, maximè neceſſaria fore venationum exercitia*. Sed ne in his diutius immorer quæ reliquorum Principum virtutibus, quibus nihil per me detractum vellem obſtruere poſſunt, in ea ſemper fui opinione, vt quemadmodum canis venaticus pernicitate, ac viribus in campis emicat, atque aduerſus feras audax irrumpit: Aulicus vero aut in delicijs tantum habitus, vbi naribus aprum ſenſit, in fugam verſus, exterrituſque ad venatores refugit, ſic adoleſcentes qui in venationum laboribus tanquam diſciplinæ militaris rudimentum quoddam poſuerunt, cùm in hoſtes impreſſio facienda fuerit, nulla periculi nouitate terrentur, eodemque vultu minaces aduerſariorum gladios, quo dentes aprorum lunatos, Ceruorum cornua multiplici velut pilorum ſerie horrida, & aliorum animalium incuruos vngues, hiantes que fauces intrepidi ſufferre condiſcunt. Cùm ex aduerſo qui nihil vnquam duri, aut laborioſi experti ſunt, prima ſtipendia vix tolerare poſſint, aut ſi in illis quidem perdurant, multa ſœpius indignè committunt, & omnia quàm cæteri longè ſemper experiuntur difficiliora. Quamobrem, ſi me audis Ludouice

libro de Ioſepho.

Digitized by Google

douice Comes iterum te de ijs cum libertate monentem, quibus dum ab armis ordinibusque ductandis temperas operæ pretium eſt tè diligenter operam nauare.

Sæpe volutabris pulſos ſyluestribus Apros
Latratu turbabis agens, monteſque per altos,
Ingentem clamore premes ad retia Ceruum.

non quo laboribus aſſueſcas, quos iam antea domeſticà cõſuetudine tibi familiares feciſti, ſed potius ne deſueſcas; vt diſſipatis ſimul continua membrorum agitatione ſupernacaneis humoribus, proſperam valetudinem, & qualis in milite laudatur corporis firmitatem conſequaris. Siquidem optimè iſtius recordaris quod de militibus dixit Cicero, *ibant in prælium corpore Tauri validiſſimi, impetu Leonis acerrimi ſimiles*. (ad Heren.)

XVII. (1 *Tum natãdi peritia quę plurimi ab antiquis æſtimabatur.*)

Sed non minus quoque Tyroni laborandum eſt vt poſſit inſtar Scipionis Africani

vndoſum frangere nando
Indutus Thoraca vadum.

militia enim non erit, aut natatus exiſtimabitur, tam neceſſarius militi, quàm in propinquo aquæ ſunt, & facilè ſecum exitium trahunt; vt minùs hic ſcire quam Belluæ, non turpe modo, ſed valde etiam periculoſum ſit; quandoquidem ſœpe numero contingit, vt torrẽtes niuibus, aut imbre tumefactos, fluminaque pontibus nõ ſubſtrata ſuperare militem oporteat; aut prœlio nauali decertare, quo impendente diſcrimine, ſi natatu deficiatur, quis dubitat eidem ſtatim pereundum eſſe, communi cum Cyri militibus fato, quos omnes ob nandi imperitiam, ſuffocatos aquis fuiſſe, memoria à Xenophonte proditum eſt. (In expedit. Cyri minor.)

2. (*Vt ignobile mortis genus deuitarent.*)

Et vero cùm antiquiſſimis illis Heroum temporibus, quibus omnia velut ex altioris cuiuſdam ſapientiæ penetralibus deprompta, in hominum vſus, opinioneſque ſeſe inſinuabant, nandi facultas tribus potiſſimum de cauſis in precio, ac exiſtimatione apud omnes haberetur, harum vna & altera huc tantùm ſpectabant, quod genus iſtud mortis ignobile, viroque forti prorſus indignum arbitrarentur; quia in eo nec virtuti, nec honeſtati locus vllus eſſet relictus; quemadmodum Valerius Flaccus luculenter in Argonautis expreſſit, quos ſæuiente Pelago molliter querentes facit ob vile mortis genus, quod ſibi imminere videbant. (Achilleid. li. 1)

Hæc

Digitized by Google

Hæc iterant, ſegnique flentes occumbere leto:
Magnanimus ſpectat Pharetras, & inutile robur
Amphitryoniades, miſcent ſuprema pauentes
Verba alij, iunguntque manus, atque ora fatigant.

Ex Ouidius eadem etiam de cauſa dicebat

Non letum timeo, genus eſt miſerabile leti,
Demite naufragium mors mihi ſalus erit.

Sed nos ſupra hoc idem quoque ex Hippomedontis indignatione declarauimus.

Præterea mortem eiuſmodi, vel eo potiſſimum nomine reformidabant, quod ſepultorum in aquis animam, ſeu potius *igneum illum vigorem* tantopere à Virgilio celebratum, confeſtim ab elemento contrario extingui, quod Heraclitus volebat, perireque vnà cum corpore, nec ſimul cum alijs qui diuerſo genere leti interierant, beatas Elyſiorum ſedes adire, certò perſuaſum haberent. vnde factum narrat Syneſius, vt cùm ab Homero mortui excitantur ab inferis, nunquam apud eos Aiax Oileus introducatur, vt nimirum quem antea non adijſſe Plutonis domum cum cæteris, ſed penitus extinctum fuiſſe dixiſſet. 3. *Etinque animam quoque interire perſuaſum erat.*

Sic Aiax periit ſalſam vt bibit æquoris vndam. Odyſſ. 4.

quæquidem opinio tam latè per gentes olim diffuſa fuit, vt idem Syneſius de ſocijs ſuis Alexandriam nauigantibus tradat, quod tempeſtate ſuborta, ſicas manibus exeruerint, vt animæ alioqui morituræ, gladio viam aperirent: & Auguſto cœnante apud Vedium Pollionem, qui vt inquit Tertullianus *ſeruos murænis inuadendos obiectabat, vtique ſtatim coquendis, vt in viſceribus earum aliquid de ſeruorum ſuorum corporibus, & ipſe guſtaret*. cùm è ſeruis vnus ad eiuſmodi feras ſuo ſanguine ſaginandas, ob fractũ criſtallinum damnatus eſſet, ille vt refert Seneca vociferans, ad Auguſti pedes confugit, non quidem vt capitale ſupplicium quo ſe dignum iudicabat, ſed vt ſupplicij genus deprecaretur, ne aquis immerſus ad Elyſios campos nunquam perueniret. indeque Palinurus cùm in eos aditum ſibi fieri poſtularet, quia tamen vndis demerſus interierat, tale reſponſum tulit à Sibylla (in epiſt.; lib de pall o; lib 3. de Ira cap. 40.)

Vnde hæc ò Palinure tibi tam dira Cupido?
Tu ſtygias inhumatus aquas, amnemque ſeuerum
Eumenidum adſpicies, ripamque iniuſſus abibis.

N &ne-

& neſcio quis Terræ filius apud Alexandrum Aetholum

Infœlix vndas tumulum ſortitus, at ipſum
Collum fune ligans huic comes orcum adijt.

Sed parco lubens huic doctrinæ lucem fœnerari, quam ſcio prope diem illuſtratam iri debere omnibus ingenij, & doctrinæ ornamentis, ab doctiſſimo viro Petro Laſeyna in libro quem ſub Incude cum haberet *de iis qui in aquis intereunt*, & vehementius vrgeret ſtudia, atque inſtaret ſibi, quaſi Muſæ repertæ forēt cruciandis, & non oblectandis animis, audio, ex amicorum literis eum pridie quàm ad me ſcriberent, vitam amiſiſſe. Enimuero cùm hæ cauſæ potentiſſimæ fuerint apud antiquos ad perſuadendum illis, ne natandi ſtudio parum diligenter incumberent.

4\. *Ac etiam propter oblectationem & vsū in diuerſis vitæ muneribus, potiſſimum quæ in militia.*

Tertia tamen quam partim ex oblectatione, partim etiam ex neceſſitate diuerſorum munium obeundorum, ac periculi quoties occurrit deuitandi, habuerunt, ſic omnibus arriſit, qui priſcà illa ſuperſtitione non tenentur irretiti; nec ita ſubtiliter in cauſas rerum, & momenta inquirunt, vt eius tantum gratià non minimū operæ in acquirenda, & comparanda ſibi natādi peritia exiſtimarint eſſe collocandum. Atque vt quemadmodum incœpi, de eius in re militari præſtantia, ac vtilitate dicere pergam, quis vnquam ſanæ mentis negare poterit, quin inſignis omnino habenda ſit? poſt tot illuſtria exempla quæ paſſim in hiſtoricorum libris occurrunt; & illud ſpeciatim quod in Cæſare tota adhuc ſtupet miraturque poſteritas, hic enim ſcribente Tranquillo, Alexandriæ circa oppugnationem pontis, eruptione hóſtium ſubita compulſus in ſcapham, pluribuſque eodem ſe præcipitantibus, cùm in mare deſilijſſet, nando per ducentos paſſus euaſit ad proximam nauim, elatà læuà ne libelli quos tenebat madefierent, & paludamentum mordicus trahens, ne ſpolio potiretur hoſtis. Sic Brutus in obſidione Mutinenſi præcluſo omni aditu, cùm literas ad Hircium aliter non poſſet, per vrinatores tuto transmittendas curauit: & Genuenſes præclaræ victoriæ naualis momentum debent homini cuidam poſtremæ ſortis, & ab aquarum frequentatione *Mergi* Cognomen adepto; qui in medio pugnæ ſæuientis ardore, galeà tectus, & breui cultro accinctus, clam ſe in mare demiſit, & regiarum ac hoſtilium nauium maximæ, funes anchorarios, nullo negotio præcidit, vt memini quondam me legiſſe apud Iacobum

Brace-

Bracelium in hiſtoria de bello Genuenſium aduerſus Hiſpanos. Sed vix in aliorum hiſtorijs ſimile exemplum reperietur, eius quod in recenti noſtra, ab vrinatore quodam robuſtiſſimo editum legitur, dũ ab Anglicæ claſſis præfecto Bukinghamio, ***Rea Inſula***, quæ intercurrente oceani triũ circiter millium depreſſiore alueo, Rupeculanæ oræ ſubiacet, anno huius ſœculi ſupra trigeſimum ſeptimo, obſidione cingeretur; etenim cùm Thoeraſius Dux ille inclytus, cuius fortitudine, & prudẽtià vrbium ſalus tamdiu ſtetit, Martinianæ arci, cui tunc, quæ Gallorum fortuna fuit, præerat, extrema omnia cùm ab hoſtium continuis impreſſionibus, tum etiam à commeatuum penuria impendere videret; tribus ex ſuis animos fecit, vt declinandis Britannorum naualibus ſtationibus, inito ſolerti natatu, literas in regia caſtra, quibus tum temporis Rupella cingebatur, deferrent; iiſque non cunctanter tale diſcrimen ſubeuntibus, ac noctu in mare demiſſis, eorum vnus ante exortum diẽ, aquis abſorptus interijt; alter vero lacertorum robore, ac animo tandem deſtitutus, hoſti ſe permittere coactus fuit, ſed tertius cæteris valentior, gente vaſco, cui *Petræus* nomen erat, conceptis virilibus animis, quantum ſupererat itineris emenſus eſt, ſeque ex Oceano ſaluum eijecit ad Ludouicea caſtra; quamquam ita labore fractus, & grandiorum piſcium qui in *belluoſo* illo, vt Auienus eum vocat *Oceano*, frequentes ſunt, morſibus acerrimis debilitatus, vt non inſiſteret pedibus, ſed reptatu viam capeſceret ad Inculiſmeum ducem, à quo poſtea Lutetiam dimiſſus, magna cùm Regis, tum Eminentiſſimi tui Patrui Legati per id tempus ad illum Pontificij, & reliquorum Principum beneuolentià, ſtudijſque, & largitionibus fuit exceptus. vt hoc exemplum iure aliorum loco eſſe poſſit, quæ in *Cola* Catanẽſi qui *Piſcis* idcirco dictus eſt, quia plus in aquis degere quàm in terris victitare ſolebat; & in quodam alio qui ab Enaria (quæ inter Pithecuſas è conſpectu Neapolis, inſula ſita eſt) Prochytam vſque per intermedij Pelagi ſtadia ferme quinquaginta, nando pertranſibat, Iouianus Pontanus & alij, ſuper omnia, quæ poſt hominum memoriam vnquam audita ſunt, admirãtur. Nec ſanè immerito, cùm hi Leucotheam adeo propitiam non habuerint, vt illis κρήδεμνον ideſt *teniam*, ſeu *faſciam* pectori ſubijciendam dederit, qua interim ſubleuarentur, nec mergi poſſent; quemadmodum illam vlyſſi Lib. 1.

feciſſe, cùm per triduum in mari, & fluctibus natare deberet, Homerus non tam verè tradidit quàm ingenioſè & ex Poetarum, Rhetorumque præceptis, quibus abundè cautum eſt, ſi fictio quæ naturam imitari debet, nihil quicquam in ſe habeat, quod impoſſibile videri poſſit. ſed neque Turnus tali faſcia à Iunone aut ſorore Iuturna donatus fuerat.

Aeneid. 9. *Cum demum præceps ſaltu ſeſe omnibus armis*
In fluuium dedit.

Aeneid. 11. nec Metabus tali ſe præſidio munitum ſenſit, cùm magna Volſcorum præmente caterua, ſpumantem ripis Amaſenum ſuperauit; ſed extrema neceſſitas ambobus pro Leucothea fuit, & natandi vſus pro faſcia pectorali.

5. *Ex quo pueri ſtatim à teneris natatu exercebantur.* Quare cum tot ille nominibus ad omnes vitæ actiones, & bellicas præſertim vtilis eſſe depræhendatur; inde adducti Perſæ, quos Marti deuouebant adoleſcentes, eoſdem ex conſilio ſapientum, quibus gubernabantur, venatu, ac natatu exerceri volebant, & inter præcipuas Solonis leges quas ille circa puerorum curam, & educationem non paucas tulit, hæc vna pariter haud vltima fuit

lib. 1. titul. 4. quam explicat Petitus *Pueri natare & literas primùm docentor* nẽpe vt inquit Anonymus ad Aphthonium, quo poſſent leges noſſe, & Reipublicæ operam quam debent præſtare in bellis naualibus. Qua etiam de cauſa Romanis tanti olim fuit eius ſtudium coluiſſe, vt nulla maior apud illos ignorantiæ nota inuri poſſet, quàm dum aliquis nec literas, nec natare ſcire dicebatur. vnde Horatius de amatore quodam indignabundus quærit, *Cur timet Flauum Tiberim tangere?* & è contra Enipeum laudat, quod

lib. 3. Od.

Non quiſquam citius æque
Thuſco denatat alueo.

ſic apud Tibullum placet alius

lib. 1. eleg. 4. *Quod placidam niueo pectore pellit aquam.*

quibus rectè etiam conuenit quod habet Seneca in controuerſijs *ſciebam hoc te facturum, & matri tuæ querenti de tua deſidia dixerã*

contr. 27. πρῶτον κολυμβᾶν, δεύτερον δὲ γράμματα & hac ratione Catonẽ adductum exiſtimo vt filio ſuo præiret, eumque doceret ipſe, non ſolum iaculari, aut armis depugnare; ſed & pugilum exercere, & æſtum ac frigus ferre, ac fluminum vorticoſa, & rapida natando ſuperare, & tranſmittere. Quod Auguſtum ſimiliter circa nepotes

ſuos

ſuos feciſſe Suetonio credendum eſt, niſi forſan aliquis cum Lipſio ſibi perſuadeat, Auguſtum ſplendore, & exiſtimatione ſui longè ſupra Catonem fuiſſe, vixque illi in mentem venire potuiſſe iam ſeni, vt ſeſe ad hæc externa, & popularia demitteret; ac propterea eiuſdem Lipſij ductu *notare* potius quàm *natare* legat. Sed pace tanti viri dixerim, fluctus hac ſua coniecturà, & emendatione tanquam in ſimpulo concitari, & turbari non minimum vbi nullus vortex eſt; ſi quidem non in mari tantum, aut fluminibus natabant Romani, verum quandoque etiam domi in ipſis Gymnaſijs, interdum, & in priuatis balneis, natatui æſtate præſertim indulgebant: Balnea vero huic rei ſatis idonea fuiſſe indicat Plinius iunior non vno loco, ſed præſertim libro quinto vbi villæ ſuæ amœnitatem deſcribit, *inde* inquit *apodyterium balnei laxum, & hilare excipit cella frigidaria, in qua baptiſterium amplum atque opacum: ſi natare latius aut tepidius velis, in area piſcina eſt, in proximo puteus, ex quo poſſis rurſus abſtergi ſi pœniteat teporis*. Si igitur Plinius habuit vbi priuatim nataret, cur Auguſtus eaſdem delitias vſurpare non potuerit, & in piſcina aliqua cum nepotibus natare, equidem non video. Epiſt. 6.

6. *Vt etiã Tyrones Romani.*

Quod vero ad milites ſpectat, delectus fuit Romæ campus Martius Tyberi vicinus, *in quo iuuentus poſt exercitium armorum, ſudorem, pulueremque dilueret, & laſſitudinem curſus, natandi labore deponeret*. quod item illos in ſtatiuis feciſſe æſtiuo tempore, ſi flumen aliquod vicinum præterlaberetur, aut mare longius non abeſſet, ſcio fuiſſe iam antea à multis ſcriptoribus memoriæ commendatum. Hoc vero quantum illis poſtea ad bellicas functiones inſeruiret, declarauit Cæſaris miles in expeditione aduerſus Petreium, & Afranium, cùm iuſſus fluuium natatu tranſmittere paruit Imperatori Veget. lib. 1. cap. 10.

Rapuitque ruens in prælia miles
Quod fugiens timuiſſet iter, mox vda receptis
Membra fouens armis.

7. *Et Galli, ac Germaniques Romanis hac in exercitatione aliqui ſuperiores fuiunt.*

Atque hæc eadem laus propria etiam Gallorum fuiſſe videtur ex Ammiano Marcellino apud quem Iouianus Imperator *edicit vt ſiſtatur agmen, & aſſueti natare Galli amnem primi omnium penetrarent: vt ijs magnitudine fluentorum abreptis, reſiduorum pertinacia frangeretur; aut ſi id perfeciſſent innocui, tranſitus fidentior* lib. 25.

 tenta-

*tentaretur. electique ſunt ad id negotium habiles, qui maxima præ-
cateris flumina tranſmeare in regionibus genuinis, à primà pueritià
ſunt inſtituti*: & paulò poſt de iiſdem addit *ſpe citius ripas occupa-
uere contrarias*. At longè antea Brennus eorundem in natando in-
duſtriæ periculum fecerat, quum Græciam popularetur, nam
ſolutis pontibus ab aduerſariis, quos ipſe ad Sperchium amnem
in Phocicis. fecerat *relicto* vt inquit Pauſanias *vetere pontium tranſitu, ad infe-
riores amnis partes militum decem millia natandi peritiſſimum
quemque, & corporis ſtaturà* (*vt ſunt Galli præ cæteris hominibus
eximia corporum magnitudine*) *eminentiſſimum, miſit*. quo ferme
modo Tacitus, & Dion etiam Nicenus aſſerunt Batauorum
equites, ex præcipuo nandi ſtudio integris turmis Rhenum,
Iſtrumque ſeu Danubium perrumpere ſolitos; quē vltimum flu-
uium, ne par exemplum induſtriæ ſœculo noſtro deeſſet, Tartari
ſub annum MDXCIV, traiecere equorum iubas vna manu
ſtringentes, gladios, autem alterà. Sed mirari tamen quis poſſet,
vnde ſit quod Tacitus Germanis natandi gloriam adeo illuſtrem
affingat, vt collati cum ipſis Romani nulli omnino videri poſſint,
lib. 2. hiſtor. ſic enim ille *Miles Romanus armis grauis, & nandi pauidus: Ger-
manos fluminibus ſuetos, leuitas armorum, & proceritas corporum
ſuſtollit*. quod equidem neſcio quàm verum eſſe poſſit, ſi non hæc
falſa ſunt, quæ per tot exempla Romanæ diſciplinæ in cōtrarium
à reliquis auctoribus afferuntur; aut exempla illa diſciplinæ me-
lioris, penitus cum ſeneſcente Republica exaruerint; quod vt
credam, facit Iouianus Imperator qui militibus Romanis dari
ſibi copiam tranſeundi Tigridis flagitantibus, eos exorabat *ne ſe
periculoſis committerent gurgitibus, nandi imperitos eſſe complures
lib. 15. aſſerens*, vt auctor eſt Ammianus Marcellinus. Verum qui reli-
quis auctoribus cum Tacito, & Ammiano conueniat, aliorum eſto
decernere, meum vero Tyrones interim monere, ne ſupina qua-
dam inertia Caligulę ſimiles euadant, vel Alexandro, quorum ille
docilis ad cœtera natare tamen neſcijt, hic vero Nyſam Vrbem
oppugnaturus, ſubindeque ab amne minime vadoſo præpedi-
tus in hanc querelam erupit ὁ κάκιστος ἐγὼ νεῖν οὐκ ἔμαθον *Cur ego
miſerrimus nare non didici*? mulierum quippe eſt ſedere in ſolio,
virorum autem natare in alueo, vbi aquarum pericula, & vitare
diſcant; & non metuere quoties ſeſe offerent ſuperanda.

Præ-

Præter has exercitationes contendunt aliqui *Acrochiriſmum*, XIIX.
ſeu colluctationem quæ ſummis tantum manibus fiebat, nulla *Et Acrochiriſmus ſeu Lucta gallica.*
alia corporis parte in certamen adductà, ipſis pariter vtilem eſſe,
qui militari gloriæ inuigilant: quod etiam ſi minimè negandum
duxerim, propter auctoritatem Poſſidonij, qui apud Athenæum lib. 4.
Celtarum bellicoſiſſimos populos, tali inter ſe digitorum nexu,
& complicatione contendere ſolitos refert, ita vt ab illis, eius generis
pugilatus, etiam num hodie *Luctæ Gallicæ* appellationem
apud multos, ac præſertim Italos ſortitus ſit. Vereor tamen ne
potiùs ad Athletas pertineat, quamuis vt optimè docet Mercurialis,
perraro & ipſi huiuſmodi certamine contenderent: vnde
Soſtratum Pancratiaſten vnicum ex antiquis refert, qui expectationem
aliquam ex eo, ſtudiumque populare in palæſtram attulerit;
& Galenus *ἀκροχειρισμοὺς* ad exercitationes potius refert lib 2. de ſanit tuend.
quæ celeritate peraguntur, citraque robur, & violentiam: ex
quo ſanitati plurimum illos conducere inquit, tum vero maximè
brachiorum ac manum optimæ diſpoſitioni, *quippe itatio curſuſque
crurum exercitationes ſunt: Acrochiriſmi & Schiamachiæ
brachiorum ac manum propria.* At vero quando res aliter ſe haberet,
nihilo citius tamen de hac exercitatione mihi dicendum eſſe
arbitrarer, qui non omnes explicandas ſuſcepi, quæ penes antiquos
in vſu, & conſuetudine fuerunt, ſed illas tantum quæ velut
ex naufragio meioris diſciplinæ ad nos apulerunt, & vel integræ,
vel molli quodam flexu nouitatis, ad vſus moreſque ſæculi
noſtri leuiter inflexæ, militaris diſciplinæ partem adhuc meliorem,
magiſque neceſſariam conſtituunt. XIX.

Enimuero poſtquam iſtis exercitationibus de quibus huc vſque *1 Sequitur exercitatio militis armati ſub campi doctore.*
dictum eſt, *inermis Tyro* ſtudium, operamque præclarè nauauerit,
certum eſt omnino quod longè ad illas paratior accedet, quæ non
niſi ab armis inſtructo ſuſcipi poſſunt, aut abſolui. Harum autem
gratià compertum eſt, Romanos poſteriori quidem æuo *ὁπλοδιδασκάλους*
& pedonomos habuiſſe; ſeu mauis quos Iſidorus *Cuſtodes*; lib. 9. c 8.
Iuuenalis Claudianus, & Plinius in panegyrico ad Traianum Satyra 5.
Magiſtros; Tertullianus *Monitores*, Ammianus *Tribunos armaturarũ*; Apolog. c 35
& Vegetius, ac alij paſſim *Campi*, aut *armorũ doctores* appellant;
de quibus omnibus intelligendum cenſeo Iulium Capitolinum
in Maximino ex epiſtola Alexandri Auguſti *veteres milites tibi*,

Maximine mi cariſſime, non tradidi, quod veritus ſum ne vitia eorum ſub aliis inoleſcentia emendare non poſſes, habes tyrones ad tuos mores, ad tuam virtutem, ad tuum laborem, eos fac militiam addiſcere, vt mihi multos Maximinos Reipublicæ vtiles efficias.
lib. 4. reipub. Romanę. nec plura poſt Lazium, & peritiſſimos alios capitales que noſtri temporis criticos de hac voce dico, ne geſtum fingere coram Roſcio videar, aut quæſtiones illas fouere quas idonearum vocum, antiquorumque verborum bene periti, quaſi nulli alteri bono eorum doctrina eſſe poſſet, de nominibus ipſis agitant. Quamobrem vt de re ipſa tantummodo dicam, primis Reipublicæ naſcentis temporibus, quibus, vt in exortu rerum fieri amat, cuncta magis incultè, ac inordinatè procedebant, centuriones aliquos aut milites armorum, annorumque veteres, & emeritos militariũ eiuſmodi prælusionum, exercitiorumque arbitros, & moderatores eſſe voluerunt, duplicis annonæ ſtipendio ad iſtud munus obeundum inuitatos: cùm interim Tyrones qui parum in hac diſciplina proficerent, hordeo pro frumento donarentur; vt monet
lib. 1. cap. 15. Vegetius, eaque pœna tamdiu plecterentur, donec inſpectante aut præfecto Legionis, aut Tribuno, quæ ſibi deeſſent exercendo ſeſe, iugiterque meditando, adiungerent.

2.
Et in Scholis ac baſilicis. Neque iſtis legibus eximebantur ſeniores, qui ſemel per diem exercebantur, cùm id iunioribus mane, & ſecundum meridiem fieret, tanta quidem ſeuerioris diſciplinæ conſtantià, vt tempore hyemis, tectas culmo, vel vlua leuiter *Porticus* equites ſubirent; Pedites vero quaſdam velut *Baſilicas* haberent in quibus tempeſtate, vel ventis aere turbato, ſub tecto, armis erudirentur, cæteris autem etiam hybernis diebus ſi niues tantum, pluuiæque ceſſarent, exercebantur in campo, ne intermiſſa conſuetudo, & animos militum debilitaret & corpora. De iſtis igitur porticibus ac
lib. 1. cap. 19. 21. baſilicis intelligendos opinor Vegetium, ac Ammianum Marcellinum, cùm in legionibus plures *Scholas* eſſe dicunt; adduntque
initio lib. 20. milites per diuerſas Scholas promoueri; & Tribunum ſcholæ primæ vel ſecundæ ſcutariorum nominant; ac item Caſſiodorum in varijs vbi ſub perſona Theodorici Regis *oſtentent* inquit *Iuuenes noſtri quid in Gymnaſio didicerè virtutis, ſchola Martia mittit examina; pugnaturus eſt ludo qui ſe exercere conſueuit in otio*. Imo vero Imperatores, ac Duces copiarum ſupremi, ſeu quod honori

labo-

laborem ducerent; ſeu quod exemplo ſuis eſſe vellent; aut admirationi, ex domeſtica illa exercitiorum conſuetudine, frequenter immiſcebant ſe militaris diſciplinæ tentamentis; ita vt non alterius actionis prolixior ſit apud Panegyriſtas omnes, & antiquos ſcriptores commendatio; ſic enim effert, & dilaudat *P. Valerium Conſulem* Liuius; ſic *Scipionem Africanum*; Silius ſic *Pompeium* Saluſtius; ſic Suetonius *Neronem*; Plinius *Traianum*; Claudianus *Stiliconem*; *Auitum* Sidonius, & alij alios quos referre longũ eſſet. 3.

Præter quas nobiles pueri primo armorum tyrocinio certos quoſdam armorũ moderatores habebant.

Cæterum præter Campidoctores quibus Tyronum omnium exercendorum cura incumbebat, quidam adoleſcentibus militaturis, & nobilioribus præſertim, primo ſtipendij anno, cuſtodes deputabantur; vt ex Cicerone notat Seruius ad librum quintum æneidos, in quo Virgilius conſuetudinem illam ſic expreſſit.

Cuſtodem ad ſeſe comitemque impubis Iuli
Epytidem vocat, & fidam ſic fatur ad aurem

quamquam magis adhuc expreſsè Plautus in Moſtellaria

Ad legionem cùm itant, adminiculum
Eis donant tum aliquem cognatum ſuum

talemque datum fuiſſe Argonautis omnibus Iphiclum, Valerius Flaccus innuit Lib. 1.

Donat & Iphiclo pelagus, Iuuenumque labores
Aeſonides, feſſum Phylace quem miſerat æuo,
Non iam operum in partem, monitus ſed tradat, vt acres

& eo etiam nonnulli pertrahunt verſus Statij Papiniani ex epicedio in patrem lib. 5. ſyluar.

Hinc tibi vota patrum, credi generoſaque pubes
Te monitore regi

quamuis rectius meo iudicio de Scholis Muſarum quàm de diſciplina caſtrorum intelligi debeant. verum quia non huc ſpectant quæ de illis monitoribus haberem dicenda, pannum hunc licèt purpureũ non aſſuam præſenti lacernæ, ſed ad exercitationes armatas reuertar, ne quis in me repræhendat quod in vatibus ineptis meritò damnauit Horatius.

XX.

1 Ea vero alia olim erat quã nunc ſit apud nos.

Harum igitur doctrina cum longè ſe apud antiquos diffunderet, & prout magna fuit apud illos armorum varietas, diſtinctis capitibus ſingulorum explicationem complecteretur, nos certè breuius, ad vſum, geniumque ſœculi rem totam conficiemus, vnica

ca tractationis armorum explicatione, quæ cùm pediti, tum etiam equiti præſens bellorum conſuetudo, gentiumque ritus ac propenſiones variæ permittunt.

2.
Cum complectatur ambulationē armatam quæ optimis de cauſis intermiſſa eſt.

Nam quamuis maximi ſemper ab antiquis ęſtimata fuerit ***ambulatio armata***, cuius occaſione D. Auguſti, atque Hadriani conſtitutionibus cauebatur, vt ter menſe tam equites quàm pedites ducerētur ambulatum, & pedites quidem per decem millia paſſuum armati, inſtructique telis omnibus; ſic, vt cum gradu militari ambularent, aliquam tamen partem itineris curſu peragerent; & Equites ſimiliter in turmas diuiſi, ac armati, tantumdem viæ cōficerent. quominus tamen de illa mihi in præſentia dicendum putem, multa certè in cauſa ſunt, ac in primis, quod eius non tanta eſt hodie quam olim neceſſitas, cùm armorum multiplex apparatus quo priſci illi tegebantur, ſcutum, galea, thorax ferreus, lorica, telorumque varia genera, iam dudum in oblongam fiſtulam chalybeam degenerarint; & *Sariſſarij* tantùm, adhuc premantur aliquo pondere armorum; quod tamen vim illis moleſtiæ maximam afferre, dum raro, iuſtum iter conficiunt, non facile adducor vt credam: noſtri ſi quidem exercitus non amplius ex Europa in Aſiam, & Africam, aut ex Italia in remotiſſimas alias prouincias traducuntur, vt Romanis vſu ferme ſemper veniebat, quo tempore orbis vniuerſus Capitolium adorauit: ſed ſinguli ſuos intra fines continentur, aut in vicinos tantùm mouent, facileque ab impedimentis ſeſe expediunt tot lixarum, & calonum ope, quos non item *mulis illis Marianis* vetuſtior diſciplina indulgebat. Sed plurimùm quoque militibus ſubleuandis conducit Metatorum induſtria, qui ſingulo ferme miliari, propinquos vicos in illorum hoſpitia deſignant, in quibus lautè à ruſticis tractati, facile ab omnibus itinerum moleſtijs recreantur.

3.
Tū Schiamachias diuerſas ſeu vmbratiles pugnas.
Lib. 1. de ſanit. tu.
in Lucullo.

Multo minus etiam neceſſarium eſt hic, vt de pugnis vmbratilibus verba faciam, quas Græci voce multum eleganti, & apud ipſos vſitata *Schiamachias* appellant, ſic enim Galenus dum inter celeres exercitationes, quæ tamen attentæ violentæque non ſunt curſus etiā, & vmbratiles pugnas adnumerat, ita mētem ſuam exprimit δρόμοι δ᾽ εἰσὶ ταῦτα, καὶ σκιαμαχίαι *curſus vero ſunt talia, & vmbratiles pugnæ*. Quinimo Plutarchus ſcribit milites aera gladijs verberātes hoc eſt σκιαμαχοῦντας è caſtris ſe proripuiſſe: idēque in

præ-

præceptis ſanitatis σφαιρίζοντας nominat, id eſt *pila ludentes*, & σκιαμαχοῦντας ex quibus latini poſtea, verbũ iſtud græco de fonte cadẽs, ſuos in vſus deriuarũt, vt M. Varro Romanorũ doctiſſimus, qui ſatyram vnã è ſuis illis Menippeis *Schiamachiam* appellauit, & Suadæ medulla Tullius, cùm vtique ſentiret frigere iam ſe planè in Senatu, non ſuccedentibus Bruto rebus, ita ad illum ſcribit *vt omnium animi relaxati ſint, meæque illæ vehementes contentiones tanquam Schiamachiæ eſſe videantur*. & ſanè quamquam nondum planè compertum ſit, quales apud antiquos pugnæ forent quæ *vmbratiles* dicebantur, libenter tamen adducor, vt eiuſmodi fuiſſe mihi perſuadeam omnes, quæ armis *luſorijs*, & ἀναιμάκτοις ideſt citra ſanguinẽ, non *decretorijs* fierẽt, quales erant pugilum non in veritate pugnantium, ſed exercentium ſe *ſacculis arenà plenis*, quos, inter vaſa, & inſtrumenta quæ ad gymnaſium faciunt enumerat Iulius Pollux; quia nimirum ipſos *ceſtuum* loco ſumebant, cùm non vero pugillatu, ſed innoxio, & ludicro depugnare vellẽt: ſic gladiatores dum lucentium mucronum loco plumbeis, aut hebetibus gladijs, ferulisque vel *rudibus* inter ſe battuebant, exercere ſe ſe *vmbratili pugna* & *Schiamachia* dicebantur. *Epiſt. 14. lib. 11.*

Sed hoc nomine præſertim donabantur *palares* illæ exercitationes, in quibus Tyro palum ſibi humi depangebat, adeo validè vt nutare non poſſet, ſexque pedes, quo viriliſ ſtaturæ altitudinem referret, eminentem; aduerſus quem ſcuto, & clauà tanquam contra verum aduerſarium armatus ferebatur, magnaque contentione dimicabat, & modo velut caput eius, aut faciem petebat, modo lateri imminebat; nunc poplitibus, nunc cruribus quaſi ea ſucciſurus gladio minabatur, nihilque bellici artificij omittebat, ſed omnem aſſiliendo, reſiliendoque, vt in pugna ſeria, impetum, conatumque vſurpabat, vt propterea dixerit Iuuenalis *Sayra 6.*

4. Quartũ præcipua erat palaris exercitatio ſeu Palaria.

aut quis non vidit vulnera Pali
Quem cauat aſſiduis ſudibus, ſcutoque laceſſit,
Atque omnes implet numeros.

vnde huic prælusioni *Palaria* nomen fuiſſet docet Soſipater Chariſius in inſtitutionibus grammaticis *hæc palaria* inquit *cum milites ad palos exercentur*. *Lib. 1.*

5. In qua grauioribus armis Tyrones

Arma vero quibus tunc vtebantur grauioris longè ponderis erant, quàm ſint vera, & decretoria: nam vt aſſerit Seneca in

con-

diſcebantquã pugnarent. lib. 5. cõtrou. 34.

controuerſijs *Gladiatores grauioribus armis diſcunt quam pugnant*, ſed Vegetius magis determinatè, & ad rem noſtram, pondus illud armorum ſic explicat, *antiqui hoc genere exercuere Tyrones. Scuta de vimine in modum cratium corrotundata texebant: itaut duplex pondus cratis haberet, quam ſcutum publicum habere conſueuit. iidẽque clauas ligneas duplicis æque ponderis, pro gladiis Tyronibus dabant*. id autem paulo infra Vegetius factum teſtatur, vt depoſitis armis grauioribus, ſecurior, alacriorque Tyro pugnaret. Verum nihil vt antea dixi opus eſt, me in eius explicatione pugnæ diutius immorari; nam præter quàm illa eiuſmodi armis fiebat, quæ meliorum vſus iampridem è militum noſtrorum manibus excuſſit; deſueuit etiam in totum, & ſi quid in ea commodi, ac honeſti erat, hoc omne longè melius & conuenientius repræſentat *Hoplomachia*, quæ prout nunc moris eſt rudibus armis homines inter ſe committit.

lib. 1. cap. 11.

lib. 1 cap. 12.

6. *Noſtra autẽ verſatur tantum in explicatione armorum quæ nũc ſunt in vſu.*

Quare vt ad armorum quibus hodierni pedites vtuntur explicationem deueniam; illa ſunt in primis *gladii*, ſeu illi ſint ancipites & recti vt Europæorũ maximæ partis qui pedibus merent; ſeu altera tantum parte acuti, & *Machæra* vt ſolent eſſe equitum; ſeu incurui & *Acinaces* Orientalibus populis conſueti; ſeu denique oblongi & prægrandes quos non niſi ambabus manibus facile rotare poſſis vt *Xiphomachæræ*, & *Romphea* Heluetiorum. *Sariſſæ* item graciles & oblongæ lingulà ferreà in extremitate munitæ quæ loricatorum manibus criſpatim intorquentur: ac *ingentes illæ ſecures* quarum à ſummo quadrata cuſpis prominet, cæſim punctimque feriendo perquàm idoneæ: & demum nouæ ſubtilitatis, operiſque admirandi *minores Baliſtæ* quæ maiorum inſtar certo primum nitrati ac ſulphurei pulueris modulo temperatæ applicitos tenui ab tergo foramine igniculos concipiunt, obturanteſque globos horrendo fragore, & fulmine quaſi excuſſos propellunt.

7. *Inſtituitur que breuis diſſertatio de varijs artibus & technis quibus aliqui vſi ſunt vt militia vacationẽ obtinerent*

De quibus antequàm ſigillatim & ordine dicam, nemini moleſtum iri ſpero, ſi quod hæc omnia inſtrumenta manibus tantum tractari poſſint, de eorum propterea more nonnihil dixerim, qui vt antea quidem breuiter notaui, agendo de conſtitutione corporis in militum delectu obſeruandà, ne militiam ſubire cogerentur digitos ſibi manus aliquot, vel pollicem amputabant. Etenim

cùm

cùm ſcirent antiqui ignauos qui munus martium, & functionem militarem auerſarentur, apud Athenienſes quidem à Foro arceri ſolitos, neque coronari, aut in publica templa ingredi potuiſſe: Romanorum vero legibus multo adhuc ſeuerius in illos animaduerſum fuiſſe; ita vt bona eorum & corpora etiam publicarentur; propterea qui vna cum Peligno vate tutius eſſe arbitrabantur.

fouiſſe thoram, legiſſe libellos,
Threiciam digitis increpuiſſe Lyram:
Quam manibus clypeos, & acutæ cuſpidis haſtam;
Et Galeam preſsà ſuſtinuiſſe comà.

aut quicumque tandem alia de cauſa ad bellum ire nollent, ſolebant ij varia excogitare, & comminiſci, vt illud nullo metu legum facere illis liceret. Vnde Græcis in Troiam mouentibus cùm Vlyſſi graue eſſet, vxorem Penelopem relinquere, quam vnice deperibat, inſaniam ſimulauit, futurum ſperans, vt tanquam bello inutilis nulla eius ratio haberetur.

detrectauitque furore
Militiam ficto.

& eius exemplo enauigaturis in Siciliam belli cauſa Athenienſibus *Meſon* quidam aſtrorum peritus, vt ingruentium ſibi ex hoc bello magnam vim malorum deuitaret dementem ſe finxit multaque vt mendacio fidem aſſereret dixit, & fecit, ac inter cætera etiam domi quam inhabitabat faces ſubdidit; quo inſigni ſtultitiæ exemplo adducti Athenenſium duces, verum illum arbitrati furorem, dimittendum cenſuerè hominem planè debacchantem, & veſanià percitum. At longe honeſtiori conſilio Thetis Achillem cui periculum imminere cognouerat à bello Troiano, comptum, mollitumque virginis in ſpeciem, Lycomedi inter puellarum cœtus, ac tanquam in Deidamiæ gynæceo, *occultum falſi ſub imagine ſexus*, cuſtodiendum dedit. Sic enim illa apud Statium. Achilleid. lib. 1.

Hanc tibi ait noſtri germanam Rector Achillis
Tradimus, arma humeris, arcumque animoſa petebat
Ferre, & Amazonio connubia pellere ritù
Sed mihi curarum ſatis eſt pro ſtirpe virili,
Hæc calathos & ſacra ferat, tu frange regendo
Indocilem, ſexumque tene, dum nubilis ætas,
Soluenduſque pudor.

Sed

Sed ex eodem præterea fonte *Ariſtogitonis Claudicatio* in prouerbium abijt, contra eos qui morbum aſſimulant, ne militiam, vel id genus oneris publici quidpiam cogantur ſubire; Ariſtogitonem ſi quidem Athenis fuiſſe memorant auctores, frugis non ſatis probæ hominem, qui in concionibus nihil non Martium ſpirabat, ita vt populum in diſcrimina ſœpe maxima conijceret, quum alioqui mollis ipſe foret & nullius rei, ita vt quum die quadam delectum haberi audiſſet, obligato crure ac baculo innixus quaſi grauiter vulneratus in publicum prodierit, quamquam fraus non latuit Phocinem, qui perſpecta hominis vafricie, ſubiratus dixit, *ſcribe Ariſtogitonem claudum, & eundem improbum ac mendacem.*

8\. *Cuius rei cauſa aliqui pollices ſibi detruncarũt, qui Murci propterea appellati ſunt.*

Imo eo vſque prouecta eſt quorundam ignauia, vt quemadmodum ferunt Beatum Marcum ſibi pollicem abſcidiſſe, ne fieret ſacerdos; & Ammonium Anachoretam, ne in Epiſcopum eligeretur, aurem ſibi auulſiſſe, ſic diuerſa prorſus ratione, ipſi ne inter milites nomen dare cogerentur, cùm Sacramentum ſemel conceptum deferentibus, pollices amputari viderent, eadem in ſe propriæ timiditatis pœna vſi ſunt, & ea ſe corporis parte mutilarunt, quæ ab officio retinendi & appræhendendi cuiuſuis generis inſtrumenta, nedum militaria, ὄργανον ἀντιληπτικόν dicitur. vnde

Sueton. in eo. apud Suetonium Octauius Cæſar, cùm eques Romanus duobus filijs adoleſcentibus, causà detrectandi Sacramenti, pollices præcidiſſet, bona ipſius eumque haſtæ ſubiecit; & exemplum memo-

lib. 6. cap. 3. rabile refert Valerius Maximus de C. Vatieno, qui ſibi manus ſiniſtræ digitos, ne bello italico militaret, abſciderat; nam Senatus publicatis eius bonis, præterea cenſuit vt quem honeſtè ſpiritum profundere in acie noluerat, turpiter in catenis conſumeret. hinc que vt antiqui Iuriſcõſulti Rufus, & Arrius Menãder notãt *qui filium ſuum debilitauit, delectu per bellum indicto vt inhabilis militiæ*

lib. 3. ff. de re milit. *ſit, præceptũ D. Traiani deportauit* nec immeritò quidem legibus in eos cautum fuit qui manus *opifices & omni genere perfectionis arti-*

libro 2. *fices* vt ab Arnobio vocãtur, ignauiæ cauſa ſibi deformarent, cùm eſſet res admodum Romæ frequens, & quæ ſeuerioribus edictis

libro 15. cohiberi vix poterat, quemadmodum ex Ammiano colligere licet, vbi de Gallis hunc in modum loquitur *nec eorum aliquando quiſquam vt in Italia, munus Martium pertimeſcens, pollicem*

ſibi

ſibi præcidit quos localiter Murcos *appellant*, forſan vt ego ſuſpicior à *Murcia* quæ Dea ſegnium dicitur Arnobio. Quod vero *pollice trunci* minus commodè haſtas ex vſu militari vibrare poſſent, nulli dubium eſſe poteſt, qui nouerit pollicem, ex eo nomen ſortitum quia robore cæteris digitis *præpollet*: ideoque Iuſtinianum Imperatorem ſeditioſis quibuſdam Conſtantinopolim concitantibus, pollices abſcidiſſe, retulit in hiſtoria ſua miſcellanea Landulphus Sagax, ſcilicet vt armis impoſterum mouendis inutiles eos redderet; quod equidem puto illum feciſſe Athenienſium exemplo, qui vt narrat Aelianus, in Pſephiſmate ſeu decreto cõtra populos qui ab ipſis defecerant, communibus ſuffragijs lato, ſancitoque, Samiorum frontes ſi quos adipiſci poſſent, ſtigmate iniuri voluerũt; Mitylenæos vero indiſcriminatim cum puberibus etiam iugulari; at Aeginetis ſi caperentur, *pollicẽ dextræ manus* abſcindendum ſtatuerunt, ne geſtare vtique haſtam poſſent; poſſent autem vt inquit Cicero *remorum impulſu naues agere*. & idcirco Plinius inter M. Sergij facinora non poſtremum recenſet, quod amiſsâ ſecundo ſtipendio dextrâ manu, ſiniſtrâ ſolâ quater pugnauerit, demumque ferream dextram ſibi parauerit, qua religata iterum præliatus eſt, Cremonamque obſidione liberauit: nempe manus in bello ita neceſſariæ ſunt, vt ſi vera non adſit, ficta etiã iuuet, ne ſi vtraque carendum eſt, nobis imitandi ſint Apri qui dentibus certant; aut potius Cynegiri, vel militis cuiuſdam Romani more pugnandum ſit; quorum hic Cannenſi prælio, cùm ad arma retinenda inutiles vulneribus manus haberet, ſpoliare ſe conantis Numidæ ceruicem complexus, os naribus eroſis deforme reddidit; ille vero laudibus in cœlum effertur à Palemone Sophiſta, in oratione qua quærit an Cynegiro vel Callimacho Palma debeatur; tum vero etiam à Cornelio, & Paulo Silentiario, vt Iuſtinum ac Valerium Maximum miſſos faciam: eo quod in prælio nauali aduerſus Perſas, tanta eius fuerit pertinacia, vt nauem hoſtium dexterâ iniectâ retinuerit; eaque amputatâ iniecerit & ſiniſtram; quam, & ipſam quum amiſiſſet mordicus nauim arripuit.

lib 4 — variar. lib. 1 1. cap. 9. — 3. officior. — lib. 7. cap. 28. — in Antholog.

XX.

1 Explicatur igitur armorum tractatio in pedite, ac primũ gladij vbi nonnulla de arte quæ vulgo Scrimia dicitur.

His igitur ita conſtitutis de manuum vſu, diſpiciendum nunc eſt qualis nam ille debeat eſſe in ſingulorum armorum tractatione; exordium à gladijs ipſis ducendo, quorum ritè, ſcienterque tractandorum rationem, quam ſemidoctum vulgus verbo forſan à Schia-

Digitized by Google

à Schiamachia deluxato *Scrimiam* vocat, ita vt Schiamachi ſint, qui eo modo ſe exercent; nonnulli antiquiſſimam eſſe contendunt ex Hermippi auctoritate, qui Mantinæos illam inueniſſe, & Cyreneos æmulatos fuiſſe apud Athenæum ſcribit. Verum quia difficile eſt hoc vnum liquidò ex eius verbis elicere, quæ potius de pugna ludicra, quæ ab armatis vtrimque committitur intelligenda veniunt, nondumque optimis auctoribus Budæo, Mercuriali, Caulio inter ſe conuenit, vtra Schiamachiæ vel Monomachiæ exercitatione melius contineatur; nobis ex Gladiatorum Schola ipſam repetere ſatis erit Valerium Maximum ſecutis, qui armorum tractandorum meditationem à P. Rutilio Conſule Cn. Manlij Collega militibus traditam aſſerit, quod is anno ab vrbe condita IↃCXLVIII, *nullius ante ſe imperatoris exemplum ſequutus ex Ludo C. Aurelii Scauri doctoribus Gladiatorum accerſitis, vitandi atque inferendi ictus ſubtilitatem legibus ingenerauit*. Eaque à Laniſtis hoc pacto ad militiam tranſlata, ſic demum ambitiosè ab omnibus exculta fuit, vt etiam priuatorum libidini frequenter inſeruiat, præſertim in Gallia, vbi pax bello propemodum nocentior, odiorum quæ nihil de publico trahunt, crudelitatem his artibus gladio peritè feriēdi, vel ſibi deſtinatos ictus vitandi potius fouere ac condire quàm vt volebat Maximus *virtutem arti, & artem rurſus virtuti miſcere* videtur, vt illa impetu huius fortior, hæc illius ſcientià cautior fieret: adeo nimirum illa ſunt

lib. 4.

lib. 2. cap. 1

Primitiæ Iuuenum miſeræ, Belliquefuturi
Dura rudimenta!

& vero cum punctim quàm cæſim ferire longè ſit vtilius, quemadmodum Aegidius Columna multis poſt Vegetium rationibus concludit, ita vt cæſim pugnantes, non modo vicerint; ſed etiam deriſerint Romani; procul dubio fatendum eſt ictus illos qui duas tantum vncias in corpus adacti mortem afferunt, longè præſtantius inferri ab ijs qui ſubtilioribus, & acutiſſimis gladijs vtuntur, quales ſunt Galli, Hiſpani, Angli, & Itali: quam ab illis qui vel machæras, vel acinaces, vel romphæas vſurpant, quas tamen arte certa, ſed minus eleganti, expeditaque verſari poſſe non dubito. Quanquam nondum planè conſtet apud multos qui ſingula quæque maiori prudentià & acumine dijudicant, vtrum

lib. 5. de regi. princ. cap. 13

ad

Digitized by Google

ad bellorum vſus magis conducat, artem ipſam exercere quæ per tot curſus, & recurſus; per omnem corporis habitum; per longam, & diſparem oculorum manumque fallaciam, hominum robur atque conſtantiam frangit; quàm ſi natiuę fortitudini, & induſtriæ totum diſcrimen permitteretur, vt fieri debere cenſuerunt Plato in Lachete, & homo multum apud nos acrioris iudicij laude commendatus Michael de Montagnes, quorum ea mens eſt, quod veluti deditâ operâ nullus vnquam eorum qui ſimilibus ſe in ludis exercent illuſtris admodum in bello euaſerit; quaſi vmbratilis iſta pugna metus, ac periculi ſecura, veræ officeret; difficiliſque tranſitus eſſet ex nullo in proximum mortis periculum; maximè in hominibus plerumque timidis, & minus animo quàm huic induſtriæ pugnandi confiſis. ſed quemadmodum imbelles, ac ignauos non arma vlla, non peritia in veris, aut rudibus gladijs tractandis, non Pallas ipſa ſi ſcuto illos protegeret audaces vnquam reddent: ita prorſus indignum eſſet viro graui; & prudente arbitrari, has exercitationes armorum, & ſtudia quæ à teneris in ludo ponuntur, non multum conferre ad fortitudinē nam pręterquam motu agitationeque continua partes omnes incaleſcunt, adeoque ſanguis & ſpiritus, qui ad cordis robur non minimum conferunt; peritiâ quoque iuuari virtutem argumento eſt fortitudo militaris, quæ vt eſt opinio Ariſtotelis, ex peritia naſcitur: & Liuius idipſum conuincit, adducto ſingularis certaminis exemplo inter duos Princeps Hiſpanos celebrati, in quo maior *Corbis* vſu armorum, & aſtu facilè ſtolidas vires *Orſua* qui minor erat ſuperauit, multoſque ſe vidiſſe refert Scipio Claromontius, cui viro tutius certè quam oraculo credideris, vt *Syluium Piccolomineum*, & *Pandulphum* *Spraniū* iſtius artis peritiſſimos, qui conſtanti quadam audacia, & periculorum contemptu præclaræ virtutis, & egregiæ fortitudinis experimentum quoties opus fuit, in periculis exhibuere. vt grandis hæc in artem omnium longè vtiliſſimam calumnia, nonniſi ex opinione & errore vulgi defluxerit, minimos quoſque labentis animi defectus in illis præſertim obſeruantis, in quibus vna cum armorum peritia, veram quoque & militarem fortitudinem ſociari debere ſibi perſuaſit. lib. 28.

2. *Tum haſtilium omnis generis.*

Gladiorum omni generi ſuccedunt arma quæ ab *haſtæ* communi appellatione cōmune etiam nomē ſortiuntur *haſtilium*, vulgo

go *d'haſte* vt ſunt oblonga omnia præpilata, *Sariſſæ* præſertim ac *Secures*, paulo ſupra à nobis deſcriptæ; quarum etſi vibrationes circumuolutioneſque plurimum ex ludicro habeant; ſæpiuſque ad Principum, vel commilitonum oblectationem, dum in ſtatiuis otiosè degunt, vſurpentur, quàm in prœlijs vbi furor & impetus omnia miſcent; eſt tamen cùm aliquando etiam in illis non penitus ſint inutiles, imo Sariſſæ quæ propter pondus, & maiores vires quibus reguntur, magis etiã concutiunt, & altius penetrant, breuioribus haſtis; niſi tamen criſpando vibrentur quantumcumque fortiter impellas, vix in corpus aditum ſibi, per vulnus aliquod notabile facere poſſunt. Quare ſedulò Tyroni enitendum eſt, vt haſtam decenter ferat, molliter criſpet, quatiat etiam venuſtè, & vibret; ac deinde vi contentioneque ſumma brachiorum, in aduerſarium intorqueat: mox illam in altum mittat, & emiſſam manu altera ſubito colligat, traiiciatque ex humero in humerum, ac circa collum, cinctum, & crura celerrimo rotatu conuertat; implicetque intra pedes, & ſaltu explicet; demum quaſi hoſtium coronà cingeretur, cuſpidem vbique protendat, feriat ante, retro, ferro, vel ſcapo ſe tegat: premat, inſultet, declinet, aſſiliat, tandemque geſtiens ex victoria iocos alios exhibeat, ſibi non minus vtiles quã ſpectatoribus gratos & acceptos.

3. *Ac demum fiſtularũ chalybearum.*

Superſunt plumbearum glandium ex tubis illis igniuomis iaculatores, quos compendioſius vt appellent alij *Arcabuſiarios* dicunt: horum vero exercitatio, et ſi multa cum ſagittariorum arte cuius loco ſucceſſit cõmunia habeat, nimirum vt tubum ſeu fiſtulam ſcienter teneant, vt fortiter ſiſtant, vt ſiniſtra fixa ſit, ac dextra cũ ratione, ducatur vt in illud quod feriendũ eſt oculus pariter animuſque conſentiant; plura tamen ſunt, quæ merito quis in hac nuperi huius inſtrumenti adminiſtratione requirat; nam vt fiſtula locum arcus inuaſit, ita puluis pyrius fiſtulæ pro neruo eſt, & glans pro ſagitta; vnde cum tot ſimul inſtrumenta ſingulos in ictus admouenda ſint, & puluis inſuper vna cum glande virgulà ferratà tanquam piſtillo quodam intra fiſtulam tundi debeat, rotaque igniaria circumduci; magna propterea celeri ate opus eſt, vt iſthæc omnia vno velut oculi ictu inter pugnandum expedire poſſis. Ideoque quo remouerentur impedimenta, quæ facillimè tamen ab *Hiſpanis* ſuperantur, quos fama eſt in torquenda manua-

nuario tormento pila cæteros longè milites antecellere, ita vt dũ hi ſemel, & altera vice, illi quater aut pluries fiſtulis ſuis concrepare poſſint: excogitarunt primo homines induſtrij, vt ſingulis lagunculis quæ ex Balteo dependent, tantum admenſi ineſſet pulueris, quanto opus eſt ad vnicam eiaculationem, nec amplius: poſtea vero attentiori cõſideratione in primũ iſtud inuentũ intuẽtes, lagunuculas in totidem cucullos papyraceos ſeu *formatas* vt vocant conuerterunt, in quibus pila ſuperne adiungitur paris craſſitudinis, cum cucullo & foramine fiſtulæ, ſicque vna & eadem operà puluis & pila in tubum immittuntur, planè vt ſilicis ſolius attritu, rotæque contentione excitandus ſit ignis, quod magnum eſt feſtinanti pauidoque militi compendium. Atque hæc ſunt quibus primum quidem aſſueſcere debet, mox vero poſtquã ſatis idoneus euaſit qui fiſtulam ſollerter parare, & intrepidè diſplodere poſſit; de collimãdi peritia certamen cum æqualibus inſtituere debet, globiſque ex ferreo tubo flammà eluctante eiaculatis ſignũ propoſitum petere, non ſecus ac olim funditores ſcopas, ſeu fruticum ſarmentorumque faſciculos, ſibi ad ſpatium pedum ſexagenorum conſtituebant, quos ſagittis aut lapidibus è fuſtibalo peterent. Eſt etiam maioris paululum tormenti genus *Muſquetum* appellatum, quod ignem concipit non ſilicis rotæque perculſu, ſed attactu funis accenſi, diſploditurque biſurcato ſuſtentatum ſcipione propter grauitatem, quæ ſicut in cauſa eſt, vt miles frequentius collimet, pilaſque quaſi ex maioribus Bombardis ad certos ictus libratas deſtinet; præ moleſtia tamen & pondere, homines ſenſim in ſui contemptum induxit: vnaque cum tubo illo maiori ferreo, quem ab vnco Loricæ affigi ſolito noſtrates vulgo *Arguebuſe à croc* appellant, murorum pinnis, pluteiſque tuendis deſtinatum eſt.

Omnes autem eiuſmodi fiſtulæ cùm ſtatim atque ignem conceperint mirabili impetu globos emittant, qui velut excuſſum nubibus fulmen celerrimè feruntur, ſagittarumque omnium, & telorum velocitatem tantopere à Poetis celebratam, infinito poſt ſe relinquunt interuallo, nec tamen in medio curſu liqueſcere, ſed eadem duritie, ac firmitate in corpora ſubire manifeſtum ſit; non poſſum hic committere, quin veterem vnam auiam, & inſignem valde fabulam, quæ grauiſſimos etiam ſcriptores quotidie

4. *A quibus emiſſæ glandes nõ liqueſcũt vt certe nec antiquorum ſagittæ ignem concipiebant volãdo cõtra multorum opinionẽ, quæ multis propterea reijcitur.*

in ſupinos, & omnino deridendos errores inducit, velut amoto ſipario, ſannisque eorum, qui non niſi maturè, & cùm iudicio de rebus pronunciant excipiendam, in medium proferam. Etenim cùm Poetæ quibus conceſſa eſt maxima licentia fingēdi quæ velint, celeritatem qua plumbatæ, & ſagittæ ferebantur, hyperbole quadam incredibili exprimere volentes, dixiſſent eas ignem, & ardorem in tranſcurſu concipere, ac liqueſcere etiam, penituſque diſſolui: atque hæc ſententia commune eſſet veluti poeſeos ornamentum, quo Virgilius non infrequenter vſus eſt, vt in quinto diuini operis cùm Troianorum ludos exprimit, & ſagittandi peritiam in Alceſte laudat

Namque volans liquidis in nubibus arſit arundo
Signauitque viam flammis,

ac rurſus in nono

Stridentem fundam poſitis Mezentius armis,
Ipſe ter adductà circum caput egit habenà,
Et media aduerſi liquefacto tempora plumbo
Diffidit, ac multà porrectum extendit arenà.

& Ouidius etiam in ſecundo transformationum, vbi de Mercurij rubore loquitur ex conſpecta Herſe

Obſtupuit formà Ioue natus, & æthere pendens,
Non ſecus exarſit, quàm cum Balearica plumbum
Funda iacit: volat illud, & incandeſcit, eundo,
Et quos non habuit ſub nubibus inuenit ignes.

Quibus paria habent Lucanùs ingenio, doctrinàque clariſſimus Poeta.

Lib. 6. *Inde faces, & ſaxa uolant, ſpatioque ſolutæ*
Aeris, & calido liquefacta pondere glandes.

Tum & Lucretius opere illo ſummæ eruditionis, & doctrinæ de rerum natura

plumbea uero
Glans etiam longo curſu uoluenda liqueſcit.

& albi quoque

Non alià longè ratione, ac plumbea ſæpe
Feruida fit glans incurſu, cùm multa rigoris
Corpora demittens ignem concepit in auris

Idem præterea Statius innuit dum vocat,

Arſu-

Arſuras Cœli per inania glandes.

& Iouianus Pontanus qui nulla in re antiquis inferior habendus eſt, niſi modo, quem in tanta felicitate diuitis, & exuberantis ingenij ſeruare non potuit, eadem ſimilitudine quæ profectò eſt, amoeniſſima ſuos verſus carere non paſſus eſt lib. 2. Vranię ſeu de ſtell.

Plumbea ſi acta manu balearis pondera fundæ
Concipiunt malè gratum ignem, flammiſque liqueſcunt,
Si ferro præfixa, & neruo impulſa ſagitta
Aera per uacuum igneſcitque, ardetque uolando,
Quid mirum circonfuſus ſi candeat aer
Percitus eterno motu, atque urgentibus aſtris.

nempe hi omnes, cùm id ſibi negoti crederent ſolùm dari, populo vt placerent quas ſcribebāt fabulas, rem hanc vt pote quæ admirationi propior eſſet, nec vulgo etiā improbata, ſuos in verſus trāſtulerunt. Quamobrē nec ipſis propterea ſuccenſeo; ſed cùm Philoſophorū interſit nihil quicquam proferre quod ratione, aut experientià non item veriſſimū ſit, quis patienter ferat Ariſtotelem ſimilibus nugis irretitum fuiſſe, eaſque in ſubſidiū vocaſſe, vt modū explicaret, quo lumen, & calor à ſtellis in inferioribus producuntur. 2. de Cęlo cap 7. tex. 42 *Caliditas autem ab ipſis*, inquit ille, *Lumenque ideo fit quia aer ab illarum motione fricatur, motus enim & ligna, & lapides, & ferrum ignire ſolet; magis autem conſentaneum eſt rationi, id quod eſt propinquius igni, proprinquius vero eſt aer; quale fit & in ſagittis quæ feruntur. hæ namque adeo igniuntur, vt ipſum plumbum quod eſt in ipſis liqueſcat?* quis item Senecam Philoſophum id nominis, in hæc pariter verba prorupiſſe non indignetur, In natura lib. quęſtion. *aera motus extenuat, & extenuatio accendit, ſic liqueſcit excuſſa glans, & attritu aeris velut igne deſtillat.* nam quod Onoſander poſtea dixit καὶ ὑπὸ τοῦ ῥοίζου τριβόμενον ἐν τῷ ἀέρι τὸ βέλος ἐκπυροῦται. Id eſt *telum enim feruido ſtridiore in aere agitatum igneſcit*, cap. 19. ſtrateg. hoc ab ipſis habet capitalibus philoſophis, quorum auctoritas non hunc modo, aut antiquos ſcriptores, ſed recentiores etiam pene omnes tranſuerſos agit, in quibus nullum hactenus mihi videre contigit, qui non manus dederit huic abſurdæ opinioni. Imo vero Horatius Graſſius in libra aſtronomica, & Alexander Vicentinus qui recens de calore per motum excitato diſputationem edidit, totis viribus contendunt eiuſmodi poetarum auctoritates efferre, tanquam

O 3 homi-

Digitized by Google

hominum qui rerum naturalium cognitione perbellè inſtructi erant; maximè cùm hiſtoricorum etiam fides rem exemplo confirmet, de cuius veritate dubitare non liceat, ſi quidem Homerus Tortora nuperrimus rerum Gallicarum ſcriptor, refert in Corbolij obſidione, ingentem aliquando tormentariorum globorum vim inutilem mœnibus diruendis fuiſſe, quod cum illi ex ferro prius ad minorum tormẽtorum vſum effecti fuiſſent, plumbumque illis ſuper inductum denuo fuiſſet, quo maioribus etiam Bombardis inſeruire poſſent, contingebat ſœpius in arcis illius diuerberatione, vt plumbo ob vehementiorem motum per aera diſſoluto, ſolus ille interior globus ex ferro inſtar nuclei, abiecto cortice murum contingeret, vi nulla, aut admodum langueſcẽte, & remiſſa. Sanè mirabar prius cùm de ſagittis, & Martiobarbulis tales nugas, & affanias in antiquorum ſcriptis reperiebam, nunc vero quod Graſſius, & Tortora, eaſdem etiam ad craſſiorum Bombardarum pilas transferunt; ſtupor profecto me habet philoſophiam adeo incautè ab hominibus cæterà doctiſſimis tractari potuiſſe. Verum non hic ſtetit eorum incuria, ſed ex porticu penetrauit in Medicorum ſcholas, ibique tot quæſtiones excitauit de vſtione, quæ nouem primis diebus, vulnera à minoribus fiſtulis illata comitari ſolet, & quam, homo iſtiuſce partis Chirurgiæ quæ militibus vulneratis opitulatur, peritiſſimus Franciſcus Plazzonius, toties à ſe in caſtris obſeruatam narrat, vt qui fidem illi non habet in re toties à ſe experta, nihil in poſterum credere debeat eorum, quæ ab alijs medicis viris probis, & ingenuis referuntur cum alioqui *ἐνάργεια*, ſeu quemadmodum Tullius vocem hanc latinè reddidit, *euidentia* ipſa, rem ita ſe habere confirmet in glandibus, quæ & ſtatim ab eiaculatione calidæ, ferventesque depræhenduntur; & quod addit Graſſius, *irrita ſæpe ictu ſclopetis excuſſa, ac inter hoſtium veſtes implicita, figurà non amplius, qua fuerant ſed compreſſa, ac lacinioſa, atque etiam fruſtatim comminutæ reperiuntur*; *quod argumento eſt illas ex calore cõcepto rariores effectas inualido percuſſiſſe ictu.* Enimuero quia eiuſmodi experimenta optimis hominibus facilè imponunt, qui qua fiduciâ hæc à prioribus acceperunt, ſic & eadem poſteris ſuis mancipant; atque ita *opinio creſcit ab atauis primùm malè cœpta parentibus*, ſanè non poſſum mihi amplius temperare, quin

quin omnia quæ huc vſque allata ſunt, in iſtius opinionis confirmationem, quæ glandes, & ſagittas dum ex tormentis vibrantur, per aera liqueſcere contendit, falſa atque inania, plenaque erroris,& offuciarũ eſſe declarem: non quod item negare velim, commune illud principium, ex quo ſenſim in hunc errorem feruntur Philoſophi, nempe motum localem, licet non ſit formaliter calefactio, eſſe tamen aliquo modo illius cauſam; aut experimenta alia velut inualida reijcere, quæ ad pronunciatum illud aſſerendum communiter aſſerũtur; videmus ſi quidem manifeſtò, atque oculis ipſis quotidie depræhendimus, quod hac ratione molæ farinariæ inardeſcunt, curruum axes igniuntur, ſcintillant ſoleæ equorum, confricatæ manus incaleſcunt, micant ſicci halitus celeri raptu vecti, terebræ circumactæ caleſiunt; imo vero tradit Ariſtoteles Leonum oſſa præ duritie, cùm mutuo inter ſe colliduntur, ignem non ſecus ac ſilices producere; & Suidas in voce [illegible] auctor eſt Babilonios rudis, & venatorij victus non ignaros, oua cruda in fundas iniecta, celerrimo rotatu tamdiu agitare, donec cocta, & eſui commoda reddantur; quid plura contendunt etiam principes Philoſophi, maria ipſa ſuopte ingenio frigida, crebro ventorum flatu agitata intepeſcere; quanquam vt verum fatear, nollem me vadem ſiſtere pro tribus iſtis poſtremis obſeruationibus, quæ mihi neſcio quid fabuloſum, aut non ſatis accuratè penſiculatum redolere videntur; ſed quantum ad alias pertinet, eas omnes bona fide admitto, tanquam veritati conſonas; Quod non item facio de plumbeis glandibus, aut ſagittis, quantumcunque Collegij Conimbricenſis patres aſſeruerint *plumbeos globos è tormentis exploſos, cum per aerem feruntur interdum liqueſieri*, & paulo infra *ſagittas in traiectione calorem concipere, & igneſcere*; etenim vt ratione cum illis agam, ſi ex ipſorummet placitis, motus localis calorem efficit diſtrahendo prius, & alterando partes, atque inducendo raritatem, cuius comes eſt calor, itaut id quod ordinariè rareſcit, & calorem primo concipit eſt aer interceptus, ſiue alliſus, à quo, vt rationem illorum ad rem de qua nunc ſermo eſt conuertã, & ipſi, & Alexãder Aphrodiſeus apud Simplicium volunt, ſagittas calorem quem poſtea concipiunt, veluti mutuo accipere; ſi hæc inquam ita ſe habent, amabo te Ludouice Comes, vides ne in quot abſurda, homines

3. de hiſtor. animal. c. 3.

1. de cœlo c. 7. quæſt. 6

ipſi etiam cum ratione ſe conijciant? nam primò ſequeretur aerem ipſum, quo ſagitta iter ſuum habuit, inardeſcere, & accendi debere, atque ita videri per aera

Flammarum longos à tergo albeſcere tractus.

quod nullum tamen vnquam obſeruaſſe, certum eſt, ſed demus rem ita ſe habere, cedo nunc à Connimbricenſibus, & alijs rationem, quomodo aer ille accenſus, quẽ ſagittę, glandesque plumbeæ tanto poſt ſe impetu, ac interuallo relinquunt, eaſdem calefacere, ac, vt ipſi dicunt, liquare, & fundere poſſit: neque enim ipſos ignorare puto; quod ignis ille, etiamſi vt ſupponunt ita ſe haberet, generari tamen non poſſet, niſi in aere prius attrito, & rarefacto, quæ diſpoſitiones non tam cito introducuntur, quin ſagitta ipſa celerrimo raptu præteruolando, aerem ipſum ita præparatum, et ſi velis accenſum deſerat, ita vt nihil amplius ab ipſo pati poſſit; niſi forſan velimus actionem fieri in diſtans, & ea concipere de igne prorſus inualido, atque in tenuiſſima materia accenſo, ſi telum in eo per aliquod tempus detineretur, quod ne quidem de fornace ardentiſſima dici meritò poſſet, in quam ſi globus plumbeus demittatur, nonniſi poſt aliquot minuta liquefieri poterit, cùm tamen oporteat illum in aere, temporis fermè momento, & atteri, & rareſcere, & accendi, & liquari; imò verò qui fieri iſtud poſſet, niſi aer tot diuerſas mutationes, & alterationes prius ipſe, eodem etiam temporis interuallo ſubiret? quæ omnia non dictu modo, ſed cogitatu ſunt abſurda. Præterea quod motu accenditur ſiccum eſſe oportet, vt colliſum vehementi attritu rarum euadat, prorſusque in tenuem, & ſiccam ſubſtantiã degeneret, quæ demum ſub certa quantitate formam ignis ad ſe rapit; ſed metalla tum, quod frigore concreſcant, tum quod liquãtur, humida potius ſunt, & aquea; ac plumbum quidem præ cæteris lutoſum magis, & humidum, ac incoctum eſſe indicant ſcoriæ, & fæces, quas in fornace dum coquitur relinquit; vnde nihil eſt magis à ratione alienum, quàm illud poſſe tam breui tempore ad eam ſiccitatem reduci, vt ignem in momento concipiat, & liquetur. Certè tantùm abeſt, vt quicquam ſimile fiat, quod experimenta etiam in contrarium non leuia proferri poſſunt; nam quæ calida agitantur, non modò caloris vim maiorem non concipiunt, ſed ille citius decreſcit, aut in contrarium frigus penitus

muta-

mutatur; ita enim nobis ſub ardente Canicula ſummo calore vexatis, benigna aura excitata, non minimo ſolatio eſt; & cum iter per diſpoſitos equos feſtinamus, continua illa aeris mutatio, quæ ſubinde fit, ita ſuo frigore ſe prodit; vt etiam aliquando moleſtiam faceſſat; nec ſanè in ludis Circenſibus aliquis vnquam audiuit, fumum ingentem, & copioſum ex aurigarum vultu erupiſſe, quemadmodum olim *de vertice viſus Iuli*: an verò Nautæ aptiorem modum habent ad vini frigiditatem æſtate etiam media procurandam, quàm eius agitatione frequenti per aquam, aut in aere minus calido: ſed fieri ne poteſt, vt plumbum liqueſcat, ſi eodem tormento emiſſa pila cerea, tam mollis, & liquabilis naturæ, vel quernas aſſeres perforet; ſi carthacea nequidem vlla nigredine deformata euibretur; ſi cannabina quoque integra prorſus, & illæſa è flammis eluctetur. Denique ſi mucrones ſagittarum, aut glandes plumbeæ percalefactæ vi funditoris, liquatæque ardeſcebant, qui fieri poterat, vt ad hoſtes vſque pertingerent, an fortaſſe illuc pertinebit quod habet Liuius de Gallogræcis, qui aduerſus Manlium Conſulem pugnantes, ſuperati ſunt à ſagittarijs, & funditoribus, quos ab Attalo in ſubſidium acceperat? *ijdem enim*, inquit, *cum aculeus ſagittæ, aut glandis abditæ introrſus tenui vulnere in ſpeciem vrit, & ſcrutanteis quæ vellant, telum non ſequitur; tum in rabiem, & pudorem tam paruæ perimentis peſtis verſi, proſternunt corpora humi, ſic vt paſſim procumberent*; ſed non tam hic vſtionem video, quàm vredinem quandam ex minuto, & pungente telo, qualis ab vrtica cùm herba, tum piſce excitatur, quam Liuius ſequi debere ad ſagittarū ictus ſibi perſuadebat. Alioqui ſi tantum caloris concipiebant antiquorum glandes, & Martiobarbuli, quid rei tandem eſt, quod in fiſtularum globulis, qui nunc mole minores, ſubſtantiâ molliores, triplo etiam celeriùs emittuntur nihil quicquam ſimile contingat; aut ſi contingit, cui bono tot vncini denticulati, tot forcipes aduncæ, tot roſtra, & ferramenta globulis, qui in corpus altius penetrant extrahendis, deſtinata? veſtram omnium fidem oro, obteſtorque Machaones, & Podalirij quotquot eſtis in orbe celebres, ſi vnquam plumbum liquefactum, aut alterius figuræ, quam orbicularis, niſi forſan alicuius oſſis colliſione retuſa fuerit, è corpore eduxiſtis. Sed obijciunt Philoſophi calidos ſaltem illos perſentiri, cum è tormentis emiſſi;

emiſſi, manibus illico pertractantur,& vſtionem præterea aliquã carni afferre; dum altius in illam ſubeunt: at vero ſi plagam cum vſtione eiuſmodi inferunt, vbi eius veſtigium quod eſcharà, aut manifeſto aliquo caloris ſenſu, in parte læſa ſe prodat? & quomodo ſe prodere poſſet, in præcipiti illo tranſcurſu? aut ſi ita ſe res habet, vnde inſignis plerumque hæmorrhagia, quæ potius ambuſtione comprimi deberet? ac demum ſi glans ab eiaculatione calida aliquãdiu permanet,cur iſtud mihi ſimiliter atque alijs non viſum fuit, qui globum plumbeum ab oppoſito ſaxo, in cubiculum meum per effracta ſpecularia caſu reſilientem, cõfeſtim arripiens, talem eum eſſe depræhendi, vt nulla omnino inſigni qualitate frigoris, aut caloris excelleret; quod ſi nonnulla alia corpora motu continuo atteruntur, & ignem concipiunt, non propterea idem de ſagittis, & glandibus dicendum eſt,quæ non vt illa ab alio corpore ſolido colliduntur, nec, vt molæ farinariæ, aut curruum axes,eundem ſemper habent aërem vicinum,quem perenni illa circõuolutione attritum, atque rarefactum accendere poſſint. Verum quid Homero Tortoræ dabitur reſponſi? nempe eum non tam, quæ vera eſſent quàm quæ communi rumore ferebantur ſcripſiſſe; & famam in eo ſequutum fuiſſe, quæ recte deſcribitur à Poëtis,

Tam ficti, prauique tenax, quàm nuntia veri.

quamuis dici etiam poteſt, globos illos, qui plumbo ſuperinducti torquebantur, idcirco vſui nullo fuiſſe, quia retundebatur illorũ impetus à molli,& cedente metallo, quod lapidi duriſſimo impactum redibat in ſeipſum, aut in fruſta diſſiliebat: nam quod addit Tortora de plumbi liquefactione, puto illum communem hanc opinionem arripuiſſe, quo facilius, & honeſtius ſe expediret ab alterius cauſæ inueſtigatione, atque vt hunc Philoſophiæ pannum purpureum hiſtoriæ ſuę aſſueret, auctoritatis illi apud rupices, & plebeios homines conciliandæ gratià. Reſtant igitur auctoritates tot Poëtarum, & Ariſtotelis,ac Senecæ, quorum veſtigia præmentes reliqui Philoſophi,eundem cum ipſis errorem admiſerunt,non tam opinor inſcitià rerum eiuſmodi,quàm nimia facilitate multa credendi, quæ pro veris tanquam per manus tradita à maioribus ſuis accipiebant: licet iſtud præterea non omnino flocci faciendum ſit in hac opinione eleuanda, quod neque

Ari-

Ariſtoteles, neque Seneca eam ſuis in libris alio modo proponūt, quàm vt ab eius exemplo grauiores alias difficultates de Stellarũ, & fulminis natura cōponerent, cùm alioqui fidem eius eſſe vellēt, penes multos, qui iſtud à ſe non vno experimento comprobatum fuiſſe aſſerebant. Ad Poëtas vero quod attinet, non tam illi in culpa mihi videntur eſſe, qui ex licentia, quam habent mentiendi in ca rmine, multa referunt.

Ante nec audita, contentaque corde nec vllo. 1. de legibus.

quam hi qui fidem ipſis accommodāt: quaſi vero nō hic potius locũ haberet quod inquit Tullius loquēs de quercu Mariana, *ſed tamen nonnulli iſti, Tite noſter, faciunt imperitè, qui in iſto opuſculo non vt à poeta, ſed vt à teſte veritatem exigant*; *nec dubito quin ÿdem cum Aegeria conlocutum Numā fuiſſe putent:* quibus verbis ita reſpondet Quintus, *intelligo te, frater, alias in hiſtoria leges ſeruandas putare, alias in poemate*; atque hanc diſtinctionem, ita demum Tullius confirmat, *quippe cum in illa ad veritatem, Quinte, referantur omnia, in hoc ad delectationem pleraque*, habeant igitur ex Cicerone Graſſius, de Vicentinis & alij, quomodo, & quouſque Poetis ſit habenda fides; quàm ſi illis integram præſtare velint, contra omnium ſapientum mentem, & ipſius etiam Ouidij qui ingenuè faſſus eſt, quod

Exit in immenſum fœcunda potentia vatum,
Obligat hiſtoricà nec ſua verba fide.

credant ſimiliter quaſdam eſſe veneficas anus, quæ Lunam cœlo deducunt cùm deficit; hoc enim poetę millies cecinerunt; credant & eidem laboranti ſubueniri poſſe peluium, ac tintinabulorum ſtrepitu, quandoquidem nihil hoc remedio frequentius in poetarum carminibus occnrrit; ita vt Iuuenalis etiam dixerit de muliere garrula Satyra 6.

Iam nemo tubas, nemo æra fatiget,
vna laboranti poterit ſuccurrere Lunæ;

ac denique credant ipſi, Solem dum nobis occultatur, in Atlanticum Oceanum prope fretum Herculis cadere, & ſtridorem edere, non aliter quàm ſi ignitum ferrum condatur in aquam, nam ea fuit communis, & peruulgata poetarum aut omnium, aut equidem celeberrimorum ſententia, vt Statij in Lucani genethliaco 2. Syluar. dum inquit

Felix

Felix heu nimis & beata tellus
Quæ pronos Hyperionis meatus
Summis Oceani vides in vndis,
Stridoremque rotæ cadentis audis

:ay. 14. Iuuenalis item

Sed longè Calpe relicta
Audiet Herculeo ſtridentem gurgite Solem.

ac deniqueֽ,vt alios omittam Auſonij poetæ Burdegalenſis

Condiderat iam Solis equos Tarteſſia Calpe
Stridebatque freto Titan inſignis Hibero.

5\. *Detegiturque Onosãdri leuior oſcitantia de colore plumbatarum ſimili aereo, cũ tamen elementa nullũ colorem habeãt*

Profecto facit eiuſmodi magnorum virorum in ſcribendo incuria, vt mihi in mentẽ veniat alterius oſcitantiæ, in quam ſe dedit Onoſander, qui pugnam quæ fundis peragitur, maiorem in modum laudat, eo quod plumbei globuli, ob cõſimilem aeris colorẽ, fundis emiſſi, oculos fallunt, & improuiſi in hoſtes incautos feruntur: quis enim tam ineptus eſt, vt credat, telum exiguum quod ipſe Onoſander liqueſcere motus ſui rapiditate volebat, cuiuſcũque tandem coloris ſit, poſſe in oculorum aciem incurrere? aut cap. 19. ſtrateg. quis amabo vſquam gentium audiuit, colorem aliquem aeri alijſque elementis peculiarem ineſſe. Scio quidem Factiones quæ in Circenſibus ludis, ex colorum varietate nomina ſibi faciebant, quaſi naturæ myſteria, ſpectaculorum compoſita imaginatione ludere vellent, non modo quatuor anni temporibus, vt Caſſiodorus, 3. varior. epiſt. 51. & Corippus Poeta Africanus apertè ſignificant, & ſed elementis præterea eos contuliſſe; vnde Tertullianus Libro de ſpectaculis lib. 1. cap. 9. *talibus* inquit *auctoribus quadrigæ producta, merito & aurigis, coloribus idololatriam veſtierunt; & ab initio duo ſoli fuerunt, albus & ruſſeus, albus hyemi ob niues candidas, ruſſeus æſtati ob ſolis ruborem voti erant: ſed poſtea tam voluptate quam ſuperſtitione prouecta, ruſſeum alij Marti, alij album Zephyris conſecrarunt. Praſinum vero terræ matri, vel verno: Venetum Cœlo, & Mari, vel Autumno*; de elementis vero rem breuius conficit, & probat Iſidorus 17. etymol. cap. 41. Hiſpalenſis, *Gentiles colores equorum iunxerunt, roſeos, ſoli ideſt igni; albos aeri; praſinos terræ; venetos mari aſſimilantes*. Noui inſuper D. Hieronymũ in epiſtolà ad Fabiolam docere, 128. epiſt. quatuor elementa ſignificata fuiſſe byſſo purpura, hyacintho, cocco quibus olim Sacerdotis ſummi veſtimenta diſtinguebantur, *quatuor,*

tuor, inquit, *colores ad quatuor elementa referuntur, ex quibus vni-
uerſa ſubſiſtunt. nam byſſus terræ deputatur quia ex terra gignitur,
purpura mari, quia ex concheolis tingitur; hyacinthus aeri, propter
coloris ſimilitudinem, coccus igni, quod vterque rubeat.* Verum ta-
men ſi quis ad libellam Philoſophiæ, coloris naturam examinet,
videbit ex eius cauſis, & definitione nullum propriè loquendo,
aut aëri, aut reliquis elementis colorem poſſe conuenire: ſi quidē
naſcitur ille ex principum qualitatum permixtione, quæ non ha-
bet locum in primis elementis: & ab Ariſtotele definitur *terminus* lib de ſenſ.
ſeu extremitas corporis perſpicui terminati; vnde quę propriam ſu- et ſenſ.
perficiem non habent, neque etiam proprios colores habere
poſſunt, cuiuſmodi ſunt elementa, quæ, terrà vnà exceptà, vt non
ſuis, ſed alienis terminis circumſcribuntur, ſic colores recipere nō
poſsūt, poſsūt vero lumē, quia eſt *actus perſpicui interminati*. Atque
hoc cum ſatis ſuperque Auerroi exploratum eſſet, eam ob rem
dixit, quod *aër ſecundum tactum ſentitur eſſe corpus, etſi ſecundum* 4. phyſicor.
viſum exiſtimetur eſſe nihil, cùm non habeat colorem; ſed enim for- comment 74
ſan argutius, quam æquum ſit Onoſandrum compello, cui neque
ſuæ rationes deeſſent ſi Scaligeri, & Aguilonij ſcholas ingredi vel- 1. opticę pro
let, certos colores ſimplicibus etiam elementis tribuentium; qua- poſ. 39
re prior illa ratio, quæ à velocitate teli deſumebatur mihi inſtar exercit. 325.
omnium eſſe poteſt, vt diuerſum in hac colorum ſimilitudine ab ſect. 8.
Onoſandro ſentiam.

Sed non minus in ſe operę pretium habet quæſtio alia, quam 6.
Agellius Antonio Iuliano Rhetori propoſuit, ſumpta occaſione *Et quæritur*
ex vndecimo Annalium Q. Claudij Quadrigarij, vbi quum oppi- *ac motus teli*
dum à Metello Proconſule oppugnari, contra ab oppidanis de- *ſurſum vel*
è muris propugnari deſcriberet; ibidem addit, quod Me- *deorſum fa-*
telli milites ſauciabantur multo minus, & quod maximè opus *ctus ſit violē-*
tior. lib. 9. cap. 1.
erat à pinnis hoſtes defendebant facillimè. nimirum *quia lapides
& ſagittæ ſurſum optimè mitterentur, non item deorſum verſum*:
cuius tamen contrarium vſu venire docet Cornelius Tacitus, lib. 17.
qui de Placentia loquens à Vitellianis oppugnata *ingerunt*, in-
quit, *Othoniani pila librato magis, ac certo ictu aduerſus temere ſu-
beuntes*, Liuius quoque aliquo pacto videtur huic ſententiæ ad-
uerſari varijs in locis, in quibus ſemper aſſerit, quod grauior ac
pondere librațior ſupernè ex onerarijs, vel muris ictus erat. Vn-
de

de quo grauis hæc ſimultas ab auctoribus præſtantiſſimis tollatur; dicendum eſt meo quidem iudicio poſteriores locutos fuiſſe de pilis, haſtis ſimilibuſque telis quæ manu vibrantur, nihilque ſuo pondere impediuntur quin facillimè quo librata ſunt perueniant. Quadrigarium vero de ijs quæ arcu, vel baliſtà alijſque machinis impelluntur; Hæc enim ſi deſuper mittas, moderatio atque ratio mittentis præcipitantià ipſa, & pondere cadentis teli corrumpitur. at ſi in editiora conlimes, quo motus à te datus fuerit, & quo ieceris, eo telum ibit; ſic enim, vt tota quæſtio ad fulminalia noſtra ſe referat videmus, quod tormenta dum magis eleuantur, ita tamen vt lineam quadrageſimi quarti, aut quadrageſimi quinti gradus quadrantis non ſupergrediantur, grauiores ſemper longioreſque, & directiores emiſſiones ſeu ictus obtinent.

XXII. *1 Equitis autem diſciplinā antiquior in equi ipſius curatione cōſiſtebat.*

Iam vero in Equitum exercitatione multa ſe ſe offerunt, de quibus dicendum eſſet ad antiquam militaris ſcientię diſciplinam reſpicienti; in qua ex Cenſorum decreto, non debebat eques quā equus ſuus eſſe curatior; referebaturque ad ærarios, qui equum *nimis ſtrigoſum & malè habitum* coram ipſis ſiſteret, dum equitum cenſum agerent: quod equidem eo ſemper conſtanti, perpetuoque ſeueræ damnationis rigore ſeruatuum fuit, vt etiam ab Aureliano Imperatore poſtea ſtatutum ſit, quod eques ipſe equū ſuum ſtrigili purgare deberet; exemplo forſan Ateæ Scytharum regis, quem Legati Philippi ita perbellè ſuum equum curantem inuenerunt; aut potius, quo periculum faceret vulgaris iſtius pa- in œconom. roemiæ *oculus domini ſaginat equum, & pes eiusdem impinguat agrum*, quam Ariſtoteles tanti quoque faciendam duxit, vt dum Oeconomo leges præſcribit inter cætera dicat, *& Perſæ, & Lybici dictum bene ſe habet, ille enim interrogatus quid maximè equum ſaginaret,* ὁ τοῦ δεσπότου ὀφθαλμὸς *dixit. Lybicus vero rogatus quodnam ſterquilinium agro optimum eſſet,* τὰ τοῦ δεσπότου ἴχνη. Quamobrem maximis ducibus nunquam ea cura inter poſtremas habita fuit, quàm equorum curationi impendebant: Vnde Scipioni luſtranti equos & currus, Marius equum, & Mulum optimè à ſe habitos educatoſque adduxit, & laudem prouerbio, niſi potius illud de militibus ſuis explicandum ſit, propagauit *Mulorum Marianorum*, vt inquit Plutarchus in eius vita: eodemque

modo

modo Græcorum legibus & inſtitirutis cum nullus eques *ἀδοκίμαστος ſine examine* merere poſſet, docet Petitus in his æquitum *δοκιμασίαις* non illos ſolum, ſed & eorum equos à Magiſtratu probari ſolitos, ita vt ſi quos olim labore exhauſtos, aut defectos viribus, aut ſenes depræhendiſſet; non modo illos amandaret, ſed ipſorum inſuper dominos graui aſpergeret infamia.

2. *Ea ſcenſione ſeu ſalitione in eum ſaltu vel adminiculorum ope, in quibus ſtapedes fuiſſe breuiter indico.*

Præterea licet multa ſint quæ dubiam valde quæſtionem illam reddere poſſunt, an equitantium ***adminicula***, ſeu ***ſtaphiæ*** & ***ſubiices illi pedanei***, ex ephippio ad ventrem vſque equorum dependentes, quibus hodie ad ſcandendum, & innitendum vtimur apud antiquos item in vſu fuerint; & præter inſcriptiones veteres, plurimum etiam momenti ad hoc perſuadendum repoſitū ſit, in hac Iulij Pollucis auctoritate, quam miror homines illos non vidiſſe, qui ab eo quicquam cùm de equeſtribus inſtrumentis ageret, de ſtapede ſeu ſtaphia proditum negant (lib. 1. cap. 11. artic. 15. pag. 55.) ***Cum uero in ſederis equo, nequaquam femora ferias, ſed pedes ſubleua, & ſtanti ſimillimus ſis. ſtapedes enim magis ad ſtandum, quàm inſidendum parati ſunt.*** quia tamen nō hic vacat peniriſſimè ſcrutari quaſdam rationes, quibus huiuſce veritatem opinionis tueri ac defendere poſſem; & contraria longè acerrimos propugnatores viroſque omnes in literis pręcipuos nacta eſt Magium, Brodęum, Lipſium, Tortellium, Pancirolum, Hugonem Hermanum, & alios; malo hic de equorum ſcanſione & ſalitione loqui, quaſi Romani ſtapedium rudes, & ignari, non modo opus habuerint lapidum publicorum ſubiectu, aut ſtratorum, vel haſtæ in quam niterentur auxilio, ſed ſalitione præterea, aut equis inclinatis, vt facilius in illos conſcenderent, nam hæc veteris diſciplinæ morem aptius repræſentant, ſimulque non fruſtra Vegetium fuiſſe oſtendunt, (lib 1. cap. 18) cùm non modo à Tyronibus ſed à ſtipendioſis etiam militibus, ſalitionem equorum ſtrictè ſemper exigendam eſſe docuit. ***Scilicet ut in tumultu prælii ſine mora aſcenderent, qui tam ſtudioſè exercebantur in pace.*** quemadmodum Ferdinandus iunior Neapolitanorum rex aliquando fecit cùm victis fugatiſque copijs ſuis ab hoſte, & equus etiam quo vehebatur confoſſus eſſet, in oblatum alium vt erat armatus inſiluit. vnde quo facilius in arte deſultoria exercere ſe poſſent tyrones, dedolatus quidam equus ex ligno in Hippodromis, & equeſtribus ſcholis erat, quem iunio-

res

res primùm quidem inermes, poſtea vero vt facilitatem eis conſuetudo pepererat, armis omnibus induti conſcendere iubebantur; idque cùm à dextris tum à ſiniſtris inſiliendo, deſiliendoque ad pedes.

3. *Deinde receptem propono, & diuido ſuas in partes.*

Atque hæc vnus quiſque inter gymnaſia addiſcebat, nam in campo & explicatis turmis, vniuerſus ſimul eques, ad reliquam equeſtrem diſciplinam inſtituebatur; nempe ad incommoda loca equitatione ſuperanda, ad ordines ſeruandos, ad procurrendum, & obeundam rite pugnam, denique etiam ad natandum, & ambulandum: de quibus tantum abeſt vt ſigillatim mihi dicendum eſſe arbitrer, quod iuſtis de cauſis perſuaſus, breuiori longè circuitu ***temperationis equorum in pacis bellique occaſionibus***, atque exercitationis ***Torneamentorum*** ſeu ***baſtiludiorum***, totam equeſtris diſciplinæ rationem compræhendo.

4. *Quas antequam explicem modum propono deligendi optimos equos ab ætate.*

Verum quia temperationis equorum ſumma, ac præcipua ratio in eorum delectus conſiſtit, optanda in primis eſſet Tyronibus noſtris Michaelis Balbi Imperatoris ſcientia, qui Cedreno teſte, ſolo intuitu depræhendebat, quales euaſuri eſſent equi, an celeres, an bellica fortitudine nobiles, aut tardi: ſed quia non tam bene cum illis geritur, vt non ſæpiſſimè grauiter in hoc delectu aberrent, & optimorum equorum loco ſtrigoſos emant, impudentibus maxillis, difficiles incitatu, annoſos, vitiatiſque pedibus, ac tibijs, dum mille circumueniuntur venditorum fraudibus, optimum idcirco eſſe iudicaui, quo facilius illas præcauere poſſint ſi non omnia quidem ſigna laudarem, quę certatim ab auctoribus afferuntur de equorum præſtantia, & bonitate, quoniam hoc modo ***crambem recoquere*** mihi viderer ***quæ ſæpe repetita mors eſt***, ſed nonnulla tantũ recenſerem bonitatis potius in illis, quàm elegantiæ, & venuſtatis inditia. Primum igitur ætas eorum ignoranda non eſt, quia vt inquit Xenophon ***ſi dens qui ætatem notat, & quem Græci γνώμονα vocant exciderit, neque delectu ope, neque reuendibilis eſt***, vt autem iſtud cognoſcatur, aduertendum eſt ex Ariſtotele equorum dentes eſſe quadraginta, ***ex quibus amittit primores quatuor menſe trigeſimo, duos ſuperiores totidemque inferiores: ex acto deinde anno eodem modo quatuor abÿcit duos ſuperiores, duos inferiores tum ſequenti anno peracto quatuor alteros ad eundem modum poſtquam annos quatuor atque inſuper menſes ſex natus fuerit, nullum***

lib. de re equeſtri.

ib 4. de hiſtoria animal text. 316.

am-

amplius amittit.addunt autem veterinarij ſextum annum ingreſſo primorum cauitates impleri,ſeptimo omniũ expletas eſſe, neque vllam deinde cauitatem, aut aliud ſignũ in dentibus reſtare,è quo de numero annorum coniecturam quis faciat, ſed Palladius prouectiorum tempora cauari, ſupercilia caneſcere, denteſque prominere tradit, quanquam Iulius Cæſar Scaliger rectiùs meo iudicio ſtatuit ſextum annum in equis,& ſeptimum depræhẽdi æqualitate dentium, ſeptimo vero exacto,nigra illa è dentium cauitate excedere quos *phaſeolos* Itali vocant; poſtea à canino metimur,& à rugis maxillarum,& colli; item à nodo grandiore caudæ,qui intumeſcit anno duodecimo; *vetuli autem* quemadmodum idem Scaliger addit *labrum inferius demittunt pendulum, & eorum cutis manu tracta conſiſtit,nec redit, cilia caneſcunt, frons triſtis,hinnitus breuior:aures minus mobiles; dentes anteriores longiſſimi*. Quæ ſigna non tamen facere debent, vt ſtatim atque in equis apparuerint propterea de illorum viribus omnino deſperandum ſit; nam Carolus Octauus eo in prælio quo *ad Tarum* nobiliſſimam victoriam conſecutus eſt, ſedebat in equo ſpadice,qui alterum oculum amiſerat,& quem ferebant annos natum triginta,memorabili hac operà regi inuictiſſimo præſtità,vixiſſe immunẽ poſtea multos annos: & queãdmodũ aſſerit Ariſtoteles *equorũ plurimi duodeuiginti, annos viuũt atque etiã triginta,quod ſi bene curẽtur,pertingunt etiam ad quinquageſimũ*;imo Cõradus Herebachius refert vixiſſe equũ ſeptuaginta annos,& memini me legiſſe in hiſtorijs rerum noſtrarum,opinor ab accuratiſſimo Pithœo publicatis,quẽdam ad centeſimum etiam perueniſſe.

li.6.de hiſtoria animaliũ.

lib. 1. de re ruſtica.

5. Colore pilorũ.

Deinde præcipua ex colore bonitatis ratio conijcienda eſt, neque enim perperam Virgilius dixit *color eſt deterrimus albis,& Giluo*; licetque ibidem addiderit.

Honeſti ſpadices, glaucique.

tamen horum equorum ſpecies iactantior eſt,& formoſior quàm fortior, & animoſior; atque vt Maronis verba ita putem accipi debere,auctor eſt mihi Gratius qui,vt Maronis ferme æqualis erat venationis præcepta caſtigatiſſimo poemate tractauit, ita enim de bellatoribus equis ſcribit

Conſule Penei qualis perfunditur amne
Theſſalus, aut patriæ quem conſpexere Mycenæ

Digitized by Google

Glaucum, nempe ingens, nempe ardua tollet in auras
Crura; quis Eleas potior luſtrabit arenas?
Ne tamen hoc attingat opus, iactantior illi
Virtus, quam ſyluas durumque laceſſere Martem

idemque iudicium paulo poſt facit de ſpadicibus, quos proinde aliqui contendunt ad pompam, & ſacra curricula, potius quàm ad bellicũ opus, aut venatoriũ munus fuiſſe à Marone deſcriptos: aſt ego nõ poſſum vni Scaligero nõ aſſētiri, cũ eos ſpadices laudat tanquã omniũ optimos, quibus fulgor aureus igneũ ruborē acuit; quanquam iſtis adhuc præferuntur non animo, ſed patientià, qui eum colorem caſtaneæ fuligine infuſcarunt, quales ſunt qui *Alſani* ab Hiſpanis vocantur. Gilui vero qui & *Sauri* apud Italos audiunt, ſi fulgor nitoris abſit, planè damnantur; non ſecus ac grandiſſimis tractibus candidi, & nigri coloris diſtincti, quos communiter *Picas* dicunt: pomacei, ſcutulati, guttati, atque etiam cani, quos *Griſeos* vocant, non carent ſuo pretio: nigri optimi ſunt ſed minimè durant; fere autem præſtantiſſimi habentur, qui inter nigros plagulatos, aut ſpadices *rotulam* in fronte candidam geſtant, ſiue *ſtellam*, quæ ſi ad nares demittatur, minuit indicaturam; ſed adeſſe præterea debet nonnihil candoris in altero pedũ, modo tamen non poſterior ſiniſter talis ſit, proditorem enim heri ſui tale ſignum denotare, ſunt qui contendant, forſan vanis quibuſdam obſeruationibus ad id impulſi; qui vero quatuor pedibus albeſcunt, præter vngulas, corpus etiam inualidum habent, & eo deſpicabiliores ſunt, quo candor ille crura altius occupat.

6. *Regionibus, & locis è quibus petuntur.* Præterea nobilitatem equorum multi à loco exigũt, magnamque in illis diuerſitatem conſtituunt, pro regionum varietate è quibus petuntur: qua de re nemo fuſius, aut elegantius inter Græcos tractauit, quàm Oppianus Poeta ille magniloquentiſſimus in cuius tamen ſequentibus verbis. (lib. 1. de venatione.)

Adeo Iberi ſunt celeres, pedibus ventoſis:
Sed exigui, inualidique viribus & imbelles animo.

quæ Gratianus poſtea eodem ferme ſenſu confirmauit.

Non tamen Hiſpano Martem tentare minacem
Auſim.

(lib. 6. de bello Gallico.) nonnulli hæſitant; quia Cæſar in cõmentarijs magnum ſe equorum Hiſpanorum numerum emiſſe ſcribit, quod minimè facturus

rus erat ſolertiſſimus Imperator, ſi eos tales eſſe nouiſſet, vt ab Oppiano deſcribuntur, hoc eſt ὀλίγοι βαιοὶ πνεύμονας καὶ ἀνάλκιδες ἦτορ ac propterea alios Iberas qui in Aſia ſint Colchis finitimi, comminiſcuntur; quantumuis Strabo, & Iuſtinus huic explicationi reclament, ac Symmachus etiam in epiſtolis, à quo ſæpius Hiſpania *diues equini pecoris*, dicitur; ſed nec Oppianum hac in re audit Iulius Cæſar Scaliger, cuius hæc in commentarijs ad Ariſtotelem verba ſunt, *Hiſpanicis equis habitudo agilior, animus inexpugnabilis, in bello vulnerati non cedunt, celeritas in curſu admirabilis, promptitudo ad gyros penè ignea, facilitas ad retinendum quantam velis, voluntas ad impellendum docilis*: ac ne quis de eorundem in bellis vſu dubitare poſſit, ſubiungit idem in quinto poetices, quod *domino mites, & hoſtium hoſtes ſunt; impulſi in mucrones abeunt, iuſſu heri morituri: cæſi non auertuntur; percuſſorem etiam appetunt: denique fiunt ſæuiores*. quid igitur ad Oppianum? certè, vel illum non ſufficienter notam habuiſſe Hiſpanorum equorum naturam quemadmodum ſenſit, & probat Scaliger; vel non intelligendum de *Genettis*, ſeu equis illis, quos Audaluſia, & Granata mittunt eâ effictos induſtriâ ad velocitatem, generoſitatem, & omnem elegãtiam, nihil vt illis deſit, ſed de *Aſturconibus*, ita ab Aſturiæ regione appellatis, queis non vulgaris in curſu gradus, ſed mollis alterno crurum explicatu glomeratio: de his enim ita loquitur Silius vt non multum ab Oppiano diuerſus ſit.

Lib. 3. Lib. 44. Lib. 4. epiſt. 59 & 61. lib. 1. de hiſt. animal. capite 9. critici. lib. 3. de bello punico.

> *His paruus ſonipes, nec Marti notus, at idem*
> *Aut inconcuſſo glomerat veſtigia dorſo,*
> *Aut molli pacata celer trahit eſſeda collo.*

contrariâ autem fermè habitudine corporis, vaſtiores ſunt, & laboribus ruſticis, atque admiſſuræ accommodatiores, qui è Friſia, Batauia, ac Morinis petuntur, moles enim eorum, tam ſegnis eſt ad gyros quàm vaſta ad impetũ, & os præterea duriſſimũ habent, vngulas fragiles, eaſdemque planas, crura hirta parte poſteriore, ceruicem magna parte pendulam, vulneratique refugiunt, atque interdum ſeſſorem ex ſpiritus contumacia, hoſtis ictibus expoſitũ produnt. mediâ vero inter vtroſque naturâ cenſentur eſſe Aluerni, & Calabri, vulgo *Caualli di Regno*, nam & artus habent compactiores quam Hiſpani, & agilitatem non contemnendam, & laboris ſunt patientiores. Quidam denique ſtatuunt ex omni gene-

re equorum,formæ elegantiâ præſtare *Hiſpanos*; laborum patientiâ *Thraces*,ſiue *Turcos*;robore,ac firmitate corporis *Belgicos*;audacia *Calabros*; & *Afros* ac *Numidicos* velocitate, licet enim ſtrigoſiores ſint, curſu tamen cæteros omnes anteire ſolent.

7. *Moribus optimis.* His notis nonnulli mores adiungunt, à quibus hilares equi laudantur, & ferοculi; vt teſtatur Columella, ſiue qui ex iratis mitiſſimi fiunt; quod hi ſint ad obſequia habiliores,& ad certamina laborum tolerantiores. Ita quoque Xenophon laudabilis equi argumẽtum eſſe ſcribit, ſi defatigatus non recuſet iterare laborẽ. ſed multum etiam intereſt experiri quomodò, & quàm auidè bibant, quoniam vt inquit Plinius *quo quis acrior, in bibendo profundius nares mergit*. Et num pullus cũ gregalibus,crebro in paſcuis contendat. Num fluuium pontemque prior traijciat, vt ille quem in optimi argumentum graphicè depinxit Poëta verè omnium primus, & politiſſimus.

lib. 8. c. 42.

in georgic.

in georgic.

Primus & ire viam,& fluuios tranare minaces
Audet, & ignoto ſeſe committere ponti:
Nec vanos horret ſtrepitus.

8. *Et vitijs quibus carere debet.* Denique obſeruãdũ eſt in equo ne ſit ceſpitator, aut ſuccuſſor, aut anhelus,aut calcitro,quẽ Græci λακτιστὴς dicũt,aut ſternax,aut retrogradus ſiue *receſſim cedens*,& imitans *Nepã*,vt loquitur Plautus, & quod Greci dicunt,ἀναποδίζον καὶ ὀπισθόρμητος:ac tandem ne ſit fræni impatiens, aut durioris ſiue ἄστομος vt à Suida vocatur, & quẽadmodũ Itali ſcitè reddũt *sboccato* hos enim omnes Xenophõ dãnat,vt etiã ἀζόνους quos Beſſario *ſtrigoſos* reddidit,quaſi illos vellet notare,qui patrio ſermone apud Italos *Segalini* vocãtur:forſan quia licet copioſè alãtur,gracili tamẽ corporis habitu,tenuiq; ſẽper ſũt;vnde Cicero cũ de Liſia dixiſſet,*habet enim certos ſui ſtudioſos, qui nõ tã habitus corporis opimos,quã gracilitates cõſectentur*,ſtatim poſtea ſubiungit, *verùm*; *eſt certè toto genere ſtrigoſior*. Sed Liuius tamen ſic nominauit equos nimio labore defatigatos, indeque macriores factos, non autem qui naturà huiuſcemodi forent cùm inquit *moram pugnæ attulit,quod Asdrubal prouectus ante ſigna cum paucis equitibus, ſcuta vetera hoſtium notauit, quæ ante non viderat,ac ſtrigoſiores equos*. Quantum vero ad morbos attinet, quorum antiqui adeo ſeduli exploratores, & Medici fuerunt, vt Tiraquellus ſexaginta quinque *veterinarios*, ſiue *mulomedicos* enumeret,

in Bruto.

libro 27.

cap. 35. de nobilit.

meret, quorum vel monumenta etiam nunc extant, vel ſi forſan iniuriâ temporum perierint, ab alijs tamen laudantur: profectò non eſt quod ſibi quiſquam in illis ludum fieri permittat, modo ſtipulatione vtatur, quæ ex ſolemni formula, in hoc negocio adhiberi conſueuit, eadem ferme verborum ſerie expreſſa, qua & antiquior illa apud Varronem *illoſce equos, qua de re agitur, ſanos rectè eſſe, vti pecus equorum; quod certè ſanum eſt, extra luſcum, ſurdum, minum, ideſt ventre glabro; neque de pecore morboſo eſſe, habereque rectè licere: hæc ſic rectè fieri ſpondes?* lib. 2. rei ruſtic. cap. 2.

9\. Hæc igitur prius prouidenda ſunt quàm emantur equi, ſed emptis quomodo tandem vtendum? Certè interrogatus Damis ab Apollonio ecquod boni equitis munus cenſeret, reſpondit ille. *equo rectè conſidere, atque illi fortiter dominari, & frænis in quamcumque voluerit partem circum ducere, & in accliuem locum aſcendenti fræna remittere, in præcipitem eunti conſtringere*: at hæc leuioris operæ ſunt, & nullis ferme præceptis indigent. Magis vero ex arte Iſchomacus apud Xenophontem, vt ad equitationes bellicas ſe componeret, modò per tranſuerſum, modò per decliue, modò ſupra foſſas, modò ſupra aquæ riuos equum agebat, & ſi placet inſignis doctoris audire documenta ad regendum equum, en illa ſunt?

Poſtea temperatio equorum proponitur apta paci. Philoſtr. li. 2. In oeconom. 3. georgic.

> *At tribus exactis vbi quarta acceſſerit ætas,*
> *Carpere mox gyrum incipiat, gradibuſque ſonare*
> *Compoſitis, ſinuetque alterna volumina crurum.*
> *Sin ad bella magis ſtudium, turmaſque feroces,*
> *Primus equi labor eſt animos, atque arma videre*
> *Bellantum, lituoſque pati.*

ex quibus manifeſtum eſt, duplicem huiuſce noſtræ temperationis equorum rationem, Romanis pariter, ac alijs nationibus olim fuiſſe familiarem; licet accuratiori forſan ſtudio vtramque excoluerint, quàm apud nos fieri conſuetum ſit.

10\. Nam Themiſtocles filium ſuum Cleophantum, in equeſtri facultate adeo ſtrenuum, continuâ exercitatione reddiderat, vt equis rectus inſiſtens iacularetur, aliaque penitus ſtupenda faceret: & Pompeium iam ætate prouectum, viſum fuiſſe in equo, narrat Plutarchus, trahentem atque educentem gladium ſine difficultate, equo incitato & currente, iterumque facillimè repoſuiſ-

Per ludicras exercitationes.

Libro 3. ſe: atque eodem modo Procopius de Totila narrat, quod interea dum acies vtrimque paratæ ſtabant, ad concurrendum, *ipſe in medium campum ludibundus proceſſit, equum diuerſim calcaribus concitando in orbem, abſtractque obequitando, telum in auras ſurſum verſus diuerberare; & ipſum curſu ad terram delatum colligere, ſupinandoque ſe deſuper equum inclinandoque vtrimque ad terram, & vtroſſim inflexeria; gloriæ de artis plurimum ducebat, vt qui à puero fuiſſet, deſultandi, ac tripudiandi artem edoctus, & ludicra hæc peragendi*. Quanquam ſi de gloria eiuſmodi ludorum, noſtris hominibus, cum antiquis illis certandum ſit, multa quoque, & penitus admiranda proferre poſſim, ſingularis in hac eadem exercitatione facilitatis, & induſtriæ exempla; qualia ſunt quæ ſuperiori ſœculo edita fuere Conſtantinopoli, in circunciſione maioris natu filij Mahumetis ſecũdi Turcarum Imperatoris, & Lutetiæ anno à ſalute humano generi reſtituta ſupra milleſimum quingenteſimo & octogeſimo ſecundo; ab Italo quodam qui ex diſciplina Turcarum, apud quos diutiſſime captiuus vixerat, tot artis deſultoriæ experimenta dedit, vt equo laxatis habenis currenti rectà ipſe inſiſtens, tanto artificio iacularetur, quod in paſſum equi, ſignatumque humi veſtigium ſagitta decidebat; mox haſtam vibraret in altum, receptamque infinitis gyris circa collum, & brachia circumduceret; deinde circa ephippium gyraret; enſem ter & quater nudaret, recon deretque; proiectis etiam in altum tibijs, & capite ſupra ephippium defixo decurreret; multaque alia præſtaret incantamentis verius quàm artis operibus ſimilia.

11. *Ac honeſtas* Sed hæc plus habent in ſe ludicræ voluptatis quàm veræ ſolideque vtilitatis, atque ea propter Tyroni noſtro ſatis erit ad laudem, & vſum artis, ſi primùm quidem vt Damis & Iſchomacus ſupra monuerunt, equum ſuum curare ſciat: deinde ſi modum nouerit eius rectè tractandi, & quando vitioſus eſt in inceſſu, ſaltu, flexu, curſu, pauore ſubito rerum nouarum, probè domandi; quibus ſi ad gratiam & voluptatem adijciat molles illas excurſiones, reuerſiones, congreſſiones, ſtatus, appreſſiones, impreſſiones, inflexionèſque ad dextram, ſiniſtram, in orbem, vt Enipeus ille Ode 7. lib. 3. faciebat laudatus ab Horatio, quod

Non alius flectere equum ſciens
Aeque conſpicitur gramine Martio.

nihil

nihil amplius ad pacis artes requiro: quandoquidem non vlterius quidquam addiſcebant Perſarum filij, quos Herodotus ſcribit à Lib. 1. quinto ætatis anno in vigeſimum, doceri equos aſcendere, ferociâ exultantes domare, flectere, & ex ingenti curriculo exiguum in gyrum compellere, ex equis denique pugnare.

12. Belloque,

Quod igitur ſpectat ad bellicas exercitationes; & equus, & qui equo inſident, vlteriori quadam diſciplinâ indigere videntur; nã cùm repentina, in equo perturbationes efficiant, vt inquit Xenophon, ſitque pauidum ad omnia animal, ita vt interdum, quod Bucephalo etiam accidit, propriâ vmbrâ terreatur; nedum canis alicuius inter crura decurſu, vt in equo Pharnucis contigit apud Lib. 7. Herodotum. Sanè ni vſu continuo aſſueuerint clamorem, & ſtrepitum audire, ferre ſplendorem armorum, fulminalium coruſcationes, ſanguinis, & cadauerum aſpectum, perque iacentes, & proſtratos homines greſſus glomerare, olfactumque, quo in rabiẽ illos agi Plinius aſſerit, tetris odoribus ferendis accommodare, fa- Lib. 8. cap. 42. cile erit poſtea vt tantâ rerum inſolentiâ, & nouitate perturbentur. Quemadmodum Liuius de Romanorum equis notat, quod in Lib. 21. Trebiana pugna, duplici terrore in fugam acti fuerint, altero quidem ex Elephantorum conſpectu, quos minime ſoliti erant videre; altero vero ex odore fœdiſſimo olei liquefacti, atque cum ſudore corporum ex multa defatigatione permixti, qui è militibus Annibalis oleo perunctis, & madentibus, quo facilius membra frigoris rigore torpentia diſtenderent, adeo teter, ac fœdus, & deteſtabilis nares omniũ feriebat: vt etiam ab ijs qui cauſam eius non ignorarent, haud facile poſſet tolerari. Quare non reijciendum cenſeo Perſarum ſtratagema, qui teſte Aeliano armata Lib. 16. Hiſt. cap. 15. cadauerum ſimulacra, fœno paleâque effarcta, equis ſubijciebãt, vt cæſorum in bello conſpectum ferre conſueſcerent: quo conſilio propter torrentium ripas, & fabrorum officinas, piſtrinaque olearum, & Iſatidis herbæ fœtentia, ac tabernas pellium purgandarum, & ſutrinas agendi ſunt etiam, & circum ducendi frequenter; ne clamore ac fœtore, rerumque metu terribilium ita exturbentur, vt ipſorum propterea nullus ſit vſus in re militari.

13. Et ſpeciatim vt hi Lanceari ac ſclo-

Ab equis vero ad equites tranſeundum eſt, quiquidem omnes antea Cataphracti ſeu *lanceary* fuerunt, ſed exhauſta bello nobilitate, & rudioris ſeculi veſtigijs paulatim euaneſcentibus, horum

petarii commodè vtantur. loco ſubſtituti ſunt *Loricati*, vulgo *Coraſſarij*, qui vt Hermano Hugoni videtur, hoc tantum à Lancearijs differunt, quod fulminalibus exiguis ſeu ſclopis vtantur pro Lancea, & gradario ſuccuſſarioque equo, pro expedito. Sed præter hos equites ſunt, adhuc alij qui fiſtula paulo longiore plumbeas glandes iaculantur, à Pedemontanis inuentoribus *Carabini* appellati, noſtratibus vero Gallis, quamquam peneiam obſoleto nomine *Bandularij*, à balteo ſeu zona quam *Bandouliere* vocant. Horum igitur exercitatio talis eſſe debet, vt primùm inſtruantur iaculandi arte; poſtea vt ex equo ad ſcopum conliment, ac ſubinde etiam in ipſo curſu, ne à flamma vultum metu auertant; atque vt in ipſo receptu tubum ſuum denuo impleant puluere, & plumbo, rotamque temperent: cuius rei ſi tempus non ſuppetat, gladio & ſclopo ſe defendent. *Lancearij* demum ſi qui adhuc illorum vſus eſt in acie, ſtudere debent, vt in ſtramineum hominem decurrentes, partem eius quã voluerint ſummam, mediam, infimam, ferire, poſſint; vt lanceas gerant erectas, vel proclinatas decenter; vt has ad læuam, aut dexteram prout opus erit cõuertant; vt exiguum fulminale quod ab equina ſella dependet, priuſquam lancea fracta ſit, aut vſui amplius inepta, non expediant, & eiuſmodi multa faciãt, quæ melius inter exercitia militaria animi gratià haſtis inſtituta, addiſcuntur, quàm in ſeuerioris diſciplinæ ſchola.

14. *Tandem quæ ars ipſa torneamẽtorum ſeu Troiæ ludus,* Vt propterea aliquid etiam ſubnectendum ſit de ludicro illo certamine, quo equites vel turmatim inter ſe decurrunt, pugnantque armis obtuſis; vel ſinguli cataphracti, intermediâ de more erectarum tabularum lineâ diſcreti, concurrunt; vel alio tandem quouis modo digladiantur, cùm modus concurſionis non vnus ſemper fuerit apud omnes, licet finis idem fuerit, nempe militaris exercitatio. Hos vero ludos Suetonius in Caligula *Haſticos* vocat, vbi quidam cum ignorarent qui nam illi eſſent *Atticos*, & *Actiacos* etiam legunt, multaque comminiſcuntur quæ à vero prorſus abhorrent. Græcè autem *Xyſticos* illos appellari poſſe *Lib. 21. c. 18.* Cœlius Rhodiginus arbitratus eſt, velut gladiatores *Xyſtici* quoque dicuntur, ab haſtili apud ipſos in vſu frequenti, quod ξυςὸν Græci vocant, quamquam & eo etiam nomine diceretur locus in quo exercentur Atlethæ. Nos vero eiuſmodi ludicras exercitationes *Torneamenta* vocamus, inuersè quaſi *Troiamenta*, dimicatio-

cationeſque *Troianas*, quia à Troiana Iuuentute quam Virgilius ſic inſtitutam fuiſſe refert, ad hæc vſque tempora ſucceſſione quadam exemplorum peruenerunt, nempe *Aeneid 8.*

Hunc morem, curſus atque hæc certamina primus
Aſcanius, longam muris cùm cingeret Albam,
Rettulit, & priſcos docuit celebrare Latinos,
Quos puer ipſe modo ſecum, quo Troia pubes
Albani docuere ſuos, hinc maxima porrò
Accepit Roma, & Patrium ſeruauit honorem:
Troiaque nunc pueri, Troianum dicitur agmen.

Indeque Suetonius in Cæſare, Auguſto, Tyberio, Claudio, & Tacitus paſſim nomen iſtud *Troiani ludi*, ſeu *Troiæ* retinuerunt; cuius mos hodiernus in eo tantum ab antiquo deflexit, quod non amplius pueri, ſed viri inter ſe concurrunt; neque aperto capite coronatoque, ſed caſſide tecto pugna initur.

15. *Cuius occaſione explicantur Iuuenalis verſus de hirſuto Capella.*

Eiuſque rei gratiâ, factum quidem crediderim apud Romanos, vt adoleſcentes ſtatim à teneris, equos aſcendere, flectere in gyrum, ac tandem ex ipſis pugnare docerentur: quamuis ſapientiores Græci, pueros quos abſque periculo, rudimenta equeſtris artis diſcere volebant, in dorſum Arietum, ne ſcilicet ex alto delaberentur, imponerent; quemadmodum ex Homero conficit Petrus Victorius in varijs. Ex quo priſcorum more nonnulli poſtea conati ſunt explicare verſus illos Iuuenalis in ſatyra quinta, *Lib. 8 cap. 9.*

Tu ſcabie frueris mali, quod in aggere rodit
Qui tegitur parmà, & galeà, metuens quæ flagelli
Diſcit ab hirſuto iaculum torquere Capella.

ſuper quorum germana ſententia, non minus turbatur inter Grammaticos, quàm ſi de ſumma rerum ageretur: dum alij Capellam pro *Scopo* ponunt; alij pro *equo*; nonnulli eius loco quaſi ſcena verſa *hirſutum Centurionem* repræſentant; cæteri textum emendant, & pro hirſuta Capella *anſata Cateia* legunt, ſed æquè meo iudicio omnes infeliciter, quandoquidem niſi reuiuiſcat auctor, & mentem ſuam explicet, fruſtra cæteri, in iſtius litis compoſitione, ſuis coniecturis deſudabunt. In quarum tamen varietate ſi mihi alicuius delectum habere liceat, potiorem ſanè arbitrarer ego illam fuiſſe, quam in medium protulit criticus variæ lectionis Laurentius Ramireſius de Prado, dum Græculum Magiſtrum intel- *cap. 25. pentecontarch.*

Lib. 5. Satyr. 6. intelligit, qui in aggere vrbano cuius meminere Strabo, & ipſemet Iuuenalis in hoc verſu.

Plebeium in circo poſitum eſt, & in aggere fatum.

Beſtiarium edocebat iaculum torquere & emittere, quo feras eruditè transuerberaret in circo; notum eſt enim poſteriori illa ætate quà Romani nondum barbam alere cœperant, Græcos, quia contrario more viuebant, ludibrio apud illos fuiſſe: & quaſi barba ſolas capras, aut hircos deceret *Capellas* appellari ſolitos: quo conuicij genere verberatum frequenter à Palatinis Iulianum parabatam, eo quod promiſſam barbam aleret, quam forte aduerſus Syros & Antiochenſes non ſatis honeſtè in ſuo criſopogone Lib. 19. defenderat, auctor eſt Ammianus Marcellinus his verbis *omnes qui plus poterant in palatio, adulandi profeſſores iam docti, rectè conſulta, proſperèque completa, vertebant in deridiculum, talia ſine modo ſtrepentes inſulsè: in odium venit cum victorijs ſuis Capella non Homo, vt hirſutum, Iulianum carpentes*, eademque ratione Lib. 14. ipſe Iulianus Perſas appellat *deformes illuuie capellas & tetras* quemadmodum Marcellinus in ſubſequentibus libris conſignauit.

16. *Et haſtiludiorum ritus ac vtilitas.* Cæterum quomodo fierent antiquitus Torneamenta mirificè Virgilius expreſſit, vbi de celebratis ab Aſcanio

Olli diſcurrere pares atque agmine verſo
Diductis ſoluerè choris, rurſuſque vocati
Conuertere vias, infeſtaque tela tulere:
Inde alios ineunt curſus, alioſque recurſus
Aduerſis ſpatijs, alterniſque orbibus orbes
Impediunt, pugnæque cient ſimulacra futuræ.

neque multum ab his motibus bellicis diſſidebant illi, quos Narſetes ſuis militibus imperabat, quaſi militarium decurſionum ſimulacra; Libro 2. Hiſt. *faciens eos vt inquit Agathias Smyrneus in orbem decurrere, & in equis decenter velitari, & in ſpeciem armatæ cuiuſdam Pyrrichæ circumuehi, & confeſtim tubâ claſſicum canente ad ſigna turmatim cogi*. Noſtris vero, & auorum etiam temporibus, quomodo ludi haſtici celebrari conſueuerint, videri poſſet illud cumulatè declaraſſe Ludouicus Lazarellus in libello de apparatu Patauini haſtiludij, quem verſu non ita rancidulo compoſitum diutiſſimèque in Bibliothecis Patauinis aſſeruatum, aut Pignorius, aut quicunque fuit boni publici ſtudioſus, paucis ab hinc annis prodire

dire

Digitized by Google

dire in lucem fecit. Verum quia haſtiludium hoc maiori apparatu ludorum, & ſcenarum celebratum fuit, quàm in equeſtri decurſione conueniat; aliud propterea in exemplum propono, & à nobilioribus longè poetis celebratum nempe Angelo Politiano, & Aloyſio Pulcio Florentinis, quorum hic etruſco, ille vero latino carmine, eos ludos tanquam in tabula exhibuerunt, quos Florentinæ iuuentutis *Principes* Iulianus, & Petrus Medicei, tum conglobatis, confertiſque turmis ad veri certaminis imaginem, libero in campo dimicantibus; cùm perfractis, aduerſus concurrentium inter ſe equitum pectoribus, lanceis, maxima omnium admiratione ediderũt: ita vt ab hac exercitatione tam laudabiliter peracta, non minimam de ſe in hominum animis concitarint expectationem. Quemadmodum etiam narratur de Conſaluo Agidario, qui poſtea *magnus* ab illuſtri facinorum gloria dictus eſt, quod ſuæ famæ, ac exiſtimationis principium, ex eodem ludo traxerit; cùm apud ſapientiſſimam Reginam Iſabellam Arragoniam educatus, quoties in eius aula, ſpectacula, & equeſtres ludi, vel concurrentium iuuenum haſtatorum, vel arundines more Maurisiaco iaculantium ederentur, vſque adeo ſupra æquales ſummæ nobilitatis adoleſcentes ſeſe efferret, vt acclamatione ſpectantis populi victor ſalutaretur. Nec ab alio ludo prodijt martius ille vigor, qui in Proauo tuo Franciſco, per omnes vitæ ſuæ gradus conſtanter eluxit, quàm ab haſtico; in quo ſe interea dum à Syluia matre lectiſſima Heroina, Ceſenę præclariſſimarum omnium virtutum documentis informaretur, generoſa ſemper æmulatione cum Malateſtis, alijſque Flaminiæ Regulis exercebat. vt omnino negari non poſſit, vehementem, illis præſertim quos natalium ſplendor vrget, ludicris eiuſmodi certaminibus, ad præclara quæque & excelſa addi ſtimulum.

Quanquam non ita ſemper lætitiæ, ac iucundæ & honeſtæ voluptatis plena ſint, quin dubia plerumque, & luctuoſa reddantur ſiniſtro aliquo & imparato euentu, vt olim Nonio Aſprenati contigit, qui coram Auguſto Cæſare Troiã ludens, crure ex equi lapſu debilitatus eſt. Nec mirum hercle de pueris videri debet, cùm eadem exercitatio viros etiam in diſcrimen adducat, Titi Manlij cõſulis fato, qui ab rapido curſu circum agendo equo effuſus, extemplo prope ab hominibus demigrauit. verum quid opus eſt anti- 17. *Que nõnũquã dubia redditur infœlici multorũ caſu*

antiquà memorià in recentemtemporum noſtrorum hiſtoriam intuenti, quæ tot huiuſce rei profert exempla, vt videri malim à cauſa deſtitutus,quàm hic ſingula recenſere.Certè Federicus Feltrius Vrbinatum Princeps, in ſpectaculis equeſtribus, ab ictu lanceæ dextro orbatus oculo, iniquam honeſtiſſimo ore deformitatem prætulit:& nos Galli vidimus noſtro malo, ac experti ſumus infœlices caſus Franciſci Borbonij Anchiani, & Henrici eius nominis ſecundi paternæ virtutis æmuli, verèque fortiſſimi Regis; quorum ille poſt profligatum à ſe Dauali Vaſtij ad Ceriſolam exercitum, trucidataſque Germanorum legiones, eum vitæ exitum tulit, vt quem armatæ Cæſaris phalanges, pugnantem ſuperare nequiêrant,miſerabili in ludo,luxata ceruice,confractoque cerebro,ſterneretur: hic vero dum pro pace triumphus agitur, dum publica fit gratulatio, & geſtiunt omnes ac exultant,ipſeque etiam inter alios *Troiam ludens* cum Mongomerio comite concurreret, confractis vtrimque haſtis, ex trunci ictu qui forte per apertam caſſidem in oculum penetrauerat, ſecundaria percuſſione vulnus accepit, quo intra vndecimũ diem confectus eſt, ſqualloríque, & luctui ita ceſſit alacritas. Vnde cum minimè honeſtum cenſeam Othomanici Gemis conſilium, qui ad equeſtres ludos, deductus,in quibus nobiles cataphracti haſtis inter ſe concurrũt, & ſœpe ephippijs eſcuſſi ſolo deturbantur;huiuſmodi ſpectacula, Turcarum ſuorum more, ad ſeruos, militeſque gregarios ableganda cenſebat;nec hi ſanè eodem etiã euentu terminari ſoleãt, ac *Ludus* ille *amoris*,quem Taruiſij ad annum MCCXIV,incredibili propemodum fœlicitate viros inter, & fœminas celebratum fuiſſe teſtãtur autores grauiſſimi Sabellicus, Ioannes Candidus, Scardeonius, & Andreas Reduſius à querno;dum ſcilicet hæ erectam ex lignis affabrè dolatis,munitamque pręclaris tapetibus,& ornamentis aureis,gemmeiſque arcem,aduerſus illos tuebantur,& mala tantum aurea,globulos odoriferos lilia,roſas, balſamum,ſmegmatumque redolentium varia genera in ſubeuntes deuoluebant, qui viciſſim eiſdem, aut ſimilibus armis in nouas illas Amazones vtebantur: ita vt præclarè omnia ad voluptates & delicias conſentirent. Certè illud ſaltem cauendum in noſtris decurſionibus haſticis moneo, vt ab ætate tantum prouectioribus, & quantum fieri poterit minori periculo, ſuſcipiantur: ita enim præſtantiſſimis

ris actionibus viam ſternent, virtutemque tutò excitabunt, inter pacis otia eiuſque oblectationes ferme conſopitam.

XXIII:

1 *Hactenus de diſciplina extra vallũ, in vallo autem ſpectantur munia ſeu officia & leges.*

Porro vt hæc omnia, quæ ſeuerioribus antiquæ diſciplnæ inſtitutis Tyronibus ex præſcripto ſubeunda fuerunt, prout nunc ſunt tempora; & ducum, ac populorum indulgentia vniuſcuiuſque militis arbitrio relinquantur; aut obeunda ſi ita illi commodum videatur, aut ſuſque deque habenda. Quædam tamen ſunt dum ipſe in vallo continetur, ita ad eius inſtitutionem neceſſaria, vt ſi illa pariter negligantur, ruere omnia in peius videri poſſint, ac retro ſublapſa referri. Hæc vero *Munia ſunt*, quæ præſtare debet in ſeruãdis ordinibus; operibus, quæ ex vſu Caſtrorũ erunt, ſtrenuè exantlandis; & ducum, ac præfectorum Imperio quantumuis illud ſeuerũ, ac periculoſę plenum aleę fuerit gnauiter exhauriendo. *Leges* præterea quibus ad tẽperantiã, continentiã, modeſtiam, abſtinentiam, & religionem informetur, militi diligenter obſeruandæ ſunt; ne ſi moribus inquinatis irretitus, & vitiorum illecebris debilitatus in hoſtes contendat, facilem illis de ſe, incruentamque victoriam præbeat.

2.

Diciturque de primo militis officio ſpectato cum in genere.

Vt igitur de illis omnibus ſigillatim dicendo, nihil eorum quæ ad militaris diſciplinæ momenta pertinent reliqui faciam, ordo in primis ita militiæ conuenit, vt eius nomen græcum eſſe, & à militia ſecundum proportionem ad cætera translatum Scaliger, non fruſtra, nec ineptè commentus ſit: dicebant ſiquidem militibus Præfecti, vt pluribus apud doctiſſimum Barnabam Briſſonium videre eſt, *hactenus tibi licet, hic conſiſtes, eo progredere, huc reuertere*. quod & Liuius admonere voluit, cùm ſcribit Centurionem exclamaſſe *ſignifer ſtatue ſignum hic manebimus optimè*, & Cæſar frequẽter ad milites vſurpabat *ite huc, venite commilitones*: quemadmodum Aenas.

lib. 4. formul.

Aeneid. 2.

Arma viri ferte arma, vocat lux vltima victos.

& Aeneide quinta,

Cuncti adſint, meritæque expectent præmia palmæ.

Id autem omne Græcis eſt ὀρθῶσθαι quod Aeoles cùm non aſpirant nata eſt inquit Scaliger vox *ordo*; ſicut τάξις ab aciei directione, eodem ſignificatu vſurpata fuit. Quanti vero interſit hunc ordinem cùm in acie, tum in caſtris, & itinere faciundo ſeruari: declarant ſatis militiæ veteris Græcorum, ac Romanorum decreta,

quibus

lib. 8. cap. 6. quibus apud illos quidem ſicut à Iulio Polluce memoratum eſt, eandem incurrebat pœnam, qui nauali bello, quàm qui terreſtri ſuum ordinem deſeruiſſet: apud hos verò legibus cautum erat omnium grauiſſimis, & ſeueriſſimis, ne miles à præſidio decedat, neue locum relinquat, aut è caſtris effugiat, vel diſcedat longius: ſed explorato ſub ſignis; non modo in aciẽ prodeat, ſed lignatum & pabulatum vadat; omnia denique non aliter quàm ſi coram hoſte verſaretur, cautè prouidenterque ſuſcipiat peragenda. vnde Liuius non immerito dicebat *fuſtuarium meretur, qui ſigna relinquit, aut præſidio decedit*: & Cicero tertia oratione in Antonium *ſi Conſul ille, fuſtuarium meruerunt legiones, quæ Conſulem deſeruerũt*, quamobrem quicumque dux apud Romanos diſciplinæ militaris rigidus exactor fuit, vel fuſtuarij pœnà, eos qui ſimile aliquid cõmiſiſſent plectebat, vt Scipio Aemilianus, qui militem extra ordinem deprænhenſum vulgato ad rem militarem exemplo, ſi Romanus ciuis eſſet, *Vitibus*; ſi vero externus *Fuſtibus* cædebat: vel iiſdẽ ſi præſertim locum in pugna, aut ſtationem à Tribuno aſſignatam deſeruiſſent, pedes, aut manus detruncabat, vt Aufidius Caſſius, qui maiori exemplo fore aſſerebat, miſerabiliter viuere deſertorẽ, quàm hunc in crucem tolli, vel alia morte affici, vt Iubæ, & Cyro aliiſque Ducibus viſum fuit.

lib. 5.

3. Cùm in acie, expugnaipſa. Nimirum ignauiam tũc puniebant, quæ fugæ, omniumque maximo dedecori aditum patefacit, non ignorationem eius diſciplinæ, quam Aeneas tacticus apud Aelianum definit *ſcientiam bellicæ motionis*, & Vegetius cæteris exercitationibus difficiliorẽ eſſe cenſet, cùm *illud magis quiddam eſſe* dicat *quod ordinem ſeruare diſcunt, & vexillum ſuum in tantis permixtionibus, in ipſa proluſione comitantur, nec inter doctos aliquis error exiſtit cum multitudinis ſit tanta confuſio*: & certè quod in propugnaculis obſeruare licet, quæ forma quàm materia tutiora redduntur, illud ipſum in exercitu quoque fieri conſueuit: quem iuſta aciei diſpoſitio, ac ordo, longè firmiorem reddunt, quàm quæuis alia res quæ in ipſo deprænhendatur, vt exemplis eorum populorum ſuaderi poteſt, qui ſemper ordinis in acie ſeruantiſſimi fuerunt, inter quos Romani, ſuis legionibus vniuerſum orbem ſubegerunt; Macedones vero ſuis Phalangibus innumeras victorias ex potentiſſimis hoſtibus retulere; non vtique aliam ob cauſam, niſi quia perpetuum

lib. 2. cap. 23.

ſemper,

ſemper, ac inuictum pugnandi ordinem ſeruarunt; quemadmodum de Romanis Cæſar in primo bellorum ciuilium teſtatus eſt, vbi poſtquam de Afrani militibus dixit quod *ordines ſuos non magnopere ſeruarent, rari diſperſique pugnarent, ſi premerentur pedem referre, & loco excedere non dubitarent*; demum de ſuis loquẽs talia ſubiungit *hæc tamen ratio noſtros perturbat inſuetos huius generis pugnæ; circumiri enim ſeſe ab aperto latere procurrentibus ſingulis arbitrabantur: ipſi autem ſuos ordines ſeruare, neque à ſignis diſcedere, neque ſine graui cauſa eum locum quem ceperant, dimitti cenſuerant oportere*; & equidem cùm huius ordinis ſumma multum etiam à milite dependeat, qui *ſtammata*, ſeu *loca*, vt hoc verbum accipere videtur D. Hieronymus, *vnicuique in acie deſtinata*, cuſtodire debet, hinc eſt quod Tyrones ex veteris diſciplinæ regula, vt diſpoſito conſiſterent ordine, neue aut conglobarent agmen, aut laxarent, & condenſari ſpatia pugnandi amitterent, in campum deducebantur; & è catalogo vt erant vocati, ita in ordinem veniebant, faciebãtque primo ſimplicem, & extenſam aciem, nullo ſinu, nullâ curuaturâ, diſtabatque æquali, & legitimo ſpatio miles à milite, tum iubebantur illam repente duplicare, eodem ordine conſeruato; ad hæc vt quadratam ſubito aciem efficerent; eãdemque mox in trigonum, ſeu cuneum mutarent, aut in orbem cõſtituerent, omneſque immutationes, conuerſiones, inflexiones, reuolutiones, & reſtitutiones repræſentarent, quæ vtiles eſſe poſſint, ad ſubitos hoſtium ſuperuentus, quos à latere, vel fronte, aut tergo intulerint ſuſtinendos. Atque vt hæc præſtarent copiæ tam pedeſtres, quàm equeſtres, certa vocabula, & formulas ordinationis habebant, in quibus explicandis, ita præclarè verſati ſunt Aelianus magni nominis Sophiſta, Mauricius Imperator, & tertius ab illis accuratiſſimus Rigaltius in voce Σχήματα vt omnes eruditi gratiam illis debeant operæ tam præclarè, vtiliterque collocatæ; non minus certè quàm Onoſandro cuius conſilium eſt ex elegantiſſima verſione doctiſſimi eiuſdem Rigaltij, *vt diſponantur ſinguli milites in armis; illiſque præcipua curarum iſta ſit, aſſiduo vſu permanere in ordine item vt diſcant quis progredi debeat, quo imperante quo loco, quot ſocijs comitatus, denique vel leuiſſimo nutu, & ſignis adſtent in ordines ſinguli, tum vero doceantur agmen producere, contrahere inclinare in læuum, in dextrum latus: manipulos, traducere, diuidere,* capi. 10. Strategci.

dere, condenſare, vel etiam vicibus alternis accedere, & recedere ſicut enim vt idem auctor ſubiungit, quem eo lubentius adduco, quod nihil me iudice, vel ſubtilius excogitatum, vel venuſtius translatum in hanc rem afferri poteſt, *qui Muſicorum inſtrumentorum principijs adhuc erudiuntur. quando aut tibiarum foramina, aut neruorum interualla, digitorum pulſu diſcernenda ſunt, ſæpenumero alia aliis digitis abſque vllo concentu premunt, inconditè, & languidè ponendo articulos, ſegniter quoque tollendo vix neruos intendunt; at qui iam frequenti curà & vſu totam artem probè callent, manu ad numeros compoſita, celeri leuitate ſubtiliter agitata, tibiarum flatus vt libet aut comprimũt, aut laxant, fidibuſque facile perſtrepũt. conſimili quoque ratione ordinum ſeruandorum inſueti, & ignari, poſt multos errores, & amfractus, vix tandem diſpoſitè conquieſcunt, qui vero communibus animis conſpirare edocti ſunt, dato ſigno de repente quaſi naturali motu ipſi per ſe feruntur in ordines, aciemque pulchrè concinnatam componunt.* Quibus præceptis; quodnam aliud exemplũ ſubijci dignius poteſt quàm Iulij Cæſaris? qui non vt Imperator exercitum veteranum, victoremque maximis rebus geſtis; ſed vt *Laniſta* Tyrones gladiatores condocefacere viſus eſt, quo pede ſe reciperẽt ab hoſte, & quemadmodum obuerſi aduerſarijs, & in quantulo ſpatio reſiſterent, comminarenturque, ac prope quo loco, & quemadmodum tela mitterent. Neque remiſſius Cæſare id egit Philopoemẽ inſignis equitum Magiſter, is enim teſte Plutarcho ſuos turmatim in latus conuertere, & in terga obuertere aciem, & flectere docuit, ita vt totius circumagendi globi dexteritas vnum corpus repræſentaret, ſuo ſe contorquens motu; nempe grande in ijs rebus momentum latere prudentiſſimi duces intelligebant, & ſæpe integros exercitus perijſſe, oborta in iſtis motionibus parua aliqua confuſione, cum palantes, & diſperſos milites, longè faciliùs ſit in fugam conuertere, aut proſternere ſæuiente ferro, quàm dum illos.

Defendit numerus, iunctæque vmbone Phalanges.

quamobrem rerum vſu quotidianaque edoctus experientià Philippus Macedo ſuis militibus præcipiebat, vt denſis ordinibus iũctiſque decertarent, nec diſiungi alios ab alijs, diſſiparique paterentur; & Saraceni apud Paulum Aemilium cum vim & impetum equitatus perferre non poſſent, aſtu ſe in fugam, potiùs quàm

metu

metu conijciebant, vt inſequentes temerè, ac neglectis ordinibus diſperſos hoſtes, redintegrato prœlio facilius ſuperarent. Quinimo ſcribit Campanus Braccium Montonum ducem ſua tempeſtate clariſſimum, non alia ratione, edito in ſubiectis Aquilæ campis memorabili prœlio, à Sfortianis & Pontificijs copijs fuiſſe ſuperatum, niſi quod ſuperbo faſtu hoſtes contemnens, non illos aggredi voluit, cùm à ſe inuicem ſeiuncti, diſperſique errabant, ſed tempus illis dedit, vt omnes ſimul conglobati, & iuſta acie compoſiti ſecum pugnare poſſent. Denique ſi quis in bellorum rationes diligenter aduertat, proculdubio inueniet is, nihil vnquam abſque ordine feliciter in illis fuiſſe attentatum; & certè quod depugna campali, & velitationibus diximus, idem probat Virgilius de vrbium obſidione, & propugnatione his verſibus

libro de vita Braccij.

Aeneide 9.

Omnis per murum legio ſortita periclum
Excubat, exercetque vices quod cuique tuendum eſt.

vt nihil ſit in bello reliquum quod ordine non iuuetur perficiaturque.

4. *In agmine etiam ſeu itinere.*

Iam vero ſi huius in acie neglecti periculum magnum eſt, longè tamen maius videri poteſt quod ex eodem errore *in agmine vel itinere* contingit, vt Iſidoro in hac voce morem geram qui exercitum ad iter inſtructum *agmen* propriè appellari teſtatur: nam vt inquit Vegetius *in conflictu armati ſunt, & hoſtem cominus vident, & ad pugnandum animo veniunt præparati; in itinere minus armatus, minuſque attentus eſt miles; & ſuperueniente impetu vel fraude, repente turbatur.* Nimirum quia multi coire interſe propter viarum anguſtiam & Impedimenta ſæpiſſime non poſſunt, & vnicuique tantum ferendum eſt, quantum ab hoſte imminet periculi, multaque inſuper ſunt, quæ ſeiunctos ab alijs facilius in diſcrimen adducunt, vt via inuia, vada fluminum ignota, loca ardua & montoſa, ſyluarũ ambages; & in his aut alibi hoſtium inſidiæ, prædonum latibula, ruſticorum furentium turbæ, cohorteſque armatæ ad vindictam; adde ſitim, Solem, puluerem, commeatus inopiam, & plerumque in hoſtili ſolo aduerſa omnia; atque inter tot anguſtias depræhenſis nõ male ominabere, præſertim ſi à ſocijs fato, vel errore diſiuncti ſint? profecto tam iniqua eſt militum conditio, dum in itinere verſantur aut ignoto, aut impedito, vt populus ille qui migrationis ſuæ ex Aegypto nubem & ignem

lib. 9. origin. cap. 3.

lib. 3. cap. 6.

Numerorum cap. 10. v. 31.

duces hab ebat; ductorem præterea quem interroget Hobabum, fili um Raguelis ſibi depoſcat. *noli* inquit illi Moyſes *nos relinquere, tu enim noſti in quibus locis per deſertum caſtra ponere debemus, & eris ductor noſter*. Quare non ſolum Imperatori prouidendum eſt vt Moyſis exemplo peritos itinerum duces ſecum habeat; vt exploratores præmittat, qui viarum anguſtias, & nemorum ſaltus inuios perluſtrent, ne quod in ipſis per inſidias detrimentum accipiat; vt quantum ſatis erit commeatus, procuret; aliaque præſidia itineris tuto faciendi ſuggerat. Sed militis quoque partes erunt, dicto ſe obedientem & expeditum ad omnia præſtare, nunquam extra viam deflectere, nunquam excurrere, nunquam morari, putareque, ſibi, modo in ordine perſiſtat; nihil obijci poſſe tam ardum & difficile, quod non æquo animo ferat, vel ſuperet: ſi autem vel minimùm ab illo diſcedat, multa ſtatim impendere pericula, quæ nulla poſtea arte vel induſtriâ declinare poſſit.

5.

Vbi explicatur qualis in eo Romanorum diſciplina.

Atque vt his difficultatibus & periculis obuiam irent Romani, multa ſanè excogitauerant, veluti ſecurè incedẽdi & exercitus in longiſſimas etiam prouincias traducendi præſidia; nam *agminis* vt inquit Seruius duo genera ſeruabant, *quadratum* vnum quod immiſtis etiam iumentis vtique poterat conſiſtere; & *pilatum* alterum quod nec iumenta, nec impedimenta admittebat, ſed inter ſe denſum erat, quo facilius per iniqua loca tranſmitteretur. Præterea ſolebant ſingulis diebus ſiue *caſtris* legitimum iter conficere, quod quantum & cuiuſmodi fuerit, poſſumus facilè coniecturà aſſequi ex Vegetio, ſi quidem vt ille inquit *militari gradu, viginti millia paſſuum horis quinque dumtaxat æſtiuis cõficienda ſunt, pleno autem gradu, qui citatior eſt, totidem horis viginti quatuor peragenda ſunt*. Denique ſi non fallit Ioſephus quemadmodum plerumque ſolet, præter arma, geſtabant inſuper ea ferme omnia, quorum in itinere vſus eſſe poteſt, ſerram videlicet, Cophinum, ſarculum, ſecurim, funem, falcem, catenam, *triduique*, aut ſi Tullium audis *dimidiati menſis*, & ſi Ammianum *viginti dierum* cibaria, quibus nõnunquã vallus addebatur *ligneus* videlicet ille *palus duos*, vt a Polybio deſcribitur *treſue & ad ſummũ quatuor ramos habens* quo in munitione caſtrorum vtebantur: ita vt ſi horum omnium pondus diligenter ineatur, facile rationem illius ſuperet, quod à Vegetio laudatur, dum inquit *pondus quoque baiulare vſque ad*

lib. 1. cap. 9.

Libro 3.

lib. 1. cap. 19.

ad ſexaginta libras, & iter facere gradu militari frequentiſſimè cogendi ſunt iuniores: Verum quia multos ante me de his bene ſufficienterque dixiſſe video, abſtineo propterea calamum ab eorundem explicatione; & quem mihi videor quaſi ex meo penu proferre poſſe elegantiſſimum D. Ambroſij locum, in quo militaris itineris rationem omnem, vel noſtris etiam temporibus receptã, ac longe tutiſſimam complexus eſt, hunc tantum in medium affero. *Miles cùm ingreditur viandi ordinem non ipſe diſponit ſibi, nec pro ſuo arbitrio viam carpit, nec voluntaria captat compendia ne recedat à ſignis: ſed itinerarium ab imperatore accipit & cuſtodit illud, præſcripto incedit ordine, cum armis ſuis ambulat certaque via conficit iter, vt inueniat commeatuum ſibi parata ſubſidia: ſi alio ambulauerit itinere, annonam non accipit, manſionem paratam non inuenit; quia Imperator ijs iubet hæc præparari omnia qui ſequuntur, nec dextrà, nec ſiniſtrà à præſumpto itinere declinant; meritoque non deficit qui imperatorem ſuum ſequitur, moderate enim ambulat quia imperator non quod ſibi vtile ſed quod omnibus poſſibile conſiderat, ideoque & ſtatiua ordinat triduo ambulat exercitus, quarto requieſcit die. eliguntur ciuitates in quibus triduum, quatriduum & plures interponuntur dies, ſi aquis abundant, commercijs frequentantur: & ita ſine labore conficitur iter donec ad eam vrbem perueniatur, quæ quaſi regalis eligitur, in qua feſſis exercitibus requies miniſtratur.* Sermone 5. in Pſal. 118.

6. *Et reijciuntur hiſtorici qui Annibalẽ Alpes igne & aceto rupiſſe contendunt.*

At vero cùm ea nunc ſe offerat occaſio, de famoſo illo Annibalis tranſitu per Alpes ex Gallia in Italiam, dicendi, qua neſcio an commodior vlla obijci mihi in hoc opere pertexendo poterit; libenter hanc arripio, vt ex detecta multorum vanitate, qui ſibi falsò perſuadent ſcopulos ingentes, monteſque integros, igne & aceto fuiſſe in ea expeditione ab Annibale perfractos, oſtendam conſequenter, quàm prona ſit in nugas hominum natura, quæ nihil non recipit, etiam ex eorum genere quæ abſurda ſunt, & fieri nullo modo poſſunt, modo ſit aliquis, qui ſe ex inſania, vel ignoratione, ipſorum auctorem & aſſertorem reliquis præbeat. Hæc vero de Annibale fabula non vnum modò, aut alterum teſtem nacta eſt, ſed celeberrimos antiquioris æui ſcriptores ita in errorem ſeduxit, vt ad hæc vſque tempora fucum fecerit veritati. quis enim Liuio tam nobili hiſtorico fidem de illa montium diductione non haberet, dum quaſi præſens fuiſſet, ipſam his verbis

ob oculos repræſentat? *inde ad rupem minuendam, per quàm via*
Lib. 21. *vna eſſe poterat, milites ducti; cum cædendum eſſet ſaxum, arboribus circa immanibus deiectis, detruncatiſque, ſtruem ingentem lignorum faciunt eamque cùm vis venti apta faciendo igni coorta eſſet, ſuccendunt, ardentiaque ſaxa infuſo aceto putrefaciunt, ita torridam*
in Annibale. *incendio rupem ferro pandunt, molliuntque anfractibus modicis cliuos, vt non iumenta ſolum; ſed etiam Vlephanti educi poſſent?* quis item non credat Plutarcho aſſerenti, tantopere Annibali in hoc montium tranſitu laborandum fuiſſe, vt quibuſdam locis *per*
lib. 3. *ingentia ſaxa igni acetoque putrefacta, ſibi aperuerit iter?* aut quis
in Annibal. ſubleſtæ fidei tot alios ſcriptores accuſet Appianum Euriopium,
Lib. 15. Aemilium Probum, Ammianum Marcellinum, Paulum Oroſium,
lib. 4. cap. 14 & alios qui de hac hiſtoria cum ſuperioribus conueniunt? ac tandem etiam Silium Italicum, & Iuuenalem, qui velut tantæ molis operi referendo impares fuiſſent, eius narrationem quaſi onere partito ita inter ſe diuiſerunt, vt quod hiſtorici de ſtrue lignorum igneque ad excoquenda ſaxa ſuccenſo, dixerant Silius hoc modo referat.

Lib. 3.

Non acies, hoſtiſue tenet ſed prona minaci
Prærupto turbat & cautibus obuia rupes.
Stant clauſi, moerentque moras, & dura viarum
Nec refouere datur torpentia membra quiete,
Noctem operi iungunt, & robora ferre coactis
Approperant humeris, ac raptas collibus ornos,
Iamque vbi nudarunt ſyluâ denſiſſimâ montes,
Aggeſſere trabes, rapidiſque accenſus in orbem
Excoquitur flammis ſcopulus, mox proruta ferro
Dat gemitum putris reſoluto pondere moles,
Atque aperit feſſis ignoti regna Latini.

Satyr. 10. quod vero addunt de aceto, Iuuenalis his verſibus confirmarit

Additur Imperijs Hiſpania, Pyreneum
Tranſilit; oppoſuit natura Alpemque niueſque,
Diduxit ſcopulos, & montem rupit aceto.

ſed experiamur nunc ecquid vt Plautino more loquar, habeant hi ſcriptores *aceti in pectore* cùm tales fabulas referunt, quas ego dum in ſcholis audirem à Pædagogis, ne quidem vnquam probare potui, multoque minus poſtquàm Polybium legi, hiſtoricum

Deus

Digitized by Google

Deus bone qualem, & quàm bonis omnibus ac ſapientioribus viris probatum & acceptum! cui vni potius quàm cæteris, vel eo nomine de hoc tranſitu credendum eſt; quod ſi quis eſt qui res geſtas aptè literis mandare poſſit, itaque eas exponere, vt magnæ vtilitates inde capiantur, is ſine dubio eſt, qui & earum vſum habet, & loca in quibus geſtæ ſunt vndique perluſtrauit. Vnde cum Polybius animo his dotibus ſufficienter exornato, ad ſcribēdum acceſſerit, vt ipſemet cùm de eodem Annibalis tranſitu loqueretur, his verbis teſtatus eſt, *quibus de rebus nos quidem eo audacius ſcribimus, quod ab ijs didicimus, qui ea tempeſtate rebus interfuerunt, & ea loca ipſi vidimus, ob eam ſolummodo cauſam eo profecti, vt Alpes conſpicaremur*, quæ malùm! ſocordia hæc erit, rem quam non modo non ſcripſit ipſe, ſed quam malè ab alijs ſcriptam fuiſſe docuit, & conceptis verbis exagitauit, in ſcenam & orcheſtram reducere? quare operæ pretium eſt attentè conſiderare quibus ipſe rationibus; veritati, etiam tum cùm res ipſa propemodum adhuc in oculis hominum erat, malè habitæ; ac demum à Liuio, cæteriſque ſcriptoribus, qui longo poſt eum interuallo fuerunt, peius tractatæ, ſuffragatus eſt. *hoc loco* inquit *ſcriptores quidam, dum magnitudine rei perterrefacere legentium animos ſtudent; non animaduertunt labiſe in duo ab hiſtoria lege alieniſſima: ſi quidem & falſa ſcribere, & planè inter ſe repugnantia coguntur; ſimul enim Annibalem, quem & ſcientia rei militaris, & animi magnitudine omnino inimitabilem volunt; omnis prorſus conſilij, atque rationis expertem oſtendunt. ſimul nullum exitum mendacio reperientes, ad Deos & Deorum filios confugiunt. nam cum iter Alpium adeo immenſum, atque aſperum faciant, vt non ſolum equitibus, impedimentis, atque Elephantis, verum etiam ipſis leuis armaturæ peditibus inuium, inacceſſumque ſit: præterea etiam tantam in eo ſolitudinem eſſe dicunt; vt niſi quis deus aut heros ducem ſe itineris præbeat, procul dubio omnes copiæ per loca prærupta eant perditum; apertiſſime in vtrumque labuntur errorem. primum enim quis ducum Annibale imprudentior erit? qui tot copiis talique exercitui præfectus, in quo ſpem omnem bene gerendarum rerum repoſuerat: neque vias, neque loca vt ipſi aſſerunt, nec qua iret omnino, nec ad quos tenderet, ſciebat. Nam quod cæteri poſt maximos conflictus; etiam in ſumma deſperatione rerum non faciunt; id iſti feciſſe Annibalem,* Libro 3.

in tanta ſpe, ita florente exercitu volunt. quo quid ineptius dici poteſt? at quod de ſolitudine, atque aſperitate locorum dicunt: apertius etiam mendacium indicat, neque enim referunt, vt Galli Rheni accolæ, non ſemel, neque bis ante id tempus in Italiam venerint; neque vt olim cum magno exercitu ſuperatis Alpibus, in ſubſidium Cisalpinorum contra populum Romanum vires aduocarint; neque vt ipſis etiam in Alpibus multorum hominum gens habitet. Sed hæc omnia ignorantes; Deum quendam inquiunt apparuiſſe Annibali: iterque mōſtraſſe, quo fit vt Tragœdis potius quam hiſtoricis ſimiles videãtur. ex quo Polybij loco, quem ideo totum laudaui quia vel ſolus, veritati tuendæ ſatis eſſe poteſt, mirum quot aliæ nugæ, & mendacia ſcriptorum præterea deteguntur. Nam in primis viſionem eam falſi arguit, quam vulgus hominum factam Annibali credebat; deinde eorum errorem conuellit, qui Alpes non antea patefactas, primùm quidem ab Annibale proprio conatu apertas fuiſſe arbitrantur, vt inter reliquos Plinium etiam exiſtimaſſe hæc verba denotant. *Dein Salaſſarorum Auguſta Prætoria, iuxta geminas Alpium fauces Graias atque Pœninas. his Pœnos, Graijs Herculem tranſiiſſe memorant.* & Florum quoque ac Virgilium in eadem opinione fuiſſe certum eſt, cum ille dicat, *igitur vbi ſemel ſe in Hiſpania mouit illa grauis & luctuoſa belli Punici vis, atque tempeſtas, deſtinatumque iam diu Romanis fulmen Saguntino igne conflauit Alpes, & in Italiam ab illis fabuloſæ altitudinis niuibus velut cœlo miſſa deſcendit.* hic vero ſub perſonâ Iouis per anteceſſionem hunc Annibalis tranſitum præmonſtret hoc modo.

lib.3.cap.17.

lib.2.cap.6.

Aeneid.10.

Adueniet iuſtum pugnæ ne accerſite, Tempus,
Cum fera Carthago Romanis arcibus olim.
Exitium magnum, atque Alpes immittet apertas.

quamuis dubium ſit, an vltimum iſtud hemiſtichum intelligi debeat de Alpibus primum apertis ab Annibale, an de iiſdem ab Hercule reſeratis, quem Græci fingunt primum Alpes tranſiſſe, & quod de Annibale Romani dicunt, idem in ſaxis, & montibus diducendis præſtitiſſe, ſic enim Silius ex eorum doctrina.

lib 3. ſub finem.

Primus inexpertas adijt Tyrinthius Arces;
Scindentem nubes, frangentemque ardua montis
Spectarunt ſuperi, longiſque ab origine ſæclis
Intemerata gradu magna vi ſaxa domantem.

ex noſtris vero Ioannes Tortelius Aretinus parum exiſtimauit opinionem hanc de Hercule tueri, niſi ad mirificæ ſuæ doctrinæ ſpecimen, alias inſuper ineptias, & nugas quotquot à ſcriptoribus de Annibalis tranſitu excogitatæ ſunt, in vnum congereret *Saltum* inquit ille de Annibale loquens, *Pyreneum tranſiit, & ad Alpes poſteaquam venit, quæ Italiam à Gallis ſeiungunt, quas nemo vnquam cum exercitu præter Herculem tranſierat. ita itinera & loca lapidoſa ſtrues comburendo, & acetum iniiciendo patefecit, vt eà Elephantus oneratus ire poſſet*, quæ omnia ex adducto Polybij loco penitus corruant neceſſe eſt. nam quod aliqui contendunt, ipſum nõ diſtinctè reijeciſſe, quæ de ſtrue lignorũ, & aceto infuſo ab alijs hiſtoricis referuntur, verum quidem iſtud eſt, attamen cæcus ſit oportet qui non videt, Polybium generali quadam compræhenſione refellere voluiſſe, tot tricas & afanias quæ ab ineptis ſcriptoribus, de Annibalis per Alpes itinere diſſeminata fuerant, quaſque ipſe ſigillatim refellere, & explodere indignum ſua grauitate duxit, quod ipſas omnes rationibus ijs, quas initio ſuæ narrationis præpoſuit, ac conſequenti demum relatione rerum ab Annibale in Alpibus factarum, iugulari facili negotio poſſe, ſibi perſuaſiſſet. nam cùm in minimis quandoque hæreat, & terræ inter anguſtas quasdã fauces delapſæ, quæ iter ſuo obiectu retardabat, ac niuis, & aliorum impedimẽtorũ meminerit, varioſque labores quibus impediti, ac retardati milites fuerant recenſuerit; qui tandẽ fieri poterat vt operæ oblitus eſſet, quã in ſcopulis, & mõtibus tanto conatu perfringendijs poſuerant. Certè ſi vſpiam iſtud facere debuit, id vero fuit vbi inquit *interea ventum ad rupem alteram, quam neque Elephanti, neque iumenta pertranſire poterant, quippe anguſtã naturà viã, recens terræ lapſus circiter ducẽtos paſſus anguſtiorem fecerat*; ſed neque hic vlla mentio eſt ignis vel aceti, addit enim ſolummodo, *de hinc multitudinem ad eam rupem qua vna eſſe tranſitus poterat mundandam hortatus, vix tandem cum maximo labore id peractum*, quæ verba ſi quis accipere velit de excisis arboribus, & igne ſcopulis excoctis, næ omnino ridiculus fiet, cùm potius via illa quæ terrà aggeſta præpediebatur, ligonum ope à militibus purgata, & complanata fuerit. Vnde cùm Polybius qui in hoc itinere deſcribendo ita ſollicitus fuit, vt Annibali quid in dies, & per ſingula caſtra & ſtatiua contigerit;

In Orthographia voce Annibal.

 rit;

rit; ipſe, idem poſtea iter faciens, & curioſè diruptas ſaxorum moles obſeruans, ipſoſque etiam locorum incolas percunctās memoriæ conſignaret; nihil tamen earum rerum dixerit, quas cœteri velut omnium maximas iactant, & efferunt, ſignum eſt profecto euidentiſſimum, quod ipſas pro falſis & inanibus habuerit. Et vero quin tales fuerint, nulli dubium eſſe poterit, qui mecũ vnà paulo accuratius in eorum ſermones intueri volet, qui nihil frequentius in antiqua hiſtoria crepant, quàm Boues locutos, ſcipiones arſiſſe, ſudaſſe ſtatuas, Deum Annibali apparuiſſe, infantem ſemeſtrem triumphum clamaſſe, & ſimilia portenta, in quorum recenſione Liuius nimis religiosè dicam an ſuperſtitiosè omnes ſuperauit. etenim quantum ad iter Annibalis ſpectat, præſupponunt primo illud nouum & inſolens fuiſſe, perque auia, & ſine ducibus ac viarum peritis; quæ tamen ſingula, nullo negotio refelli poſſunt: quoniam fuiſſe peruias Alpes ante aduentum Annibalis, & ex Polybio iam conſtat, & Liuius hoc ipſum ſatis liquidò oſtendit, dum inquit *Belloueſum Celtarum Regem*, Tarquinio Priſco Romæ regnãte, per Taurinos ſaltuſque Iuliæ Alpis tranſcendiſſe in Italiam; deinde etiam multitudinem *Germanorum* tranſiiſſe vbi nunc Brixia ac Verona eſt; tertio *Sallucios*: quarto *Boios Lingoneſque*; poſtremo vero *Gallos Senones* qui Romam inuaſerunt ſub annum vrbis conditæ, trecenteſimum ſexageſimum tertium. Nec verior eſt de locis inuijs, & incognitis ſententia, alioqui Polybius vbi de terra loquitur quæ nouo prope rupem aggeſtu viam impediebat, fruſtra dixiſſet, *Dux Carthaginenſium principio per loca inuia, nec ante eum Diem trita, circumducere agmen conatus, quoniam iter id niues inſuperabile faciebant, à propoſito deſtitit*. Et quod etiam nullis ducibus itineris vſum Annibalem credunt, vt præter alios id videtur ſentire Appianus qui de hoc Annibalis trãſitu ita loquitur *cùm autem Annibal ad Alpes perueniſſet, neque ullũ uel tranſitum, uel aſcenſum reperiiſſet, ſunt enim mirum in modum omni ex parte prærupta & præcipites tamen etiam in illis ueſtigia fixit*, id quoque falſum eſt, eodem Polybio aſſerente quod *in aſcenſu Alpium, quia aſperum, difficileque iter erat, duces habuit accolas locorum, quos iam ad bellum contra Romanos, in ſententiam ſuam traxerat*. Præterea vnde immanes arbores, & ſtrues ingentiũ lignorum congeri poterãt? ſi vt idem inquit Polybius quem

Libro 3.

liben-

libenter hac in re cuius teſtis oculatus eſt laudo, *nuda ſunt iuga montium herbis, atque arboribus, quod continuis rigeant niuibus hyberno æſtiuoque tempore*. Vnde etiam tanta copia aceti, vt vaſtiſſimis rupibus putrefaciendis ſufficeret? ſi eo liquore tam facile carere milites poſſint, vt eius in commeatu parando nulla ferme ratio haberi conſueuerit. multoque minus vbi exercitus ingens cum maxima locorum iniquitate colluctari debet, nec idcirco ſecum impedimenta multa trahit, ac ne vix quidem ad victum neceſſaria, vt tunc Annibalem feciſſe multa perſuadent, & inter cætera, quod Polybius inquit *Numidæ vix triduo cum omni conatu Beluas* hoc eſt, Elephantes, *reduxerunt & eas quidem prope fame conſumptas*: cùm eodem ſenſu paulo ante dixiſſet, ex occupato in tranſitu quodam caſtello, Annibalem per triduũ poſtea frumento, & pecoribus exercitum ſuum aluiſſe; quare ſi ſecum non ferebat alimenta, ſine quibus milites ne per diem quidem ſtare poſſunt, quomodò tantum aceti ſecum trahere potuit, quod non tam neceſſarium eſt ad vitam, quàm à lurconibus ob gulæ delicias & irritamenta vſurpatur? Sed quæri vlterius poſſet, quomodo tanta vis aceto inſit, vt *rupes ſolidiſſimæ, & ardentia ſaxa*, quod inquit Liuius, eo deſuper infuſo putreſcere, confeſtim, ac corrumpi, & diſſilire poſſint; etenim licet ad incidendum nihil ſit aceto valentius, præſertim ſi aut vetus eſt, aut ſtillaticium, itaut plumbum aceto infuſum, eoque ſubinde oblitum & opertum diluatur tandem abeatque in ceruſſam: & eodem artificio æs, ſolidioris licet naturæ vertatur in æruginem; vt nihil hic dicã de Cleopatra quæ teſte Macrobio, & de Caligula qui vt ſcribit Suetonius prætioſiſſimas margaritas aceto liquefactas abſorbuerunt, quod idem teſtatur Horatius de filio Aeſopi qui Saturn. 3. cap 17.

Detractam ex aure Metellæ,
Scilicet vt decies ſolidum exorberet, aceto
Diluit inſignem Baccam.

atque vt etiam verum ſit eodem liquore ouum ita tenereſcere, vt vel per annulum toto calice integro pertranſeat; & fruges ac legumina incoctilia eiuſdem beneficio ad cocturam perduci: vt inquam iſthæc omnia vera ſint, & domeſtico vſu approbata, neſcio tamen quàm rectè ex his conficiatur, prædurum aliquod ſaxum, rupesque vaſtiſſimas, eadem arte, ac materià remolliri poſſe, nec

ſi

lib.13 cap.1. ſi Plinius dixit *ſaxa rumpit infuſum acetum, quæ non ruperit ignis antecedens*, & Vitruuius idem etiam aſſerit, propterea id magis lib.8. cap 3. verum eſt, quandoquidem auſim ego quouis pignore depoſito contendere, eiuſmodi auctores alludere voluiſſe ad hiſtoriam Annibalis, nec alia ratione, aut experientià innixos iſtud protuliſſe, niſi fide hiſtoricorum, qui tales fabulas in vulgus diſſeminabant. Quibus certè ne bibulas aures accommodem, plurimum adhuc impellor, memorabili tranſitu per eadem loca Franciſci Primi, qui Mediolanenſe recuperaturus Imperium *per inacceſſas* in Leone X. lib.3. *montium crepidines* vt inquit Iouius *inuſitatum iter currulibus tormentis aperuit, ad dextram inter maritimas, & coccias Alpes, per imas valles Argentarÿ fluminis inſinuando agmina, atque euadendo in præruptos vertices excelſiſſimorum montium: adeo vt tormenta ſæpe ductarÿs prætenſis funibus, ſuſpenſa per trochleas legionum manibus traducerentur, cùm profundiſſimæ valles interciderent: nec tantæ molis apparatus iugis, aut militum humeris educi poſſet: atque ita quinque dierum labore, per hæc itinera plena rerum omnium difficultatibus, deceptiſque Heluetÿs, qui montanorum locorum anguſtias Regi præcluſerant, in Italiam eſt peruentum*; nullis quidem excifis aut putrefactis rupibus aceto, etiamſi prægrandia illa tormenta currulia quibus Elephantes comparati nulli ſunt

Per rupes ſcopuloſque, adituque carentia ſaxa.

nouo, atque antea prorſus inaudito conatu traducenda fuerint. Sed priuſquã hinc abeam iuuat audaciſſimi alterius facinoris hiſtoriam referre, quo, ſi attentè perpendatur, nihil vtilius eſſe poteſt ad rectè ſentiendum, & loquendum de eo, quod Annibal in li. 10. dec. 3. Alpibus edidit, illud vero Turcarum eſt, qui vt Sabellicus in hiſtorijs retulit, cum triginta millibus ſuorum in Forum Iulij facta irruptione, inde per abrupta, & cõfragoſa montium loca, vel ipſis Alpium incolis aditu difficillima, in Germaniam euasère: tot ſuperatis in itinere difficultatibus, vt quæ de illis referuntur, vix ſibi fidem vendicent; ac inter cætera illud videtur mihi commemoratione dignum, quod ſæpius in abruptos montium anfractus delati, equos reſtibus alligatos in ſubiectas crepidines demittebant; interdũque vniuerſus equitatus, vel certè maior illius pars, quod ex veſtigijs poſtea intelligi potuit, per loca adeo decliuia, & aſpera præceps datus eſt, vt per ducentos ferme paſſus, non modo locis

cis illis, quiſquam pedibus iter habere poſſit, ſed ne conſiſtere quidem niſi virgultis ſubnixus. Quid plura? vbi per Alpium iuga in montanæ Carniæ fines peruenerunt, nunciatumque interim eſſet mõtem Lanceæ, quà vnicum eis in Germaniam patebat iter, occupatum ab incolis, ſcutis ſubnixi, per aduerſam rupem, intrepidè ad hoſtes repſere potius quàm ſubiere: quo audaci cœpto territi illi qui in præſidio erant, ſtatione turpiter relicta, delapſi ſunt; & ingentis cladis inferendæ occaſionem Barbaris præbuerunt. Quæ cuncta ſi quis accuratè dijudicet, non equidem dubito quin idem prorſus ac ego ſentio de Annibalis tranſitu, arbitretur, longèque præclarius factum à Polybio exiſtimet, dum eiuſmodi Fabulas nõ reticuit modo, ſed reiecit: quàm ab Appiano Alexandrino apud quem longè maiori licentià, quàm vnquam vſus ſit Comes Maria Boiardus cum de eadem re loqueretur Annibal *ſyluam partim cadens, partim comburens cinerem aut aquà, & aceto reſtinguens, & rupem quæ ex hoc fricatilis reddebatur malleis ferreis perfringens, ac uiam muniens* repræſentatur; aut ab alijs Hiſtoricis quotidie fiat, cùm res illas frequenter memoriæ conſignant, quæ nec ab ipſis quidem ſunt creditæ, à quibus ſcribũtur, nec dignæ ſunt quæ in ſomnijs viſæ referãtur. Ego verò in his quæ de Annibale dicuntur exagitandis lubentiſſimè ſum verſatus, quia neminem audiui illarum falſitatem antea detexiſſe, nec ſiquis illud præſtiterit, officio tamen meo deeſſe potui, admonendi, & commonefaciendi homines, ne tot ineptis narrationibus, & fabulis aures accommodent, quas ſi mentis, ac rationis participes haberi volunt; deberent potius veritati, rebusque acri ſtudio, & iudicio comprætenſis, ab omni popularium opinionum contagio, & fœditate puras conſeruare.

Supereſt igitur ordo in caſtris ſeruandus, non minori certè diligentià quàm in acie, vel itinere, quia non ſatis eſt illa tuto & opportuno ſitu locari, foſſis, aggeribuſque muniri, & apta dimenſione ac Podyſmo deſignata, ex *Gromaticæ* diſciplinæ regulis, vias ſuas, portas, & fora obtinere, eſſeque velut ad formam munitæ vrbis compoſita, vt ſint victori receptaculum, victo autem perfugium; niſi in illis pro gradu, & conditione ſingulorum legionibus, auxilijs, equitibus, peditibusque loca propria deputentur, in quibus per contubernia diuiſi ſub pellibus, aut ſi manis *papilioni-* 7. *At demum in Caſtrametatione cuius optima ratio partim à Duce.*

bus

bus degant, ita quidem ordinati vt vnicuique facilè ſit, & locum, ſuum, & ſignum, & non modo Decurionem, ſed Centurionem, Tribunum, aut Imperatorem quoties opus erit conuenire. Qua in re fateor quidem non tam militis ipſius induſtriam elucere, quàm Ducis, cuius operoſiſſimum ſemper munus exiſtimatum fuit caſtra probè communire, & opportuno ſitu locare, vnde Tibullus Meſſalam ſuum ab eiuſmodi peritia merito extollit

libro 4.

Nam te non alius belli tenet aptius artes,
Qua deceat tutam Caſtris præducere foſſam,
Qualiter aduerſos hoſti defigere ceruos:
Quemue locum ducto melius ſit claudere uallo,
Fontibus, ut dulces erumpat terra liquores
Vt facilisque tuis aditus ſit, & arduus hoſti.

& Romani cum antiquiſſimis temporibus ſolos Vrbium muros noſſent, & caſtra ſua per corpora cohortium, veluti mapalia conſtituere ſoliti eſſent, ſuperato tandem Pyrrho, caſtriſque eius expugnatis, quæ rectè metata, valloque quo totus ſimul exercitus continebatur, cincta eſſent, paulatim vt ſcribit Frontinus huius imitatione, & exemplo, ad optimam metandi rationem peruenerunt.

lib. 4. ſtrateg. cap. 1.

8. *partim verò à militibus ipſis dependet.*

Atque vt in his verſabatur Ducis officium; ita militis partes erant ea primum in itinere geſtare, quæ vallo muniendo, cùm caſtra alicubi figebantur, vſui eſſe poterant ſecurim videlicet, ſarculum, ſerram, & vallos plures, aut pauciores, nam Liuius ſcribit duodenos aliquando geſtatos fuiſſe, aliquando verò ſeptenos, quorum ſinguli cùm tres, aut quatuor ramos haberent, conijcere inde facilè eſt, non tanta craſſitie vallum fuiſſe, vt nonnulli exiſtimant, ſed quantitas ipſa, & numerus in onere erant, à quo Virgilius eleganter, hanc ſimilitudinem mutuatus eſt.

3. georg.

Non ſecus ac patriis acer Romanus in armis
Iniuſto ſub faſce viam cùm carpit, & hoſti
Ante expectatum poſitis ſtat in ordine caſtris.

neque is laborum finis erat, ſiquidem vbi ſigna humi figebantur, ſtatim quid ſui muneris eſſet quiſque agnoſcebat, & foſſæ ducendæ, valloque muniendo accingebant ſe Triarij, omneſque qui legis, aut Imperatoris beneficio non habebant munerum vacationem; tumque excindebantur cæſpites, qui poſt foſſam colloca-

bantur

bantur ad inſtar muri, & aggerem faciebant, ſupra quem valli defigebantur denſiſſimi, ramis ſurculiſque inter ſe ita complicatis, vt ne manus quidem interponendæ ſpatiũ eſſet, vtque ſine ingenti labore, vel vallus vnus reuelli nõ poſſet, vt ſcribit Polybius; ex cuius, & aliorũ diffuſa narratione, Beda longè paucioribus hanc expreſſit *vallum quo ad repellandam uim hoſtium caſtra muniuntur, fit ex cæſpitibus, quibus circumciſis è terra uelut murus extruitur, altus ſuper terram, itaut in ante fiat foſſa, de qua leuati ſunt cæſpites, ſupra quam ſudes de lignis fortiſſimis præfiguntur*. Quid tum? munitis hoc modo caſtris, non licebat extra illa diuagari, ne in eam legem peccaretur, cuius meminit Appianus in Lybico, quæ militem ab auditu tubæ longius diſtantem, in hoſtium numero habendum ſtatuebat: nec alia de cauſa ſtationes aſſignatæ iter agentibus militibus, cùm in conſtitutione Arcadij de muneribus, tum in ſermone D. Ambroſij, quem ſupra laudauimus. ac in itinerario quod Pitoeus ſub Hieroſolymitani nomine publici iuris fecit, *Manſiones* dicuntur, niſi quia vallato, & munito hac ratione exercitu, & *vbi ſignatis, ſederunt millia caſtris*, non eſt temerè ab illis diſcedendum. Denique, ſeu *ſtatiua* illa ſint, ſeu *obſidionalia*, aut *repentina*, ita ſe in ipſis milites habere debent, quaſi ſemper ab hoſtibus cingerentur, quia ſi horum metu in officio manent, dum propinqui ſunt, certè non minus in eodem perſiſtere debent, cùm paulo remotius ab illis degunt, ne ſaltem in leges peccent, quæ quamdiu militibus intra ſepta conſiſtendum, & quando ex aggere prorumpendum, ac quouſque progrediendum ſit, ſi deſertores haberi nolint, adeò ſeuerè definiunt, vt niſi licentia exercitum corruperit non minus hæ, quã hoſtiles copiæ militibus timendæ ſint.

lib. 1. hiſtor. Angliæ c. 5.

XXIV.

1. ſecundum militis officiũ in eo conſiſtit ne otio languidus reddatur ad laborem, & pronus in vitia.

Sed illud præterea curandum eſt, quod in diſciplina ſua tanquam arcanum ſeruabat Auguſtus, qui nunquam militibus permittebat dum in ſtatiuis morabantur, vt aliquo negocio non eſſent occupati; eodem nempe conſilio, quo Probus Imperator dicebat, *annonà gratuità militem frui non oportere*, quippe his occupationibus obuiam iri cenſebant duabus grauiſſimis calamitatibus, quæ deſides, & torpentes otio milites, non raro conficiunt; primùm quidem dum inepti ſenſim euadunt ad labores ferendos, quoniam, vt inquit Hippocrates *deſidia humectat, & imbecillum corpus fluidumque reddit, labor vero ſiccat, & robuſtum, ſtrictumque*

ſtumque corpus efficit; quale Romanorum fuiſſe valde conſentaneum eſt arbitrari; quandoquidem Plutarchus aſſerit, eos ſic fuiſſe laboribus factos, aſſuetosque tolerandis, vt nec ſudantem, nec ſuſpirantem quemquam cerneres; idque in diuturna illa pugna cum Cimbris, magno æſtu, & acri concurſu peracta Quintum Catulum notaſſe, & ita ad Senatum retuliſſe: ex eoque Appium Claudium crebro memorare ſolitum accepimus, negotium Populo Romano melius quàm otium committi, non quia ignoraret, quàm iucundus eſſet tranquillitatis ſtatus, ſed quod animaduerteret, præ potentia Imperia rerum agitatione, ad virtutem capeſſendam excitari, cuibrarique, nimia vero quiete in deſidiam, & velut marcorem quendam relabi. Quo nomine *Strenuam, Agenoriam, Stimulam* induſtriæ, laborumque pręſides excogitauit priſcorum ſedulitas, & eadem de cauſa Quintum Metellum identidem dixiſſe ferunt, neſcire ſe an Carthago debellata boni plus, an mali Reipublicæ attulerit; quoniam vt omnia latè pacando adiumenti habuiſſet plurimum, ita eximiè verendum erat, ne tam acris æmulæ metu liberata, conſopita quodammodo populi Romani virtus langueſceret, periclitareturque, quemadmodum poſtea accidiſſe à Sulpicia notatum eſt

in Satyra.

> *Romulidarum igitur longa, & grauis exitium pax.*

cùm tamen paulo ante dixiſſet.

> *Sed virtus agitata domi, & ſocialibus armis,*
> *In freta Sicaniæ, & Carthaginis exiit arces,*
> *Cæteraque imperia, & totum ſimul abſtulit orbem.*

atque ideo Grammatici dicunt exercitum id nominis ſortitum fuiſſe, quod *exercendo* ſe longè melior reddi ſoleat. vt enim Tobias pulcherrimè *ocium famis mater eſt & frater furti*, quæ duo vitia, facilius quàm hoſtes exercitum quemlibet potentiſſimum non ſoluunt modo, ſed corrumpunt penitus; ita vt ſi Venus accedat, quæ à Diogene vocabatur *otioſorum negotium* atque à Theophraſto *πάθος ψυχῆς σχολαζούσης animi vacantis, ſeu ocioſi morbus* & de qua Ouidius dicebat.

1. de remed. amor.

> *Quàm Platanus riuo gaudet, quàm Populus unda*
> *Et quàm limoſa canna paluſtris humo.*
> *Tam Venus ocia amat.*

non equidem video quid ad militum perniciem accedere poſſit

reliqui

reliqui, ac propterea Draco vitiũ hoc quod vt inquit D. Chryſoſtomus *πολλὴν κακίαν ἐδίδαξε plurima uitia docet*, nõ alio quã mortis ſupplicio plectenduw cenſuerit, legem ab eo latam de hac re ita referente Plutarcho τοὺς τῆς ἀργίας ἁλόντας ἀποκτεῖναι. *ocii conuictos interficiunto.* Hom. 14. in Geneſ. in Solone.

2. Neque minus alteri malo, quod feriantem, laxatumque curis militem, ſtatim in contumaciam, & ordinis, ac officij ſui contemptum præcipitat, hæc iugis laborum meditatio pariter medebatur: Corbuloni ſiquidem cùm minus obſeruans iſtius diſciplinæ fuiſſet, plus molis aduerſus ignauiam militum, quàm contra perfidiam hoſtium erat, pace enim longa ſegnes euaſerant, munia ægerrimè tolerabant, ſine galeis, ſine loricis, nitidi, cõptique incedebant ludis, & comeſſationibus tantum occupati, atque ita veriſſimum eſſe Xenophontis illud expertus eſt, ὡς χαλεπὸν μὲν καὶ ἕνα ἄνθρωπον ἀργὸν τρέφειν, πολὺ δ' ἔτι χαλεπώτερον οἶκον ὅλον, πάντων δὲ χαλεπώτατον στρατιὰν ἀργὸν τρέφειν: *difficile eſt enim, vel vnum hominem alere ocioſum; multo etiam difficilius totam domum, ſed omnium eſt difficillimũ, vniuerſum exercitum ocioſum alere*: quia vt dicebat Conſtantius apud Ammianum *militare otium fere tumultuoſum eſt*, & idem quoque confirmat Flauius Vegetius, cùm inquirit quemadmodum oportet prouidere ne milites ſeditionem faciant *interdum*, inquit, *mouet tumultum ex diuerſis locis congregatus exercitus: & cum pugnare nolit iraſci ſe ſimulat, cur non ducatur ad bellum, quod ij præcipuè faciunt, qui in ſedibus ocioſè delicatèque vixerunt*. *Atque in Duces cõtumax.* lib. 1. Cyr. libro 14. lib. 3. cap. 4

3. Quare maximi alij Imperatores, cùm malè parere militem videbant, aliquo labore ipſum extemplo compeſcendum eſſe, aut expeditione detinendum, ocijque vitia negotio aliquo diſcutienda arbitrati ſunt; qua in re ita præcellens fuit Romanorum diſciplina, vt noſtræ iam ſuppudere nos debeat, quæ tanto ſumptu foſſorum agmina cogit, & circumducit, vt Caſtra munire, cuniculos ac foſſas agere, & abrupta viarum complanare poſſint, tormentis currulibus mox per illas tranſituris; quandoquidem minori impenſa miles ad hæc omnia ſatis eſſe poſſet, ſi ad morem priſcorum illorum inſtitueretur, quos Polybius vocat *operarios, & circa foſſiones, caſtrorum munitiones, & omnem eiuſmodi ærumnã laborioſiſſimos*; quibuſque nullum in operando Liuius parem eſſe *Quamobrem laboribus cõtinuis detineri debet tum Caſtrenſibus qualis Romanorum fuerũt* libro 5.

dicit

dicit, aut ad tolerandos labores meliorem. Sanè non poſſum non vehementer dolere noſtrorum temporum vicem; cum Guicciardinus prudens ille ab Italia hiſtoricus, pro magno, & mirando operæ militaris ſpecimine refert, Proſperum Columnam in obſidione arcis Mediolanenſis,foſſas duas duxiſſe ad intercludendum hoſtem, ſpatio milliaris vnius; nam quid amabo hæc, aut Batauorum etiam, & Marchionis Ambroſis Spinolæ longè laxiorum operum,& munitionum modus,& ambitus,ſi ad opera Romanorum, nec magna manu, nec in magno tempore facta referantur. Horreſcit Lipſius cum illa videt, & gigantum, ac Perſicorum Regum fabulas, qui montes ſtruxerunt, aut complanarunt in illis habet; nam Cæſar vt rem quæ per ſe videtur incredibilis illuſtri quodam exemplo veritati aſſeram, quis in illis,aut quantus artifex extitit? certè dum in Gallia *Aduaticorum* oppidum obſideret, vallo illud pedum duodecim, & in circuitu quindecim milliũ paſſuum, crebriſque caſtellis,ſola militari manu circummuniuit. Idemque ingreſſu *Heluetiorum* in Prouinciam excitatus, cum vna legione quam ſecum habebat,militibusque,qui ex Prouincia conuenerant, à lacu Lemano ad montem Iuram per millia paſſuũ nouemdecim, murum in altitudinem pedum ſedecim, foſſamque perduxit; quod opus non multis item diebus confecit, & Heluetios conſilio,atque aditu deiecit. Iam vèrò quid ad *Aleſiam* non tentauit? quid ad *Dyrrhachium*, vbi vno muro omnes Pompei copias tanquam ſeptis coercuit,omnia omnium opera ſuperante; quandoquidem aut ineptit omnino Lucanus qui flumina in eo ſpatio oriri, & deſinere dicit, illudque cum terris, quas Orontes, & Tigris ambiunt componit, aut falluntur hiſtorici, qui ſedecim ipſi millia paſſuum tantum attribuunt; cùm ex Appiano colligat Lipſius ambitum operis fuiſſe, non octodecim, aut ſedecim, ſed centum quinquaginta circiter milliarium, quæ tam ampla ſepta & ex vſu caſtrenſi altis, latiſque foſſis, egeſtitia humo, & firmo, denſoque vallo præmunita, cùm cæteri Romanorum Duces eadẽ qua Cæſar facilitate, quoties opus fuit extruxerint; vt Licinius Craſſus bello *Spartiaco*, Auguſtus,aut eius Legati *Cantabrico*; atque ita alij alijs in occaſionibus: quid aliud quam ipſarum diſciplinæ caſtrenſis præſtantiam denotant? quæ paucos *immunes*, ſeu *beneficiarios*, *aut principales milites*, vt illos appellant Feſtus, & Vege-

tius.

tius al- bat *munifices* autem, ſeu munijs, ac operibus faciendis deſtinatos longè plures, & omnes vt ita dicam gregarios, & manipulares, inter quos Marius aliquando qui poſtmodum à caliga ad Conſulatum peruenit, vitem capite ſæpe excepit, & fregit. Iuuenalis.

Si lentus pigrà muniret caſtra dolabrà.

Hæc verò militarium operum exercitatio, ita apud illos ſolemnis erat, vt etiam in pace, & otio, ne peior hoſtibus armatis diſcincta ſegnities illos inuaderet, militari manu manſura multa perficerent; ſic enim Marcus Aemilius Conſul cùm pugnandi copiam non haberet, viam à *Placentia ad Ariminum*; & Caius Flaminius aliam à *Bononia ad Aretium* vſque, militum ſuorum operà cōſtrauerunt: & Iulius Vetus *Somam* fluuium cum *Moſella* coniungere tentauit, ac vtique voti damnari potuiſſet, niſi præclaro conatui Remoram iniecíſſet Aelij Gracilis peruicax inuidia. Eodem tempore Corbulo contra Rheni inundationem à Druſo cœptum opus perfecit, vnde *Druſianæ foſſæ*, ſicut & *Mariana* militum operà factæ ſunt: & Paulinus foſſam aliam viginti tria millia longam, inter *Moſam*, & *Rhenum* duxit; Auguſtus verò Aegypto in Prouinciam redacta, vt ſolum feracius, agriculturęque conuenientius eſſet, *riuulos* quibus *Nilus* ſeſe variè in arua diffundebat, tunc verò ſordibus, & arenis oppletos repurgauit; & Imperator Seuerus vt Britannos à Romanis diuideret, eo ipſo in loco, vbi hodieque Anglia à Scotia *Tueda fluuio*, & *Monte Zeuiota* diſterminatur, murum ab vno mari ad alterum pertingentem duxit. Quin etiam Scipio Africanus propius ad diſciplinæ rationem, dum expugnata Carthagine, aliquandiu apud Carchedonios moraretur, ne exercitus in ſegnitiem ſe daret, hoc modo illum omni eo tempore exercuit, *vt primò* die iuberet milites armis indutos currere, *ſecūdò* cunctos armaturam ſuam palàm extergere, curare, & inſpicere; *tertiò* quieſcere, & otiari; *quartò* gladijs ligneis corio obductis, & orbiculatis certare, rurſus alios contra hos cuſpidem obiectum vibrare; *quintò* curſus ſupradictos vt in principio repetere. atque adeo ne exercitio armorū, & militari vſui aliquid decederet, plurimum diligentiæ circa opifices manuarios impendebat, & ex parte quidem Procuratores in hunc vſum conſtituit, ipſe verò quotidie circuibat, prouidebatque ſedulò, vt cuncti apparandis armis ſtudioſè occuparentur. Nimirum intelligebant fortiſſimi

4. *Tum vero ſi ipſi deſint, publicis alijs operibus faciē-dis eorundem Romanorum exemplo.*

Digitized by Google

illi Duces, otium in pace delicias alere, & omne flagitiorum genus; quæ, non ſecus atque lignum occulta teredo conſumit, ſic animum delimant paulatim, & exedunt, ac gliſcente ſenſim ceſſationis dulcedine, velut mare quoddam mortuum illum efficiunt, ſine vento, ſine motu, ſaltem ad honeſtas, & præclaras actiones. vitiorum enim, vt in agris neglectis vrenda filix, ſic in ocioſorum animis ſeges altiſſima momento ſuccreſcit, vt exemplo ſunt noſtrorum temporum agmina, in quibus dum *Vacunæ* & *Feſſoniæ* vacantium otioſorumque Patronis vota concipiuntur, caſtrametandi artem fruſtra requiras, quæ milites intra ſepta, quaſi ciues in oppido legibus contineat; fruſtra etiam milites qui non tepeſcant ignauiâ, non concidant animis, & corporibus ad ardua, non ad periculorum nomen expalleſcant, ac tandem, qui non planè recuſent, vel dimidiati menſis cibaria ferre; niſi forſan Turcas aduoces ex Thracia, quos ollulam æneam, ſcutellam, ſecurim, igniarium, ſacculum, cum annona, & alia quædam geſtare ſcimus, ex multorum relatione, qui de eorum militia ſcripſerunt; fruſtra denique ordinis, ac diſciplinæ leges, haud ſanè antiquioribus illis, quæ victores orbis Romanos informarunt ſimiles, ſed ne quidem tales, vt vilium cacularum, & lixarum inſolentiam compeſcere poſſint; vel gregariorum inter ſe rixas, & tumultus cedare; tantum abeſt, vt audito viæ ſigno milites vaſa colligant, audito pugnæ deponant, & animo, oculis, auribus parati ſint, vt mandata, quæ à ducibus ſuis receperint, exequantur.

XXV. *1 Tertium denique obedientiam cõplectitur quæ ſummopere in bellis neceſſaria eſt.*

Hoc vero cùm exercitum oſtendat non modo rudem eſſe & ignarum caſtrenſis diſciplinæ, ſed penitus in eos contumacem quibus obedire debet; non video certè quid vſquam gentium calamitoſius eſſe poſſit, nam cum ſit ex militis officio procedere, adoriri, regredi, ferire, ſiſtere, aliaque pro ducis iuſſu facere; quid precor iſtorum agere poterit ipſamet pugnacitas, ſi vbi pes referendus eſt, acrior tunc in hoſtem feratur; aut vbi iuſſus in confertiſſimam aciem inferre ſeſe, pedem ſtatim retulerit. Præterea quæ in exercitu ducendo per loca periculoſa, quæ dum manus conſeruntur, aut receptui canitur poterit eſſe ordinum obſeruatio? ſi deſit obedientia; qua ſine neceſſe eſt miſceri, ac turbari omnia; aut quæ ſecuritas in caſtris ſperari debet, ſi excubare pro ſtatione, aut pro ſignis iuſſus, dicto obediens non fuerit; &

cùm

Digitized by Google

cùm exercitus incolumitas, ac victoria prope ipſa poſita ſit, in explorandis hoſtium itineribus atque conſilijs, malè profectò cum exercitu actum fuerit, vbi qui ad explorandum miſſus eſt, Imperium contumaciter neglexerit. Quæ res cum ſummos plerumque Duces in maximas coniecerit calamitates, propterea Franciſcus Carmagnola cui ab egregie, fortiterque rerum bello geſtarum memoria, minus feralis exitus debebatur: & Federicus Vrbinas qui munus omne præſtantiſſimi Ducis fœliciter adimpleuit, militem nulla alia re magis, quàm ab obedientia probare ſolebant; cum illa ſit, quæ fortitudinem regit; datque animos formidini; eo vſque vt re ipſa compertum ſit, magnas ſæpe res quamquam parum exercitato milite, tamen quia dicto parens erat, fauſte feliciterque fuiſſe confectas; ac propterea quæ ratio eſt in Republica, priuatorum erga Magiſtratus obſequij, & venerationis, eadem eſt in militia obedientiæ quæ ducibus exhibetur; quoniam abſque illis, vix humanæ ſocietati locus eſſe poteſt. Et amabo cuinam ab Athenienſibus, a Lacedemonijs a Romanis res geſtas legenti, ſtatim in mentem non veniat eorum populorum obedientiæ? ac non ſubeat cogitatio, tot tantasque res geri non potuiſſe, niſi, & domi, quibus illorum imperia fundata erant, ciuitateſque inſtitutæ, legum præceptis obeditum fuiſſet, & foris ad quos belli ſumma delata fuerat Ducibus, atque Imperatoribus obtemperatum? ac ſi quæramus cauſam cur tantæ Reſpublicæ corruerint, curtam potentium populorum libertas conciderit, non aliam profectò inueniemus, quàm quod priſtinam obedientiam ciues, & milites reliquerant, qua enim re cuiuſque fortunæ, & opes fundantur, eadem ſublata euertuntur, & corruunt: illudque veteres Teologi fictis magna ingenij ſignificatione fabulis, apertè ſignificarunt; cum πειθαρχίαν Deam, id eſt ſubditorum erga Magiſtratus *obedientiam* Iouis hoſpitalis vxorem fuiſſe tradunt, & ex eo connubio εὐτυχίαν ſeu *felicitatem* procreatam fuiſſe.

Quod ne quis vanè ab illis excogitatum fuiſſe credat, aut in militia locum non habere, cùm, & ratio ipſa facit quæ nihil in exercitu calamitoſius eſſe decet quàm ſi Duces præ militum ſuorum contumacia, ſerui illius Plautini dictum vſurpare cogantur. 2. *Maximè ſi prompta, & abſoluta ſit.*

Quid hoc eſt negoti? neminem meum dictum magni facere lib. 1. cap 10.
Tum vero etiam Iulij Pollucis auctoritas ſuadet, apud quem mili- artic. 16.

R 2 tis

tis laus eſt, *obediens, Principi parens, moriger, obtemperans, audiens mandata exequens: contraria vero inobediens, non audiens immoriger;* & multorum ducũ exempla in promptu ſunt, qui ſuorum militum obedientià freti, quaſi iam iſtius fœlicitatis, & victoriæ compotes eſſent, magnas res, & penitus arduas, ſuſcipere non dubitarunt; quo in genere nullum illuſtrius aſſerri poteſt, quàm Scipionis maioris, qui, ſciſcitanti amico, qua re fretus claſſem educere pararet in Africam, viros armatos ſeſe exercentes, & turrim excelſam quæ mari imminebat, oſtendit, aſſeruitque nullum eorum eſſe, qui non conſcenſa turri ſemet in mare præcipitem daret, ſi ita iuſſiſſet. Quod item Cæſar de ſuis militibus potiori iure affirmare debuit, poſtquam ſuperato Rubicone, ita ſuam ei, & omnium fidem obſtrinxit Lelius.

Lucan. lib. 1.

Iuſſa ſequi tam poſſe mihi, quam velle neceſſe eſt;
Nec ciuis meus eſt in quem tua claſſica Cæſar
Audiero, per ſigna decem felicia caſtris,
Perque tuos iuro quocumque ex hoſte triumphos,
Tu quoſcumque voles in planum effundere muros,
His Aries actus diſperget ſaxa lacertis,
Illa licet penitus tolli quam iuſſeris vrbem
Roma ſit.

magna certè hæc, & neſaria, ac impia, ſi quidem Imperator illa fieri mandauerit; ſed quæ tamen obedientiæ fidem, ac rationem præclarè in milite demonſtrent: nec minus vtique quàm illa quæ habet Seneca *obÿcient ſe mucronibus inſidiantium, & ſe ſuaque iactabunt, quocunque deſiderauerit imperantis ſalus;* cuius rei hanc rationem affert Iouianus Pontanus, quoniam ad victoriam, & ad pacem qui belli finis eſſe debet, conductus eſt miles, pro qua quoniam dimicandum eſt, quandiu iureiurando obſtrictus fuerit, & vbi res poſtulauerit, non debet pericula effugere, ſine quibus ad belli finem perueniri non poteſt: alioquin ſi licitum foret illa declinare, nunquam in pugnam deſcendet, nunquam concurret, multo minus in vrbis foſſas ſe deijciet, aut muris ſcalas admouebit, horum enim omnium nihil caret diſcrimine, ſed vbique in illis eſt *metus, vbique pauor, & plurima mortis imago.* Quamobrem parere Imperatori miles debet, etiamſi in ipſas tormentorum fauces ire iuſſus, quando & Dux ipſe, ad certa ſæpe pericula

1. de clem.

lib. 5. de obedient. c. 7.

fer-

fertur, primuſque vbi neceſſitas poſtulat hoſtem ferit, & vallum conſcendit. Vtrumque vero neſcio an melius vnquam probari poſſit, quàm fortiſſimorum ducum Monlucij noſtri, & Dauali Peſcarij exemplo, quorum hic in oppugnatione caſtri Sãcti Angeli, *Caſadam* ſclopetariorum præfectum perpulit, vt è feneſtra occupatæ turris in ſecundas hoſtium munitiones, quaſi in locum diceres *vnde negant redire quemquam* proſiliret; cui tamen imperio Caſada impigre paruit, ſaltuque ſeſe eijcientem, ipſe Piſcarius auſu prope inſano omnium primus ſubſecutus eſt: alter vero præclarius adhuc aſſeruit auctoritatem imperio militari, cùm eo iubente, ſingularis audaciæ centurio nomine *Charrius* per accenſum ignem, & foramen exæſæ ab illo cuiusdam oppidi portæ, inobſtantes hoſtes penetrauit, omniumque conuerſas in ſe glandes, & haſtas tandiu ſuſtinuit, donec alij à Monlucio in eiusdem periculi aleam ſubmiſſi, cæteris aditum fecerunt, vt arce tandem potirentur. Nempe ita eſt fatum militum, *Plagipatidæ* ſunt

Trium nummorum causà ſubeunt ſub Falas,
Vbi aliqui quindenis haſtis corpus transfigi ſolent. Plaut. in moſtell.

aut ſi iſtud facere recuſent, contumaciæ pœnas dant, & grauius longè diſcrimen ſubeunt, quia infamiæ coniunctum; ſic enim patrum memoria cohortis vnius dux, ante miſſus vnà cum duobus alijs præfectis, vt portam vrbis cuiusdam in Belgio *crepitaculo* ſeu quod alij dicunt *rutabulo* effractam inuaderet, cùm vnus alterue anguſto foramine ingredi iuſſus, ab excubitoribus intra portam interimeretur, ipſeque non ſecus ac tartareæ ianuæ horrore perculſus, aditum tentare extimuiſſet; euocatus ſtatim ab Imperatore, & ignauiæ conuictus, quod ſuo exemplo cæteros ab expugnatione arcis deterruerat, vitam quã honeſte finire, vel vt eſt pugnarum euentus anceps dubiuſque, conſeruare potuit, publico lictoris gladio ſummo cum dedecore permiſit: atque ignaui gladiatoris inſtar, iugulari in ſpoliario, quàm in arena maluit.

3. *Qualis præſertim in milite laudatur*

Nec iniuriâ ſanè cùm Romanorum ſtatutis cautum ſit, vt contumaces capitali pœna, militibus exceptis non puniantur; & legibus Lycurgi, ac inſtitutis etiam Perſarum, nihil maiori cautione præciperetur obſeruandum, quàm doctrina parendi; vnde Attica Syren Xenophon *hac re* inquit *Spartiatæ gloriantur, & ingentes animos tollunt, quod humiliter ſe gerant in obtemperando ſuis*

initio lib. 4. *præfectis*. Quo nomine Chryſantem præcipuè commendat Cyrus in Pædia, quod is nempe audito receptus ſigno, hoſtem percutere deſijſſet, quem ſtricto ſub ſe gladio tenebat; Quamobrem tribunatu eundem quoque ornauit, ab obedienti promptitudine egregiè collaudatum; quo in munere ita demum ſe geſſit, vt quam ſibi ad honores vtiliſſimam fuiſſe depræhenderat, obedientiæ promptitudinem, eandem continuò ſuis militibus, ſi ad eoſdem gradus peruenire vellent, obſeruandam præciperet. *nos ipſi* inquit *ea bona quæ nunc poſſidemus qua alia re magis comparauimus quàm Magiſtratibus obediendo? nam hac re factum eſt, vt celeriter, noctu & interdiu quo erat neceſſe, perueniremus: dum frequentes Imperatorem ſequebamur, nemo noſtrum impetum ſuſtinere poterat; eorum denique nihil ex ſemiſſe perfectum reliquimus, quæ nobis erant imperata*. Nimirum hic non efferτ ſe ab audacia & viribus, quia ipſamet pugnacitas ſi obedientià caruerit, temeritas potius erit: quæ quidem ſi in omni vitæ genere damnoſa habetur, in bello ſanè omniũ periculoſiſſima eſt. vnde Manlius vt eius neceſſitatẽ in caſtris oſtenderet, proprio filio Torquato quamquam victori non pepercit; & Cæſar Quinto Tullio Ciceroni grauiter ſuccenſuit, quod contra quàm illi præceperat, cohortes ſtatione præſidioque emiſiſſet; eademque ratione Auidius Imperator Centuriones, & Milites plures in crucem egit, quod ipſo inſcio, cum Sarmatis congreſſi, victoriam ex ipſis retuliſſent. Sed iſtos non eſt mirum in rebus maximi momenti diſciplinæ oſſeruationẽ tam inclementer deſideraſſe: quanto igitur Senecæ, ac Pontani etiam iudicio Seuerior Craſſus? qui ita narrationem inſtituente Agellio *cum in conſulatu obtineret Aſiam Prouinciam, & circumſedere, oppugnareque Leucas oppidum pararet, opuſque eſſet firma ac procera trabe, qua Arietem faceret; ſcripſit ad Architectum molis Athenenſium ſociorum amicorumque populi Romani, vt ex malis duobus, quos apud eos uidiſſet, uter maior eſſet eum mittendum curaret: tum Magiſter ἀρχιτέκτων comperto quamobrem malum deſideraret, non uti iuſſus erat maiorem, ſed quem eſſe magis idoneum aptioremque faciendo Arieti, faciliorem que portatu exiſtimabat minorem miſit. Craſſus eum uocari iuſſit, & cùm interrogaſſet cur non quem iuſſerat miſiſſet, cauſis rationibuſque quas dictitabat ſpretis, veſtimenta detrahi imperauit virgiſque multum cecidit: corrumpi atque diſſolui officium omne*

Volcat. in eo.

Libro 3. de ira.

Lib. de immanit. cap. 13. lib. 1.

Impe-

Digitized by Google

Imperantis ratus, ſi quis ad id quod facere iuſſus eſt, non obſequio debito, ſed conſilio non conſiderato reſpondet: quod equidem dictum etſi ad omnes pertineat, qui legitimè quorundam imperijs addicti mancipatique ſunt, maximè tamen ad illos ſpectat, qui ſacramento addicti ſtipendia merent. Nam militi cum ſint Imperatoris occulta conſilia, ſi illud vnum quod ſcit ad ſe pertinere, quodque ſibi imperatum nouit fortiter ipſe fecerit, munere functus eſt ſuo. eſt enim eius officij non quærere quale ſit quod Imperator iuſſerit, ſed illud capeſſere, atque implere; quippe cuius opera conducta ſit, non conſilium.

4. *Diſcutitur quæ vtrum in mandatis recedere aliquando ab illis liceat, & quomodo quibusue de cauſis.*

Quamquam anceps adhuc ſit queſtio, & in vtramque partem à ſapientibus viris arbitrata, vtrum ſit in recepto mandato tutius, id ne omnino facere quod mandatum eſt, an nonnunquam etiam contra, ſi iſtud ſperandum ſit ei qui mandauit vtilius fore: poteſt enim contingere vulnerato Imperatore, aut cæſo, aut vbi ex imparato hoſtis adortus eſt, vt Legati & Tribuni obeant Imperatoris munia, & diuerſo forſan ab illo conſilio, de rebus ita ſtatuant, vt pro maximo aliquo incommodo vitando illis ſtatuendum videbitur: ſanè poſtquam Agellius in hac difficultate multorum ſententias retulit, ſuam ita demum proponit, vt concludat, reſpiciendum in primis ingenium, naturamque illius, cuius ea res præceptũque eſſet, ne ferox, durus, indomitus inexorabilisq; ſit, qualia ferũt *Poſthumiana, & Manliana* imperia fuiſſe ſi nam ſi eiusmodi præfecto ratio reddenda ſit, nihil eſſe faciendum monet aliter quã præceptum eſt, ſi vero ingenio ſit magis placabili, & remiſſo, ſeruiendum eſſe occaſioni, quæ rem commodius agi poſſe pollicetur, etiam contra ducis mandata. Quod equidem quàm ſapienter ab illo determinatum fuerit, ex illo præſertim coniecturà aſſequi poteſt, quod in pugna Ticinenſi euentu memorabili contigit, in hac enim Alphonſum fratrem marchio Piſcarius ſummopere laudauit, quod ab expugnatione Mirabelli in qua tunc ſummam rerum verti ſibi præſuaſerat, iter retroflexerit, ſtatim atque Regem Gallicas legiones caſtris educere conſpexit; ſuaſque item copias in eo campo prudenter explicuerit, in quo poſtea de Italiæ Imperio tanta vtrimque oſtinatione certatum eſt. Scilicet in eo temporis momento, ne quaquam prioribus mandatis parendum, ſed nouo conſilio quod caſus offerret, maturè vtendum eſ-

ſe iudicauit: contra quàm in eadem pugna accidit Verrerio Belgæ adoleſcenti Lanoij Proregis conſanguineo, à quo præfectus alæ delectorũ equitum, & extra ſepti, ſeu vt vulgò dicitur *Parci*, diſiectos à Salaſſio muros ſubſidere iuſſus, donec ab ipſo per certos nuncios conſurgendi, & pugnandi ſignum acciperet; tamdiu in ea ſtatione ſe continuit, etiam frendente, & Cæſaris, omniumque ducum, & commilitonum qui turpiter in acie deſerebantur, fidem obteſtante ſuo milite; vt prius illi de victoria quàm de Lanoij iuſſu fuerit nunciatum: quia ille commiſſa, & ſtatim exardente pugna, vt in re præſenti atque terribili frequenter contingit, ſenſibus & memorià vehementer alibi occupatus, neminem qui accerſeret omnino tranſmiſerat. Sed hæc & alia eiuſmodi exempla aliter ſe habent in duce vel præfecto; ac in milite: cùm illius prudentiæ multa ſœpius ex bellorum lege & neceſſitate relinquenda ſint, prout occaſio tulerit determinanda; huius vero fortitudo ſola deſideretur, & obedientià, à quibus tantum abeſt vt recedere debeat, euidentis alicuius incommodi declinandi cauſa, quod etiam ſi totus rueret orbis, & cœlum terræ miſceretur, dum Imperatoris ſui mandata ſtrenuè, alacriterque exhaurit, non poterit vnquã à prompta illa, & expedita obedientia, nõ maximopere cõmendari; quoniam vt præclarè dixit Tacitus *parẽdo potius, quàm Imperia ducum ſciſcitando, res militaris continetur*. & nulli, maiori cum pernicie in exercitu versãtur, quàm curioſi illi ac refractarij milites, qui iuſſa ducum interpræetari malunt quã exequi.

Hiſtor.

His autem munijs quæ Tyronem aptum reddunt, idoneumque, vt præclarum de ſe in bellorum occaſionibus experimentum prebeat; ſuccedunt leges, quæ eundem informant, vt poſſit in pace morum cuſtodire menſuram, retinendi enim & compeſcendi aliquatenus, aut ſoluitur omnis militia, imo perit; vt Annibalem ſcimus, qui cæteros armis vicerat, ab inſurgente ſenſim & clanculum hunc aggrediente vitiorum exercitu, fuiſſe tandem ſuperatum. Prima igitur lex hæc erit vt ex temperantiæ præceptis frugalitatem colat; *virtutum omnium parentem, & verè Heroicam dotem*, vt Tullius non iniurià illam appellat; neque enim indecorum modo ſed præterea noxium eſt militi, ſi nimium quã par ſit vel ciborum ſumat, vel eorum mundiores delicatioresque apparatus deſideret; quemadmodum certè ex Romanorũ diſciplina

XXVI. *1 Officia leges excipiunt quæ primo versãtur circa temperantiam in cibo.*

Tuscul. 3.

na

na manifeſtè conijcitur, apud quos vt miles in primo delectu *ventre modico* quærebatur, ſic dum ſtipendia faceret, multabatur ab imperatore, quoties honeſta eius circumſcriptio, in pinguem & maximè protenſum aqualiculum degeneraret: ac inter cæteros Cato Senior, cùm videret quendam ab *Eduſæ*, & *Potinæ* cultu, ganeonem inexhauſtæ libidinis factum, cuique aruina ipſa & pinguedo oneri eſſent, eiuſmodi illum ſcommate laceſſiuit vt diceret *mirari ſe, cui vſui tale corpus eſſe poſſet Reipublicæ, cuius inter guttur & inguen omnia venter*, aut ſi mauis eo nomine vti, quo Caper Grammaticus ventrem profundum appellat, *gurges occuparet*. Indeque cenſores nimis pingui homini, & corpulento equum adimere ſolitos narrat Gellius, quaſi minus idoneus eſſet homo

Deſidià latam trahens inglorius aluum. lib 7. c. 12.

qui probè equitis munus obire poſſet; aut quod ex eiuſdem Catonis auctoritate nonnulli conijciunt, non omnino inculpatus, neque indeſes videretur, cuius corpus in tam immodicum modum luxuriaſſet, exuberaſſetque.

Quod ſanè incommodum vt vitarent Iberi ſolebant exercere ſe in omni laborum genere; & quod notat Damaſcenus in fragmento de moribus gentium ijdem *habebant Zonam certæ menſuræ* μέτρον τῆς ζώνης *intra quam ſi uenter cuiusquam compræhendi nequeat pro dedecore id magno habetur*: ſimilique inſtituto Lacedemonii apud quos σιτοδεία ſeu *victus tenuitas* à legiſlatore inſtituta fuerat, vt eſſent aſſuefacti ad tolerandam famem, quum ita opus in bellis & alibi eſſet, adſcriptum hoc etiam in lege habebant, ita rem prodente Aeliano, *vt decimo quoque die Ephebi ad vnum omnes ſe corã Ephoris nudos publicè ſiſterent; ac ſi eſſent ſolida corporis habitudine, validique & quaſi ſculpti ex certaminibus, & tornati commendabantur: ſin aliquod membrum illis eſſet turgidum, vel molle, ob ſuppoſitam & ſuccreſcentem ex ocio pinguedinem, verberabantur & multabantur*. Quod inſtitutum licet perſunctoriè in auctores antiquos intuenti abſurdum videri poſſit, refertur; tamen ab Agatarchide quem Athenæus laudat, & ab eodem Aeliano conſignatum fuit literis, illuſtre huiuſce rei exemplum, in Nauclide Polybiadæ filio, quem Ephori nimium corpore pingueſcentem, è concione abduxerunt ſpectantibus vniuerſis, & exilium minitati ſunt, ni ſaginæ ſuæ modum imponeret.

2. *Quam Iberi & Græci varijs legibus imperarunt.*

libro 14. var. cap. 7.

Libro 12.

Qua-

Quamobrem Romani vt eorum exemplo frœnum gulæ vitio
3. *Et Romani etiã apud quos miles in galea potabat.* inijceretur, ita cum militibus ſuis agebant, vt nullum illis vas permitterent præter veru, & ollam æneam, ac poculum vnum; quinimo quaſi Diogenis aſſeclæ forent, cuius tota ſuppellex hunc in modum ab Auſonio deſcribitur

Pera, polenta, tribon, baculus ſcyphus arcta ſuppellex
Iſta fuit cynici: ſed putat hanc nimiam;
Namque cauis manibus cernens potare Bubulcum
Cur, ſcyphe, te dixit geſto ſuperuacuum?

ita quoque exploratum eſt ex multis ſcriptoribus, milites loco poculi ſæpius galeà fuiſſe vſos, quoniam vt inquit Luctatius Placidus ad hunc verſum Statij. *3. Thebaid.*

Hoſtilem Iſmenon galeis, dircemque bibemus.

poculum militis galea eſt; iſque apud antiquos ritus fuit militaris notiſſimus, vt conſtat ex Seneca referente hiſtoriam veterani, qui Cæſari propemodum ſiti confecto, *aquam in galea ſua attulerat*; ex Frontino apud quem Alexander, *oblatam ſibi a milite in galea aquam, ſpectantibus vniuerſis effudit*; ex Curtio cuius iſta ſunt *ſiti maceratus acceſſit, ac dum galeâ hauſtam aquam ſorbet, tela conſpexit*; ac denique ex Propertio, Claudiano, & alis, quorum ſi minus valere auctoritatem credis, quoniam de aqua tantùm loquuntur, quam non mirum eſt ex manu, aut galea in itinere potari, cùm vaſa alia non ſunt in promptu, en ſcrupulum hunc tibi ex animo euellet locus alter Pedonis Albinouani ſeu Auctoris Incerti de obitu Mecænatis.

Lib. 5. de benef. cap. 24. lib. 1. cap. 7. libro 5.

Bacche coloratos poſtquam deuicimus Indos,
Potaſti galea dulce iuuante merum.

Preterea miles Romanus nullis menſis accumbere poterat,
4. *Menſiſque ex caſpite paratis & cibis caſtrẽſibus vtebatur* niſi ex cæſpite paratis; imo vero cõtendunt viri duo incõparabiles in notis ſuis ad hæc Aelij Spartiani verba de Adriano, *Triclinia de caſtris, & porticus, cryptas, & topia dirueret*, morem militiæ fuiſſe, vt *ſtantes* cibum ſumerent, qui in illa verſabantur; quod equidem, & ſi nolim hic aduerſus illos diſcutere; monebo tamẽ te Ludouice Comes, quod locus ille Ammiani, quem in ſuæ opinionis confirmationem vterque adducit *per varios autem procinctus ſtans interdum more militiæ cibum breuem, vilemque ſumere videbatur* non planè me inducit vt idem cum illis ſtatuam, ſiquidem vox illa *ſtans* *Lib. 25.*

refer-

referri potius debet ad antecedẽtes *per varios procinctus*, quàm ad conſequentẽ *Romano more*; quandoquidem modus hic loquendi, *in procinctu ſtare*, familiaris eſt omnibus linguæ latinæ magiſtris, ſic enim Quintilianus dixit *quemque armatum ſemper, ac uelut in procinctu ſtantem*. Deinde verò notiſſimum eſt ex ſcriptorum omnium teſtimonijs, *Romani moris* fuiſſe vt miles in exercitu, nullum panem comederet, niſi ſubitarium, coctumque ſub cineribus; nec vllo liquore arentes fauces prolueret quàm *poſcà*, ſeu aquà tantillo aceti dilutà: Quid plura? non illi licebat obſoniorum, aut alterius alimenti quicquam deguſtare, præter ſalem, laridum, caſeum, legumina, & caſtrenſes eiuſmodi cibos; quibus vt milites libentius aſſueſcerent, ſolebant nonnunquam Imperatores, quaſi illos fortuito occupaſſent, ijs in propatulo veſci, vt *Adrianum*, & *Peſcennium* Spartianus; *Alexandrum* Lampridius; *Carum* Syneſius; & *Iulianum* Ammianus ipſe contra quàm ſummates viri ſentiant, feciſſe teſtantur, vnde ſi liceat mihi in virgula tantùm ab illis diſſentire, eam ſic collocarem, *per uarios procinctus ſtans, interdum more militiæ cibum breuem, uilemque ſumere uidebatur*. Cæterum non multum ab illis Imperatoribus diuerſi fuerunt præclariſſimi duo alij Cyrus maior, & Attila; quorum hic vt habetur in excerptis delegationibus, ex priſci Rhetoris Gothica hiſtoria, quo præclarius frugalitatis documentum ſuis populis daret, cæteros inſtructà omni eduliorum apparatu cœnà, & in diſcis argenteis repoſità excipiebat; cùm ipſe interim in quadra lignea, nihil præter carnes ſumeret, nec aliunde biberet, quàm ex fagino poculo; Cyrus autem quærente hoſpite, quid ad conuiuium parari iuberet? *panem*, inquit, *ſolum, ſpero enim me apud flumen cœnaturum*.

Lib. 12. cap. 9.

pag. 127.

At verò quid ſimile nunc in caſtris ſeruetur, vbi milites ex Marulli Mimographi ioco in paraſitum, *Hectorem egregiè imitantur, & ab Ilio nunquam recedunt*, per te quidem ſcis Ludouice Comes, qui non vnum in illis ſtipendium feciſti, atque etiam inuitus obſeruaſti vt ad illa ſtatim

Concurrunt cupedinarii omnes.

Cetarii, Lanii, Coqui, Fartores, Piſcatores, Aucupes.

ſed qui non ſimiliter in exercitu fuerunt, iſtud à Petro Bleſenſi diſcere poſſunt, vbi rem omnem graphicè depingit, *ſi milites noſtros*

Quod non itẽ faciunt noſtri milites forſan Mithridatis exemplo, qui Dionyſius idcirco dictus eſt, & aliorũ etiam, qui omnes effeminati fuerunt.

epiſt.94. *ſtros ire in expeditionem quandoque oporteat ſagmarij eorum, non ferro ſed vino, non lanceis, ſed caſeis, non enſibus, ſed vtribus, non haſtis, ſed verubus onerantur*. Vnde à quodam ex Centauris, milites
videndę notæ ad epiſt.6. eiuſmodi, qui poculis, non gladijs certarent *Herlininos* alibi vocauit. quemadmodum M. Tullius conuitium vt faciat Regi Mithridati, ebrietatemque eius coarguat, illum à Trallianis *Dionyſium, Bacchum, Liberum*, probroſa nomina accumulans, nomi-
pro L.Flacco natum ſcribit, ſic enim inquit *reuocarem animos veſtros ad Mithridatici belli memoriam, ad illam vniuerſorum ciuium Romanorũ per tot vrbes uno puncto temporis miſeram, crudelemque cædem*, & paulo poſt *Mithridatem Deum illum Patrem, illum Conſeruatorem Aſiæ, illum Dionyſium, Bacchum, Liberum nominabant*; cuius appel-
1 ſympoſ.c.7 lationis, quia duæ cauſæ à Plutarcho afferũtur, vna quidem quod bis eum fulmine fuiſſe appetitũ conſtet, ita tamen vt innocuus, incolumiſque remanſerit: altera quod ipſe præmium propoſuerit, qui plurimũ ediſſet, quique plurimũ bibiſſet, atque in vtroque certamine palmam tulerit, vtpote qui omnes ætatis ſuæ homines, bibendo ſuperaret; ſcio quidem Plutarchum hanc poſtremam, vt inanem, commentitiamque reprobaſſe, ſed nihilominus facit pro
lib.10. illa non mediocriter Athenæi locus, qui ſic habet *μιτειδάτην φησὶ τὸν ποντικὸν βασιλέα προθέντα ἀγῶνα πολυφαγίας καὶ πολυποσίας ἀμφότερα νικῆσαι* nec multum abludunt ab his certaminibus ſæculi noſtri mores, cùm in cœna non epulari tantum poſſis, *ſed* præliari inter tot bellaria, quæ illic adſunt, quaſi à bello dicta, lepidè certè, & ad rem Manilius

Lib. 4. *Luxuriæ quoque militia eſt uigil, atque ruinis*
Venter, & ut pereant, ſuſpirant ſæpe nepotes.

& miramur adhuc extra popinam degeneres eſſe illos, quibus ſi quid ardoris, & ferociæ inerat; id omne ganeis, & comeſſationibus deteritur, quibuſue dum largiora pocula ſiccant, & Bathrachomiomachiam Homericam exercent quæ lurconum dſſidia, ac in victu potuque vitia, per mures, & ranas, ſapienter exagitat, occaſiones interim effluunt, rem bene fortiterque gerendi; haud ſecus atque Vguccioni Flagiolano contigit, qui vti erat cibi capaciſſimus, & màximè vorax; dum per ſingulas tempeſtiui conuiuij dapes, vſque ad bellaria conueſci pergeret, & rumorem qui ex certo nuntio increbuerat, Piſis excitari ad arma populum,

ſuſque

ſuſque deque haberet; & hanc ciuitatem, & Lucam inſuper vno prandio abſumpſit.

Quare non inſulsè M. Curium, & T. Coruncanum optare ſolitos dicunt, vt eius Philoſophi, qui volebat omnia quæ faceremus, ad voluptatem eſſe referenda, hæc ipſa ſententia Græcis hoſtibus perſuaderetur, quo facilius vinci poſſent, & ſuperari, cùm ſe voluptatibus dediſſent; hac enim arte ſciebant Lydos rebelles, & peruicaces, fuiſſe à Cyro perdomitos, cùm *iterum victis*, vt inquit Iuſtinus, *equi & arma adempta, iuſſique cauponas, & ludicras artes, & lenocinia exercere, & ſic gens induſtriâ quondã potẽs, & manuſtrenua, effœminata mollicie, luxuriaque virtutẽ priſtinã perdidit*. Sicut etiam accidit Leontinis, qui ne res nouas molirentur, eodem planè ſtratagemate à Phalaride conuiuijs, & vinolentiæ, tanquam ganeonum turba ſunt relicti. Propterea que id conſilij datum olim fuit Octauiano Auguſto, à Pylade quodam pantomimo, qui illi parum ſubirato, quod eius, & Batylli alterius ſaltatoris causâ populi ſæpe fieret concitatio, argutè reſpondit, *id tibi quidem conducit Cæſar, populum propter nos occupatum, ac diſtentum eſſe*, periculum enim erat ne ſublatâ iucundiſſimâ illa oblectatione, populum vacantem, ac otioſum priſtinæ libertatis recordatio tangeret, atque ita Brutus aliquis inſurgeret, qui maiorum ſuorum memor, iiſdem illum verbis ſollicitaret, quibus Teucteri Vbios adeunt, & contra Romanos ipſos ſollicitant apud Tacitum, *inſtituta, cultumque patrium reſumite, abruptis voluptatibus, quibus Romani plus aduerſus ſubiectos, quàm armis valent*. Neque hoc ſtratagema malè Romanis ceſſit, cùm Agricolâ rem gerente aduerſus Britannos *ſequens hyems ſaluberrimis conſilijs abſumpta eſt, vt homines diſperſi, ac rudes, eoque bello faciles, quieti, & otio per voluptates aſſueſcerent*. Qua profectò in re Eutrapelum illum imitati ſunt de quo Horatius facetè commentus eſt quod

6. *Vnde multi, quos armis ſuperare non poterant delicijs & voluptate fregerunt.*

Libro 1.

Dio. lib. 54.

lib. 4. Hiſtor.

lib. 1 epiſt. 18

Cuicumque nocere volebat
Veſtimenta dabat pretioſa, beatus enim iam
Cum pulchris tunicis, ſumet noua conſilia & ſpes,
Dormiet in lucem, ſomno poſtponet honeſtum
Officium, numeros alienos paſcet, ad imum
Thrax erit, aut olitoris aget mercede Caballum.

Etenim vt omittam, quod *venter mero æſtuans*, frequenter, ſicut 7.

cut

Quia hæ vires corporis, & animi labefactant. cut inquit D. Hieronymus, *ſpumat in libidinem*, animumque fumis obtundit, & quaſi obſitum detinet, ne præclarè quicquam facere, au cogitare poſſit; eo vſque vt Plato ciuitatem procul à portu fundari debere aſſeruerit, ne delicijs, quæ mari auehuntur omnis generis, ciues diffluerent: & experientià compertum ſit *Limogeam*, quæ prouincia eſt Galliæ, non quidem vt Bodino placet, dicta ἀπὸ τοῦ λοιμοῦ cùm in montibus poſita ſit, & ſalutaribus aquis vſquequaq; irrigua, ſed ἀπὸ τοῦ λιμοῦ quia *fame* in illa interire propter agri ſterilitatem, aut aliunde frumentum aduehere neceſſe eſt, omnium tamen noſtrarum vrbium, ſi Lutetiam & Tholoſam excipias, ingenioſiſſimis opificibus abundare. Certè negari præterea non poteſt, quin ciborum quantitas, & exuperãtia, etiam optimorum, grauis infenſaque naturæ exiſtat, & vires latenter deijciat, ſeu à ventriculo ſuperetur, dum in ipſum ſuas viciſſim qualitates exercet, & depromit, natiuumque calorem à ſenſibus, & animæ functionibus auocat, occupatumque detinet, vt *ſimul aſſis miſcere poſſit elixa, ſimul conchylia turdis*: ſeu indomità nec prorſus ventriculi robore euictà, ſubſtantià ſuà, aut quoquo verſum expirante vapore, in omne corpus permeet, ipſumque cor, & cerebrum atque vniuerſum corpus concutiat: adeo pernicioſa ſentina eſt, & corporis, ac animi vitiorum omnium fons, &
epiſt. 95. origo, abdomen inſaturabile! *inde enim* quod eleganter inquit Seneca *pallor, & membrorum vino madentium tremor, & miſerabilior ex cruditatibus quàm ex fame macies; inde incerti labantium pedes, & ſemper qualis in ipſa ebrietate titubatio. inde in totam cutem humor admiſſus diſtentaque venter dum malè aſſueſcit plus capere, quàm poterat; inde effuſæ lurida bilis, & decolor vultus, tabeſque in ſe putreſcentium, & retorti digiti articulis obrigeſcentibus, neruorum ſine ſenſu iacentium torpor, aut palpitatio ſine intermiſſione vibrantium,
8. quid capitis vertiginem dicam? quid oculorum, auriumque tormenta, & cerebri æſtuantis verminationes, & omnia per quæ exoneramur internis vlceribus affecta.*

Quas ex aduerſo temperantia firmat Perſarum exemplo de quibus quæritur cur naſturtium frequenter ederent. Cùm ex aduerſo vna temperantia totius ſit iucundæ, ſalubriſque vitæ moderatrix, & cibus, potuſque ad naturam accomodatus, corporis motus, actioneſque omnes corroboret, & mentis vires integras, atque incolumes perdurare faciat, quod exemplo Neruiorum Cæſar probauit, hominum magnæ virtutis, & fortiſſimo-

ſimorum inter Belgas, de quorum natura moribuſque cum quæreret, ſic reperiebat, nullum eſſe ad eos aditum mercatoribus, nihil pati vini, reliquarumque rerum ad luxuriem pertinentium inferri, quod his illecebris elangueſcere animos, eorumque remitti virtutem exiſtimarent. Sic Perſarum induſtriam, & fortitudinẽ cùm laudaret, & ſuauiſſimus, & prudentiſſimus ſcriptor Xenophon, negabat omnino ad panem adhibere quicquam ſolitos, præter Naſturtium; ne ſi fortè aliorum commeatuum inopià premerentur, nouum ijs, aut inuſitatum eſſet carere magnificentia ciborum, ideoque Ammianus de illis etiam dicebat *munditias conuiuiorum, & luxum, maximeque potandi auiditatem, vitant vt luem, nec apud eos extra regales menſas, hora eſt præſtituta prandendi, & venter vnicuique velut ſolarium eſt, eoque monente, quod inciderit, editur*. Cur verò præ cæteris herbis Naſturtium ſiue Cardamum eligerent, causà aſſignari ſolet non vna à diuerſis auctoribus, quorum alij id factum tradunt, quia Cardamum animi torporem exacuit, & cor confirmat, vnde ἀπὸ τῆς καρδίας illud deriuãt, & prouerbium in confirmationem ſuæ ſententiæ adducunt ἔσθιε κάρδαμον: *ede Naſturtium*, in eos dictum, qui ignaui hebetes, & ſtupidi exiſtunt. Nonnulli putant arcendæ, & cohibendæ veneris causà ab illis fuiſſe comeſtum, quam virtutem Plinius illi, & Florentinus geoponicon ſcriptor, cæteris non ita conſentientibus affingunt. Multi denique quòd apud Perſas turpe eſſet, vt inquit Xenophon, palam expuere, & emungi, ac excernendi lotij ergo ſecedentem aliquò conſpici, quæ propria, & vera eſſe intemperantiæ ſigna dicuntur à Clemente Alexandrino, propterea Naſturtium ab illis vſurpatum fuiſſe contendunt, cuius proprium eſt, vt volunt Scholiaſtes Ariſtophanis, & Suidas ſupprimere, & cohibere vrinas, & ſputa; aut potius abſumere ſua caliditate, ac diſcutere ſuperfluas omnes corporis humiditates; quæ etiã cauſa eſt, vt Perſarum cadauera quod notauit Ammianus Marcellinus ob victus parcimoniam dureſcant, ſtipitum more, nec in ſaniem liquantur, quemadmodum noſtra quæ mox cæſa tabeſcunt, ac putreſcunt, itaut nullius facies poſt quatriduum agnoſcatur.

Marginal notes: 1.Cyr. præd. — libro 23. — lib 2 pædag. cap.2.

9. *Et quod eodẽ pertinet num Galli Senones fructuum*

Enimuero poſtquam de Perſarum antiqua frugalitate dixi, parum ex officio facere viderer, ni quam intemperantiæ notam nõ poſtremi Auctores Gallis antiquioribus inurũt, eam prorſus inanem

ac vini dulcedine capti in Italiam transierunt. nem eſſe, ſi rectè conſideretur, & dignam omninò quæ cum Atellanis fabulis conferatur, oſtendam; ferunt enim eos ita præcipites actos vnà ventris, ac gulæ curà, vt arreptis armis, Alpes, quas natura pro muro illis oppoſuerat, ſuperare, atque totam Italiam inuadere conati ſint, ſic nempe famam eſſe dicunt, ſic rumorem omnium linguis, & grauiſſimorum etiam hiſtoricorum calamis celebratum: inter quos ſi Titum Liuium conſulas, ſtatim audies; *eam gentem traditur fama dulcedine frugum, maximèque vini noua tum voluptate captam, Alpes tranſiſſe, agroſque ab Hetruſcis ante cultos poſſediſſe; & inuexiſſe in Galliam vinum illiciendæ gentis causà Aruntem Cluſinum, irà corruptæ vxoris ab Lucomone, cui tutor is fuerat.* ſi vero Plutarchum; videbis etiam feſtinationem in hoc itinere ſuſcipiendo maximis helluonibus dignam, *tunc*, inquit, *fama eſt primũ guſtantes, vinum ex Italia delatum, ſic illius admiratione, ac nouitate ſuauitatis amentes facti ſunt omnes, vt collectis armis, ſumptisque filijs, ad Alpes conceſſerint, quæſiuerintque eam terrã, in qua huiuſmodi fructus oriretur*, profecto non maiori pedum cõtentione ferri potuiſſent in terram Chanaam, quæ *lacte, & melle fluebat*, vt retulerunt exploratores in illam miſſi à filijs Iſrael; aut in fortunatas inſulas, vbi quemadmodum fertur Pherecratis comici verſiculis.

lib. 5. dec. 1.

in Camillo.

Aſſati Turdi, adhuc feruentes, conditi
Circum os aduolant, ſupplicantes vt deuorentur.

libro 15. ſed enim non impune illis ceſſit eiuſmodi feſtinatio, nam idcirco Ammianus illos vocabat *vini auidum genus*; & Tullius pro Fonteio perorans, non veritus eſt dicere *Gallos poſthac dilutius eſſe poturos*, quaſi antea quidem pocula ſiccare iniqua, & largiori ſeſe vini hauſtu proluere, de more ac inſtituto illorum fuiſſet. Et nequicquam iſtorum refelli poſſit, facit omnino Plinij locupletiſſimi teſtis auctoritas, qui migrationem hanc Gallorum, non alio quidem fine, ſed aliter tantummodo factam fuiſſe narrat *produnt*, inquit ille, *Alpibus cohercitas, & tum inexuperabili munimento Gallias, hanc primum habuiſſe cauſam ſuperfundendi ſe Italiæ: quod Elico ex Heluetijs ciuis earum, fabrilem ob artem Romæ commoratus, ficum ſiccam, & vuam, oleique, ac vini præmiſſa remeans ſecũ tuliſſet. quapropter hæc vel bello quæſiſſe, venia ſit*: ſcilicet ne Galliæ eodem modo ſolitariæ dicerentur, quo Herodotus apud Iulianum Impera-

lib. 12. cap 1.

epiſt. 24.

pera-

peratorem, vt veram ſolitudinem oſtenderet, ſatis habuit dicere *apud eos neque ſiti ſunt*. Verum optarem libenter vt perpetua ſiti macerentur, qui tam proteruè de aliorum ſobrietate iudicāt: neque enim Galli, vt Sardolybes fuerunt, quos nullam ſibi ſuppelle,ilem parare præter *calicem*, & *gladium*, auctor eſt Damaſcenus, nec ſi Plutarchus, aut Ammianus parum de veritate ſolliciti fuerunt, idcirco hæc obrui debet iniquorum calumnijs, nam Liuius qui raro in fabulas inquirit, hanc tamen quæ de Gallorum in Italiam tranſitu ob vini, & frugum delicias, circumferebatur, ita præter ſuum morem exagitat, vt etiam concludat, Galliam omni rerum, ac fructuum copiā, abundè dotatā eſſe, nec Gallos cùm duce Brenno Romanos ad Aliam fuderunt, tum primùm in Italiam penetraſſe, vt ineptorum quorundam rumoribus ferebatur *ducentis quippe annis*, vt inquit, *antequam Cluſium oppugnarent, Vrbemque Romam caperent, in Italiam Galli tranſcenderunt*; poſtea vero addit, *de tranſitu in Italiam Gallorum hæc accepimus, Priſcò Tarquinio Romæ regnante. Celtarum, quæ pars Galliæ tertia eſt, penes Bituriges ſumma Imperij fuit, ij Regem Celtico dabant, Ambigatus is fuit, virtute, fortunàque cùm ſuà, tum publicà præpollens: quod in Imperio eius Gallia adeo frugum, hominumque fertilis, vt abundans multitudo vix regi videretur poſſe. Hic magno natu ipſe iam exonerare prægrauante turba regnum cupiens, Belloueſum, ac Sigoueſum ſororis filios impigros iuuenes, miſſurum ſe eſſe, in quas Dij dediſſent augurijs ſedes, oſtendit. Quantum ipſi vellent numerum hominum excirent, ne qua gens arcere aduenientes poſſet.* Benè igitur tibi ſit Tite Liui, per quem genti noſtræ ſuus conſtat honos, aduerſus tantæ auctoritatis hiſtoricos, qui cum, ſi in eadē opinione de Gallorum tranſitu conueniſſes, actum profectò erat de illorum frugalitate, & de Galliarum vbertate, quas vtcumque Solinus *felices præpinguibus glebis, & accomodas prouentibus fructuarijs* dixerit; ac Pomponius Mela, *terram frumenti præcipuè feracem* vocet: nihil tamen hæc, aut certè parum videbātur profutura, eluendæ tam graui notæ, quàm tu illi in contrarium teſtimonio tuo inuſſiſſes. Et tamen pro comperto eſt apud omnes, quod nos ipſi in Gallia noſtra Italiam non deſideramus, ſi quidem vt inquit Plinius, *Narbonēſis Prouincia, agrorum cultu virorum, morumque dignatione, amplitudine opum, nulli Prouinciarum*

[Margin notes: In excerpt. de moribus gentium. — capite 34. — lib. 1. cap. 2. — lib. 3 cap. 4.]

S *poſt*

poſt ferenda, breuiterque Italia verius quàm Prouincia. Hoc autem
libro 4. ſi Plinio minimè credis, en alium teſtem profero, cui flagitium ſit fidem non habere? Strabonem videlicet cuius iſta ſunt ἡ Ναρβωνῖτις ἅπασα ὥσπερ ἡ Ἰταλία τοὺς αὐτοὺς ἐκφέρει καρπούς *Narbonenſis vniuerſa quemadmodum Italia eoſdem producit fructus*. vnde ſi
2. georgic. Virgilius de Italia dixit.

Hic ver aſſiduum, atque alienis menſibus æſtas.

in Burdig. Idem etiam Auſonius de Aquitania protulit.

libro 4. *Ver longum, brumæque breues, iuga frondea ſubſunt.*

ſi illam, quaſi in gremio ſuo omnes naturæ opes, & mortalium bona recludat, fortunatiſſimis alijs regionibus anteferre multi non dubitarunt.

Vt neque Medorum ſyluæ ditiſſima regna,
Nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus
Laudibus Italiæ certent.

ſanè poſſem, ſi libitum eſſet, auguſtius aliquid de Aquitania di-
libro 7. cere, quandoquidem Saluianus eam adeo fœcundam atque amœnam eſſe dicit, *vt vere poſſeſſores ac domini terræ illius, non tam Soli iſtius portionem, quàm Paradiſi imaginem poſſediſſe videantur*. Verũ ſatis eſt mihi ſi conficere poſſim, non eiuſmodi vnquam fuiſſe Galliam, vt vel ſuis incolis non vberrimum victum ſuppeditare, vel ab Italia potiſſimum, res ad commodioris vitæ vſum neceſſarias accipere potuerit; nam vt de priori parte ſermonẽ iam antea inſtitutum euidenti ratione concludam, ſi Gallia ipſa ſitu infelix, montibus aſpera, ſyluis horrida, exſucca, ſterilis, arens, inamœna, ſquallida, deſerta, ſoliuſque penuriæ fertilis deſcriberetur ab auctoribus, darem equidem libenter manus Plutarcho, & adductos crederem veteres illius incolas, vt famis tandem ac parci victus pertæſi, ſolum vertere maluerint, quàm tot incommoda experiri, ac perferre diutius; ſed cùm Gallia ipſa communi, non eorum modo quos antea laudauimus, ſed omniũ hominum conſenſu dicatur eſſe felix præpinguibus glebis, commoda prouentibus fructuarijs, vitibus conſita, rigua fontium, & fluminũ aquis, rerum denique omnium quibus animaliũ victus indigere poteſt copiâ adeo ferax, vt ipſa facile ſine aliarum ope; & cæteræ Europæ regiones, vix abſque eius bonorũ participatione commodè viuere poſſint, ſi item Lutetia, quæ regni caput eſt

eſt, centum quotidie hominum myriadas commeatu, qui ex vicinis locis in eam infertur, nullo negotio paſcit; eaque ſemper fuit eius vrbis, & vicinorũ ei agrorum vbertas, vt Hilduinus Monaſterij D. Dionyſij Abbas, qui Ludouico, & Carolo Regibus vixit, eam ſic in Areopagiticis deſcribat *Pariſiorum Ciuitas ſalubris aere, iucunda flumine, fœcunda terris, arboribus nemoroſa, & vinetis vberrima, conſtipata populis, referta commercijs, & varijs commeatibus, vndà fluminis circũfluente, quæ, ſiquis inter commoditatum genera recenſet, etiam alueo ſuo magnam piſcium copiã ciuibus ſuis miniſtrat*, & Quintianus Stoa Brixianus non tam æmulatione Ioannis Anneuilani, quàm rei ipſius ſtupore, & veritate commotus opinionem quam de ipſa vrbe habebat, his verſibus teſtari prius quàm in Italiam reuerteretur, voluerit

in Cleopoli.

Iamque vale fœcunda ſolo, celeberrima doctis
Ingenijs, iucunda ſitu, præclara fluento,
Viuida roboribus, pratis variata, roſetis
Nobilis, armentis pinguiſſima lactis abundans
Læta hortis, conſepta iugis, generoſa racemis,
Meſſibus accumulata, colonis diues, amœna
Cæſpitibus, ſyluis frondoſa, ignara draconum,
Caſſa rubis, expers tribuli, procera ſalictis.

quibus id generis ducentos fermè alios, ab inexhauſta quadam ingenij fœcunditate ſubiunxit. Hæc inquam cùm ita ſint quis æquo animo ferat Plutarchũ inter tot egreſſiones, quibus vitas ſuas interpoles fecit, hanc etiam de triuio arripuiſſe, quæ rumore ferebat Gallos vini, & frugum delicijs pellectos in Italiam fuiſſe, non ſecus ac paraſiti pro amplioris culinæ fumo, atque nidore quadras quotidie mutant; maximè cũ Plinius aſſerat Galliæ ſuum eſſe genus farris *nitidiſſimi grani, & quod fere quaternis libris plus reddit panis quã far aliud*: nec Cicero etiã ſubticuerit ſua ętate ingentẽ frumenti vim ex Gallijs inopiæ publicæ ſubleuãdæ, aliorsũ tranſuectam fuiſſe. Enimuero quamuis concederẽ Gallos penurià expulſos à proprijs ſedibus fuiſſe, nondum tamen video, cur Romam verſus tendere debuerint, non autem in Siciliam quæ omniũ rerum beatiſſima vbertate referta erat, vnde Catoni *horreum populi Romani*; Straboni *omnium fructuũ ac vini potiſſimum generoſi penu*; Pindaro πολύμαλος ſeu *pecoris diues* dicta fuit, & nũc

Pro Fonteio.

libri 18. c. 7.

ode 1. in Olymp.

etiam ſæculi regio illa. quæ ad Aethnam montē pertinet propter centuplum frumenti prouentũ *Campo delle cento ſalme* vulgo in digitatur. Et ſane verũ eſt quod aucto Populi Romani Imperio, finibusque prolatis, ſumma illa frumenti copia, quæ tot hominibus alendis ſufficiebat è Sicilia, Sardiniâ, & præſertim Africâ, atque Aegypto quæ vina horrea Reipublicæ fuerũt, petebatur, vt ex duodecimo annalium Taciti patet, & ex Plinij panegyrico ad Traianũ; ita quoque rationi valde conſentaneum eſt, non eam fuiſſe prioribus, & antiquiſſimis illis tēporibus, quibus vt inquit varro *nondum intra murũ patres familiæ correpſerāt, & manus mouere maluerāt in Teatro, ac circo, quā in ſegetibus, & vinetis* Romani agri vbertatē, vt etiam exteros, & vicinos velut ad cõmunes epulas prolicere, ac inuitare potuerit, ſeu frumenti, & ſuauiſſimorũ fructuum copiā ſpectes, ſeu quoque vini ipſius præſtantiam, è qua tamen vna, tum Plutarchi ipſius ſermo cùm aliorũ rumores de Gallorũ in Italiam trāſitu, vidētur potiſſimũ originē habuiſſe. Nā licet Plinius dixerit quod *vitium principatus in tantũ peculiaris Italiæ eſt, vt vel hoc vno omnia gentiũ viciſſe, quamquā odorifera, poſſit videri bona* ideque ex octoginta generibus vini, quæ fere in toto orbe nobilia produntur; duas ex eo numero partes Italiæ attribuat, quæ idcirco *Oenotria* dicta eſt, ab argumēto *vini optimi*, cuiuſmodi Plinius, & Dioſcorides dicunt fuiſsè *Cæcubũ Falernũ, Albanũ, Surrentinũ, Maſſicũ, Fundanũ, Veliterninũ, Priuernate, Signinum, & id* generis alia; de quibus, & ſi minimè omniũ pronũciare debeā abſtemius ipſe naturà, dicā tamen quod nemo opinor inficias ibit, vina hęc Italię quorũ ſingula varias ob dotes ſuā cõmendationē merētur, Fortunæ beneficio, quæ Romanorũ omnia, cũ eorũdē Imperio in maius euexit, lõgè maiorē hanc, quā forſan cõuenit, obtinuiſſe; nam pręter quā experiētiā cõpertũ eſt, Veliternina aut degeneraſſe, & auctoritatē amiſiſſe ſuā, aut certè nõ tā generoſa antiquitus fuiſſe, vt à Plinio predicātur; notũ eſt inſuper ex eodē Plinio quodnā fuerit Tyberij de Surrentino iudiciũ, cũ ille diceret *cõſenſiſſe Medicos vt nobilitatē Surrētino vino darent alioquin eſſe generoſum acetũ*, aut ſi mauis cum Auguſto lo qui *nobilē vappā*, quibus conſentit plane Athenæus dũ illud audaci trāslatione ψαφαρὸν appellat *ſqualidũ* propter aſperam eius & intractabilē, ac indomitam naturā. Pręterea nimis auguſtè de

rebus

lib. 2. de re ruſtica.

lib. 14. in proœmio.

ibidem c. 6.

libro 5.

lib. 14. cap. 6.

libro 1.

rebus iudicant, qui vina Italiæ, eo quod optima ſunt, atque eo nomine paſſim ab auctoribus Latinis, & Romanis commendantur; reliquis idcirco præferenda ducunt; nam ſi Galenum conſulas, videbis illum diuerſa vinorum genera commendare, quæ non modo Græciam, & Aſiam ſui præſtantia nobilitare, ſed externas quoque prouincias, ſuauiſſimo hauſtu recreare ſuo tempore, ac reficere ſolebant, ſic Athæneus totus eſt ſub finem libri primi Deipnoſophiſtarum, vt vina enumeret quæ penes diuerſas gentes in pretio fuerunt, & Hermippus apud eundem Bacchum inducit plura vini genera his verſibus recenſentem Libro de cibis boni, & mali ſucci.

Mendeum vinum cæleſtia numina meiunt
Mollibus in Stratis, & quæ Magneſia *gignit*
Lænia: tum Thaſium *quod mali ſpirat odorem:*
Arbitror hoc equidem cunctis præcellere vinis,
Inculpatum ſi demas ac nobile Chium
Eſt & vinum aliud Sapriam *plebs nomine dicit,*
Quod recluſa cadi ſummi dum labra pateſcunt
Purpureas violas redolet ſuaues hyacinthos,
Nectar ego prorſus vinum hoc exiſtimo purum.

quibus adhuc poſſet addi *Pramnium* commendatum ab Homero; Odyſſ. 10. *Maroneum* de quo dicebat Tibullus

Victa Maroneo fœdatus lumina Baccho.

Chalybonium quod Perſarum Regibus vnicum in delicijs erat, non ſecus, ac *Choaſpis aqua*, & multa alia quæ à Iulio Polluce, alijsque auctoribus tam in Græcia quàm tota Aſia celebria ſuis quæque virtutibus fuiſſe dicuntur. Eodem modo Germani vina ſua tam audacter efferunt, vt etiam fidem apud exteros faciant nihil eſſe aut *Rhenenſi* delicatius, aut *Necarico* ſubtilius, aut *Franconico* fortius, aut *Auſtriaco* ſuauius, ac proinde non iniuria Gallus quidam ſibi vt illa tantum propinarentur optabat

Hæc mihi pocula ſint: contemnam Gallia quotquot,
Græcia quotquot habet, quæcumque dat Itala tellus
Nec ſitiam varios mihi quos lautiſſima Roma
Sæpè miniſtrauit latices; me iudice quamuis
Romanæ Bacchi ſint maxima gloria menſæ.

Sic Hiſpanica vina celebrantur mirum in modum à Martiali, Silio Italico, Plinio, & Ouidio, Atque vt de noſtris aliquid dicam,

tot eorum ſpecies, adeoque externorum etiam menſis, & delicijs celebratas refert, atque explicat Carolus Stephanus in libris ſuis de agricultura, vt actum agere videar, ſi poſt illum quicquam de illis in medium proferre vellem: præſertim cùm horum mirificas dotes non ſemel in Gallia probaueris, Ludouice Comes, & Italis omnibus nulla æque vina arrideant, ac *Clareta* illa quæ tanto ſpiritu prædita ſunt, vt à primis menſibus condita dolijs, hauſtaque ad vſum, pulchrè videantur ſcintillis aureis extra pateram exultare, cum odoris fragantia ac ſapore, bibentibus adeo delectabili, vt mirificè confortent ſpiritus, & caput etiam niſi modicè bibantur καρηβαρεῖν, ac *dolere faciant*, ijs præſertim qui cerebro ſunt calidiori: vnde non mirum eſt, ſi quemadmodum *Streptos* vua vbique cũ Sole ſe circum agit, miraculum illud prodente Plinio, ita nectar iſtud Gallicum, quoquouerſum per nobiliſſimas orbis regiones ſe diffundit, eaſque dulciſſimo liquore ſuo, veluti aureo quodam imbre refocillat; quod priſcis etiam temporibus inualuiſſe palam eſt ex Plinij, & Columellæ monumentis: vt minimè propterea audiendi ſint qui vina noſtra mucrone eſſe obtuſiori dictitant, nec ſatis lancinare linguas guſtu feruido, & acuto. Nam cõtendit ex aduerſo Budæus *Saniorum iudiciorum conſenſu, vina Francica id eſt vineti Pariſini omnibus bonitatis numeris præcellere*; & ſi quis laudationem hanc potius concinnam quàm veram exiſtimet, ſciat is mentẽ eandẽ fuiſſe Iuliano Imperatori in deſcriptione Lutetiæ *byemis*, inquit, *eius terræ incolis mitior eſt, propterea vites optimæ illic naſcuntur* ϗ φύονται παρ’ αὐτοῖς ἄμπελοι ἀγαθαὶ. Quin etiam Petrus Quinquerranus idem de Arelatẽſibus probat quamuis ignota ſint externis, quia nullam vecturam tolerãt; quæ forſan eadem cauſa fuit vt dixerit Plinius de vinis noſtratibus loquens, *Beterarum intra Gallias, conſiſtit auctoritas*. Hæc autem omnia quamuis præter rem copioſius expoſui, vt oſtenderem contra Plinium & Plutarchum, Gallos antiquiores nullam occaſionem habuiſſe, cur vel proprias ſedes, earum inopia & ſquallore compulſi defererent, vel ſi iſtud facere voluiſſent, non fuiſſe cur in Italiam, potius quàm in Germaniam, & Hiſpaniam æque fertiles illis temporibus, nec minus vicinas regiones proficiſci debuerint; & ex conſequenti non rectè feciſſe viros illos graues, qui ex leui, planèque futili, & incerto rumore, aut verius nutricia quadam

Lib. 5. de aſſe

in Miſopogone.

Lib. 2. de antiquit. prouinciæ.

Lib. 14. ca. 5.

dam

dam cantilena, Gallos quos, pace reliquorum populorum dixerim omnium eſſe μετριοποτάτους id eſt *in bibendo moderatiſſimos*, vinoſos faciunt, adeoque gulæ ſcitamentis deditos, vt Romam ea de cauſa in qua C*upedinis Forum* erat, tumultuario ac inconditè, ſibi petendam eſſe duxerint: quaſi vel honeſtum eſſet illud de populis cogitare, qui non impetu vt vulgus in comitijs aut foro, ſed præclariſſimis legibus, & ducibus optimis regebantur; vel non inſtituta ab omni tempore fuiſſet inter vicinos populos mercium tranſuectio, & commutatio, vt Galli qui ducentis annis antequàm duce Brenno Vrbem caperent, in Inſubribus, vt Liuius ipſemet fatetur, ſedes habuerũt, dijudicare poſſent quodnam Cluſini, & Romæ vinum biberetur; vel denique non idem de *Arunte* arbitrari præſtaret, quod de *Iuliano Comite*, qui Arabes in Hiſpanias vocauit, eum videlicet optimatem fuiſſe, qui iniuriæ quam à *Lucumone* acceperat, vlciſcendæ ſtudio, opes ac clientelas omnes, quas in Italia habebat, Gallis, obtulit, ſi vellēt ipſam armatis & præpotentibus copijs inuadere. Verumtamen ſi hoc ita ſe habuit quo tandem deſinet Plini narratio de Fabro illo qui in Gallias remeans, ficum ſiccam & vuam in eas attulit, occaſionem quē illis dedit ſuperfundendi ſe primùm Italiæ? profectò ad vacui capitis Pheacas releganda erit neque enim vllum hic in Italia eſſe arbitror, qui Plinio hac in re, aut etiam Plutarcho aſſentiri velit: & non potius fatum eorum doleat, quod ambo vbertati rerum; ac copiæ dum ſtudere vellent, minus propterea ſolliciti fuiſſe videntur de earumdem veritate.

Cæterum quoniam duo fortiſſimi Pœnorum Duces Annibal, & Aſdrubal ante cætera vnius Italiæ amœnitatem, & eius fructuum, vinique præſtantiam, toties militibus ſuis ob oculos ponunt, vt nihil ferme in Polybio alijſque hiſtoricis frequentius occurrat; ſciendum eſt illos non aliâ ratione vt iſtud facerent inductos fuiſſe, quàm propter legem Carthaginēſium, qua ſub grauiſſimis pœnis cauebatur ne vnquam in caſtris quiſquam vinum guſtare auderet: vnde cum Annibal pertæſos eius obſeruantiæ milites in Lybia, & Hiſpania cognouiſſet, Italiam illis oſtendebat, fructuum omnis generis ac vinorum etiam ſuauiſſimorum pleniſſimam, quam ſi magno animo aggrederentur, ſuiſque viribus ſuperarent, futurum etiam erat vt in illa legibus patrijs minime

10. *Nam vinum militibus cōcedēdum ſit.*

Polyb. lib 3.

tenerentur, & liberiorem viuendi licentiam vſurparent. Hanc vero Carthaginenſium legem quia multi laudant, & efferunt, vt Plato in primis cuius verba ex libro ſecundo de legibus, penes Galenum reperiuntur, vbi ille docet quod hominis mores, & propenſiones plerumque finguntur ab ipſa corporis temperie: *verũ etiam potius Cretenſium Lacedæmoniorumque vſui Carthaginenſium legem antepoſuerim, vt nullus videlicet in exercitu hanc potionem*, vini ſcilicet, *guſtet; ſed toto illo tempore aquæ potione vtatur, & in ciuitate neque ſerui, neque ſerua vnquam, neque principes eo anno quo in imperio ſunt vinum guſtent*. atque eadem etiam in opinione

lib. 2. cap 9 fuiſſe videntur Ariſtoteles in Politicis, Galenus ipſemet, Euſebius

lib. 12. de præ par. cap. 17. alijque ſcriptores non contemnendæ auctoritatis, & doctrinæ. Propterea factum eſt, vt multi vinum quaſi militari fortitudini penitus aduerſum damnent; eiusque vſu interdicendum eſſe militi, non ſecus ac ſcortis, & ſimilibus diſciplinæ corruptelis arbitrentur. Et ſanè non minimum illis fauere videtur Aelius Spartianus, dum inter ea quæ ad Peſcennij Nigri virtutes pertinent, illud tanquam valde inſigne refert quod *iuſſit in expeditione vinum neminem bibere, ſed aceto vniuerſos eſſe contentos*, ac præterea quod limitaneis militibus apud Aegyptum, cùm vinum ab eo peterent reſponderit *Nilum habetis, & vinum quæritis*: quia nimirũ vt addit Spartianus *tanta illius fluminis dulcedo eſt, vt accolæ vina nõ quærãt* ſi præſertim hauſta ab eo aqua probè ab arenâ ſua & limo repurgata fuerit, tunc enim adeo limpida, & ſuauis eſt, vt facundiſſimus Poeta Lucanus deſcripturus Cæſaris, & Cleopatræ

libro 10. opiparas, & dapſiles cœnas dixerit.

Manibusque miniſtrat
Niliacas cryſtallus aquas.

Verum cum idem Peſcennius tumultuantibus iis qui a Sarracenis victi fuerant, & dicentibus *vinum non accepimus, pugnare non poſſumus*; *Erubeſcite* dixiſſet *illi qui vos vincunt aquam bibunt*; videri forſan obſcurior poſſet ille locus, & difficilior explicatu,

libro 14. niſi lucem mutuaretur ab alio Ammiani Marcelini, qui de iiſdem Saracenis loquens *victus* inquit *vniuerſis caroferina eſt, lactiſque abundans copia, qua ſuſtentantur, & herbæ multiplices, & ſi quæ alites capi per aucupium poſſint, & pleroſque nos vidimus frumenti vſum, & vini penitus ignorantes*. hocque etiam nunc videntur

dentur ab illis retinuiſſe Thraces, quos illorum Pſeudopropheta Machometus ob cauſam a Busbequio aſſignatam, *Hydropotas* eſſe voluit, cùm tamen antiquiores illi, non religionis præcepto, ſed inopià & rei ruſticæ inſcitià pariter ac neglectu *abſtemij* eſſent, quemadmodum idem Marcellinus ſubindicat his verbis. *nec Saracenorum quiſquam aliquando ſtiuam apprehendit, vel arborem colit, aut arua ſubigendo quæritat: ſed errant ſemper per ſpatia longè lateque diſtenta, ſine lare, ſine ſedibus fixis, aut legibus.* præterea Cyrus apud Xenophontem milites ſuos monet, vt aquã bibere conſueſcant; & Cæſar in commentarijs de bello Gallico, dicit apud Sueuos qui ſunt Germaniæ populi omnino eſſe libro 4.
vetitum importari vinum, quod ipſo ad laborem ferendum, remolleſcere homines, atque effœminari arbitrentur. Et ſanè non is ego ſum qui non ſciam, vera in parte eſſe, quæ ab his de vini incommodis dicuntur *luxurioſa* enim vt inquit ſapiens *res vinum* Prouerb. 20.
eſt, & tumultuoſa ebrietas; vnde quàm nocens eſt in caſtris luxuria, tanto nocentius vinum eſſe debet, quod Terentius in eunucho *lac Veneris* appellat, Ariſtophanis forſan imitatione qui apud Athenæum dixerat

ἡδύς τι πίνειν οἶνος ἀφροδίτης γάλα libro 10.

ſuaue potu vinum eſt; nempe Veneris lac. Et apud eundem malorum omnium, quæ Democritus multa in oratione enumera Pontianus addit εἰς μητρόπολιν τ̃ οἶνον *vinum eſſe metropolim*: nempe quia ſurgitur ab illo ad inuerecundum ludum, itur in magnorum, & carorum cædes Parmenionis, Clyti, Philotæ, & quoties dolis patuit miles? quoties indefenſa reliquit mœnia? quoties cæſus fuit vnius vitio crapulæ, ac ebrietatis? quæ licet in prælia nonnunquam inermes trudat, tamen quia non probatur multis, generoſitatem, animosque militum à vino venire aut mutuari à menſis, cùm miles apud ſe habere debeat quo incaleſcat, & à quo ſperare præmia poſſit: idcirco vinum etiam damnant, & in totum à caſtris proſcribunt, tanquam ſi venenum eſſet, aut aliquid veneno nocentius. At verò quo minus illis aſſentiar, multa certè in cauſa ſunt, quæ non minus puto rationi fore conſentanea, quàm quicquid hactenus allatum fuit, in aduerſariorum opinione ſtabilienda, præſidij; etenim ſi exempla quærenda ſunt, habentur in promptu Lacedemoniorum mores, qui quantum-

de Republic. Lacedæm. tũuis rigidi fuerint, & lege lata à Lycurgo, quam refert Xenophõ *ſublatis potationibus non neceſſarÿs, quæ tum corpora, tum animos labefactant, poteſtatem bibendi tantùm haberent, vbi quis ſitiret*, non eo tamen vnquam deuenerunt, vt frigere ſuos milites vellent perpetuo aquæ potu, & vitam Ranarum in caſtris agere; vt neque etiam Romani iſtud ſibi in mentem induxerunt, niſi forſan beatioribus illis ſæculis, quibus omnia apud illos ex compoſito frugalitatis, & temperantiæ procedebant; nam ſubſecutis poſtea, vt habetur in lege prima. Cod. de erogatione militaris annonæ, milites accipiebant in *duobus diebus buccellatum, in tertio die panem: uno die uinum, alio acetum; uno die lardum, biduo carnem ueruecinã.* quinimo aduerſus eiuſmodi Carthaginenſium legem fuit ab Imperatoribus Romanis Conſtantino primùm, mox etiam Arcadio, & Honorio conſtitutum, vt per omnes Prouincias, cunctis militibus à Nouembri menſe vinum nouum daretur, quoniam vt inquit lex *ueteris diſpendioſa uidetur erogatio*; ex quibus verbis cùm manifeſtum ſit voluiſſe potius Imperatores ærario ſuo, quàm militum valetudini conſulere, miror quid ſibi velit Claudius Coteleus, dum loquens de hac lege, eam ita explicat, vt Conſtantinus voluerit vinum dari militibus ad morborũ curationem, nõ quidẽ *muſtum* quia concoctu difficile eſt; nec *vetus* quia plus quàm par ſit calorem in præcordijs excitat: ex eoque quoties Romani, ac gregarij milites *poſcam*, ſeu acetum aquà dilutum quod *oxycratum* quoque medicis dicitur potarunt, præ vini, vel nummorum penuria factum fuit, potius quam diſciplinæ melioris, aut inſtaurãdæ, aut conſeruandæ ſtudio. Et amabo Ludouice Comes, cùm nihil æquè vires reficiat, ac recreet quàm vinum, vnde Ouidius dicebat.

lib. 1. de iure milit. c. 30.

Sic ad tua uerba reuixi
Vt ſolet infuſo uena redire mero.

nullum autem vitæ genus æque laborioſum ſit, ac eorum qui nomen militiæ dederunt; ſi ijdem ab vſu vini prohibeantur, quid aliud eſt quàm eos iubere eſſe animo languido, corde flaccido, neruiſque fatiſcentibus ad laborem, & remiſſis? ſi enim loco vini multum aquæ biberint, & ſacra *Niphalia* celebrarint, quomodo longo itineri ſufficient? qua tandem arte diuturnum ancepſque prælium tolerabunt? quo præſidio maximis laboribus

ribus deſatigati, breui tempore ſeſe reficient? Deinde vinum idem in corpore facit quod ira quæ *cos fortitudinis* ab Ariſtotele appellatur in animo; propterea enim Bacchus Taurinis cornibus depingitur lib. 3. Ethic. cap. 7.

Accedant capiti cornua Bacchus eris. Ouid. epiſt. 21.

quia vt inquit Feſtus *homines vino truces fiunt*; & inter laudes quas Horatius Baccho attribuit, hæc non poſtremo in loco habenda eſt

Tu ſpem reducis mentibus anxijs Ode 21. lib. 3.
Vireſque; & addis cornua pauperi,
Poſt te neque iratos trementi
Regum apices; atque militum arma.

vnde,ſi quis neget militũ,lentitudinẽ,& ignauum plerũque frigus, hoc velut incentiuo redaccedendũ eſſe; neſcio profecto quidnam aliud militi conducibilius eſſe tandem exiſtimandum eſt;ea ſi quidem de cauſa Bacchus vocatur ab Ioue in elegis καλῶν ἐπιήρας ἔργων *proborum operum adiutor*, quoniam moderatè ſumptus Athenæus libro 10. adauget vires, excitat ingenium, colligit animum, aperit intellectum, & hominem ad res egregias,& præſtantiſſimas audaciorem reddit; ita vt Plinius omnem noſtrum vigorem, omnem Lib. 23. ca. 1. animum quo ad bella, & pugnas rapimur, huic liquori acceptum ferat *vino* inquit *aluntur vires, ſanguis coloſque hominum; hoc quoque diſtat orbis medius, & mitior plaga à circumiectis: quantum illis feritas facit roboris, tantum nobis hic ſuccus*. Quamobrem Lyſander Spartianus vt ex Hegeſandri cõmẽtarijs Atheneus in ſuos tranſtulit, cùm dilutius vinum caupones in exercitu venderent, minimè dilutum iuſſit vendere;ſciebat enim liquorẽ hunc ſolis intemperantibus nocere,reliquis verò qui parcè ac modeſtè eo ſe reficerent,pro ſtimulo eſſe ad præclaras omnes & honeſtas actiones: & quid ni etiam militibus pro equo, vt idem in illis efficiat quod in poetis de quibus dicebat autor epigrammatis in Cratinũ

οἶνος τοὶ χαρίεντι πέλει μέγας ἵππος ἀοιδῷ
Vinum equus eſt lepido promptus veloxque poetæ.

certè ad hunc modum Critias de Lacedæmonijs dicebat *Lacedæmonij iuuenes eo vsque bibunt, vt ad capiendum ſcutum alacres totum animum vertant*. Quamobrem vt præclariſſimorum virorum auctoritati, qui ſuis calculis Carthaginenſium legem approbarunt

probarunt, quantum hac in re tribuendum ſit excutiamus, videtur mihi in primis Plato non mediocriter ſibimetipſi aduerſari, eodē enim libro ſecundo de legibus, vbi diſſerit quomodo vino ſit vtendum, pueris vſque ad duodeuigeſimum annum eius vſu interdicit, ne vt inquit *ignis igni additus ferociores eos efficiat*. deinde vero concedit vt vino moderatè vtantur vſque ad annum ætatis trigeſimum, atque etiam vt in conuiuijs liberius diſcumbāt, poſtquàm quadrageſimum, attigerint, & tum alios Deos tum Dionyſium ad ſacra ſenum, & ludos inuocent, qui hominibus vinum quaſi remedium aduerſus ſenectutis duritiē eſt largitus, ſeu quemadmodum inquit Theophraſtus in libro de temulentia, vt *γηρως δυσθυμίας, ſenum moroſam anxietatem* leniret. Quod etiam Homerus priuſquam Plato naſceretur Neſtoris exemplo docuit, quem præ alijs heroibus ſuis vino apertè deditum fingit, atque adeo præ Agamemnone, quem tamen Achilles, vt bibacem criminatur, quinimo inſtante ſæuiſſimo prælio à potu non abſtinet. Ita igitur Plato pro varia ætatis ratione vino

cap. 8. doctr. 2 fen. 3. 1. etiam variè vtendum cenſet, & hunc ſecutus Auicenna *Pueris* inquit *uinum ſi offeras, perinde uidetur ac ſi ignem aggerere igni perrexeris, materia præſertim debili ſuccenſa; ſenioribus uero quantum*

lib. 15. c. 29. *pati queant dandum; in iuuenibus ſeruari præcipue temperamentum debet*, cuius rei Cælius Rhodiginus varias rationes aſſignat ab exquiſito, & copioſo puerorum calore, qui alterius acceſſione per apertos poros facile diſſipatur, atque exhalat, & ſenum frigida temperie quæ aduētitio illo vini calore geſtit, quaſi ad Solis aſpectū terra gelu & algore ſiderata. Vnde cùm hęc cōmunis ſit Principum omniū medicorum, non ſecus ac Platonis ſententia, ex ea inferre poſſet aliquis vinū non fuiſſe ab eo militibus prohibitum; ſi quidem nemo ante decimum octauum annum, qui apud ipſum *hydropotis* iuuennibus terminus erat militare potuit; & vero ſi illud prohibebat, ne pueri viribus iam effœtis labores ſubirēt qui in virili ætate perferendi ſunt, ſignum eſt verba hæc tam ad milites pertinere, quàm ad quoſuis alios; imo quia nullus labor eſt ita aſſiduus, ac nūquam interruptus, vt militaris; eam ob rem prorſus aſ-

libro 2. de legib. ſerendum eſt militibus vinum a Platone fuiſſe conceſſum. Atque hanc fuiſſe Platonis mentem nemini dubium eſſe poteſt, paulo diligentius intuenti, in aliam ſententiam quam paulo poſt his ver-

verbis ſubiungit *vinum vero vt ferunt multi ad vltionem hominibus datum eſt, vt inſaniant; vt autem ſermo habet noſter remedium, & medicina in contrarium, vt animus quidem pudorem, corpus autem ſanitatem, & vires adipiſcatur*. Ariſtoteles vero non ſolum pugnare videtur cùm naturà, ſed etiã ſibi ipſi aduerſatur, nam in problematis ita de vini effectibus ſtatuit *vinum, hominem frigentem, taciturnumque à ſobrietate paulo liberaliori poculo refouet, excitatque ad verba, tum largiori potu verborum vberem, eloquentem, fidentemque reddit; poſthac proceſſu potandi ampliori audacem, propenſumque facit ad agendum; deinde plenius amplificato in contumeliam, & contumaciam vertit; mox ad inſaniam propemodum accendit poſtremo nimio ex potu reſoluit, ſtultumque agit in modum eorum, qui à pueris laborant morbo comitiali*. ex quibus verbis planè concludendũ eſt nihil vino pernicioſius eſſe ſi modus abſit; ſed modicè ſumpto non aliquid aliud vtilius corporis, animique viribus reperiri: quod etiam pugnet cum naturà patet ex eo quia vinum cum ſit naturà calidum refouet frigidam hominis naturam, & metum qui ab illa prouenit excutit animo, atque ita homo exſurgens ſtimulatuſque pericula aggreditur, & perpetitur labores pro gloria, ac honeſtate ſuſceptos; Carthaginenſes vero ſuà naturà minus calidos, ac audaces eſſe, non difficile eſt ex eo interpraetari, quod Ariſtoteles ipſe in quæſtionibus Encyclijs docet, nimirum timidos eſſe omnes, qui loca calida incolunt, fortes vero qui frigida, ſcilicet in ijs conſeruatur calor, prohibeturque ne extra corpus effluat, obturatis à circumſtanti frigore meatibus cutis, in illis vero modicus calor naturalis diſpergitur ab extrinſeco aëris tepore, vnde vino opus eſt tanquam mirifico reparatore virium, & ſpirituum. Eiuſmodi autem Philoſophorum anteſignanos pone ſequebatur Medicorum princeps Galenus, qui ſi abſolutè vini potum damnaſſet, nullo modo videretur probandus, ſed conijcio potius eum ita locutum fuiſſe, vt quorundam vinorum potum laudaret, quorundam etiã damnaret, atque vellet ſeruandam perpetuò eſſe, in vini potu mediocritatem, vnde vinum, & alere plurimum decernit; & differentias eius multas affert, *rubra enim*, inquit, *ſimul*, & *craſſa ſanguini generando ſunt accomodatiſſima, vtpote, quæ minima egeant commutatione, vt ſanguis à venis fiant, poſt ipſa nigra, & craſſa*

probl. 1. ſectionis 30.

de aliment. facultat. lib. 3. cap. 3.

craſſa, & dulcia bis enim minus ſuapte naturà alunt; quæ alba ſunt ſimul craſſa, & acerba omniū minimè nutriunt. Atque ex eo mirari ſubit nō mediocriter, quid Galeno in mentē venit, dum Carthaginenſiū legem vna cū Platone probauit? nam ſi qui homines nutrimento egeāt, profecto ij milites ſunt, qui tot quotidie tantiſque laboribus detinētur, vt niſi eo alimento quod & præſentiſſimū, & maximum ſit, ſubinde reficiantur cuiuſmodi eſt vinum, periculum omnino ſit ne viribus animiſque ſimul deficiāt. Sed nunquid præterea dici poſſet, & hos omnes viros ſapientiſſimos, & Euſebium etiam, qui non tam opinione propria, quàm ipſorum auctoritate perſuaſus fuit, vt idem cum illis ſentiret, idcirco hanc Carthaginenſium legem probaſſe, quod propius videretur ad naturam accedere, quæ tenui, ſimplicique victu contenta felicius, ac facilius degit: tum vero, vt milites ſenſim aſſueſcerent rebus, quas non ſemper in parato inueniunt, poſſe nullo negotio carere, hac enim ratione monebat etiā Plutarchus *in quotidiano victu eſſe aſſueſaciendum, vt duo, uel tria aquæ pocula bibamus, quæ & vini vſum emollient, & corpori familiarem reddent aquæ potum, ne cùm ea neceſſario ſit potanda, inſolentià rei offendamur.*

11. *Num Heroes aſſis tantum aut elixis carnibus victitarint.*

Enimuero quoniam de potu ſatis, ſuperque quantum ad frugalitatem ſufficit dictum eſt, non neglecta etiam vtilitatis, quæ ab illo prouenit ratione; conſequens eſt vt priuſquam ad alia deſcendam, nonnihil in medium afferam de victu militum, & Imperatorum; qualis nam ſcilicet fuerit vetuſtis illis, & melioribus ſæculis, quorum recordatione, & exemplo felicitas temporum noſtrorū conſtare propemodum videtur. Et ſanè Poëtæ ipſi, qui primi ſapientiæ magiſtri, ac interpretes fuiſſe perhibentur, maximè verò antiqui, vt decorum in Heroibus ſuis omni virtutum genere ſubornandis obſeruarent, fingunt eos quaſi ex frugalitatis, & tēperantiæ norma perpetuò vixiſſent, aſsà tantum, non autem elixà carne, vel piſcibus vſos: ſic enim hunc Virgilij verſum ex æneide prima *Littore abena locant alij* Seruius Maurus Honoratus, & ab eo Franciſcus Robortellus interpretantur contra Grammaticos quoſdam, qui Maronis Aeneam reprǽhendebant, quod is militaribus epulis, in deſerto littore, præter aſſam ferinam, obſonaſſet aliter famem, & aquà feruenti, ſubacta quædam alia condimenta quæſiuiſſet; ſic inquam illum ab hac calumnia defen-

defendunt, vt dicant *non ad elixandas carnes, ſed ad ſe lauandos*, id factum fuiſſe, quoniam, vt addit Seruius *Heroicis temporibus non veſcebantur elixis*. Quod etiam Eubuli comici ſententia quærentis apud Athenæum, vbi nam operum ſuorum dixerit Homerus, Græcos piſcibus, vel elixa carne victitaſſe, nonnulli confirmant; & in eadem opinione fuit Plato tertio de Republica; adducunturque in medium varij loci Homeri iſtud perbellè confirmantes, vt ex primo Iliados, ex tertio, ſeptimo, & vigeſimoquarto eiuſdem operis; ac rurſum ex tertio, duodecimo, decimoquarto, & decimonono Odyſſeæ; tum etiam Virgilij ſequentes ex Aeneide prima. libro 1.

Tergora diripiunt coſtis, & uiſcera nudant,
Pars in fruſta ſecant, uerubuſque trementia figunt.

& iterum ex quinta

Subijciunt ueribus prunas, & uiſcera torrent.

ac demum ex ſecundo georgicon

Pinguiaque in verubus torrebimus exta.

verum ſi pro vt res ſe habent ita de illis ſentiendum eſt, exiſtimo potius Seruium, & Platonem, & ſi qui ex antiquis in illa opinione fuerunt iſtud protuliſſe quo ingenioſè, prudenterque excogitatum a poëtis, in depingenda priſcorum heroum virtute, commentum tuerentur, quàm quod illos adeo parcè frugaliterque vixiſſe exiſtimarent. Cum neſcire non potuerint Patroclum apud eundem Homerum, in aſſandis carnibus fruſtilatim inciſis, elixandiſque integro tergore ouis, & pinguis capræ, tum etiam lumbo Porci tenero multa pinguedine, fuiſſe nonnunquam occupatum; non ſecus atque Herodotus auctor eſt Crœſum ex Pythiæ oraculo teſtudinem, & agnum conciſos in aheno decoxiſſe; & Seneca refert Atræum ex vtriuſque præparationis ritu crudelem coquinariam in nepotibus ſuis exercuiſſe Iliade 11. libro 1. in Thyeſte. libro 8.

Hæc veribus hærent viſcera, & lentis data
Stillant caminis illa, flammatus latex
Querente aheno ructat impoſitas dapes,

idemque aſſerit Ouidius de Lycaone in primo trãſformationũ de Progne & Philomena in ſexto, & de Philemone ac Baucide Iouem hoſpitio excipientibus in octauo; præter quos Valerius Flaccus elixarum carnium meminit in Argonauticis.

Mox

Mox epulas, & ſacra parant ſylueſtria læti
Præmia venatu facili quæſita ſuperſunt,
Pars verubus, pars vndanti deſpumat aheno.

Et Iuuenalis ac Claudianus idē quoque varijs in locis memorāt, vt proinde merito concludat Iulius Pollux Heroes apud Homerū nō comediſſe elixas carnes, *licèt huiuſmodi illi obſoniorum præparatio cognita fuerit*. Sed ipſe ad frugalitatis exemplum, & *roboris cauſa* vt Dion obſeruat, aſſa tantummodo Bouum tergora eis apponebat; nec ipſa ad eſuriginem prouocandam curata, ſed ad ſedandam famem nullo cultu, nulloque apparatu exhibita. Quamobrem longè falluntur qui, vt multos quotidie facere deprǣhendo, in hiſtoriæ veritatem conuertunt, quod & hic, & ſapientiſſimi alij Poetæ dixerunt tantùm ad morum informationem; ſimulque ut à militum, & quid ni etiam ab Imperatorum menſis? tot varias dapes remouerent, quæ aſſum inter & bellaria nferuntur; tot præſulſas, artocreata, ſcriblitas, farta liba, Moreta, frixa, intrita, ollaria, fartilia, quorum comparatione *Tripatinum* illud antiquorum, aut Hadriani *Tetrapharmacum ex Phaſiano ſumine, Perna, & Cruſtulo*, inſulſa videri poſſint: ac præterea tot intinctus & embemmata ominis generis; ſaluiata, Alliata cœpata, oxypora, ambarata, eſcas conditaneas, & muryaticas, cœteraſque cupedias & ſcitamenta, ac verius gulę ſimul & malorum omnium irritamenta; à quibus ſemper abſtinuiſſe viſi ſunt præſtantiſſimi duces, etiam cum illis commodiſſimè vti poterant, vt in caſtris ſtatarijs, aut longis vrbium obſidionibus, quibus otij ac remiſſionis comites blanditiæ ſeſe libenter miſcent. Quod autem ea mens Homeri & Platonis fuerit maximè ex eo innoteſcere poteſt, quia eodem ſchemate vſi Virgilius, Iuuenalis, Politianus & poetæ reliqui vt ſui tēporis Ruſticos in officio frugalitatis continerent antiquiores illos fingunt aſſuetos fuiſſe

Et perferre ſitim & ieiunia ſoluere glande.

cùm tamen Hiſtoricorum meliorum fide & Moyſis præſertim, qui rerum omnium origines ſuis libris complexus eſt, conſtet euidentiſſimè, panem cibum eſſe vetuſtiſſimum, adeoque ſtatim à Mūdi exordio ſupplicium datum fuiſſe Adamo panis conficiendi, *vt in ſudore vultus ſui veſceretur pane*; quemadmodum pluribus oſtendit doctiſſimus Renatus Moræus in elegantiſſima & eru-

lib. 9. cap. 6.

orat. 2. de regno.

3 geneſ.

& eruditiſſima diſſertatione de Panis natura, quam commentarijs ad ſcholam Salernitanam inſeruit, dignis omnino qui doctorum manibus quotidie terantur.

Quod ſi tot exempla militum animos nondum ad frugalitatem incitare poſſint, quaſi vel ab ingenio ficta, vel à tempore rancida iam, & prorſus antiquata; mouere ſaltem illos debet quod hiſtorici referunt de maximo illo ducum Annibale, cuius indomitum niuibus, atque Alpibus animum, hyberna ſoluerunt, eneruauerunt que fomenta Campaniæ. Hoc enim exemplum huiuſmodi eſt, vt nullũ neque conuenientius, aut de quo maiori inter ſe conſenſu auctores conueniant, inueniri poſſit; nam quod de Alexandri temulentia dicunt, illud quamquam verum ſit, incredibili tamen felicitate qua ſemper vſus eſt facile obliteratur, nec ita in animos deſcendit. Quem vero luxum toties in Marco Antonio exagitat Tullius, vereor ne de illo conſentientem habeat Plutarchum, cuius tamen fides, vt hominis valde integri & abſque affectu vllo de rebus ſcribentis, maximi apud omnes facienda eſt. Quod denique addunt alij Attilæ qui tot nobiliſſimas Europæ prouincias victorijs luſtrauerat, pudendum exitum fluxiſſe à temulentia; id omne ex odio potius eſſe quàm ex vero ſuſpicor, cùm antiqui illi Sophiſtæ qui de Legationibus ſcripſerunt, contrarium vt antea diximus planè aſſerant. Sed quod dubiè de illis narratur, quodque neſcio etiam an verè de Græcis Poeta dixerat in Troiæ expugnatione. 12. *tandẽque ingluuies omnis vt sũmopere noxia in milite dãnãtur.*

Inuadunt vrbem ſomno vinoque ſepultam. æneide 1.

quantumuis illi ſuffragetur Libanij ſophiſtæ auctoritas, qui extremam hanc & ſupremam Troianorum calamitatem viris, aut potius vini incommodis acceptam refert λέγεται δὲ καὶ Τροίαν οὕτως ἀλῶναι πινόντων καὶ ὀρχυμένων τῶν Τρώων *aiunt porro Troiam ita captam fuiſſe, egregie bibentibus & tripudiantibus Troianis*. Certè illud de Treueris excidio tam conſtanter affirmat Saluianus Maſſiliæ Epiſcopus, vt ſcelus ſit non illi credere quæ viderit ipſe narranti; eodemque modo Plutarchus auctor eſt Syracuſas nobiliſſimam Siciliæ Ciuitatem, non alio tempore à Romanis occupatam fuiſſe, ac direptam, quam eo, quo ciues ex celebritatis cuiuſdam ritu; quæ in honorem Dianæ quotannis fieri ſolebat, otio, conuiuijs, liberalioribuſque poculis prægrauati, altum indormirent. tomo 1. vituperat 8. *in Marc ello*

T vnde

vnde cùm tot ex ſuperfluæ, aut delicatæ eſuritionis ambitione mala proueniant, fatendum eſt omnino rectè monuiſſe Onoſandrum, quod *milites ſobriè pranſi, nec nimio ſatietatis onerere ventrem ſufferti, ſolent eſſe in prælijs fortiores*: tantum abeſt vt quod abliguritores, et heluones ter maximi in more habēt, omnia guloſius condita, luxurioſius inſtructa, ſumptuoſius ingeſta, appetere debeant: aut in cauponis continuo ſaginari, & perniciem inferre macello vt *Aegon* ille Theocriti qui ſolus glutiebat octoginta placentas; vel *Briareus* qui centuplici dextrà quinquaginta ventribus cibum ſuppeditabat; niſi forſan ignominioſè mitti non reformident, & expungi è manipulis, vt ſacerdotalibus infulis inſigniātur in ſacris *voracitatis*, cuius ædes fuit in Sicilia dedicata.

XXVII. Alteram vero partem temperantiæ in frœnanda libidine verſari ſupra dicebamus, nec immeritò quidem, cùm adeo familiare ſit hoc vitium militibus, vt licentiā ex eo poetæ ſibi fecerint Martem cum Venere copulandi: & Homerus cùm eo reſpiceret, *Herculem* fingit ita fuiſſe in eius palæſtra exercitatum, vt quinquaginta virginibus vno eodemque die zonam ſoluerit; quamquam huic operi abſoluendo, ſeptem illum noctes deſudaſſe, author eſt Herodotus, & qui minus figmentis adhærent Diodorus, Pauſanias, Apollodorus, Tzetzes & alij ſingulis noctibus vnam illi ipſi luctam ſatis fuiſſe, vero conuenientius oſtendunt. Huic vero quia cœteri Heroes genus ſuum acceptum referunt, non mirum eſt propterea, eos huius exemplo, liquefactum aliquando, diffluentemque his voluptatibus animum habuiſſe, occaſionemque dediſſe Hierocli, vt eorum nomen quod Proclus ἀπὸ τῆς ἀρετῆς deducebat, ipſe rectius ἀπὸ τοῦ ἔρωτος ſeu *ab amore* originem traxiſſe exiſtimaret, non quod vt inquit Plato nati eſſent *ex orgijs Diuorum cum hominibus*, ſed quod vni, maximè genio voluptatum delectarentur.

1. Sequitur continẽtia in Venere, quã raro milites ſeruant exẽplo Herculis.

in Cratyl.

2\. Sic enim Achilles cùm Deidamiam in vxorem duxiſſet, ita nouis illecebris ferocem animum demulſit, vt maiorem temporis partem cum ſponſa eſſet intra Lycomedis parietes, & in thalamo lateret caſtrorum ac honeſti cuiuſlibet negotij oſor: Briſeidos vero amore quos motus non excitauit in exercitu Græcorum? quin imo, nulla magis ratione Troilum creditur peremiſſe, in Tymbræi Apollinis ara, quàm quod morigerum ſe illi

Achillis etiã & Aeneæ.

præ-

præſtare fuiſſet aſpernatus, quemadmodum ſcribit Lycrophon in Alexandra, cuius tamen enarrator Tzetzes ideo ſententiam hanc refellit, quod nequaquam Troilus pulcher, ac iuuenis fuerit; ſed iam ſenior, & barbà hiſpidà, adeoque Achillis amoribus ineptus, quod eo lubentius appono, vt ſciant ſtudioſi, quæ ad illud Virgilij cum quo etiam ſentit Quintus Calaber, adijci poſſint

Parte alia fugiens amiſſis Troilus armis,
Infelix puer, atque Impar congreſſus Achilli,
Fertur equis, curruque inhæret reſupinus inani.

Sed ab eodem Poëta Mercurius pariter inducitur grauiter admodum *Aeneam* increpans, quod diutius quam è re ſua eſſet, Didonis amoribus blanditijſque irretitus ſuſceptum iter in Italiam retardaret. Aeneid. 1.

Tu nunc Carthaginis alta
Fundamenta locas, pulchramque vxorius vrbem
Extruis, heu regni, rerumque oblite tuarum.

3. *Nec non Alexandri, Annibalis, Scipionis.*

Nec magis ab illa labe fuerunt immunes, qui communiter ab hiſtoricis velut in exemplum caſtitatis afferuntur *Alexander Magnus*, *Annibal*, *Scipio Africanus*; quorum in mores ſi quis ſeuerè inquirat, non dubium eſt, quod ſtatim inueniet, primum ex illis, qui gloriæ cupiditate vxori & filiarum Darij pudori conſuluit, ſecretis libidinum ignibus, deflagraſſe, & Perſepolim totius orientis valde inſignem regiamque Perſarum Vrbem, ad nutum temulentæ meretricis combuſiſſe. Secundum vero, Salapia oppidum Apuliæ Dauniorum, meretricio amore infamem fecit, Plutarcho ſaltem, & Plinio, qui eius amorum in hoc loco ſecreta detegunt. Ac poſtremus denique cùm eſſet adoleſcens, famà haud ſincerà fuit, ita vt propemodum conſtet hoſce verſus à Cneio Næuio Poëta in eum ſcriptos

Etiam qui res magnàs manu ſæpe geſſit glorioſè,
Cuius facta viua nunc vigent, qui apud gentes ſolus
Præſtat; eum ſuus pater cum pallio vno ab amica abduxit.

quibus verſibus adductum fuiſſe credo Valerium Antiatem, vt aduerſus cæteros ſcriptores de Scipionis moribus ſentiret, & eã puellam captiuam non redditam ab eo, vt Polybius, Liuius, & Plutarchus volunt, ſed retentam atque in delitijs, amoribuſque

lib. 1. cap. 8. vſurpatam ſcriberet: quod equidem cum Gellius referat, neſcio tamen quàm ſincerè iſtud fecerit, videtur enim id numquam fuiſſe à Valerio Antiate excogitatum, alioqui Liuius qui ex Valerij libris multa in ſuos tranſtulit, atque vbi inuenit ipſum in hiſtoria ab alijs diſcrepantem non reticuit, ſed ambiguitate propoſita, liberum vnicuiuqe reliquit ſentiendi arbitrium, iſtud vtique ſilentio non prætermiſiſſet; Sed hoc diligentius inquirent quibus abunde ingenij, & otij & verborũ eſt, mihi enim per obuia tantum & aperta gradienti, ſatis erit, ad illud quod de militum libidine propoſui ſtabiliendum, in eo cum reliquis auctoribus conuenire, quod ipſe Scipio neglectà Tertià Aemilià vxore lectiſſima, pudori non habuerit, cum eius ancilla conſueſcere.

4. *Cæſaris aliorumque ducum.* Et etiam ſi verùm id de Scipione non eſſet, omnium tamen inſtar eſſe poterit *Cæſaris* exemplum, qui plurimas & illuſtres fœminas ad illicita pellexit, vt *Poſthumiam* Seruij Sulpitij; *Lolliam* Gabinij; *Tertullam* Marci Craſsi; & Cn. Pompei *Mutiam*, cum minime interim prouincialibus matrimoniis abſtineret & milites currum eius triumphantis præcedentes, tritos omnium ore verſus illos ingeminarent

Gallias Cæſar ſubegit. Nicomedes Cæſarem,
Ecce Cæſar nunc triumphat, qui ſubegit Gallias?
Nicomedes non triumphat qui ſubegit Cæſarem.

Verùm quid opus eſt pluribus? cùm *Sfortia Attendulus* cæterique etiam huius, & ſuperioris ætatis duces illuſtri laude commẽdati, minimè ſe ab antiquiorum conſuetudine, in amatorijs illis obſequijs alienos eſſe declararint: & qui fictos quoque heroas nobis exhibent, decoris iſtius, quod vocant, ſeruandi gratià *Orianam* Amadiſio. Rotolandoque *Angelicam* attribuant. Quin imo princeps in eo ſcribendi genere Ludouicus Arioſtus, non Muſas, aut Apollinem, quod reliqui vates facere conſueuerunt, ſed *amorem* inuocat, tanquam eius poematis præſidem, in quo ſtatim initio de fœminis tantùm, & bellatoribus, de armis & amatoribus dicturum ſe recipiebat: quod vtique feciſſe exemplo Lucretij videri poteſt, qui de rerum naturis, & generatione præclaro operi, non alterius quàm Veneris fauentiam precatus eſt, vt nimirum per quam.

Genus omne animantum

Con-

Concipitur, viſitque exortum lumina Solis

Huic autem damnoſiſſimo vitio, cùm duces certatim, & effuſè 5. *Atque militiā*
nomen dederint, quid milites feciſſe cenſendum eſt? certè eius
inditio eſſe poteſt collapſa in bello Numantino Romanorum mi-
litaris diſciplina, & diſſoluti mores in omne genus licentiæ, quos
vt in priſtinum ſtatum coherceret Scipio Aemilianus, *eodem tem-
poris momento quo caſtra intrauit, edixit, vt omnia ex ijs quæ volup-
tatis cauſa comparata erant, auferrentur ac ſummouerentur: nam
conſtat tum inde maximum inſtitorum, & lixarum numerum,
cum duobus millibus ſcortorum abijſſe*, ita enim numerum definiuit.
Valerius Maximus diligentior hac in re Lucio Floro, Iulio Fron-
tino, & Flauio Eutropio qui nullo expreſſo numero ſcorta caſtris
expulſa fuiſſe velut in tranſcurſu notant. Vnde ſi talis licentia
apud omnium obſeruantiſſimos legum, & honeſti viguit, tanto
facilius mihi perſuadeo, hanc reliquarum nationū caſtra penitus
infeciſſe: vt non immerito dixerit Ariſtoteles in Politicis, *vide-* lib.2.cap 7.
*ri non abſurdè qui primùm fabulam effinxit, coniunxiſſe Venerem
Marti; ſi quidem qui bellaces ſunt, aut ad Pæderaſtiam, aut ad mu-
lierum conſuetudinem tales omnes ſolent eſſe procliues*; quod præcla-
rè confirmant Platonici, cùm aſſerunt concupiſcendi, & iraſcen-
di vires, eſſe quaſi germanas, ita vt qui valde dediti ſunt volup-
tatibus, ijdem vt plurimum etiam ad iram propenſiores eſſe de-
præhendantur: & Spartani vt erant ipſi ad vtrumque, ſcilicet ad
Venerem & bellum æque procliues, Venerem armatam propte-
rea coluerunt, vt auctores ſunt, Pauſanias, & Lactantius in inſti- lib.3.
tutionibus chriſtianis. lib.1.

Cauſa autem & ratio huius rei, non alia meo iudicio aſſignari 6.
poteſt, niſi quod, quæ ſunt roboris militaris efficientes cauſæ, ſci- *Et eius rei cauſa aſſignatur.*
licet integritas partium corporis, & copia ſanguinis, ſpirituum-
que & innati calidi, eadem omnia ad Veneris appetentiam miri-
ficè inuitant, etenim vt inquit Ouidius

Quæ bello eſt habilis, Veneri quoque conuenit ætas,
Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor.

ex eoque non infrequenter idem Poëta amorem militiæ com-
parat lib.2.de arte

Militiæ ſpecies amor eſt, diſcedite ſegnes,
Non ſunt hæc timidis ſigna tuenda viris.

& ſœpe tranſlationibus à re bellica deſumptis vtitur, *miles nunquam tua ſigna reliqui*; vt propterea minus rectè feciſſe cenſeatur Propertius cum ferme contrarium aſſeruit in execratione aduerſus lenam

eleg. 5. lib. 4.

Nec tibi diſpliceat miles non factus amori,
Nauta, nec attrita ſi ferat æra manu.

7. Neque tamen inde ſequitur luxurię vitium non ſummoperè noxiũ eſſe militari facultati, quoniã vt animum voluptas eneruat, ita corpori turpiſſimas maculas aſpergit; vtrique imprimit dedecus indelebile; vtrumque afficit morbis inſanabilibus; & cum illud quod Venere excernitur, robuſtiſſimum ſit, cùm ex diuini Senis auctoritate; tum vero etiam ex Ariſtotele aſſerente in problematis, & in libris de hiſtoria animalium, hominem poſtquam aruum naturale probè ſubegit repaſtinauitque, maximè omnium langueſcere, quia πλεῖστον δὲ κατὰ σῶμα ἄνθρωπος προΐεται *plurimum pro corporis modo emittit homo*, ſeminis videlicet, quod à corpore deciſum illud ex conſequenti omnino languidum, iners, exhauſtumque relinquit, ac bellicis muneribus obeundis prorſus ineptum, rectè ſi quidem Heſiodus fingit quod

Oſtenditur quæ quàm noxia ſit militi Libido.

lib. de genitur. & 4 de morb.

Sect. 4. problem. 6

Libro 3.

Marti clypeos atque arma ſecanti,
Alma Venus peperit pallorem, vnaqueque timorem,
Qui dare terga virûm armatas iuſſere Phalanges
In bello triſti.

Sanè qui nec multitudine copiarum, nec virtute militum, ac ne vllo quidem tenore fœlicitatis vinci potuerunt ſummi duces, hos voluptas ludibunda expugnat, expugnatos & proſtratos cõtemptui exponit, ac deriſui; ſicut enim libido ancillatur voluptati, ita vtriuſque nutricula deſidia eſt; cuius præcipuũ eſt munus cuticulam curare: frontem & genas oblinere pigmentis; crines paratis cinifionum ope calamiſtris componere; greſſum ac geſtum in mille modos vertere; totumque hominem ita corrumpere, & deformare, vt colore albo, oculis vuidis & humentibus, intuitu meretricio, corpore fluxo, priorem ſexum, in ſequiorem tranſmutet, & totus tam fiat trepidus & ſolicitus, quam totus eſt nihili.

Silius Italic.

Quippe nec ira Deum tantùm, nec tela, nec hoſtes
Quantum ſola vales animis illapſa voluptas.
Ebrietas tibi fida comes, tibi luxus, & atris

Circum te ſemper volitant infamia pennis

Nec aliorſum ſpectant auctores qui Herculem tot monſtra debellaſſe, & acceptum etiam ab Atlante Cœlum ſuis humeris ſuſtentaſſe prædicant; niſi vt poſtea, cùm eundem narrant, in *Omphales* ſeu quod nomen iſtud præſe fert in *vmbilicū vilis fœmina* decubuiſſe, inanes quoſuis labores, nugatoriaſque virtutes omnes eſſe oſtenderent, eas cùm vna deprimit, ac deturpat libido. Nam quod in villico dicebat accidere Columella, vbi ſe venereis amoribus dederit, illud etiam in milite locum habet, & vterque non ſecus opinior, ac cæteri homines quorum animus voluptatum lenoicinijs pellectus eſt, *nec præmium iucundius quam furtum libidinis, nec ſupplicium grauius quam fruſtrationem cupiditatis exiſtimat.* lib. 1. cap. 1.

Propterea que apud Germanos vt Cæſar inquit *qui diutiſſime impuberes permanebant* id eſt glabro & nondum pilis fruticantibus conueſtito pectore, *maximam inter ſuos laudem ferebant; quod ali ſtaturam hoc modo, vireſque & neruos confirmari putarent; intra annum vero vigeſimum fœminæ notitiam habuiſſe in turpiſſimis habebant rebus, cui rei nulla erat occultatio, quod promiſcuè in fluminibus perluerentur*: quo loci & ſi Cæſaris mens omnino perſpicua eſt, ipſam tamen neſcio profectò quamobrem, implicat Mercurialis qui in eius declaratione fluctus conciat, ſed vereor prorſus ne eorum more de quibus dicebat Ennius 8. *Et quantum vires corporis exhauriat vbi locus Cæſaris de pubertate germanorum explicatur.* 6 De bello Gallico. 6 variar. c. 23

Quærunt in ſcirpo, ſoliti quod dicere nodum;

etenim cùm Hippocrates aſſerat in libro de natura pueri, venere carnē rareſcere, cutiſque poros ita laxari, vt pubem ſeu mollē lanuginem emittat, quæ primū in ætate maturis, & venerē expertis ſpectatur, ex eo colligere poſſumus ſignum hoc loco, fuiſſe pro cauſa à Cæſare inſinuatum: vnde addit *quod nulla huius rei poteſt eſſe occultatio quia promiſcue in fluminibus perluerentur*, vbi cùm paruis rhenonum tegumētis vterentur, magnaque corporis parte nudi eſſent, occultari minimè poterat fruticans ille pilus, qui pudoris amiſſi vel conſeruati index apud illos fuit: & eodem reſpiciens Tacitus, vbi temperantiam in iiſdem Germanis laudat, *ſera* inquit *iuuenum venus, eoque inexhauſta pubertas*, quaſi ſignificare vellet, non prius vires in homine elanguere, quàm venus occultè ſe latenterque inſinuando, neruos omnes ſurripuerit,

lib. 3. de cõtẽp. mortis. quod eodem penitus ſenſu quamquam ſtilo diuerſo, Poëta quidam inter nouos optimus ſic extulit

Profuit & primos venerem fugiſſe per annos.
Et ſero blandas Hymenæi accendere tædas.
Hinc vigor, hinc vires ſolidæ, morituraque primam
Ante aciem ſoboles, ferroque inuicta iuuentus.

quantum vero liquoris illius viuifici conſeruatio ad robur corporis faciat, vel vnius Lycurgi reſponſo patet, nam miranti cuidam cur nouo marito concubitu cum ſponſa interdixiſſet, ac iuſſiſſet eum maiorem diei partem, totamque fere noctem cum æqualibus degere, cum ſponſa autem furtim & cautè congredi, eo inquit *hæc tendunt, vt validi corporibus maneant, & amor ſemper ſit recens, prolemque edat validam:* Illudque intelligebant olim priſci *Athletæ*, quorum multos ab hac voluptate conſtanter abſtinuiſſe auctor eſt Plato; quem poſtea ſecuti ſunt Galenus, & Ter- 8. de legibus. tullianus ad Martyres; intelligunt & *Turcæ* luctatores hodie, qui tuendarum virium ſtudio, veneris vſum omnem reſpuunt.

9. *Et quæſtio diſcuſſa cur mẽtha belli tempore neque edẽda neque ferenda ſit.* Sect. 20. prob 2.

Sed quod hi experimento confirmant, illud totum iucundâ quadam eruditione docuerat prius Ariſtoteles in dubitationibus varijs, in quibus quæſtionem proponit, cur mẽtha tempore belli neque ferenda, neque edenda ſit: rem vero dignam inquiſitione, ſed in qua tamen magis coniecturis, quàm dijudicatione vti par eſt, nonnulli ſic explicant, vt ex hoc præcepto admoneantur homines, ſummouendum eſſe inimicijs ac ſimultatibus locum, quas immortales eſſe turpiſſimum eſt; quandoquidem Mentha ſemel aliquo loco ſata, diutina in eo ætate perdurat. Alij autem hoc ſymbolo indicant turpe eſſe belli tempore delicijs indulgere, hac enim herba, in condimentis, & paſtillis vtimur, ex quo etiam ἡδύοσμος Græcis dicta eſt, quemadmodum Plinius innuere voluit his verbis *mentæ nomen ſuauitas odoris apud Græcos mutauit, cum alioquin mintha vocaretur vnde veteres noſtri nomen declinauerunt*; hincque paulo poſt addit *grato menta menſas odore percurrit*; atque ita certum eſt mentham odoris ſuauitate reficere animos, & auiditatem in cibis excitare, quorum vtrumque parum hominem militarem decet. Sunt præterea qui ex rerum naturæ Lib. 2. cap. 19. peritis contendunt, ipſam herbam ferrum reformidare, forſan quia vt nomen, ſic, & naturam adhuc retineat eius nymphæ Cocyti

cyti filiæ, quæ quod ſe Proſerpinà illuſtriorem genere, & formà præſtantiorem iactaret, à Cerere in mentham commutata eſt, vt commemorat Ouidius in tranformationibus

an tibi quondam
Fœmineos artus in olentes vertere menthas
Perſephonæ licuit?

Addunt denique alij ex autore geoponicorum, ſiue is Caſſianus Baſſus, ſiiue Florentinus, aut Conſtantinus Cæſar fuerit, mentham eſſe ἀκήπαιον hoc eſt *inutilem*, quæ vulneribus etiã adhibita ſanari ipſa vix ſinit. Sed his omnibus propius ad ſcopum collimauit Ariſtoteles, mentham ideo vetitam fuiſſe bellatoribus ſcribẽs, quod ſuo frigore, genitale ſemen corrumpendo, vires quibus maximè in bello opus eſt debilitet: idque fortaſsè innuere viſus eſt Aethymologici auctor, dum obſeruat eam ἄκαρπον ſeu *ſterilem* à Cerere factam eſſe. Quanquam id quod Ariſtoteles frigori nimio attribuit, antiquior Hippocrates, & in ipſis melior, caloris opus eſſe exiſtimet, ſemen ita colliquantis, vt fluat ſubinde, corpus que genitali ſucco exhauſtum, & confectum tabe relinquat; atque hoc eſt quod inſinuauit Martialis dum mentham ſalacem quidem, ſed deſtupraticem vocat li.2.de diæta. epigr.48. lib. 10.

In quibus eſt Lactuca ſedens, & ſeſſile porrum,
Et deſtupratrix Mentha, ſed herba ſalax,

quaſi innuat, vim quidem excitandæ veneris menthæ ineſſe, ſed tamen ſeminis profluuium ſpontaneum excitare, vbi videlicet eam in vſu frequẽtiori aliquis habet; ſicque generationi plurimũ aduerſari, cui tempore belli maximam operam dare oportet, vt humani generis iactura, quam Mars rectè ab Homero βροτολοιγός, vocatus afferre ſolet, ſartiatur; Verum nonnulli alij Medici vt Galenus, Simeon Sethi, & Auicenna tantum abeſt vt iſtud concedant, quod mentham Venerem potius ſtimulare, & excitare perhibent, ob humiditatem ſemicoctam, & flatuoſam quam habet; ita vt Auicenna ſcripſerit mentham *in ſecundis menſis ſumptam confortare membra ſpermatis valde, & fortitudinem facere ſuper ſperma; vnde forte fit coeundi deſiderium;* ſed hæc difficultas tam ingenioſè ab eruditiſſimo Renato Moræo compoſita eſt, vt medicos non amplius in partes ſeducat; At enim ſi Venerẽ vt ipſi dicunt Mentha ſollicitat, à qua vulneratos arcere operæ pretium cap.34. Schol Saler.

eſſe

eſſe medici contendunt, quia totius corporis, inſitique humidi ex ſiccationem coitus operatur, & fluxus concitando, peſſimos humores in locum affectum deferri facit; conijcere inde licet nō vnà ſed pluribus, & ijs quidem validiſſimis rationibus adductum Ariſtotelem fuiſſe, vt aſſereret, bello flagrante veteres menthæ vſu hominibus interdixiſſe, à qua tot in milites ex intempeſtiuo concubitu damna prouenirent.

10. *Ac demum num præſtet milites cum vxoribus aut cœlibes viuere.* Quæ omnia cùm ita ſe habeant, quæſitum eſt diu multumque ab auctoribus illis, qui ſapienter & eruditè de rebus pronunciant, num vtilius ſit Reipublicæ milites connubijs vinctos, quàm cœlibes, & hoc onere grauiſſimo ſolutos habere; qua de re procliue eſt illis conſtituere, qui ſub legibus Thomæ Mori, vitam in *Vtopia* viuunt innocentem: illi enim *fœminas volentes in militiam comitari maritos, adeo non prohibent, vt ex hortentur etiam, & laudibus incitent, profectasque cum ſuo quamque viro pariter in acie conſtituant; in qua ſui quemque liberi, affines, cognati circunſiſtunt, vt hi ex proximo ſint ſibi mutuo ſubſidio, quos maximè ad ferendas inuicem ſuppetias, natura ſtimulat*; Verum cùm beati illi vtopienſes cęteris pariter virtutibus ex legiſlatoris ſui indulgentia donati ſint, quibus efficitur, vt conſtitutiones omnes, & ſtatuta benè inter ſe, ac præclarè conueniant; ita quidem vt nullum alteri officiat: non mirum eſt ſi apud illos extra iudiciorum aleam eſt, quod hic apud nos non ita videtur eſſe determinatum. Nam Cyaxares in oratione qua Cyro perſuadere conatur, minimè perſequendos eſſe Aſſyrios, qui ingenti prœlio fuſi, nocturnam fugam meditabantur, *præter cætera* inquit *ſcire debes non tam illorum liberos & vxores capiundi te cupidum eſſe, quàm ipſi flagranti deſiderio vrgentur, vt ipſas ab imminenti calamitate tueri poſſint: etiam ſues cogita, quæ procul à natis, etiamſi multæ ſunt fugiunt, ac inſequentes deuitant; cùm vero quis Nefrendes illarum venatur non iam amplius ne ſi vna quidem ſit fugit, ſed eum qui illis moleſtus eſt audacter inuadit.* Scipio quoque conſul cum Annibale congreſſurus ita ad milites ſuos perorabat *vnuſquiſque veſtrum ſe non corpus ſuum, ſed coniugem, ac liberos armis protegere putet; nec domeſticas tantum cogitet curas, ſed identidem hoc animo reputet,*
lib. 21. *noſtras nunc intueri manus populum Romanum*; & cætera quæ Liuius in hanc rem habet, ſimilia omnino iſtorum, quibus

Pem-

Digitized by Google

Pompeius milites ſuos hortatur apud Lucanum lib. 7.

quiſquis patriam, charoſque pœnateis,
Qui ſobolem, ac thalamos, deſertaque mœnia quærit
Enſe petat.

& Turnus in Virgiliana Aeneide 10.

nunc coniugis eſto
Quiſque ſuæ, tectique memor.

Quinimo Cæſar Auguſtus cenſor inquiſiuit in militem, quod in ducenda vxore non paruiſſet legibus, & periclitabatur ipſe, ni docuiſſet ſe trium liberorum parentem eſſe: erat enim cenſorum officiũ videre ne Romani equites ac pedites cœlibes forent; quod hoc ipſum non modo veluti probrum habitum eſt, ſed legibus inſuper duodecim Tabularum in hæc vera cauebatur *Cenſores equitum Peditumque prolem diſtribunto. Coelibes eſſe probibunto:* ex eoque Valerius Maximus Camillum & Poſthumium Cenſores tradit feciſſe eos ærarios qui ad ſenectutem cœlibes peruenerant; cùmque aliqui talem conſtitutionem incuſarent, puniti ſunt à cenſoribus, hæc aſſerentibus; *natura vobis quemadmodum naſcendi ita gignendi legem præſcribit, parentesque, vos alendo, nepotum nutriendorum debito, ſi quis eſt pudor alligauerunt; ite igitur & nodoſam exoluite ſtirpem vtilem poſteritati numeroſæ.* Quibus rationũ momentis in hanc tandẽ ſententiam multi declinant, vt arbitrentur milites qui coniugio ſtabili proprias ſibi vxores duxerunt, alacrius vitam pro patria, ſociſque profundere; eique minus omnino parcere.

quum defendier armis
Suadet amor patriæ, captiuaque penatibus vxor.

vt inquit Sulpicia, quàm qui *volgiuagæ Veneris* ſacris tantùmmodo operantur, aut ætatem deſertam ac cœlibem agunt. At è contrario videtur non mediocriter huic officere ſententiæ, quod inquit Seuerus Cæcinna apud Tacitum *haud fruſtra placitum olim* 3 Annal. *ne fœminæ in ſocios aut gentes exteras traherentur: ineſſe enim mulierum comitatui, quæ pacem luxu, bellum formidine morentur, & Romanum agmen ad ſimilitudinem inceſſus Barbari conuertant*; Eleg. 7. atque hæc ipſa rigida conſtitutio multoties Tibullum compulit vt diceret

Caſtra peto valeatque venus, valeantque Puellæ

& Poë-

Digitized by Google

lib.4.eleg.3. & Poetam Vmbrum vt ita ſcriberet

Romanis vtinam patuiſſent caſtra puellis!

nec enim patebant non dicam proſtratæ pudicitiæ, & vulgaribus ſcortis, ſed ne legitimis quidem vxoribus principum virorum, quibus illas non licebat habere in prouincia, tantum abeſt vt in bello; hincque Pompeius principio ciuilium diſſentionum cum Cæſare, *vxorem ſuam in Lesbo reliquit*, quemadmodum Seruius notat ad Aeneidem octauam, & Lucanus propterea dixit

libro 8.

Conſcia curarum ſecreta in littore Lesbi.
Flectere vela iubes, qua cum tellure latebas
Mæſtior, in medijs quam ſi Cornelia campis
Aemathiæ ſtares.

Eaque ratio eſt, cur antiquitus milites lege prohibiti fuerint vxores ducere, vt inquit Dio Cocceianus, legis eius capita referens: & Tacitus non diuerſum ab eo ſentit, cùm hæc habet *milites ſine vxore neque coniugijs ſuſcipiendis, neque liberis alendis ſueti, orbas ſine poſteris domos relinquebant*, vt nec etiam Tertullianus in exhortatione ad caſtitatem vbi *perierunt*, inquit, *familiæ ſpadonum, cælibum, militum, peregrinantium ſine vxoribus*: & non ante multa ſæcula Germani certas de hac re leges habebant, laudatas à Radeuico ſcriptore geſtorum Federici primi, & præclarè explicatas à Conrado Ritterhuſio in notis ad Ligurinum Guntheri eiuſdem Imperatoris Poëtæ, qui prædictas leges his verſibus complexus eſt.

libro 40.

14. Annal.

libro 7.

Non erit in noſtris nobiſcum fœmina caſtris.
Qui reus extiterit ſpolijs nudatus abibit,
Turpiter, & naſo mutilabitur illa reſecto.

ſapientius tamen Hebræi, quo maxima incommoda vitarēt, hoc honoris habebant matrimonio, vt qui ſponſam duxiſſet, non cogeretur eodem anno in bellum exire; nimirum ad rem ſtrenuè gerendam, auocamentum cenſebant eſſe non mediocrè, vxorum deſiderium, totque blanditiarum recordationem, quibus primores coniugij fructus condiri ſolent: & Romani ſatis habebant, ſi miles vxorem ſuam ſecum in caſtris non haberet.

II.

Et qualis in hac re fuerit Romanorum conſuetudo.

Nam quod multi exiſtimant, ob rationes, quæ pro militum cælibatu apud antiquos vſurpato, hactenus adductæ ſunt, lege vetitum fuiſſe, Romanis præſertim, quominus vxores ducere poſſent; illud

Digitized by Google

illud modo intelligendum eſt de poſterioribus temporibus,& inſtitutà iam perpetuà militia, quam tamen Seuerus Imperator lege in contrarium latà, ab hoc cœlibatu abſoluit; nam res aliter ſe habuit ſtante Republicà, quo tempore conceſſas fuiſſe militibus vxores, cùm hæc omnia argumento ſunt, quibus, vt retulimus Imperatores ſuos milites pugnaturos excitabant; tum Liguſtinus ille, qui apud Liuiũ vxore, liberiſque ſuſceptis, ad bella plurima ſe profectum glorioſè narrat, quibus ſimilia multa afferre poſſem, ni ſcirem corculum Belgicæ Iuſtum Lipſium, rem hanc ita elucidaſſe in commentarijs ad Tacitum, vt nequidem locus vllus dubitationi, vel aliarum probationum ſpicilegio, poſt vberrimam eius meſſem relictus ſit. Herodian. libro 3. libro 42.

Prohibebant vero Romani ab aditu caſtrorum vxores ſuas, quia impedimenta ſunt, & onera militiæ, quæ maſculam virtutem potius eneruãt, quàm audaciores homines faciant ad munia, & pericula bellorum, ſi præſertim gregarij illi, ac manipulares ſint; nam qui paulo honeſtius vitam inter illos degunt, glorià, & ambitione honorũ impelluntur ad præclara facinora, & res alias quamtumlibet chariſſimas huic vni facilè poſtponunt. Imo Duces ipſos vix aliundè potentius excitari ad difficilia quæque ſubeunda exiſtimo, quàm ex deſiderio probandi ſe, non ea opinione inferiores, qua apud vxorem, aut ejus affines haberi volunt; ſic enim Ferdinandus Daualus cùm Victoriam Columnam vnam omnium ſuæ ætatis formà, probitate, ac ſapientià lectiſſimam mutuà ſortis fœlicitate in vxorem lectiſſimus ipſe duxiſſet, & aliquandiu ſuſcipiendis liberis operam dediſſet, audito tandem belli Gallici claſſico, ſagulum induit, criſtaſque, & equorum tegumenta, quæ fidelis vxor Phrygijs, & acu pictis operibus, ex auro, & purpura, ad ſingularem elegantiam illi parauerat; ſimulque animum ſibi fecit, adeo gloriæ ſitientem, & intrepidum, vt in Imperatorem poſtea euaſerit, quo neſcio an Europa vnquam habuerit celebriorem aliquem. Quod equidem exemplum, Ludouice Comes, quoniam mirificè conuenit cum anteacta, & præſenti vitæ tuæ ratione, cui nihil aliud deeſt, niſi coniux bonis omnibus ornatiſſima, vt cum Dauali iuuentute ex æquo conſentiat; Deum optimum maximum oro, obteſtorque quantum in me ſitum eſt cupidiſſimè, vt & hanc, & totius conſequentis vitæ tuæ ætatem 12. *Additurque ducũ officium tam in vxore ducenda.*

per

per ſimiles virtutum, & honorum gradus fortunare velit.

13. *Quam in refrænanda militum ſuerit libidine.* Cæterum cùm ille, quem tibi ad imitandum propono, nullius fermè rei dicam incurrat, niſi quod, in cohercendis militum voluptatibus, refrænandàque libidinum licentià, quam ſibi per victorias deberi putabant, tardiorem ſe paulo, negligentioremque exhibuerit: tu contra *Philippum* Regem imitabere, qui in bello Thebano, cùm duo Iuuenes Pſaltriam mercede conductam in caſtra induxiſſent, re cognita, ambos extra Regni ſui fines relegauit. Vel *Sfortiam* potius, de quo narratur à Iouio, quod equitem è Ferraria nobilem, qui contra edictum, vel ſæpè admonitus, ſcortum adoleſcentis armigeri habitu, circumtonſa cæſarie, ſecum in exercitu ducebat, pudendà ludibrij pœnà affecit, ita quidem vt muliebri veſte indutum, per caſtra, armato in equo, circumduci, oſtentarique eum iuberet. Nam ſupplicium quo licet in grauiori delicto Opilius Macrinus vſus eſt, ne cogitatione quidem vſurpari debere cenſeo, in hac præſertim temporum licentia, in quibus ſatis eſt caſtra *quaſi caſta* dici, vt voluit Iſidorus, non autem vt quidam inepti cenſent à *caſtratione*, quam, vt ſunt hodierni mores, fruſtra niſi apud eunuchos requiras. Vnde cum luxuriem accuſare facilius ſit quàm vitare libidinem, ſatis hac in re cautum à Ducibus fuiſſe crediderim ſi diligenter prouiderint, ne ſui milites non tam hoſtium viribus, quam proprijs moribus ſuperentur, eorum inſtar qui ab Annibale in Campaniam deducti, occaſionē poſtea dederunt Marco Marcello Conſuli, vt de ipſis diceret, *milites iſtos marcere campanà luxurià, vino, ſcortis, omnibuſque luſtris per totam hyemem confectos; abijſſe illam vim, rigoremque, dilapſa eſſe robora corporum, animorumque, quibus Pyrenai, Alpiumque ſuperata iuga fuerant: Capuam Annibali Cannas fuiſſe: ibi virtutem bellicam: ibi militarem diſciplinam: ibi præteriti temporis famam: ibi ſpem futuri extinctam.* Atque vt non militibus ſolummodo, ſed tibi quoque legem imponas, ſi quando viros viceris, ne identidem poſſis à mulieribus ſuperari: vellem tibi in exemplum afferre continentiam *Alexandri Magni* ac etiam *Cyri*, & aliorum, qui in ſumma peccandi libertate, ne quidem illas videre voluerunt, quarum eximia forma ſecum ferebat libidinis inuitamentum; ſed cùm iſtorum omnium tibi in mentem venire poſſit; cui ſcriptorū antiquorum monumenta, nō minus quàm vngues, & digitos explorata

in eius vita. *Liuius dec. 3. libro 3.*

rata ſunt, ego vero non ſemper honeſtum ducam, tritum ab alijs iter, iterum ingredi, & premere; afferam huc quod memini me legiſſe de *Franciſco Maria Feltrio* ſeniore Vrbinatium olim Regulo, cuius vitam, ab eius aulico, & copiarum aliquot præfecto Anthenore Leonardo Piſaurienſi ſcriptam, ſed nondum quod ſcio typis commiſſam, videre mihi contigit, dum Vrbini vnà cum Eminentiſſimo tuo Patruo commorarer. Hic igitur refert, quod in Ticini expugnatione Franciſci Mariæ auſpicijs feliciter tandem ad exitum perducta, cùm ipſe audiuiſſet, in perantiquis, ſplendidiſque ædibus, fœminam primariam aliquo ſe numero militum communiſſe, atque ab vniuerſo Vrbis excidio ſe præſtitiſſe ea ratione incolumem, totamque familiam ſeruaſſe; idcirco vt id certius cognoſceret, miſit eò ſub comite Ambroſio nobiliſſimam præfectorum cohortem, cuius admonitu apertæ ſunt fores, intraque eas armati milites reperti ſunt, atque vndequaque lautiſſimæ ſacchareiſque cruſtulis, & placentulis extructæ menſæ; in penetralibus vero domina ædium permanebat, facie, atque aſpectu pulcherrimo, & venuſtiſſimo, ſecumque erant aliæ mulieres formà, ac nobilitate eximiæ, plurimæque honeſtiſſimæ, ac formoſiſſimæ Virgines, de quibus ſtatim atque Franciſcus Maria, certior à comite factus eſt, ipſe nobiliſſimorum virorum cœtu ſtipatus eam inuiſit, bono iuſſit eſſe animo, conſolatusque eſt omnibus modis, & quantum ipſa voluit, eius, omniumque quas vna ſecum habebat pudiciſſimarum virginum pudori, atque incolumitati proſpexit: relicto etiam circum ædes militum ſuorum præſidio, quo ab omni iniuria ſecuræ inpoſterum redderentur; hæc vero tantæ virtutis, & conſtantiæ fœmina, cuius nomen reticeri abſque piaculo non poſſet, fuit Helena mater poſtmodum Franciſci Viſcontij, Bregnani, aliorumque locorum domini: res autem in Duce conſiderata eſt omnino præclari monumenti, tantoque magis ſuperat antiquiorum Ducum continentiam prope diuinã, quanto meliorem refert virtutem: non enim ſimpliciter continentia dici debet, ſed Chriſtiana pietas, ac diuina prorſus, & Heroica virtus, quam cæteri Principes imitari debent, ſi facta ſua volunt eodem felicitatis gradu procedere, & ex iuſtitiæ, probitatiſque obſeruantia, ſempiternæ hominum memoriæ commẽdari.

Continentiam ſequitur modeſtia, quæ primum quidem militis XXVIII

lin-

Digitized by Google

1. Tum modeſtia primũ in verbis quæ nihil habere debent ex iactantia.

linguam gubernat, deinde etiam eius perſonæ, & eorum quæ circa illam ſunt, cultum, apparatumque diſponit; neceſſaria prorſus vtrobique, ſed in verbis præſertim, quorum intemperantia, ſeu ad vitium illud referatur quod ἀλαζονείαν vocant, nos vero *faſtũ*, *ſuperbiam, arrogantiam*, *oſtentationemque* interpretamur: ſeu ad conuicia, & lædorias quæ in alios iaciuntur, non poteſt in milite non ſummopere deformis cenſeri; etenim cum oſtentatio ſit falſorum bonorum pompa, & mendax commemoratio earum rerum, quæ oſtentatori non adſunt, quis amabo bellicam in eo virtutẽ requiret: qui vires ſuas ſupra modum effert, nihilque omnino niſi magnificum de ſe crepat, & cum irriſione audientium imitatur vnum aliquem ex militibus illis glorioſis *Thraſone*, *Pyrgopolinice* aut *Stratophane*, quos velut faſtus, & imbelliæ, ignauiæque mancipia, nobis deridendos proponunt eruditi illi imitatores, qui exemplaria vitæ, morumque reſpiciunt, vt inde veras voces ducant, Poetæ inquam comici Terentius, & Plautus, apud quos dum vnus ipſorum *fartum geſtit facere ex hoſtibus*, alter etiã *per corium, per viſcera, perque os Elephanto brachium tranſmittit*, & tertius *Vrbi capum ſe, occiſoremque Regum* profitetur, omnes tandem ſic à vilibus ſcurris tanquam pueri huc, & illuc aguntur, vt cunctis, qui ad theatrales ludos, & ineptias conueniunt; fabulæ ſint, ac deriſui maximo. Quoniam *plus audire quam loqui militarem hominem decet, coalitum præcipuè actibus glorioſis*, vt Iuliani verbis vtar: eundemque oportet in pace, & ante ſigna modeſtiam præſe ferre, intus vero coquere quod in hoſtem euomat; æſtuare animo, non ore; & integras vires per manus, & arma, non per

libro 10. os effundere. Proptereaque Liuius optimè dicebat *viros natos militiæ factis magnos, eſſe ad verborum & linguæ certamina rudes*: at ex aduerſo qui debellaturi videntur Alexandros, vixque manibus temperant, cùm de hoſtibus mentio incidit, re vera tunc quando pugnandum eſt, trepidantes illos videas, ſudantes, fugam circumſpectantes, in pugna timidos, poſt victoriam crudeles, ſæuos, rapaces, & omni flagitiorum genere inquinatos; vt non immerito

lib 2.c ap. 14 Vegetius inter alia, quæ in Centurione deſiderat, iſtius quoque conditionis non obliuiſcatur, *vt agilis ſit, & magis ad facienda, quæ ei imperantur, quàm ad loquendum paratus*: cuius contrarium

Aeneid. ij. Virgilius in Drance repræhendit, cui *lingua melior ineſſet, ſed frigida*

***gida bello dextera*.** Nimirum *hæc ignaua*, vt inquit. Tacitus *ſed procax ante periculum manus*, canem timidum imitatur, qui vehementius latrat, quàm mordet: atque vt vento vter, ſic vana mens facilè opinione inflatur, contemnitque alios, vt ſeipſam tantummodo iactet, & extollat. Turnum vide quàm de ſe magnificè ante pugnam, quàmque de Aenea contumelioſè dicat.

Hac ego Dardanium dextrà ſub Tartara mittam.
Deſertorem Aſiæ, ſedeant, ſpectentque Latini,
Et ſolus ferro crimen commune refellam.

at vbi in medium prœlium deuenit, qui paulo ante tam ferociter verbis inſultabat, vt totus formidat, vt totus conturbatur, ac perhorreſcit, tanquam depræhenſus, nec animo certè, nec corpore ſubſiſtit.

Cunctaturque metu, telumque inſtare tremiſcit.
Nec quà ſe eripiat, nec quà vi tendat in hoſtem,
Nec currus vſquam videt, aurigamque ſororem.

viri autem fortes, quemadmodum inquit Caſſiodorus, ſemper in pace modeſti ſunt, pectusque animorum, & iræ tacitæ plenum, omnemque ferociam, in diſcrimen ipſum certaminis differunt, nihil interim habentes tumidum, nihil inſolens, nihil inflatum; & ſi quandoque in mentionem rerum à ſe geſtarum inciderint, moderatè hunc in modum loquuntur. epiſt. 3. lib. 12.

Et nos tela pater, ferrumque haud debile dextrà
Spargimus, & noſtro ſequitur de vulnere ſanguis.

alioqui nullus mortalis adeo patiẽs vnquam extitit, vt vel in ipſis Dijs iactantiam æquo animo ferre poſſet; quare hunc quotidie derident, & falsè aculeatèque perſtringunt, quem Nonnus Dionyſiacorum ſcriptor, ita pueriliter inducit efferentem ſe, vt minetur, *calcaturum ſe cœlum, imò aliud ſupernè quod octies maius ſit facturum, cum vetere capi non poſſet: item omnes ſtellas nouis inter ſe nuptiis copulaturum; quo cœlo plenior ſit ſoboles: Mercuriumque in vincula coniecturum: Lunam habiturum pro famula, quæ ſibi lectos ſternat: quod ſi lauari velit Eridano cœleſti, pro balneis vſurum.* Quomodo enim hæc & ſimilia verba, quæ per ſummã imprudentiam, præcipiti multorum ore deuoluuntur, ſobriæ aures, ſeriæque, niſi cum ſumma moleſtia, aut irriſione ſuſtinere poſſent?

Sed eo minor eſt hæc verborum intemperãtia, quod ipſis tan- 2.

Aut conuicio quod à iocis, & vrbanitate diſtinguitur, damnaturque. tùm nocet, qui illà abutuntur in efflandis ſuis glorijs; grauior longè eſt, quæ conuicium in ſe habet, ſi præſertim cum iniuria, vel irriſione coniungatur, nam lepos ille, ſeu iocus pudens, & liberalis, qui facilè, bellèque ridenda ridet, multoque leuior eſt irriſione, ita vt cauillationis, & vrbanæ dicacitatis appellationem mereatur, ſeu potius *facetudinis*, quo nomine Iouianus Pontanus in libris de ſermone, non minus frequenter vtitur, quàm reliqui auctores Latini *vrbanitate*, aut Græci ſua εὐτραπελία; tantùm abeſt, vt à cœtu militum proſcribendus ſit, quod etiam inter graues viros, & ſapientes retinendus eſt, modò tamen abſque vlla amaritie, abſque ſtomacho, & moroſitate proferatur; nam ſi ſecus ſe habeat, dicendum erit cum L. Seneca in in epigrammatis.

Quare tolle iocos, non eſt iocus eſſe malignum.
Nunquam ſunt grati qui nocuere ſales.

Martial. lib. 10. epigr. 9 alioqui cum intra præſcriptos modeſtiæ fines conſiſtunt, torquenturque cum gratia.

Et multo ſale, nec tamen proteruo

itaut propriè *dicteria* appellari poſſint, quorum naturam ſic explicat Cicero in fragmentis epiſtolarum, *quæ facetè, & breuiter, & acutè locuti eſſemus, ea proprio nomine appellari dicteria voluerũt.* nemo vnquam ipſis non vſus eſt, qui paulo cæteris ingenio valentior eſſet, quemadmodum idem Cicero ſequentibus verbis confirmat, *effugere autem ſi velim nonnullorum acutè, aut facetè dictorum offenſionem fama ingenij mihi eſt abijcienda*: & de illis quoque intelligendum arbitror D. Gregorium Nazianzenum, cùm de Baſilio refert, quod *atramenti ſaggittas vibrabat mirabiles* τοξεύματα ἐκ μέλανος. Quinimo apud Lacædemonios, vt Plutarchus notat, *aſſuefiebant pueri iocari, & dicteria citra ſcurrilitatem iacere atque aliorum ſine offenſa excipere cauilla*, quod Heraclides dixit ἐμμελῶς καὶ σκώπτειν καὶ σκώπτεσθαι *argutè cauillari, & excipere cauilla.* Nec verò Lacædemonij tãtũ ſimilibus facetijs delectabantur, ſed Græci omnes atque Latini ceſſationis tædium iſtis diluere, aut animos ex grauioribus ſpectaculis reficere voluerũt. vnde *exodiarius apud veteres in fine ludorum intrabat, quod ridiculus foret, vt quicquid lacrymarũ atque triſtitiæ coegiſſet ex tragicis affectibus, huius ſpectaculi riſus detergeret*, vt inquit vetus Scholiaſtes Iuuenalis ad Satyrã tertiã, vel quemadmodum efficaciori ſenſu expreſſit Caſſiodorus de

Marginal notes: epiſt. 16. lib. 9. — oratione 20. — in Lycurgo. — in fragm. de politijs. — lib. 4. epiſt. vltima.

Phi-

Philiſtione loquens, *quatenus mundum curis edacibus æſtuantem, latiſſimis ſententijs temperaret.* At verò cùm illud exodium in amaram carpendi conſuetudinẽ ex laudabili, & iucundo officio abijt Horatius epiſt. 1. lib. 2.

Doluere cruento
Dente laceſſiti: fuit intactis quoque cura
Conditione ſuper communi, quin etiam lex
Pœnaque lata, malo quæ nollet carmine quemquam
Deſcribi.

quam legem ſi credimus Acroni ὀνομαστομιῶν appellatam, conſimili apud Romanos ſanctioni, de qua D. Auguſtinus, & Cicero lib. 2. de Ciuit. Dei. in ſexto de Republica nonnihil afferunt, originem dediſſe non videtur eſſe à ratione alienũ, ſic enim Iul. Paulus I.C. *Bioneis ſermonibus, & ſale nigro*, publicè quemquam infamari vetat *Pſalterium*, lib. 5. recept. ſentent. inquit *quod vulgo dicitur canticũ in alterius infamiam compoſitum, & publicè recitatum, tam in eos, qui cantauerint, quàm in eos, qui compoſuerint extra ordinem vindicatur.* Etenim licet apud Tacitum libro 3i Lepidus *vana à ſceleſtis, dicta à maleficis* differre aſſeruerit; Quintiliano tamen aliter viſum fuit, qui *maledicum à maleficio, non niſi occaſione* diſtare affirmat; ita vt quemadmodum ludus ſerio opponitur, ſic iocus conuicio. Quod ſi quis alios imprudenter feriat, nõ iam *facetus* erit, ſed *ſcurra* potius, & *ſycophanta* graphicus apud omnes audiet: nam ſycophanta, ſi vocem ſpectes, eſt *accuſator, ſeu oſtenſor eorum, qui furantur ficus*, vt docet Feſtus, quæ quoniam res parua eſt, hinc eadem vox capitur etiam pro calumniatore in rebus paruis, & ſycophantiæ pro calumnijs, & probris vſurpantur.

Iniuriæ igitur, & irriſiones, quæ ſemper improbæ, & contumelioſæ ſunt, caſtrenſium legum ſeueritate diligenter coherceri debent, & reprimi ob pacem communem, quam in exercitu priuatis ſimultatibus interturbant, & aditum, quem in ipſum faciunt temeritati, & impudentiæ: maximè verò ſi in Duces ipſos committantur, quorum auctoritas non aliundè periculoſiùs laborat, quàm à deſpectu, & contumelioſis vocibus militum, vnde quẽadmodum notat Iulianus Imperator, *eos qui cõuicia contra ſe iaciunt, vehemẽtius oderunt, quàm qui ferrum intentant ac vitæ ſuæ inſidias moliuntur. ac demum ipſos ſibi naturà, non lege inimicos atque hoſtes putant, quoniam cum laudes, atque honores diligant, non modo hæc il-* oratione 2.

3. *Damnatur que ſi quis eo Duces præſertim afficiat.*

V 2 *lis*

lis detrahunt, ſed etiam falſas ſibi calumnias imponunt, nempe hac vna in animi affectione, & Herculem ipſum, & Vlyſſem, Achillẽ, Alexandrum, alioſque impotentes fuiſſe memorant, qui omnes veriſſimum eſſe illud Taciti declararunt *acerbarum facetiarum apud præpotentes in longum memoria eſt:* & Iulianus poſtquàm Cõſtantium Imperatorem ex eo laudauit, quod conuicio fortiter reſiſteret, deinde addit οὐ φαυλότερον ἔργον ὡς ἐγὼ κρίνω τοῦ Τροίαν ἑλεῖν ϗ φάλαγγα γυμνάζειν τρέψασθαι *quod facinus mea sẽtẽtia nihilo deterius eſt quàm Troiam expugnare, vel ingentem exercitum in fugam compellere.* Certè magnus Conſaluus cùm aliquando in publica militum conſternatione, ob ſtipendia non ſoluta, violatus fuiſſet contumelioſiſſimis verbis ab *Hiſchia* Centurione, qui illi in extrema ſe pecuniæ inopia conſtitutum eſſe iuranti, ſuperbè reſponderat, *ſi pecuniam non habes filias tuas proſtitue*: ſeditionem primùm ſedauit, pecuniæ ſponſionibus oblatis; mox vero nocte, quæ inſecuta eſt; *Hiſchiam* correptum, laqueo ſtrangulari, feneſtràque ſuſpenſum exercitui ſpectandum proponi iuſſit: ſcilicet, vt ea ſeueritate iudicij, priſtinam Imperij auctoritatem, recenti militum tumultu pene conuulſam, non modo reciperet, verum, & inpoſterum, ſeditioſorum ac petulantiũ animos, ne ſe dicto, factoue lædere auderẽt, iſtius ſupplicij repentina atrocitate deterreret. Qua etiam ratione, niſi quod metus extremæ pœnæ loco fuit, animaduerſum aliquando fuiſſe recordor, à Chriſtianiſſimo, & inuictiſſimo Rege *Ludouico Iuſto*, in manipularium quendam ex prætoriana legione, qui à militari quæſtore ſtipendiorum morà cruciatus, iniuriam hanc adeo proteruè, impudenter que ad Regem optimum detulit, vt verba etiam deſpectus, & contumeliæ plena in ipſum adijceret: ſed non impune tulit hanc audaciam ceruicoſus nebulo, continuo enim ad crucem raptus, quæ ante Luparam à caſtrenſi lictore erecta fuerat, & ſupremis aſtantium precibus commendatus, tantum non infelici ligno pependit: cùm Rex indignum ſuà clementià duxiſſet, miſerabilis iſtius homuncionis ſanguine, auctoritati ſuæ parentari.

lib. 5. annal.

Hæc igitur quia Maieſtatem Principis lædunt, & violant, extremo ſupplicio nec iniurià quidem comprimi debuere, verum irriſio, quæ præcipua nota eſt hominis impudentis, vt minus altũ vulnus infligit, quàm contumelia manifeſta, ſic leuioribus remedijs

Digitized by Google

dijs curanda eſt: nec illis vnquam vtendum, quibus Sancti maioris filius *Ranimirus* in proceres ſui regni non ſatis conſultò ſæuijt quia nimis ſcurriliter, & effuſo riſu exceperant, id quod in expeditione aduerſus Saracenos, cùm equo inſideret, & lanceam dexterà, ſcutum ſiniſtrà teneret, quibuſdam monentibus, vt habenas apprehenderet, reſpondit in hunc ſenſum, *ecquid vero poſſum, niſi fortè dentibus teneam?* ſimplex enim fuit illa irriſio ex familiaritate profecta, nec ita mordax, aut amara, vt capitis ſupplicio puniri debuerit; niſi quis credat Regum adeo ſacroſanctam eſſe auctoritatem, vt ne minimo quidem, contemptus ac deſpicientiæ ſigno, violari ipſam permittendum ſit.

Quamobrem diligenter aduertendum eſt, num ioci ac dicteria quę in duces à militibus torquentur, à contemptu vel inſectandi & maledicendi licentia proueniant; an ab honeſta quadam vrbanitate, qua ſemper tutum fuit, omnibus populis, aut ad familiarũ & perſonarum differentiam, cognomina varia, à rebus obuijs deſumpta, vnicuique tribuere; aut in ſumma hilaritatis teſtificatione, ludicra quædam ſalſeque dicta vſurpare, etiam in ipſos duces. Qui mos Romæ, præſertim in ipſa triumphorum ſolemnitate inualuit, ſi quidem vt refert Dionyſius Halicarnaſſeus *licet ijs qui triumphum proſequerentur, iambos & dicteria iacere in illuſtriſſimos quoſque viros, atque adeo in ipſos imperatores: quemadmodum Athenis olim ijs qui plauſtris vecti pompam proſequebantur, obuios quoſque ſcommatibus impetere licebat: nunc vero carmina ex tempore compoſita canunt*: quibus verbis puto illum intellexiſſe *baliſtea*, ſeu vulgares cantilenas, & rythmos, quorum meminit Flauius Vopiſcus in Aureliano, & qui vltimus ad illũ notas conſcripſit omnis ſelectę eruditionis pleniſſimas, Claudius Salmaſius, apud quem varia illorum exempla referuntur, vt certè apud Barnabã Briſſonium in formulis, ex quo *baliſteum* illud in reliquorum exemplum profero, quod Suetonius de Iulio Cæſare attulit, *ne prouincialibus quidem matrimoniis abſtinuiſſe, vel hoc diſticho apparet, iactato æque à militibus per Gallicum triumphum.*

4. *Cum tamen ab ijſdem nõ acerbè ferri debeant argutí ſales.*

lib. 7.

libro 4. capite 40.

Vrbani ſeruate vxores mœchum caluum adducimus.
Auro in Gallia ſtuprum emiſti, hic ſumpſiſti mutuum.

vides igitur Ludouice Comes aculeatos verſus, & planè *Feſceni-*

nos, quia ex militari licentia, & non animo nocendi proferebantur, tam ſedatè, ac tranquillè toleratos fuiſſe à Ducibus ipſis, vt etiam iocorum nomine venirent apud populum Romanum, quod indicat lepidè Martialis libro 14.

Conſueuere iocos veſtri quoque ferre triumphi,
Materiam dictis, nec pudet eſſe ducem.

Sed nolim tamen exiſtimes vinolentię tantum, ac probris deſtinatas fuiſſe eiuſmodi cantilenas, nam adulationi quoque, vt plurimũ inſeruiebant, prout erat militum animus propenſus in Duces, aut auerſus ab ijſdẽ: vnde gratulationes illæ in Aurelianũ ex Vopiſco.

Mille, mille, mille, mille, mille, mille decollauimus
Vnus homo mille, mille, mille, mille decollauimus.
Mille, mille viuat, qui mille mille occidit,
Tantum vini habet nemo qantum fudit ſanguinis.
Mille Francos, mille Sarmatas ſemel occidimus:
Mille, mille, mille, mille, mille Perſas quærimus.

nec ſimilium baliſteorum etiam in Sacris literis deſunt exempla, lib. 1. cap. 18 cùm in Hiſtoria Regum mulieres de vniuerſis vrbibus Iſrael cãtantes, ſacraque ducentes, in occurſum Saul Regis veniant, & præcinant in ſiſtris, ac tympanis lætitiæ. *Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia.*

5. *Et cognomina militaria*

Porro quia genus aliud facetiarum; ac iocorum militarium in cognominibus conſiſtere dicebam, quę milites ſibi inuicem, aut etiam Imperatoribus ſuis per laſciuiam imponunt; res quoque ipſa videri poſſet ex antiquo more fluxiſſe, quo cognomen hominibus ab aliquo accidente addi ſolebat, quoties nomen & prænomen non ſatis eſſe videbantur, ad homines eiuſdem gentis, aut cognationis inter ſe diſtinguendos; quemadmodum doctè explicatum fuit à Sigonio in tractatu de nominibus Romanorum. Hinc enim *Philadelphi, Euergetæ, Philopatores, Longimani*, apud Græcos fluxerunt, hinc Romanorum *Siluij, Porcij, Lentuli, Piſones, Fabij, Serrani* originem habuerunt, & ipſimet orbis Domini, frequentius aſcititijs illis cognominibus, quàm familiarum proprijs innotuerunt. Quis enim neſcit Caio Imperatori *Caligulæ* nomen inditũ à *caliga militari* qua frequenter in exercitu vtebatur, ad conciliandos ſibi militum animos, idque vel Auſonio teſte.

Caius cognomen Caligæ cui caſtra dederunt.

quis

Digitized by Google

quis item ignorat Antoninũ, vt Sextus Aurelius auctor eſt, *Caracallã* dictum fuiſſe, ab eius nominis indumẽto, ſeu veſte ad talos vſque demiſſa, quam populo largitus eſt. Atque vt nihil hic dicam de perlepido ſcommate quo Heluius Pertinax eundem Imperatorem non *Parthicum* modo, aut *Alamannicum*, & *Arabicum*, ſed *Geticum*, etiam ab interempto fratre ſuo Geta appellandum cenſuit; vel de Iuliano, qui *Capella*, ob barbam prolixam, & neglectam ab aulicis dicebatur; ac de cæteris Imperatoribus, quibus varia eiuſmodi agnomina impunè à ſubditis, militibuſque indita ſunt fauſta vel ominoſa prout ipſorum vita fuerat; vt Macrino *Macellini*, quod macelli ſpecie domus eius cruentaretur ſanguine vernularum; Antonino eius filio *Diadumeni*, à pileo naturali ſeu potius membrana, qua inſignitus in lucem prodijt: Vario *Heliogabali*, quia eius Dei ſacerdos fuerat; Commodo *Herculis*; Neroni, *Martis*; & Seuero, Pertinaci, Iuliano, Gordianis. *Antoninorum*, quoniam vt inquit Lampridius *fuit tam amabile illis temporibus nomen Antoninorum, vt qui eo nomine non niteretur, mereri non videretur imperium*; vt inquam miſſa hæc omnia faciam, certè Peſcennius *cum eſſet ceruice adeo nigra, vt quemadmodum multi dicunt ab ea*, nigri *nomen acceperit*, tantùm abeſt, vt infauſtam hanc Romanis appellationem auerſatus ſit, quod cùm Rex Thebæorum ſimulacrum eius ex nigro marmore fieri curauiſſet, addito etiam epigrammate græco, cuius poſtremi verſus ita Latinè referuntur à Spartiano.

in Diadumeno.

Nigrum nomen habet, nigrum formauimus ipſi
Vt conſentirent forma metalla tibi.

Peſcennius illud dono acceptum ſummopere gratum habuit, & in *Tricboro*, ſeu faſtigio domus ſuæ, quæ Romæ in cãpo Iouis erat, collacari iuſſit. Horum autem indulgentia; quaſi cæteris Principibus exemplo fuiſſet, multi propterea Regum noſtrorum patienter tulere, eiuſmodi cognominibus etiam inhoneſtis apud populos traduci; indeque nihil in eorum hiſtoria frequentius occurrit, quàm *Calui*, *Stupidi*, *Breues*, *Balbi Craſſi*, *Simplices*, *Capeti*, *Longi*, & qui in bonis numerandi ſunt *Pulchri*, *Sapientes*, *Auguſti*, *Patres literarum*, *Magni*, *Iuſti*, & id genus epiteta alia; quorum ratio non minus quoque in Anglorum Regibus obſeruata fuit, vt in Edmundo ſecundo qui *ferreum latus* dictus fuit, & in duo-

bus Guillelmis ex quibus vnus *Conquaſtor*, alter vero *Rufus* appellatus eſt. Atque ita liquido conſtat non omnia quæ in Principes dicuntur, eo ſemper animo ab illis accepta, aut vindicata fuiſſe, quaſi ex odio, vel contemptu detorta illa, & vſurpata in eos fuiſſent; ac proinde multo minus decet Imperatores ipſos, ſiue Duces militum acerbè proſequi, ſi quid ſimile in ipſos ex caſtrenſi libertate, & otio, quod parens eſt argutiarum, committitur. Solent enim milites, vſu qui apud ipſos antiquiſſimo tempore ſemper inualuit, præ cæteris delectari mirum in modum fictis eiuſmodi vocibus, excogitatiſque ab euentu aliquo nominibus, quorum ſi Dux aliquis, aut Tribunus licentiam reprimere velit, is non ſecus aget, quàm ſi in torrentem obluctetur, ita enim ſunt à natura efficti, ſic à moribus, & conſuetudine inſtituti, vt nomina ſuo arbitrio fingere velint, & *Coruinum* à Coruo, qui pugnanti fauere videbatur, *Torquatum* à Torque hoſti erepto, *Druſum* à Drauſo cominus in conflictu trucidato, quaſi ex analogiæ legibus efformare: cuius ſi exẽplũ aliquod poſtulas, quod militare potius, quã grammaticum ſit, en habe tibi vnum iſtud ex Tacito, *Lucilius interficitur, cui militaribus facetijs vocabulum* cedo alteram *indiderant, quia fracta vite in tergo militis, alteram clara voce, ac rurſus aliam poſcebat*; eiuſdemque moris eſt, quod ſcribit Flauius Vopiſcus de Aureliano, *cùm eſſent in exercitu duo Aureliani Tribuni, hic & alius qui cum Valeriano captus eſt, huic ſignum exercitus appoſuerat* manus ad ferrum, *vt ſi forte quæreretur quis Aurelianus aliquid, vel feciſſet, vel geſſiſſet, ſuggeretur Aurelianus* manus ad ferrum *atque cognoſceretur*. Ab hoc vero militari ritu, ſi Comites Guidios maiores tuos, Ludouice Comes, aliquid traxiſſe dixerim, ſtatim intelliges me nihil loqui, quod vel à veritate alienum ſit, quandoquidem *Guerræ* cognomen pluribus illorum inditum eſt; vel à temporibus illis diuerſum, in quibus vixerunt vna cum ipſis *Carmagnolæ, Piccini, Gattamelatæ, Sfortiæ, Fagiolani, Rhodomontes, Tartagliæ, Tarentulæ, Mouſtãdæ*, præclari omnes facinorum gloriâ, & ingentibus auſis Duces, ſed quorum propria nomina ſub his militaribus ſignis, quaſi velo quodam obducta latent, occultaque vulgo, ita vt nõ planè perſpectum ſit, niſi peculiares illorum hiſtorias euoluentibus, qua tandem ex cognatione fuerint, aut quibus appellari nominibus proprijs debeant.

Lib. 1. Annal.

Hoc

Hoc autem ſi militibus in duces ſuos licet, cur non etiam, & in commilitones? profecto eadem ratione inducor, vt intempeſtiuum fore exiſtimem, vrbanæ cuiuſdam dicacitatis aculeos, ſaleſque, & acumina verborum, ab ipſorum ſocietate, conuictuque prope domeſtico amandare: tantum enim abeſt vt rixæ inter illos ſerendæ occaſionem præbeant, quod potius ad mutuæ hilaritatis obleƈtationem, & arƈtioris neceſſitudinē amicitiæ, non minimum conducunt; Quemadmodum olim Athenis vſu venit in *Stenia* feſto, cuius ſingulo quoque anno recurrens ſolemnitas, libertatem, vt inquit Heſychius, cunƈtis faciebat, varijs ſe diƈterijs, & argutis diƈtis impetendi; quo familiaritatem vt par eſt credere, & velut domeſticæ conſuetudinis libertatem, inter ſe retinerent, quam alioqui certum eſt, nimia grauitate, ac moroſà plerumque remitti: cùm nempe ab illa remouentur flores, ac ornamenta cauillationis, & probrorum, quæ modo hilariter dicantur omnium animos mirificè deliniunt; ſed plebeiorum præſertim, qui hac loquendi libertate ita capiuntur, vt nulla alia re magis. Quo reſpiciens Plautus duos, *plagipatidas* ſeruos Leonidam, & Litanium ita ſe viciſſim ſalutantes inducit, *Iubeo te ſaluere voce magna quantum vires valent Gymnaſium flagri: Quid ais cuſtos carceris? ò catenarum colone! ò virgarum laſciuia!* Sed inſeruiunt præterea tales ioci, ac facetiæ virtuti, per honeſtam quandam æmulationem ſuſcitandæ, dum otio languet, aut alio quouis impedimento marceſcit: qualem finem certum eſt habuiſſe ſcommata illa, quæ ſuperiori æuo pedites, per quos, reſtituto antiquioris militiæ vſu, aſpera cunƈta Duces aggrediebantur, in ſeneſcentes iam nominis famà, atque armorum exercitatione cataphraƈtos equites, vſurpabant, dum aculeatis verbis illos interrogabant *num feriæ eſſent quod adeo compti, quietique incederent, & ab omni opere immunes?* & hæc etiam, quæ paſſim vſurpantur quoties conſpeƈto aliquo ſtrigoſiore, vel annoſo equo, hunc ab obæſis clunibus *bellum pullum, & qui molares dentes nondum emiſerit*, cum riſu laudamus.

6. *Vt certè, nec à militibus.*

In Aſinar. act. 2. ſcen. 2.

7. *Qui conuitijs non in commilitones, ſed in hoſtes tantum vti poſſunt, & quomodo.*

Et vero multa alia eiuſmodi in exemplum afferre nullo negocio poſſem, ſed materia adeo humilis eſt, & abieƈta vt currenti calamo frœnum per ſe inijciat; & ordo dicendorum admonet, vt ad mutuas illas cōtumelias defleƈtam, quibus ex antiquo more dum acies.

acies in conſpectu ſunt,& leuibus prœlijs certatur, aut in vrbium obſidionibus,ſolent milites inuicem ſe prouocare,ac laceſſere : vt in noſtrorum pugnis videre eſt,in quibus ex vulgari gentium nota, Gallos Hiſpani *Borracios*, ideſt ebrios, & ex temulentia vinum meientes vocant:Galli autem Hiſpanos à parciori,& dimenſo victu *Rauanilios*, ſeu *Raphaniuoros* appellant: ſicut Heluetios Germani, ad exprimendam gentis ignobilitatem *Couamelos*, hoc eſt vaccas in ſtabulis mulgentes vocare ſunt ſoliti: & hi viciſſim Germanos eſſe dicunt *Smocharos*, quæ vox ſpurcos nebulones indicat: Italis vero & *Chiaccaronum*. & *Parabolanorum* nomen ab omnibus alijs inditum eſt, non tam fortè vitio eorum qui nūc

In paralip. Alph. lib. 1. cap. 58. ſunt, quàm Priſcorum, de quibus dicebat Aeneas Syluius *plus hodie fidei trans montes quam citra reperiri, & pleroſque quos Italia genuit Parabolanos tantum inueniri*. Hæc autem vitia, & ſi præclariſſimæ nationes ſibi inuicem inurant, non aliâ profecto ratione, niſi quod, prout vnaquæque ſuis moribus delectatur, ita contrarios ferre in alijs non poteſt,cenſet tamen Michael Mōtanus, cuius iudicium plurimi ſemper ab omnibus,& meritò quidem factū eſt,non illas tantum leuiores offenſiunculas, militum licentiæ cōdonandas eſſe, aut alias etiam, eius ſimiles quam Athenienſes in Syracuſarum obſidione tulerunt, cùm ex eo quod *Gerras* frequenter poſcerent, id eſt *crates vimineas*, Siculi eos irridentes *Gerras* appellabant, vt inquit Feſtus, qui factum inde narrat vt *Gerra pro nugis, & contemptu dicantur*: ſed grauiores quoque ſannas & contumelias pungentes, omniſque generis probra in illis eſſe diſſimulanda monet; partim quod ira & indignatione conuiciorum exardeſcūt animi, & ad vindictam ſtimulantur; partim vero quod vſus ita obtinet : Cuius etſi creberrimè apud hiſtoricos exemplum occurrat,nullum tamen mihi elegantius hactenus

pag. 28. viſum eſt, eo quod habet Nicetas Choniates in Anabarzæ oppugnatione feliciter à Ioanne Comneno ſuſcepta his verbis, *deinde inopinato quodam & belluino impetu erumpentes*, Barbari *ſe inuicem cohortati machinas, igne in ſtoreas & pegmata, quibus tegebantur iniecto facile cremant* τὰ δ' ἐπὶ τούτοις καγχασμοὶ τῶν ἀντιπάλων καὶ βρασμοὶ τοῦ σώματος περὶ ὄρχησιν, καὶ Ῥωμαίων παλίλλογοι χλευασμοὶ, καὶ σκωμματισμοὶ τοῦ βασιλέως, καὶ λῆροι μακροὶ ideſt *ſequuntur cachinni hoſtium, hilares corporis agitationes, Romanorum crebra deriſio,*

ludi-

ludibria contra Imperatorem, nugæ longæ: ſed maior adhuc fuit Constantini cuiuſdam oppido Baccæ præfecti petulantia, nam *Græca voce dicteria in Imperatorem iaciebat, & vxorem eius, ac filias, oris impotentis homo, obſcænis verbis deridebat.* Enimuero nollem tamen milites hac abuti verborum licentia, quæ ducum arbitrio regi potius, atque gubernari debet, vt cùm præſertim acies in procinctu ſunt & paratę de ſumma rerum inter ſe experiri; aut arx aliqua pertinaciſſimè propugnanda eſt, eius tunc facultatem ſuis militibus faciant, vt deſperatione ſalutis, ab illis quos tam atrociter læſerunt obtinendæ, fortiores euadant, vitamque ſuis armis acerrimè tueantur, cuius ſpem nullam ſibi relictam intelligunt, ſi ipſa tandem victoris arbitrio permittatur. Et vero quamquam iſtud ſtratagema Vitellio malè ceſſerit in Othonem pugnanti, & Memnon ſuo militi dixerit *pugnare te conduxi, non conuiciari*, negari tamen haud poteſt, quin multis alijs ducibus fœliciter id verterit, qui hac arte, pugnandi neceſſitatem ſuis militibus impoſuerunt, quam nulla alia poterant in ipſis accendere: tunc enim cum aduerſarium audiunt iſtud Menalcæ lædorijs ſuis reponentem Nicetas ibid. Eglog. 6.

Efficiam poſthac ne quemquam voce laceſſas.

aut eandem ab illo reſponſionem expectant, quam Aſcanius dedit Numano, cùm eius caput ſagittà traijceret

i verbis virtutem illude ſuperbis,
Bis capti Phryges, hæc Rutulis reſponſa remittunt. Aeneid. 9.

ſerio quidem cogitant huic impigre reſiſtendum eſſe, quem non tam ducum auctoritas, aut militiæ ſacramentum, quàm propriæ iniuriæ vindicandæ cauſa, in quoduis diſcrimen furentem, ferocientemque præcipitat.

Hucuſque igitur de linguæ moderatione, cui proxima eſt illa quæ militi pariter neceſſaria eſt, in perſonæ ſuæ, ac veſtium, & armorum decore ſeruando, vt nihil in eo requiratur quod ab optimè inſtituto deſiderari poſſit. Hoc vero loci, ſcio primùm difficultatem inſtitui circa cultum perſonæ ipſius, quem nonnulli variegatum eſſe volunt, & ad incutiendum hoſtibus terrorem apprime compoſitum; vnde quaſi idem de milite quod de Bobus iudicium ferendum eſſet, de quibus dicebat Virgilius 8. *Tum in perſona cultu qui nec variegatus eſſe debet.*

optima torua

Forma

3. georgic. *Forma Bouis, cui turpe caput cui plurima ceruix*

volunt idcirco milites tonſum habere verticem, barbam ſemiraſam, ſyluam quæ ſupra labrum ſuperius eſt perplexam, nec aliter hinc & inde prominentem, quàm ſolent in Felibus pili longiores, vultumque non vna cicatrice fœdatum, vt totidem Samij *litteratores* videri poſſint, de quibus iocus eſt prouerbij: laudant præterea veſtes tot coloribus pictas, vt nulla auis æque variet plumas ſuas, nec Pauo *patagium*: addunt inſuper lacinias varias, & vittas pendulas, & follicantes manicas, & ingentia verſicolorum plumarum volumina, quæ rectius Mulorum onera dixeris, quam capitis ornamenta; Equum ſimiliter deſiderant *phaleris aureis* vt inquit Apuleius, *fucatis ephippijs, purpureis tapetis, pictilibus balteis, tintinnabuliſque perargutis* exornatum; ne dum tenaci, & viuido colore, qui niſi cum pilis euaneſcat, infectum, vt Turcis mos eſt, pace ideo belloque conſpicuis. Aut ſi manus conferendæ ſunt, & pectus in hoſtẽ ferendum, loricas volunt ex ſerpentum

lib. 8. corijs, ferarumque pellibus, qualem ille apud Silium habuit, cui

Pectora pellis obit caſi è venatibus Vrſi.

& Aeneas quem *fului pelle Leonis* armatum fuiſſe, poeta narrat; vel ſaltem hac arte contextas & hamatas, quæ laminulas quaſdam ferreas, ſingulis artubus ita affabre connectit, & agglutinat, vt

Claud. 1. in Rufin. horribiles exiſtant ſimul conferruminatæ, & facile nobis perſuadeant

ſimulachra moueri

Ferrea, cognatoſque viros ſpirare metallo.

Sed nondum iſtis contenti galeas addunt vel equinà iubà, vel rictu aliquo ferino, vel ſaltem apice multiplicibus pennis quà puniceis, qua viridibus, qua flammeis, & nigris, candicantibuſque diſtincto: quæ ornamenta cùm in ſummo vertice cæteris armis addiderint, vir quidem apparet duplo maior quàm ſit; eius vero aſpectus tota ſpecie, hoſtibus nõ minimum terrorem incutit; quaſi inuſitata illa ferocitas, quam eiuſmodi ornatu milites præ ſe ferunt, non tam arte, & fuco inducta, quàm à natura efficta ſit; proptereaque de *Ariis* Germaniæ populis narrat Tacitus, eos ſupra vires quibus reliquos antecedunt, induſtriam quoque adhibere, vt cæteris rebus formidabiliores exiſtant: ideoque *nigra ſcuta, tincta corpora, atras ad prælia noctes legere, ipſaque formidine atque vmbra feralis*

lib. de morib. Germanor.

Digitized by Google

feralis exercitus terrorem inferre, nullo hoſtium ſuſtinente nouum, ac velut infernum aſpectum. Quod idem de Hunnis refert Iornandes, *qui quos belloforſitan minimè ſuperabant, vultus ſui pauore nimium terrorem ingerentes terribilitate fugabant; eo quod erat eis ſpecies pauenda nigredine, ſed velut quædam (ſi dici fas eſt) deformis offa, non facies; habenſque magis puncta quàm lumina:* quibus addit Bonfinius hirſutis illos ſe pellibus induiſſe: & demiſſas barbas, intonſoſque crines villorum inſtar, feroces, toruoſque aſpectus auxiſſe; tantumque terroris adieciſſe, vt ſolo obtutu, ne dum congreſſu, hoſtes abſterruerint. Hoc autem omne, licet Tacito aliſque ea potiſſimum ratione probetur, quod *primi in omnibus prælijs oculi vincuntur:* ego tamen nullum, aut valde debile præſidium in ijs repoſitum eſſe mihi perſuadeo; quia *non ſi quis niger erit*, ideo ſtatim, quod prouerbio iactatur, *pro dæmone habendus eſt*: nec Geriones ſunt omnes, aut tricipites qui triplicem in caſſide criſtam gerunt: poſſent quidem illa plurimum, ſi pro hoſte daretur Ceruorum exercitus cap.24. de reb geticis. lib.2. decade 1.

Qui cincti trepidæ fugiunt formidine pennæ;

puerorumue examina terriculamentis quibuſdam, & formidaminibus laruatis diſſipanda forent; non vero aduerſus fortes viros, & milites pugnandum eſſet; quibus non erectæ criſtæ terrorem incutiunt, nec adiunctæ phaleræ pallorem inducunt; quas ſi in hoſte viderint, rident potius, ſperantque prædam, non metuunt fulgorem: phaleræ enim ſunt, nec aliud militi quàm fœminis ſuus fucus.

9. *Nec Horridus vbi quæritur an miles barbatus eſſe debeat.*

Quare vt modeſtiam quæ in iſtis omnibus ſeruari debet, breuiter per ſingula diſcurrendo, proponam; aduertendum eſt in primis epithetum iſtud *horridi* quod poſt Ennium in hoc verſu

Spernitur orator bonus, horridus miles amatur, Libro 8.

Titus Liuius varijque alij auctores certatim militi attribuunt; non eo trahendum eſſe, vt hunc velut alterum Marſiam illutibarbum, trucem, hiſpidum, attubum, vultuque ferino, & atroci eſſe voluerint: cùm nihil quicquam ſimile apud illos legatur, verum vt ipſemet Liuius explicat, iſtud tantum ſignificare voluerunt, quod mollem eſſe illum cultu, effœminatumque minimè oporteret, nec cælatum auro, argentoque in aciem prodire, ſed ferro & armis fretum: quippe illa prædam verius quàm arma eſſe, niten- Libro 19.

tia

tia ante rem, mox deformia inter ſanguinem, & vulnera: cultus vero elegantiam fœminas potius quam viros decere Numanus aduerſus Troianos concludit, dum eiuſmodi mollitiem in cultu il-
Aeneide 9. lis exprobrat;

Vobis picta croco & fulgenti murice veſtis,
Deſidiæ cordi, iuuat indulgere choreis
Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

nec alia meo iudicio afferri ratio poteſt, cur ſicut oſtēdit Salmaſius in Lampridium ex Polyæno & alijs, Lauacra & Balnea militibus olim interdicta fuerint. Quamobrem fruſtra torqueri illos cenſeo qui tam diligenter crinium compoſitionem inquirunt, vt ex illa militem horridum fieri ſibi perſuadeant, & effictum omnino ad vnguem, vt ſui metum ac terrorem hoſtibus incutiat. Nam & ſi multa in opinionis ſuæ confirmationem proferant, præter ea quæ tam eleganter à Iuliano in Miſopogone dicta ſunt, ac inprimis quidem Poëtæ Aquinatis notiſſimum illud

Hiſpida membra quidem, & duræ per brachia ſetæ
Promittunt atrocem animum.

quali habitu fuiſſe hirſutum Capellam, hircoſoſque nonnullos centuriones ipſe ſubinde declarat: vnde barbati ferme ſemper milites, ac præſertim duces exercituum figurantur, vt horribili ſuo ac terrifico aſpectu, vt qui minus obfirmato ſunt pectore, tanquam faſcino quodam oculorum conficiant, proindeque Hector barbà oblongà fuiſſe perhibetur vt Virgilius in hoc verſu innue-
Aeneide 2. re viſus eſt

Squalentem barbam & concretos ſanguine crines;

& Mezentius qui apud eundem Lauſi filij ab Aenea interempti

Colla fouet, fuſus propexam in pectore barbam.

ac Ebuſus etiam miles fortiſſimus, cuius pugnam cum Chorineo ſic ille deſcribit

Aeneide 10. *Obuius ambuſtum torrem Chorinæus ab ara*
Corripit, & venienti Ebulo plagamque ferenti
Occupat os flammis, olli ingens barba reluxit
Nidoremque ambuſta dedit.

eodemque modo Græci omnes promiſſas alebant comas, vnde Homerus eos perpetuo veluti epitheto *καρηκομόωντας capite crinitos* appellat: Nec Græcos modo ſed Auruncos patres, & intonſos ſan-

ſanctiſſimæ Seueritatis Cethegos, Scæuolas, Curios, Catones, Manlios comatos omnes vetuſtas depinxit, & ab ea, qui priſcorum temporum ſeruantiſſimi ſunt poëtæ, vt Iuuenalis

Et credam, dignum barbà, dignumque capillis
Maiorum. satyr. vic.

Ouidius in ſexto faſtorum

Tunc erat intonſi regia magna Numæ.

Horatius Ode 2 lib. 1.

Hunc & incompoſitis ciuium capillis
Vtilem bello tulit.

Propertius denique lib. 4 eleg. 11

Teſtor maiorum crines tibi Roma colendos,
Sub quorum titulis Africa tonſa iacet.

quo poſtremo verſu ritum indicat detondendi eos quos in ſeruitutem redigere volebant, de quo vix inuenias vnum è philologis, qui non ſibi aliquid obſeruandum duxerit. Quamobrem vt non faciam ſicuti *qui mittit lapidem in aceruum Mercurij*, ad priſcos illos Romulidas me referam, in quorum hiſpida coma, & demiſſa barba, virtus ipſa militaris, & maieſtas terrore quodam comitata, vel eo ipſo argumento habitare credebantur: quod piloſus ille oris decor, efferis Gallis, qui duce Brenno Romam occuparant, non admirationem modo, ſed metum etiam incuſſerit; quando irrumpentes illi atria Quiritium, reuerendos prolixà, & incanà barbà, *vt tum omnibus promiſſa erat*, inquit Liuius; ſenes in curulibus ſellis ſedentes, ſeu numina quædam ſuſpexere primo, moxque poſt acceptam à M. Papyrio iniuriam in omnes deſæuiere. Vnde horum exemplo varij populi bellorum artibus inſignes, vt Scythę, Parthi, Germani quò ſubita formidine hoſtes magis afficerent, hirſuti omnes erant: ac inter poſtremos Catti præſertim, quibus nefas erat barbam, capillumque tondere, aut alio cultu eſſe quàm viliſſimo, niſi hoſtis caput ex acie retuliſſent: hincque ſapientiſſimus Nomotheta Lycurgus, Spartanos milites promiſsà barbà, & comatos eſſe voluit, *permiſit*, inquit Xenophon, *etiam eis comam alere, qui pubertatis annos exceſſiſſent, exiſtimans eos hoc pacto* καὶ μείζους καὶ ἐλευθεριωτέρους καὶ γοργοτέρους φαίνεσθαι *grandiores, magis ingenuos, & terribiliores apparere*: vt certè poſtea contigit ad Termopylas, cùm Leonidà paruam illorum ma-

lib. 5. (beside "incanà barbà" line)

In lib. de Repub. Lacędemon.

num

num ducente, Perſæ omnes, primùm quidem milites illos comatos, eorumq; caput nõ quidem *intactum buxo*, quia vt Plutarchus notat *potiſſimum imminente periculo concinnabant comam, vt nitida appareret, & diſcriminata*, contemptui habuerunt, ac ſi molles, & effœminati ex Gynæceo homines forent, nõ ex Gymnaſio milites ſelecti; poſtquam verò inuictum illud animi robur, & fortitudinẽ ſine exemplo maximam, quam in acie præſtiterunt, experti fuiſſent; tum demum ſingularem illorum virtutem admirati, barbam impoſterum habuerunt pro argumento vigentis in corpore caloris naturalis certiſſimo; quo fœminæ quia deſtituuntur, vt etiam Eunuchi, conſequens eſt, illos minus vigoris participare: quaſi *Fortunæ Barbatæ* cuius Romæ templum dicatum fuit, nunquam litaſſent *Iuratæ Barbæ* impetrandæ causà; quem morem vt in Paganis Statius extulit; ſic eundem meritò ridet Diuus Auguſtinus in libris de Ciuitate Dei, non minus eloquio, quàm rerum varietate elegantiſſimis. Sanè Galenus in libris de officio partium *barbam*, ait, *ob decorem datam viro negatam fœminæ, tanquam animali mutilo, quoniam animo ſit demiſſiore*; ex quibus verbis patet illum exiſtimare, barbam ad robur animi habere ſigni proportionem. At vero licet hæc omnia pro barba militari pugnaciſſimo illo genere probationum, quæ ab exemplis ducuntur militent, neſcio tamen quomodo varia ſecum impedimenta barba affert, propter quæ, multæ nationes, non ex illis tantummodo, quæ *Volſellis*, vt inquit Varro, *non gladijs pugnant*, ſed bellicoſiſſimæ, Ducesque maximi, nunquam adduci potuerunt, vt illam ſuis in militibus fruticare permitterent. *Arabes* enim, & *Myſij* ne in conflictu hoſtibus præda forent, anteriorem capillum abraſerunt, quod pariter *Curetas*, & *Aetolos* feciſſe ferunt, cùm à fronte eſſent capillati, & crinibus ab hoſte raperentur, vt notat Strabo: quin imo Homerus *Abantes* Principes ab occipite tantum cæſariem nutriſſe dicit, *hunc enim*, inquit, de Elphenore loquens *ſimul Abantes ſequebantur veloces, à tergo comati, pugnaces*, ideoque Pollux compoſita voce ὀπισθοκόμας illos appellat, & Statius eodem ſenſu dixit.

Chromium atque in Terga comantes

Non ego Abantiadas.

nempe cùm acerrimi bellatores eſſent, cominusque cum hoſte pugnarent, didicerant experientià, quanto illis impedimento eſſet

In Lycurgo.

lib. 2. ſyluar. in epiced.

6 cap. 1.

libro 11.

Digitized by Google

ſet capillus longior, ne iſtud commodè facere poſſent. Ex illo etiã more fluxit genus quoddam tonſuræ, ab auctore ſuo Theſeo, quē Plutarchus tonſo ſincipite fuiſſe refert *Theſeis* nominatum : & Alexander Magnus cum Dario congreſſurus acie, Parmenioni iniunxit, vt radi Macedonum menta curaret, ne innexis barbæ manibus, hoſtilem iniuriam paterentur : quod iam olim factitatũ eandem ob cauſam fuiſſe, docet vetus Poeta Alexis apud Athenæum his verbis, ***glabrum pice quem vel raſum vides, horum habet alterutrum, vel mihi videtur militare velle, & omnia Barbæ facere contraria***. Superioribus vero ſæculis Lacedæmonios imitati ſunt *Germani*, maxime ſub Lothario Imperatore, in caſtris ad Spiram, & hodie cùm *Hungari*, ac *Poloni* flocculum capillorum oblõgum propendentemque in frontem à ſincipite nutriant; *Turcæ* qui nõ minus ſtrictim radunt, eundem quoque geſtant, ſed in ſummo vertice, nec barbam alunt niſi in ſolo ſuperiore labro, vbi pili illi fruticant quos in primo exortu Rufus Epheſius προπωγώνιον appellat quaſi dicas *Probarbium*, cum tamen poſtea adaucti nomen illud non retineant, ſed Græcis, ac nobis pariter Gallis, & Italis μύσταχες appellentur, quos in ſe reflexos & retortos, quia vni potiſſimum *Turcæ* geſtãt vacuo penitus, & glabro remanẽte inferiori labro, hinc eſt quod Baiazethes eius nominis ſecundus, cùm neglecto patrio more, Græcorum ſenum inſtar prolixam barbam aleret, eſſetque non pertinacis interdum, ſed valde obſequentis ingenij; ſic vt è media purpuratorum conſultatione, ad ea, quæ nollet actionum conſilia, inuitus plerumque raperetur; Selymus filius nimiam hanc facilitatem aculeato ſcommate, in eius barbã retorſit, cùm fortè Hiſmaelis Perſarum Regis legato familiariter cauſam quærenti, cur ſubtonsà ad mentum barbà vteretur, quando promiſſa potius magnos viros deceret, paterque eius Baiazetes eam nutrire conſueuiſſet, ei illico reſpondit, ſe nolle ab ea inutili, & importuna denſæ barbæ anſa, expoſitum videri, vt corripi, & circumduci poſſet à purpuratis ſuis, quorum improbam vim, pater inde correptus, & pertractus vnquam effugere nequiuiſſet. Accedit huc, quod barbæ, capillorumque prolixè in humeros fluctuantium luxuries, animi potius mollis, & effœminati, quã virilis, ac generoſi ſpeciem præſe ferat; itaut ſi modo pectine diligenter curentur, etiamſi nullus poſtea cultus elegantior accedat,

libro 13.

nec calamiſtro vndulatim criſpari, medià lineà diſcriminentur, maximum incentiuum tamen adijciant libidini, & ſinguli crines, quaſi totidem catenulæ ſint, retis illius vulcaniæ, quæ Martem in fabulis cum Venere alligauit, vt proinde non iniurià Eumolpus in capillorum eligidiario dixerit

Petronius in Satyr.

Quod ſolum formæ decus eſt, cecidere capilli,
Vernanteſque comas triſtis abegit hyems.
Nunc vmbrà nudata ſua iam tempora mærent,
Areaque attritis ridet aduſta pilis.
O fallax natura Deûm, quæ prima dediſti
Aetati noſtræ gaudia, prima rapis.

& Petronius ipſe ex aduerſo caluiciem *capitis dedecus* vocauit, nēpe quia, vt inquit Apuleius, *tanta eſt* capillorum *dignitas vt quamuis auro, veſte, gemmis, omnique cætero mundo exornata mulier incedat, tamen niſi capillum diſtinxerit, ornata non poſſit videri*. Indeque Romanæ mulieres mille modis eum in vertice ſtruere, & in cirros, ac cincinnos flectere *cinifl onum*, ſeu mauis cū Catullo *cinerariorum*, ac ancillarum ope ſolebant: nec mulieres modo, ſed viros eadem cura flexiſſe, & coluiſſe comã, teſtis mihi eſt in primis Seneca in aureo illo libello quem de vitæ breuitate ſcripſit. *quis eſt*, inquit, *iſtorum qui non malit Rempublicam turbari, quàm comam ſuam? qui non ſollicitior ſit de capitis ſui decore, quàm de ſalute? qui non comptior eſſe malit, quàm honeſtior. hos tu otioſos vocas inter pectinem, & ſpeculum occupatos*. nec alia ratione Tullius comam calamiſtratam Piſoni velut flagitioſæ mollitiei indicium obijcit, *erant illi compti capilli, & madentes cincinnorum fimbriæ*; aut Nereus apud Horatium in ode qua Troiæ excidium vaticinatur, his Parim alloquitur verſibus ex Iliade 3. vbi Hector eundem Menelai congreſſum fugientem ijſdem fermè verbis, niſi quod Græcis increpat

2. metamor.

capite 12.

libro 1.

Ne quidquam Veneris præſidio ferox
Pectes cæſariem, grataque fœminis
Imbelli cithara carmina diuides

ad quem ritum videtur mihi etiam alluſiſſe Princeps Poeta, vbi inducit Turnum ferocem haſtam illam Actoris Arunci ſpolium, concutientem, ſimulque ſeſe ad pugnam cum Aenea parantem.

Aeneid. 12.

Da ſternere corpus

Lori-

Loricamque manu valida lacerare reuulſam
Semiuiri Phrygis, & fœdare in puluere crines,
Vibratos calido ferro, myrrhàque madentes.

vt propterea non magis oratio meretricis quam barba ipſa hominum *vinnulata* appellari debeat, a *vinno, ſeu cincinno*, quo molliter vtraque flectitur ex opinione Iſidori; ſeu potius *vinulata*, ne ludibrium debeam maioribus criticis Turnebo, & Lambino, qui hanc vocem à *vino*, quod molliter in venas illabitur, ad orationem quæ ſua venuſtate facilè ſe in audientium aures inſinuat, trãslatam fuiſſe à Plauto, ſibi nobiſque perſuadent. Et hac ratione vt opinor Cyprij *barbatam Venerem* finxerunt, virili ſcilicet ſpecie, & habitu muliebri; vt capillorum decus quod præſertim à viris in muliere probatur; identidem in viro à mulieribus deſiderari oſtenderent. Quare cum difficultas hæc de barbæ, capillorumque vſu in militaribus munijs, retinendo vel abijciendo, paribus vtrimque librata rationũ momentis eo tandẽ recidat, vt nihil certi de ea ſtatui poſſit, quod ſtatim exemplis in contrarium adductis non trahatur in alterius partis fauorem; & hinc, antiqui militibus glorioſis quos in ſcenam proferebant, longam cæſariem eſſe voluerint, quam nunc ſuperbo quaterent inceſſu, velut equus qui concuſſo capite capillum in frontem propendentem diſcutit nunc euentilandam permitterent auris; hocque geſtu tam abſono militibus & à quo [illegible] hoc eſt *comã aut cæſariem ventilantes* dicebantur, Theatrum omne iucunda quadam oblectatioue perfunderent: illinc vero Germani vt antiquitus quidem, ſic iſtis quoque temporibus, ac inter illos præſertim Heluetij, quibus eſt.

Hirſutumque ſupercilium, prolixaque barbà.

non minori ſint audacià, aut minus expeditè, ac ſecurè hoſtes cominus laceſſant, quàm Turcæ ipſi, quibus caput eſt abraſum, hirtaque tantum myſtacis coma, ex ſuperiori labro in menti planitiem dependet; aut cæteri milites Europæ, qui temperata quadam inter duo illa extrema ratione, barbam ſibi fingunt: multum etiam & hi in eiuſdem ornatu à ſe inuicem diſcrepantes. Cenſerem ego conuenientius vnumquemque facere, ſi in re quæ nullius eſſe videtur momenti, conſuetudini ſe ac inſtituto ſuæ gentis accommodet; ne deriſui ſit omnibus, & iocum de ſe faciat vel parum naſutis, ſi barbam radat, quam cæteri ſui commilitones alũt,

aut quã cæteri deponunt ſolus ipſe retinere velit. Quamquã ſi de re etiã leuiſſima accuratè diſſerendũ eſt, in hoc noſtro militãdi more prorſus ab antiquis diuerſo, barba promiſſa, oblongiorque capillus videãtur mihi multis rebus poſſe eſſe impedimento: tũ quia niſi diligẽter pectantur purgenturue, ſordes facillimè contrahũt, rem procul dubio militibus infeſtiſſimã; cùm etiam quod ex cãnarum fomite ſuccenſo, maximè cùm ad certos ictus pilæ torquẽtur, combuſtioni obnoxia eſt, facillimeque præterea ab hoſtibus inuadi poteſt, ſi ſors ita ferat vt cominus pugnandum ſit. Atque vt breui concludam, ſi nobiliſſimus eques Baiardus detonſo mento perpetuo incedebat, quod multum ſibi moleſtiæ à barba in caſſide concluſa obuenire diceret, non minora ſunt his temporibus impedimenta, quæ illam pariter abradi debere ſuadent: certè Iulius Cæſar teſte Suetonio eius adeo impatiens erat, vt tonderi ſe ac radi quotidie vellet, & Otho quoque Syluius animoſiſſimus Imperator, faciem quotidie vulſiſſe fertur; ſed hi in parte voluptatis iſtud habuerunt, militem vero ſolius neceſſitatis cauſà mentum læuigare oportet.

10. *Aſpectus cute deformis vel alia arte ad terrorem cõpoſitus.*

Porrò quod ad reliquum ornatum attinet, Maragnanæ, & aliquot Canariarum accolæ, faciem ſuam quibuſdam minutè ſectis lapidibus ſuper genas, frontem, & mentum tenaci glutine ferruminatis, velut opere teſſellato, atque emblemate vermiculato, ad terrorem diſtingunt; Britanni etiam nondum exuti feritate moribuſque barbaris, omnes ſe Glaſto inficiebant *quod cæruleum efficit colorem, atque hoc horribiliori erant in pugna aſpectu*, vt notat Iulius Cęſar, male hoc loco à criticis acceptus, qui *luteũ* ex Vitruuio reponunt, latinum ſcilicet nomen pro barbaro, quale *Glaſtum* eſſe contendunt: cuius herbæ fulloniæ, vt hoc obiter animaduertam, tanta hic paratur copia, vt dubitem an alibi fertilior, aut vtilior eius prouentus eſſe poſſit; cùm non ita pridem retulerit mihi Dominus *Hippolytus Vecchiarellus* ciuis, vt antiqua probitate, & nobilitate, ſic & recenti eruditione inter *Reatinos* valde cõſpicuus, ciuitatem hanc, ex ſola *Glaſti*, ſeu *Iſatidis* diſtractione quadraginta millibus nummùm ditari in ſingulos annos. Sed Herodianus quanam arte Britanni colorem hunc ſuis corporibus illinirent melius expreſſiſſe videtur, forſan quod Seuero Imperatore diutiſſimè apud illos verſato, omnia certius innotuerant, inquit enim

lib. 5. de bell. Gall.

lib. 3. ſub finem.

enim *quin ipſa notant corpora picturà variâ, & omniſariam formis animalium, quo circa nec induuntur quidem, videlicet picturam corporis ne adoperiant.* Atque ex hac corporum tinctura factum eſt, vt apud diuerſos auctores diuerſa quoque nomina ſortiti ſint Britanni; eos enim Propertius *infectos appellat*

Nunc etiam infectos demens imitare Britannos. eleg 18. li. 2.

Martialis alibi *cæruleos*, alibi *pictos*.

Barbara depictis veni Baſcauda Britannis

Iſidorus vero *pigmata* Britonum nominat, & Tertullianus *ſtigmata*, forſan ad hæc Solini verba alludens *Britannis per artifices plagarum figuras, iam inde à pueris, variæ animalium effigies incorporantur, inſcriptiſque viſceribus, hominis incremento, pigmenti notæ creſcunt.* At enim priuſquàm è Britannia ſoluam, non illud omittendum eſt, quod maximè ad rem facit, fœminas ſcilicet illius regionis, non minori quàm viros ferocià, & habitu terribili ſumpto, in aciem aliquando prodijſſe, quemadmodum innuit Tacitus de Mona inſula loquens, quò ſe perfugæ receperant incoliſque ſociauerant, *ſtabat pro littore inquit diuerſa acies, denſa armis, viriſque intercurſantibus fœminis, in modum furiarum veste ferali, crinibus deiectis, faces præferebant: Druidæque circum, preces diras ſublatis ad cœlum manibus fundentes, nouitate aſpectus perculere milites; vt quaſi hærentibus membris immobile corpus vulneribus præberent.* His autem ſimiles videri poſſent *Geloni* quos Virgilius *pictos* appellauit, & de quibus Claudianus dixit

lib. de velãd. Virg. cap. 35.

14 Annal.

1. in Rufin.

Membraque qui ferro gaudet pinxiſſe Gelonus.

tum et his vicini *Agathyrſi*, Scythiæ ſiue vt nunc appellatur, Tartariæ populi, quos Solinus & Mela aſſerunt, *ora artuſque pingere ſolitos, ſic vt ablui ne quirent, & quanto quis altero præſtaret, tanto propenſior e ſe notà tinxiſſe, vt eſſet indicium humilitatis minus pingi*: cùm tamen Seruius ad illud quarti æneidos

cap. 22. lib. 2. cap. 21

Curetes, Dryopeſque fremunt, pictique Agathyrſi.

multo veriſſimilius mea ſententià epithetum iſtud explicet *non ſtigmata habentes vt gens in Britannia, ſed pulchri hoc eſt cyanæâ comà placentes.* Præterea *Aethiopes*, vt ab auctore genialium ſermonum traditur, partem alteram corporis minio, alteram gypſo depingebant: & *Hyporei* corpora ſua quæ ſubfuſco colore ſunt, rubricà ſimiliter illinunt, quaſi candidus color eo magis

lib. 1. cap. 15.

Digitized by Google

de arte amã-di. in milite damnandus ſit, quod ipſum ne quidem in nautis honeſtum eſſe contendit Ouidius

Candidus in nauta turpis color ætheris vnda,
Debet & à radijs ſideris eſſe niger.

atque hoc conſilio milites quidam in Germania, inferiori Althameri, qui hiſtoriam ſcriptis conſignauit ætate, quo facilius terrorem ſuis hoſtibus incuterent, ſe *diabolos* appellarunt, itaque veſtes eorum erant nigræ, haſtæ nigræ, vultus ipſi nihilo candidiores, & quod intolerabilius erat, multis iuxta nomen, perniciem intulerunt, donec crebris bellorum occaſionibs, omnium internecione, conſultum eſt publicæ tranquillitati. Hoc igitur modo, qui à tenebris, & rebus inſolitis deſumptus fuit, primùm quidem homini terror ab alijs iniectus eſt; poſtea vero acceſſerunt laruæ, & perſonæ ad brutorum ſimilitudinem fabricatæ, quales à *Germanis* vſurpatas fuiſſe, auctor eſt Plutarchus in Mario, quemadmodum *Celtas*, Diodorus ait, armis ſuis vel naturalia cornua appoſuiſſe, vel auium, aliorumque animalium rictus, & effigies expreſiſſe; imo vero *Geloni*, vt inquit Solinus, *hoſtium cutibus equos, ſeque velabant; illos reliqui corporis, ſe vero capitum*: *& Afri* apud Claudianum

ad Germaniã Taciti.

cap. 23.

Serpentum geſtant patulos pro caſſide rictus.

non ſecus ac *Præneſtini* teſte Virgilio *fuluos Lupi de pelle galeros* conficiunt; & Romæ in columna Traiana, variæ caſſides ex ſculptæ cernuntur, rictu *Lycaoniæ Vrſæ*, aliarumque ferarum inſignes, & galeæ multæ quaſi *caua ora Leonum*, ad augendum ſcilicet terrorem; idque ex antiqua militum conſuetudine, cuius præter Polybium meminit Vegetius apud quem *ſigniferi loricas minores accipiebant, ac galeas ad terrorem hoſtium vrſinis pellibus tectas*; & videre paſſim eſt in nummis veteribus, exuuijs caprarum, arietum, elephantorum, galeas Imperatorum aliorumque ducum exornatas fuiſſe. vnde eſt quod *galeæ* nomen non à *galero* ſed à *felina pelle* deducit Ioſephus Scaliger in ſuis ad Varronem coniectaneis quaſi à ἀπὸ τῆς γαλῆς quod ex huius animalis, ac aliorũ etiam pelle caſſides conficerentur. Denique ſunt etiam nunc apud Turcas leuis armaturæ milites, quos ipſi *Dellios* ſuo idiomate vocant, id eſt *ſtultè audaces*, tum quia inſignis ſit præ cæteris eorum in prælijs conſerendis audacia, tum quia deformi habitu non tam conſpicuos

lib 2. cap. 16

cuos ſe quàm ridiculos præbeant, cùm hirſutis pellibus totum corpus induti, caput Leopardi exuuijs contecti, & ſingularis ornamenti loco, in ipſo frontis medio immenſam Aquilæ caudam geſtantes, eiusdemque alis parma defixis, exemplar veriſſimum effingant larualis cuiusdam ſimulachri. At enim omnia hæc quæ barbariem meram ſapiunt, & retinent, Barbaris, aut ſi qui ſint eorum ſimilibus, relinquenda ſunt, nobis enim nec elegantioris vitæ ratio, nec armorum quibus nunc pugnatur, conſuetudo, eiusmodi vt fanaticos exercitus multum curare debeamus, permittunt.

Circa veſtitum igitur ita ſe habebit miles, vt nunc à nobis dice- 11.
tur, nam quod aliqui obijciunt ſuperuacuum eſſe de ha re quære- *Et quali ve-*
re, ex eo quod ſi Græcorum prouerbijs fides habenda eſt ὔτε φι- *ſtitu miles*
Romanus
λοσόφυς πωγωνοτροφίαι ϗ τριβωνοφορίαι ποιῦσι, ὔτε ἰσιακὺς αἱ λινοστολίαι *fuerit.*
neque philoſophum facit promiſſior barba, nec veſtis pertrita: neque item Iſiacos linoſtoliæ, id eſt, *amictus linei*, multo minus ſagula bubalina, aut coccineæ penulæ aureis circumdatæ limbis, militem efficient, illud inquam non vſquequaque rationi conueniens cenſeri debet: etenim ſi *veſtis* quemadmodum inquit Cicero *frigoris* 3. de orator.
depellendi cauſa reperta primò, poſt adhiberi cœpta eſt adornatum etiam corporis, & dignitatem, quis negare non iniurià poterit, quin veſtes ipſæ omnino neceſſariæ ſint, diſtinguendis viris à mulieribus, magiſtratibus à ſubditis, ſacerdotibus à profanis, nobilibus à ruſticis, militibus à literatis? & diſparibus omnino vitæ generibus, inſtitutiſque diſparem reſpondere habitum oportere, quo illa in vulgus cognoſcerentur; maxima enim perturbatio, & confuſio ſequeretur in ipſius vitæ ratione, niſi, quemadmodum etiam in comoedorum theatris ſolet, conſultus homo *grauioris habitus amictu* tegatur; Seruus *tuniculà anguſtà* & *curtà* vt expeditior ſit; nuncius, aut viator *penulà*; nauta *cauſià*; miles *ſago*, aut *chlamyde*; populus *tunicà*; philoſophi *pallio*; Imperator *paludamento*; & ſic de cæteris. Sed veſtes non mediocriter quoque inſeruiunt contra vim ab hoſtibus illatam, cùm telorum ictus veſtitum corpus quàm nudum facilius ſuſtineat; & modo conuenienter factæ ſint, multas actiones promouent, quibus alioqui ſi ſuccinctarum loco lib.5.cap.3.
demiſſæ vſurpentur, aut vice verſa, multum impedimenti afferent. Quare ſicuti Iulius Pollux. Venatorem induit tunicà expeditâ,

demiſsâ ad poplitem, non albâ, nec bene coloratâ, nec quæ aliquo colore ſplendidè refulgeat, ne eminus, ſeu de longinquo à feris videatur; & huic ſimile pallium addit, quod ſiniſtræ manui circumuoluendum eſt, ſi feras inſequitur, aut cum ipſis pugnat; calceoſque altos ad mediam tibiam aſcendentes, firmo alligatos vinculo, quibus per humida, & vliginoſa loca tranſire queat; ita Romani quaſdam veſtes militaribus tantum officijs deſtinatas habuerunt,
libro 29. quas militi donatas è publico clarè Polybius indicat, & pluries in Liuio videmus id notatum, *veſtimenta*, inquit, *exercitui deerant, ea*
lib. 2. elector. c. 12. *quoque haud ſegniter curata res, mille ducenta togæ breui ſpatio, duodecim millia tunicarum miſſa*. ſcilicet ab eo diſparitas illa, vt obſeruat Philippus Rubenus, quod togæ honeſtioribus tantum miſſæ, vt equitibus, & centurionibus, gregarij vero tunicâ cõtenti fuerunt, & ſuper eam fortaſſe ſago. *Sagum* enim altera militaris veſtis erat tam bellorum propria, quàm Toga pacis; vnde frequenter apud Ciceronem reperias, *propter cuius periculum ad ſagum iſſemus: ad ſaga ire, & redire ad togas; cum eſt in ſagis ciuitas: tumultum decerni, iuſtitium indici, ſaga ſumi dico oportere*. Atque hoc genus veſtis *Lacernæ* excipiebant, pallia videlicet fimbriata, *quibus olim ſoli milites vtebantur*, vt notat Scholiaſtes Perſij qui vocem hanc *olim* non perperam addit, quoniam vrbani poſtea *lacernati* eſſe cœpere, quemadmodum Salmaſius fusè, & eruditè in notis ad hiſtoriam Auguſtam oſtendit; vbi etiam ventilatur, quales fuerint *Penulæ*, quæ nulla re à lacernis ipſis differunt, ac ne quidem vſu in bello, vnde ſerui *penulati* vocantur à Seneca *in mi-*
3. de benef. cap. 28. *litum, & quidem non vulgarem cultum ſubornati*. Iam vero præter has veſtes poſterioris æui Scriptores *Armilauſam* numerant, vt
lib. 19 c. 22. Paulinus Nolanus paſſim in epiſtolis, & Iſidorus in libris originum, qui modum eius ita explicat *Armelauſa vulgò vocata, quod ante & retro diuiſa atque aperta eſt, in armos tantum clauſa, quaſi armiclauſa, e literà ablatâ*: meminit tamen ipſius vetus interpres
ſatyra 5. Iuuenalis, qui *viridem thoraca* per *Armiclauſam praſinam* explicat, certè Mauritij locum profert ex Strategicis doctiſſimus Rigaltius, ex quo genus fuiſſe militaris veſtis breuioris colligimus, & huic forſan ſimile, quod equites noſtri armis ſuperiniectum
lib. 1. cap. 20. geſtant, ſuis inſignibus diſtinctum, nobiſque vulgari lingua *Cotte darmes* ſiue *tunica armorum* appellatur. Denique, Vegetius milites

lites ad ſua vſque tempora, *Pileis quos Pannonicos vocabant, ex pellibus* vſos fuiſſe ſcribit. quod, vt addit *propterea ſeruabatur, ne grauis galea videretur in prælio, homini qui geſtabat ſemper aliquid in capite*. De pedum vero integumento notum eſt *Caligam*, quod ait Dio στρατιωτικὸν ὑπόδημα fuiſſe hoc eſt *militare calceamentum* de quo plura qui volet is adire poterit diatribam eruditiſſimam Iulij Nigronij; mihi enim ſatis eſt hic, digitum ad fontem intendiſſe, & notaſſe ex Iuliani Centurionis hiſtoria relata ab Egeſippo, calceos militares creberrimis, & acutis clauis confixos fuiſſe, quo melius veſtigium firmarent. Neque etiã de *Cingulo* aliquid in præſentia dicendum habeo, quandoquidem præoccuparunt mihi grammatici, & critici ferme omnes, qui de hoc non modo geſtamine, ſed notà ſine qua nemo militari dignus ordine videbatur, nihil non dixerunt, quod afferri ex penitiſſimà antiquitate ab eruditis hominibus poſſet.

Excidij Hieroſolymit. libro 5.c.30.

12.
Qualis noſter eſſe debeat cu ratione militia.

Et vero cum veſtimenta non amplius ex publico, aut abſque ſtipendiorum diminutione, manipularis accipiat, & vnicuique nõ minus licitum quàm honeſtum ſit, ſuo modo & arbitrio veſtitũ incedere; Præſtat idcirco *ſagariã* militarẽ inſtituere noſtris accommodatam temporibus, quàm adeo accuratè inquirere, quali nam veſtitu fuerint Romanorum velites, ac Tribuni. Quamobrem manipulari, circa indumenta propria, rectè, meo quidem arbitratu, conſultum erit, ſi veſtes habeat non laceras aut ſegmentatas, ſed ex *panno coccineo* vel *cineritio* abſque vllo fimbriarum, & vittarum textilium apparatu; cum *diploide* ſimilis materiæ, aut *penula gauſſapina heteromalla* quæ nonnullis *manta* dicitur, nec minus ſtragulæ quàm veſtis vſum præbet aduerſus aeris inclemẽtiã: quod ſi *thoracem* vel *femoralia* ex molli corio parare voluerit, auctorẽ me laudatoremque habebit iſtius conſilij, quo nullũ militi in ratione veſtium vtilius, aut honeſtius dari poteſt; ſi præſertim quemadmodum ſolent Germani, cum elegantia quadam & decore eiuſmodi *ſcortea colobia* aut ſi mauijs *ſagula pellicea* quæ funiculis ſericeis conſtringantur, non autem globulis per ocellos commiſſis, vſurpent; nam Turcarum plerique ferinas in bello gerunt pelles, ſed adeo ruſticè negligenterque conſuatas, & paratas, vt noſtris opilionibus, ac bubulcis ne quidem conferendi ſint. Porro quia *Ocrearum* maximus eſt etiam in bello vſus, quarum forma

forma & materia ſatis innoteſcunt; præſtantia autem inde potiſsimum æſtimatur, ſi aquam non transmittant, illud obtineri poſſe notat Cardanus, ſi halinitrum tenuiſſimè contritum ceræ liquefactæ, & pinguiori aliquo liquore temperatæ infundatur, eaque mixtione diù multumque ad ignem ocreæ inungantur. De Calceis verò quorũ penuria, detentis in præſidio aliquo militibus, aut per iter longũ, & difficile, ſummopere moleſta eſt, & caſtrenſes morbos ſœpius inducit; ita vt Aurelianus apud Vopiſcũ inter alia diſciplinæ præcepta ſtatuerit, *vt militis arma terſa, ferramenta ſamiata calciamenta fortia ſint*; præclarè conſulit Albertus Magnus fieri illos debere ex corio Aſinino, ea parte tergi qua onera baiulare ſolet, quoniam nullo temporis tractu atteruntur, neque ſi per lapides quis perpetuò ambulet, aut per ſpinas; nimia tamen vetuſtate adeo dureſcunt, vt ferri non poſſint, quemadmodum tradit Hieronymus Cardanus, quem tamen vna cum Alberto certum eſt multa ſcripſiſſe, vſu non ita recepta, aut experientià confirmata. Quare magis ad compendium facere exiſtimo Epirotarum, ſeu Græcorum equitum conſuetudinem, qui ex obuio aliquo cadauere vel equi, vel alterius animalis, calceos ſibi parant, non quidem conſutos & ſoleis duplicibus munitos, vt in pace moris eſt, ſed ex aluta cruda, quam ſupra pedem reflectunt, alligantque funiculo tortili in crumenæ, aut ſacculi modum; atque ita pedes obuoluti incedunt donec fiat illis elegantioris alicuius calceamenti copia. Pauperum igitur, ac gregariorum militum hic erit apparatus, nam Tribuni, Centuriones, præfecti quorum dignitas magis adhuc niteſcit ſi paulo honeſtiori cultu ſuſtineatur: æſtate quidem *Triſanello, Vndone, Symballoto*, aut vulgari *Camalloto*, ſericeiſque alijs veſtibus rallis, leuibuſque vti poſſunt: vt hyeme ſericeis hiſpidis: coccineis & quiſquiliatis pannis, bombicinis: atque vt vno verbo abſoluam accommodatis vniuſcuiſque fortunæ, modo, & tempori.

[Margin: 5. de ſubtil.]

[Margin: de ſubtilit.]

13. *Tum colo um in quibus laudati cineritius pulueris & foedorum animalculorẽ cauſa quibus remedia afferuntur.*

Cæterum non perperam ſupra admonui, ex infinita colorum varietate, duos præſertim gregariorum vſibus perquam idoneos eſſe, ſcilicet *Coccineum & Cineritium*, nam in hoc poſtremo minus apparent veſtigia aquæ, pulueris, cœni, & reliquarum ſordium quæ ob eiuſdem coloris participationem, facile obliterantur; minuſque etiam in eo fœdorum animalculorum greges ſe

pro-

produnt; quorum ſpecies, cùm Liuius Andronicus in gladiolo varias enumeret

Pulices ne, an cimices, an pedes reſponde mihi,

profectò hæ omnes militibus faſtidij plurimum afferre ſolent, cùm in diuturnis obſidionibus, tum in longis itineribus, vbi nec veſtes mutare, nec recentes interulas vt opus eſſet, ſumere poſſunt: quare vt εὐπόριστον ſeu *facile paratu* remedium, aduerſus minimas eiusmodi peſtes habeant, ſubijciam ea quæ monet Pamphilus apud Conſtantinum Cæſarem in libris de agricultura; nimirum amara omnia, acria, graueolentia; vt abſynthium, cucumeris ſylueſtris radicem, aquam marinam, melanthium, ſemen ſinapeos, & rhododaphnes, calcem viuam, cyminum, amurcam, rutam, mentham, menthaſtrum, lupulum; Equi inſuper fimum & vrinam, omnia inquam hæc pulicibus mortem eſſe, ſi vel per ſe ſola, aut in aquis decocta, ijs in locis reſpergantur, vbi hæc animalcula obrepunt: ſi vero paruulus ſcrobs ſub lecto effoſus ſanguine caprino repleatur, congregabit ad ſe pulices; & ex veſtibus illos alliciet ac vocabit, quibus remedijs conſentanea ſunt quæ Nonus medicus item antiquus proponit *felle bubulo*, inquit, *cum Oleo ligna tori illinito, vel flore ſuffumigato, vel atramento ſutorio cum oleo perũgito.* Præterea de fuga eorumdem illud amplius addit Auicenna, quod colocynthidos infuſione, vel decocto rubi, aut raphani pelluntur: eadem prorſus ratione qua Cardanus ſe multoties expertum fuiſſe dicit magno ſuo commodo, quod ſucco foliorum cucurbitæ, ſi quis mulorum, aut equorum pilos intinxerit, muſcæ nullam illis moleſtiam æſtate etiam media afferre poterunt. Sed ne ſingula referam quæ Dioſcorides, Rhaſis alijque medici de hac re, quamquam nullius ferme videatur eſſe momenti, referunt: nihil tam commodum eſt comprehendendis pulicibus, quàm lecto impoſita recens, & candidiſſima lanugo xylina, in ea namque congregati facillime capiuntur. Quod autem inquit Ritterhuſius in notis ad Oppianum *pediculos minimè in Vrſinis pellibus nidulari ſolere, eãque ob rem milites in his velut inſutos noctu cubare*; neſcio profectò vel à quo iſtud habeat, vel quã verũ ſit.

li. 13. cap. 15. — cap. 267. — 14. de ſubt.

14\. *Et Coccineus quo indut: Lacedamonij alij que populi, & quare.*

Alter igitur color maximè bello conueniens *coccineus*, ſeu puniceus eſt, qui plurimùm ad elegantiam facit, & viros inſignes, animique generoſi potiſſimum decere videtur; vnde ſi Iſidoro credi-

credimus veteres Romani hoc colore in bellis vtebantur *Ruſſatà ſub conſulibus Romanis vſi ſunt milites, vnde etiam ruſſati vocabantur*: quod Trebellius in Claudio confirmat, apud quem legas *tunicas ruſſas militares*: & Nonius ex Varronis fragmento in voce *Torques: tela dextrà vibrant, ruſſati emicant*. Sic Lacedæmonios

1. cap. 12. auctor eſt Agellius puniceis veſtibus indutos fuiſſe cùm in certamen deſcenderēt, quem ritum & ſimul eius cauſam pulchrè hunc in modum Ariſtoteles apud Suidam explicat *Ariſtoteles ait Lacedæmonios punicea veſte ad bella vti; tum quia color ille virilis, tum quia ſanguineum illud in tiĉtura, ſanguinis ipſius fluxum aſſuefacit contemnere*. atque omnino cum Ariſtotele conueniunt Plutarchus

lib 8. cap. 6. in inſtitutis Laconicis, & Aelianus in libris variæ hiſtoriæ; nec ſi

lib. 11. cap. 6. Valerius Maximus vtramque cauſam non complexus eſt, propterea ab illis in ea diſſentit, quam de ſanguinis & vulnerum occultatione attulerunt, imo aliquid non pœnitendum addit eorum ſententiæ, nam *ad diſſimulandum* inquit, *& occultandum vulnerum ſuorum cruorem, puniceis in bello tunicis vtebantur* Lacedemonij; *non, ne ipſis aſpectus eius terrorem: ſed ne hoſtibus fiduciæ aliquid afferret*. At vero Xenophon de hoc Lycurgi inſtituto loquens,

lib. de Repub Lacedæmon. quaſdam eius rationes affert, quas moralibus iſtis, quæ apud Ariſtotelem, & Valerium leguntur facile prætulerim, ſi bonà mihi horum venià iſtud facere liceat; ita enim hic *ad armorum certamina huiuſmodi quædam excogitauit. ſtolam eos purpuream habere voluit, & ſcutum æreum, exiſtimabat enim genus hoc veſtis minimè cum muliebri commune quicquam habere. Nam & celerrimè ſplendidum redditur, & ſordes tardiſſimè contrahit*. Cæterum quod iſti de Lacedemonijs dicunt, Plutarchus videtur etiam de alijs Græciæ populis affirmare, cùm de Philopœmene ſcribit, cū milites ſuos adornatos, & inſtructos in Theatrum duxiſſe ἐν τῇ στρατιωτικαῖς χλαμύσι καὶ τοῖς φοινικοῖς ὑποδύταις *in ſagulis militaribus, & puniceis tunicis*: quin etiam Silius illud idem Carthaginenſibus attribuit

rubra velamine veſtis

Arserat in pugna viſum occuluiſſe cruorem.

cuius ſtratagematis cùm non ita cæteris nationibus in mentem veniſſet, ſingulæ prout impetu ac conſuetudine ducebantur, alterius coloris veſtes vſurparunt Thraces *pullas*; Aethiopes candidas; Samnites *varias, & diſcolores*; Boij; & Inſubres *auratas*

Galli

Galli denique *virgatas* cum torque aureo; ſed in eo colorum delectu omnes præter Lacedemonios videntur aberraſſe quando quidem vt inquit Ariſtophanis Scholiaſtes *φοινικὶς χλαμὺς πολεμική* *punicea chlamys bellica*

Porro quia Romani ſedulò cauebant, vt milites nunquam incederent niſi probè *cincti caligatique*, eo quod *diſcinctos* vel Cæſaris exemplo qui hoc nomine, Ciceroni, non minus quam Sylle impoſuit, haud ita fortes ac ſtrenuos eſſe cenſerent; hoc ipſum militibus noſtris etiam obſeruandum eſt. Sed ea tamen moderatione, ne ſtatim velut datà licentia in mollitem diffluant, adeoque nitidi, & compti fiant, vt non amplius *Phryges* ſint ſed *Phrygiæ*. Neque enim omnes ita ſunt præſenti animo, & exercitatione in dubijs rebus æquè ac in proſperis, vt quemadmodum de militibus ſuis iactare ſolebat Iulius Cæſar *etiam vnguentati, & calamiſtrati bene pugnare poſſint*; cùm nulla res magis animos frangat, & remittat, ac ſtudium eiuſmodi deliciarum, quas vel Medea ipſa in iuuenibus deteſtatur 15. *Ac demum quis cultus in milite probetur, vbi de pellium vſu caſtrenſi.*

Sint procul à nobis iuuenes, vt fœmina compti,
Fine coli modico forma virilis amat.

rectè enim, & more ſuo fortiter diuus Chryſoſtomus, *mollis veſtis diſſoluit rigidam animam, & ſi frigidum corpus aſſumat, & aſperum, facile per eiuſmodi molliciem delicatum reddit, & fragile*. Proptereaque Heroibus illis quos nulla in vitium cupido traxit, nulla voluptas pellexit ad Luxum, vſitatum erat *ferarum pellibus* veſtiri, maximè vero Leonum, Vrſorum, Luporum, Tigridum, Pardalium, ac Lincum quemadmodum de *Hercule, & Aiace Telamonio* Pindarus aſſerit; de *Aenea*, & *Niſo*, Virgilius; de *Cadmo*, Ouidius; quin etiam pellis leonina certatoribus pro *brauio* conceſſa fuit æneide quinta; & *xeniorum* loco pelles hoſpitibus, vt amoris, amicitiæque ſymbola donabantur; Inde Orpheus in Argonautis Pardalis pellem oſtendit, aitque Chironis eſſe munus: præterea in pellibus *dormiebant*, *hyemabantque* præſertim in caſtris, quod fieri cœptum eſt apud Romanos, anno vigeſimoſeptimo ſupra trecenteſimum ab Vrbe condita, vt colligit Ioannes Camers ad illud Titi Liuij *in Veiorum obſidione primùm ſub pellibus hyemare cœperunt*. Idque à prima illa inſtitutione diligenter ſubſequutis poſtea temporibus obſeruatum fuit, non modo in Cæſaris militia,

Æneid. 8. & 9.
3. metamor.
dec. 1. lib. 5.

3. Annal. tia, ſed ſub Nerone, & in hyeme ſæuiſſima, de qua Tacitus *retentus omnis exercitus ſub pellibus, quamuis hyeme ſæua adeo, vt obducta glacie niſi effoſſa humus, tentorij s locum non præberet*; & poſt Neronem, ſub Theodoſio Hiſpano diſciplinæ militaris obſeruantiſſimo, quem Latinus Pacatus commendare volens, *ſummatim*, inquit, *tuum illud attingam, cum patre diuino, caſtrenſe collegium hyemes actas ſub pellibus, æſtates inter bella ſudatas*; quin etiam milites ipſi pelliceis, coriaceiſque vt plurimũ veſtibus vtebantur, vt

In panegyr.

lib. 2. Itiner. Ioſephus Caſtalio pluribus ad iſtud Rutilij Numatiani confirmat

Ipſa ſatellitibus pellitis Roma patebat,
Et captiua prius quàm caperetur erat.

De 4. Conſul. Honorij. Et eodem vſus epitetho Claudianus.

Caſtra, inquit, *cruore natant, moritur pellita iuuentus,*
Pars morbo, pars enſe perit.

ſcilicet aſpero illo cultu optimè colebatur à Romanis militaris diſciplina, quæ nuſquam citius aut turpius expirat, quàm in luxurioſo veſtium ornatu, & inter molles, fractoſque elegantioris amictus ſtudio, & veſtium nitore milites. Quod vt *Veſpaſianus* Imperator præclarè intelligebat, ſic iuuenem quendam odoribus delibutum, acturumque ſibi gratias de præfectura, qua donatus fuerat torue reſpiciens *maluiſſem*, inquit, *Allium quam vnguenta ſuboluiſſes*, & diploma confeſtim reuocauit: cui facto ſimile quoddam narratur *Andreæ Gritti* Reipublicæ Venetæ Quæſtoris deſignati, cùm delicatulo cuidam ſpiranti que fragrantiſſimos odores, qui ab eo præfecturam aliquam in bello, quod tunc parabatur ſibi dari poſtulabat, *ſi mihi vis*, reſpondit illi, *operam tuam addicere ex duobus elige Remum, vel Ligonem*, iudicans hoc pacto ſe nulli officio idoneum illum habere, quàm remigis, aut foſſoris: tantique ſemper fecerunt præſtantiſſimi Duces, eius in bello modeſtioris cultus obſeruationem, vt militibus ſuis exemplo præire non recuſarint, quemadmodum certè feciſſe ex antiquioribus dicuntur Philopoemen, Agis, Gilippus Annibal, Ageſilaus, & Romani omnes qui vt inquit Ammianus *non indumentorum vilitate à militibus gregarij s diſcrepantes, oppoſita virtute cuncta ſuperarunt*; Ac inter noſtros etiam Chriſtianos Heroas, *Godifridus Bullionius* pomparum eiuſmodi adeo negligens fuit, vt eũ Regem iam factum, in obſidione Vrbis *Aſſur* hærentem, aliquando

libro 13.

do

do Reguli vicini qui gratulatum veniebant, omnino gregarij militis habitu, & ſacco ſtramine pleno, humi inſidentem, ſuoſque quos pabulatum miſerat expectantem, offenderint; quæſiuerint, que non ſine ſtupore, *cur tantus Princeps, & tam admirabilis Dominus, qui ab Occidente veniens totum concuſſerat Orientem, & regnum maximum in manu valida occupauerat, ita ſederet inglorius, vt neque tapetia, neque boloſerica, circa ſe more haberet regio; nec ſtipatus ſatellitibus armatis, formidabilem ſe præberet accedentibus.* Indeque Priſcus Rhetor Attilam miris laudibus effert, quod eius veſtis nihil habebat in ſe, quo ab aliorum veſtibus dignoſci poſſet, *niſi quod erat pura, & impermixta*, & quidem ſi Plato à Dionyſio Siciliæ Tyranno ad cœnam vocatus, veſtem purpuream recuſauit, teſtibus Suida, & Laertio verſibusque his tragicis vſus eſt.

Vvillermus Tirius lib. 9. cap. 22.

Libro 2.

ὐκ ἂν δυναίμην θῆλυν ἐνδῦναι στολὴν
Ἄῤῥην πεφυκὼς καὶ γένους ἐξ ἄῤῥενος
Effeminata veſte non poſſum tegi,
Cum ſim vir natus virili ſtemmate.

quanto minus id facere conuenit præſtantiſſimos Duces, quibus Scytharum exemplo, quod inquit Proſper Aquitanicus. lib. de prouidentia.

Oſtro contempto & vellere Serum
Eximius decor eſt tergis horrere ferarum

ſed dum curioſam indumentorum, immoderatamque, & laſciuã elegantiam in militibus exagito, non idcirco iiſdem perſuadere velim, vt pannoſi, & ſqualore, ac pedore obſiti incedere debeant, nam vt inquit Horatius.

Non ego auarum
Cum veto te fieri, vappam iubeo, ac nebulonem.

Quare ſi quis erit ſordente circa collum induſio: veſte diloricata, malèque præcincta; viliſſimo, ac lacero cum pallio; diruptis, caligis, ſoleis effractis, capillo impexo, aut diſturbato; vultu puluere, aut ſorditie, & illuuie obſito, is nedum mendici loco apud me vnquam erit, tantum abeſt, vt militis; & è contra non ſtatim eius viri virtus in dubium reuocanda eſt, cui veſtium nitorem, ac perſonæ ſuæ munditiem, cordi eſſe deprehendimus, cùm ex Suetonio Iulius Cæſar circa corporis curam moroſior fuerit, & cultu notabilis, & munditiarum etiam lautitiarumque ſtudioſiſſimus; quem morem in conflictu bellorum parit

Digitized by Google

pariter retinuit, in quibus quo ſuis facilius innoteſceret, nouo colore amictus, & diuerſo armorum habitu inſignis ante prima ſigna prodibat, quod equidem tantum abeſt vt damnari debeat; quod ſi cum decore, & moderatione fiat, ſummopere potius laudandum videtur, quia duces hoc nouo, & peregino habitu, facilius militum oculis obuerſantur, illiſque animos faciunt, quocumque iuſſerint fortiter irrumpendi. Nempe eamob rem Lucullus cum thorace ſquamoſo, & amictu purpureo præliari ſolebat

Totus collucens veſte, atque inſignibus armis.

& *Alexandrum* Macedonem multum quidem regio habitu Siculo amiculo, & lineo thorace, duplicataque, & ferrea caſſide verendum, arma inſuper alia gemmis, auroque diſtincta exornabāt: neque vllus vnquam phaleras pugnæ tempore in Imperatoribus damnauit, quibus licet auctoritas ſit pro ornatu, phaleræ tamen maieſtatem augent, etiam apud illos, qui vt Nauſicaa faciebat, viros ex veſtibus non æſtimant. Et hodie nulla res æque ſollicitos habet noſtros Imperatores, quorum non equos modo videre eſt inſtratos auro, pictiſque frœnis, & Ephippijs, ſed ipſi etiam cum illis inſident, criſtarum ſinuoſis voluminibus auguſtiores videri volunt; balteis etiam ad id vtentes quorum materia, vix inter gemmas, & auri filamenta pretium ſui prodit: ſagiſque, & paludamentis, quæ operibus acu pictis, aureiſque tortilibus funiculis in ſquamas Phrygionicas elaborata, ac interſperſa micantibus argenteis laminulis, fulgore ſpectantium oculos perſtringant, dum ipſi celeriter huc, & illuc volitant in camporum planicie
lib. 2. num. 4. non multum illis diſſimiles, de quibus dicebat Corippus.

promuntque, feruntque
Auguſtas veſtes, pretioſaque cingula gemmis

16. Imo vero præclari multi Duces, vt Sertorius, Philopoemen, Brutus, Alexander, Cæſar, & alij milites ſuos *armis, auro, argentoque cælatis*, & ſagis præterea ornatu, ac colorum varietate conſpicuis, vti voluerunt vnde celebres ſunt in hiſtorijs *Argyroaſpides* Alexandri milites, quorum arma, ſcutaque, & equorum phaleras argento induxit, vt gloriæ ſuæ, exercitus ſimiliter ornamenta conuenirent: & *Iulius Cæſar* apud Suetonium milites habebat tam cultos, vt argento & auro expolita arma, geſtare illos ſine-

Denique in armis, quæ non tam pretioſa, ac ornata eſſe debent.

ſineret, non minus ad ſpeciem & ornatum, quam vt metu damni ingentis, illorum tenaciores eſſent in prælio: quin video etiam inferiore æuo principum arma margaritis gemmiſque diſtincta fuiſſe, quod Capitolinus de Maximino notat *fecit, & galeas gemmatas, fecit & buculas*; Claudianus ſimiliter meminit armorum, quæ ſolerter luxuria gemmis exornauerat 2. de laudib. ſtilic.

Quin & Sidonias chlamydes, & cingula baccis
Aſpera, gemmataſque togas virideſque ſmaragdis
Loricas, galeaſque renidentes hyacinthis,
Geſtatoſque patri capulis radiantibus enſes.

Atque vt obiter notem multa quæ ad eiuſmodi conſuetudinem ſpectant, inualuerat quoque illis temporibus conſuetudo, arma *inaurandi* quemadmodum ex Trebellio patet in vita Claudij Imperatoris, vbi profert epiſtolam Valeriani ad Zozymionem procuratorem Syriæ, qua præſcribit certum ſalarium Claudio nondum Imperatori, ſed Tribuno Martiæ quintæ legionis, dandum, & inter alia *caſſidem inauratam vnam; ſcuta chryſographata duo*. Imo vero Alexander Seuerus, quo nemo in Imperatoribus laudatior, *fecerat ſibi argyroaſpidas, & chryſoaſpidas* milites, referente Lampridio, & Corippus Poëta Africanus dixit lib. 4.

Fulgebant rutilo pilis ſplendentibus auro.

Quamuis ſi pedem referre velimus in antiqua tempora, inueniemus quoque non illa eo armorum ornatu caruiſſe, qui à gemmis, & auro petebatur, ſecus enim non dixiſſet Ouidius 4 de Ponto eleg. 4.

Scuta ſed & galeæ gemmis radiantur & auro.

nec Statius illud de bello Thebano, quod geſtum fuit anno ante vrbem conditam. CCCCLXXXI. vſurpaſſet li. 8. Thebaid.

ſplendent clypei, pharetræque decoræ
Cingulaque, & nondum deforme cruoribus aurum.

vt nec ſanè paulo poſt ita loquutus fuiſſet,

Surgentes etiam num humeros, & leuia mater
Pectora, tunc auro phaleras, auroque ſagittas
Preſſerat, & mixto conum criſpauerat auro.

Quid plura ſolebant veteres in dente viui adhuc Elephantis ſculpere turres, munitiones, pugnas, & eiuſmodi alia, ſi tamen fide digna ſunt, quæ Philoſtratus maxima mendacia longè maioribus ornans, & exponens, afferre ipſe in ſuo Apollonio ſolet: Hæc autem

Y

tem cum ita ſint, miror magis, *ſub Maximiano Caeſare*, vt Ammiani verbis vtar, *vallo Regis Perſarum direpto, gregarium quendam poſt ſacculum Parthicum, in quo erant margaritæ repertum, proiectis imperitià gemmis, abÿſſe pellis nitore ſolo contentum*. Verùm quàm rectè ſapienterque luxuria hæc in caſtra violenter irruperit, exẽplo quondam fuit Mithridates, qui exercitum ſuum inauratis, & ſuperbis armis nitidum, Romano victori ſuccubuiſſe animaduertens, abiecto vario illo ſplendore rerum quæ neque tegunt, neque vulnerant, chalybe ferroque eundem muniuit. Quod item vſurpatum à Glauco fuiſſe auctor eſt Homerus, vbi illum inducit arma ſua *aurea*, cum *ferreis* Diomedis permutantem: nam etſi omnium auctorum conſenſus Glaucum ſtultitiæ inſimulet, quod aurea arma dederit ſibi reddenti æra: Plutarchus tamen aduerſus ſtoicos ſcribens, prouerbium inde natum χρύσεα χαλκείων huc torquet, vt dicat nõ admodum iniquam fuiſſe permutationem Glauci, propterea quod arma *ferrea* magis ſint vſui pugnaturis quam *aurea*; quæ multo aptiora ſunt ad prouocandam hoſtium cupiditatem, quàm ad corpus muniendum aduerſus plagas, & vulnera. Vnde priſci illi Macedones non auro, neque diſcolori veſte, ſed ferro & ære, fulgentes deſcribuntur à Curtio; eademque ratione

lib. 22.

lib. 3. Lycurgus omnem auri vſum caſtris amouit; & Romani ſua, horrida, ac tantum bene Samiata eſſe voluere; vt Metellus in bello

lib 1. cap. 13. Iugurthino, & Scipio apud Numantiàm: non enim *veſtium nitor* inquit Vegetius, *vel auri argenti, gemmarumque copia, hoſtes aut ad reuerentiam noſtram, aut ad gratiam inclinant, ſed ſolo terrore ſubiguntur armorum*. Quod Annibali, & Mutio Sfortiæ dubio procul in mentem venire debuit, cùm hic Alphonſi Neapolitani exercitum, quo nihil erat ſplendidius irriſit; ille vero, vt refert

2. Satur. c. 2. Macrobius Antiocho ingentes copias, & ſuorum militum arma, materià ipsà, & ſuper inductis gemmis, monilibuſque pretioſa oſtentanti, & querenti an Romanis putaret ſatis eſſe hæc omnia, ita reſpondit, vt etiam eiusmodi militum imbelliam, ac ignauiam eluderet, *planè enim* inquit *ſatis eſſe credo Romanis hæc etſi auariſſimi ſint*. Nouerat ſcilicet vterque, Darij milites qui haſtas argento exornatas ſpiculaque auro pręfixa gerebant, totque ſecum diuitias & impedimenta trahebant, momento temporis ceſſiſſe in prædam Macedonum aciei, toruæ quidem illi, & incul-

tæ,

Digitized by Google

tæ, ſed clypeis haſtiſque per immobiles cuneos, conſertaque virorum corpora conglobatæ in phalangem, ſeu agmen ſtabilẽ, quo Paulus Aemilius dum cùm Perſeo confligeret, nihil terribilius eſſe dixit. Nec aliunde Papyrius Romanorum Imperator argumentum ſumpſit, confirmandi ſuos milites ad pugnam aduerſus Samnites, quàm ex ornatu ſuperfluo quo ipſi ſuis in armis vtebantur; aduocata enim cõcione, & multa de vniuerſi genere belli, multaquæ de Samnitium apparatu vana magis ſpecie quam efficaci ad euentum diſſeruit, mox vero addidit *haud criſtas vulnera facere, & per picta aurataque ſcuta tranſire Romanum pilum; & candore tunicarum fulgentem aciem, vbi res ferro geritur cruentari: auream olim atque argenteam Samnitium aciem à parente ſuo profligatam, eaque ſpolia victori hoſti honeſtiora quàm ipſis arma fuiſſe*.

His igitur de cauſis, optime Peſcennius Niger iuſſit *omnẽ argentum ſubmoueri de vſu expeditionali*, nec aurum aut gemmas portari à milite in aciem voluit, qui longe rectius feciſſẽ videbitur ſi *Pyrogopolinicis* Plautiniani inſtar ſummo ſtudio curauerit 17. *Quam bene Samiata & ſplendida.* Spartianus in eo.

vt ſplendor ſuo clypeo ſit clarior
Quam Solis radij eſſe, olim cùm ſudum eſt, ſolent.
Vt, vbi vſus veniat, contra conſerta manu
Oculorum perſtringat aciem in acie hoſtibus.

& ſimiliter vt reliqua ſua arma æque nitida ſint, ac bene curatã, & fulgore quodam coruſcantia. Hæc enim honeſtiſſima ambitio eſt, cui ſine vitio indulgere poteſt, hæc cultus elegantia, quam abſque ignauiæ ſuſpicione procurare debet; imo vero cui niſi ſtudeat, rudis ac iners, & prorſus officio militis præclariſſimo quod ſuſtinet, indignus habebitur: nam vt inquit Vegetius *quis militem credat eſſe bellicoſum, cuius diſſimulatione armorum ſitu ac rubigine fœdantur?* lib.2.cap.14. nemo vnquam opinior tam inconſideratè & ſtultè de rebus exiſtimabit, niſi qui cæteros artifices laudet, quod ſuæ cuiuſque artis inſtrumenta ſitu, ac rubigine conſumi permittant: quod cûm ab illorũ conſuetudine ſit prorſus alienũ, quanto magis à militibus abeſſe debet, qui Xenophontis ſuaſu decorum ſibi fore in bello morientibus exiſtimare debent, *ſi pulchris, nitidiſquẽ in armis occubuerint*. Quamobrem non aliud ſane epithetum frequentius illis ab auctoribus optimis tribuitur, quàm illud, quo

Digitized by Google

fulgentia, ſplendida, radiantia, & id genus nominibus alijs appellantur, vt ex vno Virgilio conficere poſſem, ſi quemadmodum licuit Tiraquello tria, aut quatuor folia inſumere, in texendo rerum omnium indice, quibus vox ipſa *nobilis* pro epitheto adiuncta fuerat; ita mihi honeſtum eſſet, omnes Virgilij verſus adducere, qui certè plurimi ſunt, in quibus *fulgorē ſplendoremq;* nuſquam ab armis ſeiunxit. Sed nolo tecum ſignatis tabulis agere Ludouice Comes, niſi cùm res non adeo trita eſt, quin probationibus illuſtrari abſque tædio poſſit, hæc vero ita frequens eſt apud Virgilium, & alios cùm Poetas tum Hiſtoricos, vt ex eo euidentiſſimè pateat, militem nullius rei æque ſollicitum eſſe debere, ac nitoris, & cultus, qui in armis impenditur, vt fulgeant

Sole laceſſita, & lucem ſub nubila iactent.

Quare vnum tantum, aut alterum eius *ſplendoris* exemplum profero ex diuerſis Poetis, primumque ex Accio in *Epinauſimache*.

Ab claſſe ad Vrbem tendunt, neque quiſquam poteſt
Fulgentium armûm armatus ardorem obtui.

de 3. conſulat. magis tamen expreſsè Claudianus

perſtringit abena
Lux oculos, nudique ſeges Mauortia ferri
Ingeminat ſplendore diem

idemque ſecundo in Rufinum.

implet Theſſaliam ferri nitor

libro 2. & grauiter ſuo more Lucanus

Vt procul immenſam campo conſurgere nubem,
Ardentesque acies, perculſis Sole coruſco
Conſpexit telis.

Nec vero fruſtra id ab antiquis curatum fuiſſe, manifeſtum eſt, ſiquidem milites vibriſſantibus illis radijs, micantibusque armorū ſcintillis circundati, duplo quam ſint, truculenti, ac terribiles apparent; multæque eiuſmodi ſpecies per oculos in animum delapſæ, perterrere aduerſarios ſolent. Ex eoque fluxit Onoſandri capite 29. præceptum, vt milites priuſquam ad manus veniant, ſublatis denſo agmine ſupra capita ſua gladijs, vibrent eos continuo, ac criſpent ad Solem, quoniam *expoſitæ cuſpides, fulgentesque enſes Solis radijs eliſi, ac perculſi, mutuâ coruſcatione horrendum quaſi belli fulgur vibrant, & eiaculantur*, vt merito Plutarchus; inter alia,

quæ

quæ Romanos milites conſternarunt in pugna contra Parthos, fulgorem armorum recenſeat, *tum illi*, inquit, *rutilare viſi galeis loricíſque ex Margiano ferro factis, coruſcante, & refulgente*; idemque Florus videtur aſſerere de Cimbris profligatis à Mario, nec his diſsẽtanea sũt quæ Nicetas ſcribit in Iſaaco Angelo: cùm quibus facit etiam Caſſiodorus dum inquit: *arma bene conſtruere, eſt ſalutem velle omnium cuſtodire, quia prima facie ipſis terretur inimicus, & incipit animo cadere*; propterea que rectè monebat Vegetius, vt *hoſtes ſolo fulgore armorum, non veſtium nitore terreantur*, quod facili negocio fieri poſſe contendit Onoſander, ſi gladiorum mucrones probè acuantur, etſi galeæ, loricæque frequenter abſtergantur. Quamobrem videre debet Imperator vt exercitus armis ſplendentibus fulgeat, nam etſi Vegetius, huiuſce rei curam, paulo conuenientius Decurioni committat, cuius officium eſſe dicit, *cogere milites loricas ſuas, contos, & caſſides frequenter tergere, curare, & ſamiare*: videor mihi tamen apud Vulcatium legiſſe Auidiũ Caſſium legionibus Syriacis præfectum, ſingulorũ armaturã, ſeptimo quoque die luſtrare ſolitũ, eademq; etiam diligentiã veſtes illorũ, & calceamenta exploraſſe; quod itẽ feciſſe dicitur Maximinus, Tyronũ Legioni ab Alexandro Seuero præpoſitus.

lib 3 cap. 3.

7. varior. epiſt. 18.

lib. 1.

lib. 1. cap. 14.

18. Decori vero huius ſeruandi ſtudio, frequentes erant in exercitu *ἀκονηταὶ* Acutiatores, Samiarii, Cotiarij varijque alij artifices, qui *cretà ſamià* arma, ferramenta, ſpicula militum, ad nitorem fricabant, tergebantque; atque exaſperabant gladiorum & iaculorum aciem, & cuſpides, quare de illis intelligendi ſunt Statius

Cuius rei gratia acutiatores olim in exercitu fuerunt.

Horrenteſque ſitu gladios in ſæua recuruant
Vulnera, & attrito cogunt iuueneſcere ferro.

Thebaid. libro 3.

& Cornelius Tacitus, apud quem Sceuinus Piſonis in coniuratione contra Neronem ſocius, pugionem templo ſalutis in Etruria detractum *promptum vagina vetuſtate obtuſum increpans aſperari ſaxa, & mucronem ardeſcere iuſſit*: & ab hoc vſu *Samiare* verbum militare factum eſt; & *Samiatores* Leoni Imperatori ſunt qui omnes acies ferreas exacuũt, aut poliunt: nã in epiſtola Aureliani ad tribunũ militum *ferramẽta ſamiata* hoc ſenſu reperimus ſiue quod in *Samo* vt auctor eſt Nonius hoc artis genus præcipue clarnerit, ſiue quod *terra Samia* ad iſtud muneris vſurparetur.

15. Annal.

de apparatu bel. cap. 3. num. 2.

19. Quæ diligentia quoniam his temporibus defecit, quibus Sa-

Nũc vero ſinguli ſua ad illam habent ſecreta.

miatores fruſtra in exercitu requiras, vbi ab inuentis fulminalibus nulla illis emolumenta relicta ſunt; ſinguli propterea milites arma ſua à rubigine vendicare non vna re conantur; alij enim frequenter *oleo* hæc illinunt, quod vt putredini minimè obnoxiũ ſic rubiginem non contrhait: alij *ſmirio* lapide quem antiquis ignotum fuiſſe multorum opinio eſt, vel croceo quodam alio an potius glebà quæ *Tripolis* vulgo dicitur, multoque smiride mollior eſt, & aliquando *Tartaro*, in tenuiſſimum puluerem tritis, ea læuigant & polliunt: eo ferme modo quem expreſſit Caſſiodorus in uarijs cùm inquit *ſplendet claritas in armis expolita, vt intuentium facies fideli puritate reſtituantur; quorum margines in acutum tali æquitate deſcendunt, vt non limis compoſita, ſed igneis fornacibus credantur effuſa: & hæc arma atra cotis emundat, & minutiſſimus puluis induſtrioſè detergit, vt ſpeculũ quoddam virorum faciat ferream lucem*. Plinius vero ferrum à rubigine defendi ſcribit *ceruſsà*, & *gypſo*, & *liquida pice*; ſed quomodo ceruſſa fieri poſſit non explicat, tamen qui *oleum ex ceruſſa* conficere norunt abſque aceto, eo perlito rubiginem arcent; quam virtutem tribuunt inſuper *ſepo ceruino*, & *pingui* quod *ex Bubulis vnguibus* educitur, quamquam certiori huius quam reliquorum omnium experimento. Niſi forſan vtilius eſſe quis credat, plumbum in ferreo mortario diligenter ſubigere in tenuiſſimum ſcobem, addito pauco oleo de ſpica, & eo veluti vnguine ferrum aut chalybem illinire; hoc enim modo contendit Mizaldus arma quæuis ferri poſſe per aquas, & vaporoſum aerem, ab omni æruginis & ferruminis labe immunia. Nec iniurià ſanè homines prouidi, tot aduerſus rubiginem armorum, remedia commẽti ſunt, cùm fulgor illorum nuſquam obliteratus, maxima ſemper apud omnes in commendatione fuerit.

centur. 8. ar. 47.

20.

Et armorum thecas, ac integumenta, quæ antiquis etiam fuerũt & qualia.

Indeque, vt ſemel expolita diutiſſimè nitorem conſeruarent, varia cùm à noſtris, tum vero & ab antiquis illorum integumenta, ac Thecæ, & inuolucra quibus tuta à puluere, alijſque ſordibus permanerent, excogitata ſunt; nam Romani, aduerſus pulueris, & aquarum iniurias, gerebant, ſcuta ſuis inuolucris tecta teſte Cæſare in bello Gallico, vbi ſuos tam inopinatò circumuentos à Neruijs fuiſſe refert, vt non modo ad inſignia accomodanda, ſed etiam ad galeas induendas, ſcutiſque detrahenda tegumenta,

libro 2.

teni-

Digitized by Google

tempus defuerit, indeque Plauti iocus in Bacchidibus

Nequam oportet eſſe ſcutum, integum enĩm improbum eſt.

præterea ex eodem ritu notat Homerus, antiquos ſolitos fuiſſe haſtas intra columnam ligneam reconditas aſſeruare, non autem vt nunc fit iacentes, aut pendulas: ſic enim ille in primo errorum Vlyſſis *haſtam quidem ferens poſuit ad columnam longam intra Thecam haſtarum, vbi multæ aliæ ſtabant Vlyſſis in mari ærumnoſi*: & ex eo Virgilius æneide duodecima

Exin quæ medijs ingenti adnixa columnæ
Aedibus adſtabat, validà vi corripit haſtam.

cum alioqui in bello otioſis, aut dormituris militibus haſtas terræ infigi ſolitas demonſtret, ἐν σαυρωτῆρι quod Euſtathius ferramentũ quoddam interpræratur in quo humi defixo collocabantur haſtarũ calces; ſed mallem ego cum alijs ſentire, illud de poſteriori parte haſtę eſſe intelligendũ, quam antiqui etiam præpilabãt, quo facilius humi defigeretur; vt ex illo Virgilij patet *ſtant terræ defixæ haſtæ*. Cæterũ vt haſtarum theca quã aliquoties Homerus *ſyringa* vocat, cõmuniter Iulio Polluci & alijs dicebatur δουροθήκη, ſic Luctatio ad illud Statij *cæleſtibus implet coryton telis, corythus* theca eſt arcus ſolius ſicut *pharetra* ſagittarũ, & *ſagma* ſcuti, & à theca *thecatũ* arcũ dixere Sidonius, & Iornãdes; de *vagina* autẽ monere ſuperfluũ hic videri poſſet, cũ nemini ignotũ ſit, thecã illam eſſe, qua gladij tegũtur iuxta illud Claudiani *gladioſque tegat vagina minaces*; cui contrarium eſt quod habet Papinius in Thebaide.

Iliad. 10.

Aeneid. 6.

in 9. Thebaid

lib. 1 epiſt. 2.

de nupt. honor.

Exuerat vaginà turbidus enſem,
Aptaratque neci.

Vt etiam notum eſſe arbitror quod antiqui lautiores conditoria gladiorum habebant *eburnea*, itemque capulum gladij, vt notat Theopompus apud Pollucem, qui ex Euripide & Menandro refert, eundem aliquando fuiſſe *aureum*; præterea in eo cælata ſui generis inſignia geſtabant, & quo elegantiori modo poterant, cõfigebant hunc pretioſis clauis argenteis, aureiſue, ac gemmatis alijs delicijs; ſed tenuiores, aut etiam qui fortioribus quàm ſpecioſis armis pugnare mallent *corneum*, aut *ferreum* capulum aptabãt. Ex quibus colligere vnicuique promptum eſt, quàm inſigni curà veteres omnes prouiderint, nequid ſordium, aut detrimenti, arma ſua contraherent, vnde tanto diligentius tyroni noſtro enitendũ

lib. 10. c. 31

Digitized by Google

eſt, ne hac in re quæ omnium facillima eſt, & honeſtiſſima, inferior ipſis exiſtat, ſitque minus quàm Alexandri Seueri milites φιλόκαλος ϖερὶ τὰ ὅπλα illi vero quod notat; Lampridius erant *veſtiti honeſtè, calciati etiam ad decorum, armati nobiliter, equis etiam inſtructi, & ephippijs, ac frænis decentibus prorſus, vt Romanam Rempublicam intelligeret, quicumque Alexandri vidiſſet exercitum.*

XXIX.

1 *Denique abſtinentia à furtis quorũ licentiã multi populi fecerũt quaſi bellorum eſſent rudimenta:*

Vltima denique probitatis ſpecies quam in milite deſideramus *abſtinentia* eſt, de qua habetur laudabile iſtud D. Ioannis Baptiſtæ præceptum, ad milites qui ad eum veniebant, vt baptiſarentur, edocerenturque de rebus neceſſarijs ad ſalutem, *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendijs veſtris*. quibus verbis prædas iniuſtas agi vetat, quia *concuſſio* ex Cuiacio & legum peritis, *eſt timor iniectus extorquendæ pecuniæ aliusue rei causâ*; non vero militiam damnat à qua Deus titulum ſibi *exercituum* deſumpſit, Dauidemque hominem ſecundum cor ſuum, & centuriones multos elegit, quorum fidem, & ſacras largitiones reliquorum operibus præferret. *Neque enim militare*

in ſermonib. *delictum eſt*, vt inquit D. Ambroſius, *ſed propter prædam militare delictum eſt*, quemadmodum vt res ſunt hodie & tempora, iſtis militibus vſu venit, per quos bellum geritur, hominibus plerumque furciferis, inteſtabilibus, & profligatis, qui cum neque ingenium, neque manus ſuas honeſtis artibus aſſuefacere, & exercere velint; quod in ciuitate, moribus, & legibus bene conſtitutà, nec audent, nec poſſunt, id totum in caſtris ſibi licere

Æneid 6. arbitrantur:

Semperque recentes
Conuectare iuuat prædas, & viuere rapto.

quaſi ex Solonis inſtituto, ſocietatem latrocinandi causà contrahere poſſent; aut in illa tempora, & loca recidiſſent, de quibus

Initio lib. 1. ſcribens Thucidides hiſtoricorum omnium qui in Græcia floruerunt longè clariſſimus, Græciam inquit vniuerſam paulo ante ſua tempora potentiorum latrocinis, & direptionibus infeſtam, nec propter furta vllam infamiam contractam fuiſſe; ſed qui terrà marique obuios haberent, ab ijs ſine contumelia petere conſueuiſſe, *an latrocinium, an pyraticam exercerent*, digni profecto homines qui non in Græcia virtutum omnium parente; ſed in *Somatia* prouincia illa à Cœlio Calcagnino ex ingenio deſcripta, viue-

viuerent; vbi fures pro ſupplicio, quod illic *plumarium* audit, extendebantur plumeis puluillis, pendẽteſque ab obſcillis, in auras die vna iactabantur. Penes *Lacedæmonios* quoque ſobrios, & acres viros, non pauci, neque ignobiles ſcriptores, inter quos eſt Agellius vſum fuiſſe, atque ius furandi dicunt; *idque à iuuentute eorum, non ob turpia lucra, neque ad ſumptum libidini præbendum, comparandamue opulentiam, ſed pro exercitio diſciplinaque rei bellicæ factitatum; quod furandi ſolertia, & aſſuetudo acueret, obfirmaretque animos adoleſcentium, & ad inſidiarum aſtus, & ad vigilandi tolerantiam, & ab obrependi celeritatem*. Quem morem obtinuiſſe pariter apud *Aegyptios*, inditio eſt elegans narratio Diodori Siculi in primo Bibliothecæ, vbi refert eiuſmodi populos artem factitaſſe *clepticam*, & deditos huic ſtudio diſcipulos nomina dediſſe παρὰ τὸν ἀρχίφωρα ſiue *apud archifurem*, aut *principem furum* & Strabo idẽ de *Luſitanis* memorat; quemadmodum etiam in panegyricis Maximiano, & Conſtantino dictis frequenter notantur latrocinia *Francorum Alemannorum, & Saxonum*; quibus ſimilia committebant, apud Ammianum Marcellinum *Iſauri, qui ex latrociniys occultis, & raris alente impunitate adoleſcentem in peius audaciam, ad bella grauia proruperunt*; hodieque eo furti genere vtuntur in Syria, & Aegypto *Arabes*; & in Scithia *Tartari*; quinimo *Cilices* ex Tullio in Manliana idem exercuerunt: & vniuersè loquendo ad Tarquinij vſque tempora, latrocinium maris, vt Iuſtinus anctor eſt, gloriæ ac honori habitum fuit, & ipſa vox *hoſtis* veteri latio, nihil niſi *externum* ſignificat; vt inde coniectare quis poſſit primitias olim, & rudimenta bellorum furta fuiſſe, maxmè cùm idem quod Agellius, Xenophon aſſerat, in aſſerenda ratione, cùr Lycurgus furandi licentiam Spartanis fecerit, *nimirum*, inquit *patet eum qui aliquid furto ſit ablaturus neceſſe habere, vt noctu vigilet, interdiu fallat, inſidias locet, atque etiam exploratores paret, ſi quidem aliquid accepturus ſit. Quamobrem pueros ad hæc omnia condocefaciebat, quod eos ad parandum commeatum ſolertiores, adeoque bellicoſiores facere vellet*: & ambobus illis pariter conſentit Heraclides ita de Lacedæmonis loquens *aſſuefaciunt item pueros ad furandum, & deprahenſum flagris cædunt* ἵν᾽ ἐκ τούτου πονεῖν καὶ ἀγρυπνεῖν δύνωνται ἐν τοῖς πολέμοις *vt hoc rudimento edocti, labores, & vigilias bellicas ſuſtinere poſſint*.

lib. 11. c. 18.

lib. 3.

lib. 14.

De Repub. Lacedæmon.

lib. de polit.

Ve-

2. Verum cum apud humaniores omnes populos eiuſmodi con-
Sed malè cū potius graui pœna reprimi debeāt in militia potiſſimū. ibi quædam de delictis & ſupplicijs militaribus afferuntur.
ſuetudo antiquata ſit, non minus certè quā opinio Ariſtotelis, qui latrocinium inter venationis genera retulit, aut mos ille Germanorum apud, quos referente Iulio Cæſare, *Latrocinia nullam habent infamiam quæ extra fines ciuitatis cuiusque fiunt: atque ea iuuentutis exercendæ, ac deſidiæ minuendæ causà fieri prædicant*: quanto magis exulare debet à caſtris, licentia illa res alienas auferendi, præcipue vero quæ commilitonum, aut amicorum ſunt;
lib. 1 politic. cap. 5.
nam ab hoſtibus tantum abeſt vt plecti debeat, quod potius ſi ex legibus diſciplinæ fiat, laudem meretur, vtilitatemque in ſe habet non mediocrem. Quare vt de ſingulis breuiter moneam quid ſtatuendum ſit, neminem ita nouum eſſe arbitror in legibus, & inſtitutis hominum, vt neſciat, primum illud latrocinij genus quod in caſtris, decemque millia paſſuum prope, commilitones inter aut ſocios, vel amicos committitur, ad illud pertinere cuius auctorem tertio depræhenſum, omnes omnium fere populorum leges, & mores, plerique etiam primo, capite puniunt: nam quod lex Romana famoſos latrones ſtatim in crucem agit, non tam id de furibus quos Italia tota *ladri* noſtra vero lingua demptà literà *larones*, appellat, quàm de ſicarijs, & graſſatoribus intelligendum eſt qui vias publicas obſident, infeſtasque ſuijs maleficijs reddunt. Sed ne a furto militari diſcedā aduertendum eſt, delicta quæ à militibus pepetrātur duplicis eſſe generis, quædam enim propria ſunt militiæ, & ab auctoratis militibus perpetrari tantum poſſunt; qualia ſunt emanſorum & deſerentium ſtationem, ordinem, ducem: aut eorum qui arma alienauerint, qui teſſeram hoſti prodiderint, qui fœdera turbarint, qui commeatū interuerterint, & idgenus alia fecerint; quibus omnibus ſuplicia illa debentur ex vſu ca-
Digeſt. li 49. de re milit.
ſtrẽſi, quę à Modeſtino recẽſentur, nimirū *multa pecuniaria, munerum interdictio, militiæ mutatio, gradus deiectio, exauctoratio, ac ignominioſa miſſio* qua quis ob delictum ſacramento ſoluitur, aut militaribus inſignibus priuatur; deinde, & Δεκατία ideſt *decimatio* de qua illud toties occurrit apud Liuium, & alios hiſtoricos,
pro Cluentio
cætera multitudo ſorte decimus quiſque ad ſupplicium lecti; quanquam Cicero paulo ab ijs diuerſas octo pœnas recenſet, quibus milites in caſtris multari ſolebant, videlicet *damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, & mortem*. Alterius vero

vero generis delicta communia ſunt militi, & cæteris alijs hominibus vt furtum ipſum, & ſtupra, ac adullterium quæ propterea iiſdem legibus vtrobique in caſtris, & ciuitate puniri deberent, niſi ſtrictior illa diſciplina quæ in caſtris ob nimiam militum licentiam, & imminentis hoſtis periculum ſeruari debet, hæc in bello quàm in pace ſeuerius eſſe cohercenda ſuaderet, vnde Cato apud Frontinum *memoriæ tradit in furto depræhenſis inter commilitones dextras eſſe præciſas*, & Modeſtinus eum qui aliena arma ſurripuiſſet gradu militiæ pellendum eſſe dicit. Sed iſtis acerbior vel ſaltem accuratior Polybius concludit, eorum qui *furto aliquid è caſtris abſtulerint*, & qui falſum teſtimonium dixerint, aut in flore ætatis corpore ſuo abuſi depræhenduntur, vel qui ter ob eandem culpam multati fuerint, horum inquam omnium pœnam fuiſſe ξυλοκοπίαν ſeu *fuſtuarium*; quod paulo ante dixerat ita fieri, vt Tribunus fuſtem capiens, condemnatum leuiter tangat, & delibet; *quo facto omnes qui in caſtris ſunt ferietes alius fuſtibus*, alius *ſaxis* τοῖς ξύλοις ϰ̕ τοῖς λίθοις *pleroſque in ipſis caſtris occidunt:* neque hic lictores vlli aut carnifex alliue miniſtri aderant, ſed commanipularibus pœna illa exigenda committebatur quo triſtior eſſet, & magis in animos penetraret exemplum. Quin etiam ipiſmet militum gladijs, noxios pœnas ſœpius luiſsè, frequenter apud auctores reperio, ſic enim Tacitus *ſtabant pro concione legiones diſtrictis gladijs, reus in ſuggeſtu per Tribunum oſtendebatur, ſi nocentem acclamauerant, præceps datus trucidabatur, & gaudebat cædibus miles tanquam ſemet abſolueret*; vel etiam ad palum ligabantur rei, *ſagittiſque* ab iiſdem militibus configebantur, nam iſtius pœnæ mentionem facit Rufus in legibus militaribus; & exemplum præterea habet Paulus Diaconus libro hiſtoriæ decimo ſeptimo; eo que ritu S. Sebaſtianus qui principatum primæ cohortis gerebat, iuſſus eſt a Diocletiano Imperatore ligari in medio campo, atque à militibus ſagittari, vt obſeruant Beda, & Vſuardus in martyrologio. Atque hæc ratio puniendi noxios per commilitones, etiam num æuo noſtro obtinet, dum Rei, vt apud Heluetios præſertim fieri amat, *haſtis* trasfiguntur, aut reliquarum nationum inſtituto, *ſclopetis* ab omnibus, aut delectis quibuſdam commilitonibus, traijciuntur, quod militari vocabulo *Archibugiare* dicunt, ſicut Ammianus cum idem ſigni-

lib. 1. cap. 4. ſtrat 'g.

lib. de mil t. Roma 1.

Annal 1.

libro 19.

ſignificare vellet his verbis vſus eſt, *priſco more militibus dedit occidendos*. Porro vt nemini fraudi eſſet ſanctiones ignoraſſe quæ furta proibebant, Tribuni ſtatim poſt metationem caſtrorum conuocabant omnem copiam, tam liberos quam ſeruos, & iuramento illos adigebant viritim, quod nihil è caſtris furto tollerent ſed quidquid in illis inueniretur, continuo ad tribunum deferrent quæ verba Cintius libro tertio de re militari, plenius, & diſtinctius repoſuit, ex antiqua formula quam hic non mihi omittendam duxi, cùm valde pulchra ſit, & accurata, ac elegans, ſic igitur

lib.16.cap.4. Agellius *quum delectus antiquitus fieret, & milites ſcriberentur, in ius iurandum eos tribunus militaris adigebat, in verba hac. In magiſtratu* C. *Lalij. C. filij* COS. *L. Ve Corn.* P. *Filij* COS. *in exercitu, decemque millia paſſum prope, furtum non facies dolo malo, ſolus, neque cum pluribus, pluris numi argentei in dies ſingulos. extra haſtam, haſtile, ligna, pabulum, vtrem, follem faculam, ſi quod ibi inueneris, ſuſtulerisue, quod tuum non erit, quod pluris numi argentei erit, vt tu ad* C. *Lælium* C. *Filium* COS. *L. Ve Corelium* P. *Filium* COS. *ſiue ad quem eorum ius erit proferas aut profitebere in triduo proximo, quicquid inueneris, ſuſtulerisue dolo malo, aut domino ſuo, cuium id cenſebis eſſe reddes, vti quod recte factum eſſe voles.* Sed poſterioribus ſæculis, quibus ſolemnis illius iuramenti vigor paulatim remiſerat, variæ leges imperatorũ, eius in locũ ſuffectæ fuerunt, & pœnæ etiã ab illis arbitrariæ, ac plerũque fuſtuario nõ mitiores, militibus irrogatæ ſunt. *Tyberius* enim, prætorianum qui Pauonem ex viridario ſuſtulerat, capite puniuit; & *Peſcennius Niger* paulò remiſſius agens, decem milites qui raptum à commilitone Gallinaceum comederant, eà affecit ignominià, ne focum facerẽt, neue cocti quid obſonij comederent, ſed pane & frigidis tantum veſcerentur: imo vero antiquior ipſis *Sertorius*, vt diſciplinam exemplis ſtabiliret, cohortem propter obſcenitatem morum, & immodicas rapinas, ad vnum interfecit; quoniam fortitudo parum prodeſt, niſi innocentiæ, & æquitati coniungatur. *Mutius* tamen *Sfortia*, vt in pœna à flagitioſis exigenda, ducem bellique præfectum à ſeueritate vrbani Prætoris multùm differre exiſtimabat, ita mitiori longè ſuplicio vſus eſt, in equitem cataphractum, qui Bononienſi Medico in caſtris artem profitenti, coccineam togam è tabernaculo noctu rapuerat, ipſius

ipſum enim ſatis habuit eadẽ indutum togà,ſed manibus poſt terga reuinctis,per ſtationes,& cõtubernia militum traduxiſſe, quod tamen ille adeo impatienter tulit, vt riſu, & exſibilatione commilitonum lancinatus, ne reliquo ignominiæ dolori ſupereſſet, pugione ſeipſum transfoderit.

Nimirum vt hoſtes aduerſariorum fortitudine, ita prouinciales,& ſocij, his exemplis in officio continentur;ideoque monebat ſapientiſſimè Onoſander, vt Imperator per ſocias regiones iter faciens, edicat, ne milites aliquid earum, aut attingant, aut corrumpant,tum quia omnis exercitus dum in armis eſt, immodeſtè permulta appetere amat,maximè vbi licentià fruitur, & multæ ſe oculis vltro ſubijciunt commoditates, quæ vehementer titillant, & alliciunt impotentem habendi cupiditatem; tùm etiam quia ſæpiſſimè contingit, vt abalienati diuertant animi ſociorum, cùm de iiſdem rebus queri merito poſſunt, de quibus in Senatu Romano Locrenſium legatus aliquoties hoc modo conqueſtus eſt, *quotidie capitur Vrbs noſtra quotidie diripitur,noctes,dieſque paſſim omnia mulierum, puerorumque qui rapiuntur, atque aſportantur ploratibus ſonant;nego domum vllam Locris, nego quemquam hominum expertem iniuriæ eſſe,nego vllum genus ſceleris,libidinis, atque auaritiæ ſupereſſe,quod in eorum vllo,qui pati potuerunt,omiſſum ſit.* Quibus incommodis,vt obuiam irent Aurelianus, & Theodoſius Imperatores, ambo ſuis, vicarijs, & præfectis ſedulo præcipiunt, vt non permittant milites eſſe poſſeſſoribus inſolentes, manuſque illorum hamatas à vi,& rapinis contineant; ita quidem vt non modo manus, ſed ne veſtigium ipſum pacato cuiquam nocuiſſe dicatur: *milites*,inquit poſtremus *tibi commiſſi,viuant cum prouincialibus iure ciuili: nec inſoleſcat animus, qui ſe ſenſit armatum, quia clypeus ille exercitus noſtri quietem debet præſtare paganis*:quæ cuncta nonnunquam à Romanis tam arctè obſeruata ſunt, vt memoriæ traditum ſit pomiferam arborem, quam in pede caſtrorum complexa fuerat metatio,poſtero die abeunte exercitu, intactis fructibus relictam: & Lampridius Auctor ſit Alexandrum Seuerum, Parthicam expeditionẽ tantà ſui reuerentià, & diſciplinæ obſeruatione ſuſcepiſſe, vt *non milites, ſed Senatores tranſire dicerentur, quacunque iter Legiones faciebant, Tribuni accincti, Centuriones verecundi, milites amabiles erant, ipſum vero ob hac tot, &* tan-

3. *Vt ſocij ab iniuria, & depradatione immunes ſint.* cap. 6.

Caſſiodorus var. cap. 4.

libro vltimo. *tanta bona prouinciales, vt Deum ſuſpiciebant*: quod idem de Sullæ exercitu Paterculus memoriæ conſignauit, *putares Sullam veniſſe in Italiam non belli vindicem, ſed pacis auctorem, tanta cumquiete exercitum per Calabriam, Apuliamque cum ſingulari cura frugum, agrorum, hominum, Vrbium perduxit in Campaniam*. Scilicet vbi rigor ibi vigor, & honeſtas; atque hoc modo cohercita licētia vertitur in obedientiam, & ſecurior fit ruſticorum tranquillitas, paratiorque ad omnem rerum, & commeatuum abundantiam via ſingulis illuc vbi ſunt exercitus, ſuas merces, tanquam ad emporium ſolemne conuehentibus, in quo ſe illas tutò, celeriterque diſtrahere poſſe intelligunt.

4. *Et exercitus commeatureb usque neceſſarys abundet*

Quod noſtris temporibus cùm nullibi gentium obſeruetur, niſi forſan apud Thraces, aut reliquas illas nationes, quas à nobis non minus ſitu, quàm morum diuerſitate, natura ſeiunxit, quis alteri cauſæ acceptum ferat? quod non vt Romani facere ſoliti ſunt, exercitus noſtros in remotiſſimas orbis partes tranſmittere, ſed ne quidem in vicinas deducere, aut inter patrios fines, diu ſuſtinere, atque alere, præ ſummà rerum, & commeatuum præſertim inopià poſſumus. Certè quin iſtud verum ſit, dubitari non poteſt, ex ijs quæ quotidie videmus inter bellicos motus contingere; & etiamſi noua, ac domeſtica exempla non ſuppeterent, præclarum tamen eſt illud, quod de *Nicolao Fortebraccio*, qui ab exigua humilique ſtatura *Piccinini* cognomentum tulit, hiſtoriarum monumentis proditum eſt. Narrant enim ipſum, ex nimia indulgentia, ſeu quod ſtipendia ad tempus non repræſentaret, milite adeo incontinente, & furari conſueto vſum fuiſſe, vt quamuis edicto ſecuritati caſtrorum proſpiceret, multoſque qui illam violarent ſupplicio afficeret, nunquam tamen mercatoribus ad caſtra ſua ſatis tutus eſſet acceſſus. vnde penurià neceſſariarum rerum ſemper laborabat, tanti ſtetit illi aduerſus præceptum illud Onoſandri peccaſſe *erit etiam boni Imperatoris, curare, vt mercatoribus liber, & ſecurus terra, marique annonæ conuehendæ pateat aditus, vt plena ſecuritate impigri neceſſarias merces commodius apportent*. cuius ex aduerſo quia ſe obſeruantiſſimum præbuit, Scytarum Dux i*Thamerlanes*, qui omnium quas, aut legimus, aut audiuimus maximas duxit copias, illud etiam præſtitit, quod ne quidem in exiguis Piccininus vnquam aſſequi potuit, nimirum vt caſtra ſua

capite 6.

mer-

mercatorum plena ſemper eſſent, abundarentque omnis generis annonâ,& rebus alijs neceſſarijs; atque hic vſque adeo paſſus eſt, nihil impune fieri à militibus,aduerſus ea quæ ſanciuerat, vt muliercula aliquoties ad eum accedente,& conquerente de pauxillo lactis,& caſei ſibi à milite ſublato,illi vero cui dica illa data fuerat, diris ſe deuouendo, factum à ſe quicquam eiuſmodi inficiaretur, Thamerlanes gladio confeſtim per pectus demiſſo, viſcera eius aperiri iuſſerit,& ex illis lac excuti;vt de flagitio apud omnes conſtaret, ſumptoque tam acerbè ſupplicio,pretium poſtea mulieri perſoluit. Sed enim noſtris quoque temporibus exemplum caſtrenſis diſciplinæ editum fuit a Ferdinando Duce Albano, quod nulla in re prioribus illis,meo quidem iudicio,inferius habendum eſt,hic enim militem Hiſpanum, eo quod mulieri ruſticæ porcellum abſtuliſſet, ad vrbis Louanienſis portas, præalta in arbore ſuſpenſum,agitandum vento,& volucribus diripiendum reliquit, impoſito ad aliorum terrorem eius capiti *Neſrende*, ſeu *Porcello*. Nec etiam dubito quin variæ iſtius generis pœnæ, à furacibus illis,& facinoroſis hominibus ſumantur,prout illorum grauior,aut leuior culpa, Ducibus ipſis cùm optimi ſunt,& iuſtitiæ ſeruantiſſimi pari aliquo ſupplicio caſtigāda videtur; verum ſi vt res cōmuniter ſe habent,ita de illis loquendum eſt; adeo nunc ſunt corrupti mores, inualuitque militum licentia, in omne ſcelus, ac nefas temere ruentium,vt iniuriam alicui facere, & de rapto veſci, perinde ſit apud illos,atque victoriâ quadam eximiâ potiri. Deinde vero cùm omnes ſimilibus vitijs inquinentur, coniuratione quadam ſibi mutuo fauent, noctemque peccatis,& fraudibus ſuis nubem obijciunt,eo vſque confidenter, & aſtutè, vix vt vnquam de alicuius delicto conſtare poſſit,inter tot calones,& lixas, quos cōtinuo nocentes faciunt, vt ſe liberare poſſint infamiâ: quo fit, vt niſi ἐπ' αὐτοφώρῳ ſeu *in furto manifeſto*, quod Gellius quale ſit ex Maſurio explicat,deprændātur,quemadmodum illi, qui apud Lucianum,aliquid ſurripere tentabant ex *Pelichi ſtatua*,operam omnem,ac oleum perdant,qui diligentius volunt in eiuſmodi criminum auctores, & fautores inquirere, actumque ſit de illis, qui malo ſuo genio in horum manus incidunt.

lib 11. c. 18

in Philopſeude.

Plaut. in Aulul.

Quos ſi Argus ſeruet qui oculeus totus fuit,
Quem quondam Ioui Iuno cuſtodem addidit,

Is

Is nunquam ſeruet:

5. *Cum interim militi prædas agere in hoſtium agris liceat, ſed tamen ex lege diſciplinæ.* Enimuero ſi tanta illis eſt prædandi, & rapiendi auiditas, hoſtiũ poſſeſſiones funditus perdere amburere, cedere, depopulari poſſunt ex licẽtia quam illis facit Onoſander, & Troianorum inſtar

Arua aliena iugo premere, & auertere prædas

damnoſa enim clades, & opum fructuumque penuria, belligerandi vires illis adimet, quas abundantia fouebat: ſicque propriæ libidini, ſimul ac ducum imperio miles obtemperare poterit; quibus verbis geſtire ſcio non paucis animus, dum eis tales blanditias facio, indulgeoque facultatem populandi, & rapiendi ad quam ſua ſponte feruntur, ſaltem in hoſtilibus agris. Sed neque ipſa licentia tuta erit, nec præda legitima, ſi ſparſim, & palabundi in illam ferantur, aut citra ducis nutum, vel imperium; cuius eſt manipulos, aut cohortes, ac integras quandoque legiones in id opus deputare, vt agant ex hoſtili terra, & auferant, vel caſtra inuadant, ac ſarcinas; legimus enim inter flagitia militiæ relatum a Saluſtio quod Albiniani milites *à ſignis aberant, lixæ permiſti cum militibus diu noctuque vagabantur; & palantes agros vaſtare, villas expugnare, pecoris, & mancipiorum prædas certantes agere, eaque mutare cum mercatoribus vino aduectitio, & alijs talibus*, quæ Metellus poſtea adueniens, vt ſummopere turpia, & indigna milite Romano protinus recidit. Sed multo magis adhuc periclitatur exercitus, cùm talis prædandi libido milites in ipſa acie inuadit, eoſque ſtimulat, & impellit, vt nondum fuſis, profligatiſque hoſtibus, vel fugientes alios inſequantur, vel triſti rapinà iacentes, & captiuos ſpolient; quia ſœpe contingit, vt inquit Vegetius, quod *iam fuſa acies, diſperſos, ac paſſim ſequentes reparatis viribus interimit, & exultantibus nunquam maius ſolet eſſe diſcrimẽ quàm cùm ſubito ferocia in formidinem cõmutatur*, vt magno noſtrorũ damno compertum eſt ad *Agriam* in qua Turcarum Imperator cum trecentis millibus hominum conſederat, illic enim fuſus à chriſtiano milite, & caſtra deſerere coactus, dum hic variæ, & perigrinæ ſupellectilis direptioni, totus inhæret, liberque ab omni metu, & diſperſus vagatur; factum eſt, vt Turcæ redintegratis viribus, & reducto in ordinem milite, noſtros partim prædæ intentos, partim illà onuſtos fugarint, ceciderintue. Sed victoriæ etiam illius, quam Carolus Octauus contra fœderatos

in Iugurthino.

lib 3. cap. 25.

deratos Italiæ principes ad *Tarrũ* retulit, Greci equites quos *Stratiotas* vocãt maximã occaſionẽ præbuerunt, cũ in ſarcinas, & impedimenta delati, tẽpus interim Gallorũ Regi dederint, vt deſtitutas ab illis legiones, facilius ſuperaret; iterque ſibi ferro expediret, quod coniurata præpotentiũ principũ vis, voluerat illi impedire.

Vnde licet Iphicrates cenſeret militem diuitiarum, & voluptatum auidum eſſe oportere, quo dum illas ſibi comparare ſtudet, audacius in pericula feratur; & hoc velut incentiuo perſœpe duces vtantur, vt in longa vel difficili obſidione, diripienda omnia militi permittant, quo vehementius excitetur ad impreſſiones audacter tentandas: vti Annibali in Sagunti expugnatione feliciter contingit, qui, referẽte Liuio, ſtatim atque pro concione prædam vrbis edixit militũ fore, adeo accenſi omnes ſunt, vt ſi ex tẽplo ſignum datũ eſſet, nulla vi reſiſti poſſe videretur: Nihilominus probatur magis in milite, ſi animũ habeat non tam prædæ auidũ, quàm virtutis, & gloriæ; qualẽ fuiſſe refert vir Illuſtris Thuanus, *Coſaccorum* quorũdam in bello Iuonico, dum mirificas pollicitationes ſpreuerũt ducis hoſtium ab illis intercepti, qui vt vitã redimeret, offerebat illis *ſexies librati in ſtatera corporis põdus, bis auro, ter argẽto, ſemel margaritis appenſũ.* Fieri enim nõ poteſt, vt monet Plutarchus, quin ille mortem timeat, qui domi habet vnde poſſit cõmodè viuere, vt exẽplo cõfirmatur militis illius Luculliani qui 6. *Quia nõ laudatur in milite animus prædæ ac diuitiarum auidus.*

collecta viatica multis Horat. epiſt. 2. lib 2.
Aerumnis laſſus dum noctu ſtertit, ad aſſem
Perdiderat.

poſthæc enim vehemens Lupus, & ſibi & hoſti pariter iratus factus eſt, præſidiumque regale, deiecit loco ſumme munito, vnde præclaris, ac honeſtis donis ornatus fuit, & accepit bis dena ſuper ſeſtertia nummum: verum quid inde conſecutum eſt

Forte ſub hoc tempus caſtellum euertere prætor
Neſcio quod cupiens, hortari cœpit eundem
Verbis, quæ timido quoque poſſent addere mentem,
I bone, quo virtus tua te vocat: i pede fauſto
Grandia laturus meritorum præmia, quid ſtas?

at ille iam catus, & ditior factus *ibit,*
Ibit eo, quò vis, qui zonam perdidit, inquit.

cui perbelle conuenit dictum iſtud Alexandri Seueri *miles non* Lamprid. in eo.

timet niſi veſtitus, armatus, calceatus, & ſatur, & habens aliquid in zonula: quod innuere etiã volens Epaminondas, militi qui à captiuo magnam pecuniarũ vim acceperat, *mihi* dixit *redde clypeum, tibi vero cauponã emito, in qua vitam degas: poſthac enim noles eodẽ modò ſubire periculum, quippe iam vnus de numero diuitum & beatorum*. Eademque de cauſa multi qui ſecreta, & arcana principũ ingenioſè potius quàm verè ſcrutãtur, Carolũ quintum adductũ fuiſſe credunt, vt *Henrici Nauarræ Regis* cõſilium, qui perſolutis octoginta millibus nummum Piſcario Daualo, ſe à captiuitate redimere volebat, alio diuerteret; timebat enim Imperator, ne hac, & aliarum quas ſibi Daualus concedi poſtulabat, fortunarum acceſſione, remitteret ſe vigor ille indomitus, & inſuperabilis eius animi; ita vt quem nulla vis hoſtium ſuperare potuerat, *Plutus*
in phoeniſſ. hunc infringeret, Deorum omnium ſi Euripidi fides eſt habenda *timidiſſimus* ϗ φιλόψυχον κακὸν ſeu *vitæ ſuæ amans malum*.

XXX. 1 *Harum autem legũ veluti conſectaria eſt amicitia caſtrenſis cuius modus & origo explicatur.*

Enimuero quia milites, his dotibus ſubornati, quas ſupra retulimus, valde etiam apti redduntur qui ſocietates quasdam inter ſe contrahere poſſint, ac velut antiquorum militum contubernia in vſum reducere: propterea non inconueniẽs mihi viſum eſt, ſi quædam ad illas addere de *amicitia, ſeu concordia, & ſocietate caſtrenſi*; repetito eius ab Romanorum temporibus, & diſciplina exemplo, hi enim quo magis ratio ordinis in exercitu conſtaret, & milites omnes velut inuicem confibulati, mutuis beneuolentiæ & neceſſitudinis officijs; fortiores eſſent, paratioreſque ad pericula, & incommoda militæ ſufferenda; eos ita per contubernia diuidebant, vt *decem* ſub vno papilione ſimul conſueſcerent, præfecto illis *decurione*, aut ſi mauis *decano* qui omnium æque curam haberet, & non modo illos ſibi obedientes, ſed beneuolos etiam inter ſe, coniunctoſque mutuis officijs, & communis vitæ participatione redderet, quo poſtea vberius ſuis bonis fruerentur, & incommoda etiam ſi quæ illa eſſent, leuius tolerarent;
lib. 2. cap. 13 priſci vero illius moris rationem ſic explicat Vegetius, *ipſa centuriæ in contubernia diuiſæ ſunt, vt decem militibus ſub vno papilione degentibus, vnus præeſſet decanus, qui caput contubernij nominatur: contubernium autem manipulus vocabatur; eo quod coniunctis manibus pariter dimicabant*. En igitur quomodo *contubernium* vox eſt caſtrenſis, à *tabernis* videlicet quæ ex tabulis fiebãt; vnde

& *ta-*

& tabernaculorum nomen, ita vt contubernium ſit ipſa contubernalium habitatio, ſic etiam Vegetius alibi eos appellat, quos Spartianus, & alij *commanipulares*, & *commanipulones*, & *commanipulationem* dicunt vt Ammianus *concorporales*, quam vocē non ſemel ab eodem auctore vſurpatam fuiſſe docet Lindebrogius; & hunc ſanè Galli, & Itali, ac Belgæ etiam quod arbitror, nomen illud debent, quo ipſe contubernalium Decanus *Caporal* etiam num hodie ab ijs appellatur. Horum autem contubernaliū amicitia quia oritur ex ſocietate ciuili, quæ inter homines neceſſaria eſt, ſi rutius commodiusque viuere velint, idcirco politica rectius cenſetur quàm voluntaria; & perfecta quæ cōn cum pluribus atque exerceri non poteſt, cultis tamen contrarium fieri debet inter eos qui eodem in comilitio viuunt; quippe non tam ex virtute, quàm ex morum & officiorum conformitate, vt ſe ſe mutuo diligant excitantur nam vt eſt poetæ ſententia lib. 21.

Ruſticus agricolam, miles ſera bella gerentem,
Rectorem dubiæ nauita puppis amat

& quod inquit Tullius, *pares cum paribus, vt eſt in veteri prouerbio, facillimè congregantur*. in Catone maiore.

2\. *Laudāturque antiqui ab eius obſeruatione.*

Sed quicquid ſit de eius amicitiæ caſtrenſis cauſa, certè quantum illa facienda ſit, multorum exemplis declarari poſſet, qui eo ſolo illuſtres hominum commemoratione feruntur, quod eius tenaciſſimi cultores fuerint, vt *Theſeus & Pyrithous*, *Oreſtes, & Pylades*; *Diomedes* & *Vliſſes*. *Achilles* & *Patroclus*; & felices illi tanto tubicine *Niſus & Euryalus*, quorum omnis laus, in eo præcipuè vertitur, quod

His amor vnus erat, pariterque in arma ruebant, Aeneid 9.
Tunc quoque communi portam ſtatione tenebant.

neque in hoc cenſu præteriri debent *Marius* & *Caſprus*, quos Virgilij æmulator Silius Italicus ſuo quoque, licet multo inferiori carmine æternitati commendauit libro 9.

Sternitur vnanimo Marius ſuccurrere Caſpro
Conatus, metuenſque viro ſupereſſe cadenti.
Lucis idem auſpicium, ac patrium, & commune duobus
Paupertas, ſacro iuuenes Præneſte creati
Miſcuerant ſtudia, & iuncta tellure ferebant.
Velle, ac nolle ambobus idem, ſociataque toto

Mens æuo, ac paruis diues concordia rebus.
Occubuere ſimul, votiſque ex omnibus vnum
Id Fortuna dedit, iunctam inter prælia mortem.

Sed inter *Pub. Scipionem & C. Lælium*, quorum vterque Romanæ militiæ lumen erat, & fulmen, non minor extitit animorum conſenſio, quæ eo vſque veram amicitiam æmulata eſt, vt ille ſine Lælio ne intelligere quidem vellet; hic vero ſine Scipione quicquam facere recuſaret. Quinimo *Iolaum* Plutarchus aſſerit cum *Hercule* communicaſſe certamina, & *ſacra Thebanorum cohors* ab eo tempore quo Gorgidas illam inſtituit, vſque ad pugnã Chæroneam, inuicta permanſit, quod ex trecentis, militibus conſtaret, qui omnes ſimul in Cadmea arce victum accipiebant, & excitabant ſe ad præclara quæque audenda, virtutis æmulatione; quemadmodum enim equi coniugati celerius quam ſeorſim impulſi currunt, non tam quod percuſſum aera violenti impetu ſcindant, quàm quod ea concertatio de victoria maiores eis animos incendit; ſic fortes viri ardore quodam gloriæ, & æmulatione honeſtarum actionum, vtiliſſimi ad omne prælium, atque promptiſſimi eſſe ſolent; vnde cùm Philippus, eo in loco diu conſtitiſſet, vbi trecenti illi Thebani conſederant, oppreſſi quique iniectis haſtis, ac inter ſe per anguſtiſſima ſpatia conferti, audiuiſſetque illud ex eis fuiſſe conſtitutum præſidium, qui ita inter ſe amore tenerentur, admiratus eorum virtutem lacrymaſſe fertur, ac dixiſſe, *pereat malè qui hos quicquam facere aut pati turpe, exiſtimat.*

Plutarch. in pelop.

3. *Quia valde vtilis eſt.* lib. 2. cap. 14.

Nempe eiuſmodi ſocietatum is fructus erat, vt Decanus *contubernales ſuos* quod inquit Vegetius *ad diſciplinam retineat, ad armorum exercitium cogat; vt bene veſtiti & calceati ſint, vt arma omnium defricentur, ac ſplendeant.* Præterea conuictus ille amorem inter ipſos mutuum excitabat, à quo officia omnia honeſta, virtuteſque promanabant; vnde frequenter in vetuſtis lapidibus reperias COMMANIPVLVS. ET. HAERES. EIVS. CONTVBERNALI. KARISSIMO: & apud Ammianum *præſidiarij milites vaſtantes agros propinquos, omnibus congruentibus abundabant, raptorum pleraque concorporalibus ſuis impertientes.* Denique illud etiam accidit, quod optimè ab Onoſandro obſeruatum fuiſſe video *quum qui in diſcrimine verſatur proximus illi eſt, à quo*

libro 21.

dili-

diligitur, tunc neceſſario euenit, amicum pro amici ſalute audacius depugnare. pudet quippe gratiam benemerenti non referre, & ſocius ſocium deſerendo, ſi prior in fuga eſſe videatur, erubeſcit. Quamobrē non abſque ratione idem auctor monet quod φρονίμου δὲ στρατηγοῦ καὶ τὸ τάττειν ἀδελφοὺς παρὰ ἀδελφοῖς, φίλους παρὰ φίλοις, *eſt etiam pruden-* libro 13. cap 7.
tis imperatoris ordines ita diſponere, vt fratres cum fratribus, amici cum amicis vna ſint: & Mauricius, ac Leo idem quoque in conſtitutionibus præcipiunt, non minus ob dictas rationes, quàm propter Platonis, Xenophontis, & Maximi Tyrij auctoritatem, qui omnes idem penitus cum Onoſandro ſentiunt. conſtitut. 3. artic. 39. de legib. 2. Cyrop. ſermone 14.

4. Verum ſocietas hæc, quæ priſcis temporibus à bellica fortitudine quam ſibi vnicè propoſuit, Heroica iure dici poterat, ita nūc euiluit apud omnes vt fruſtra eius veſtigium requiras, niſi forſan apud Hiſpanos, qui vt œconomiæ conſultiſſimi ſunt, & ſoli ex Europeis longè à patria Romanorum inſtar, modò in inferiorem Germaniam, modò in Italiam, vel Africam, aut vtraſque Indias bellorum occaſione diſtrahuntur, vbi vaſtum & diſſipatum Imperium, ſuorum ciuium colonijs tenent: ita eorum imitatione contubernia militum, ſeu *Camaradas* quas vocant, non tam gloriæ quàm frugalitatis, & parcimoniæ causà inſtituerunt quam illis, vel ab antiquiſſimo tempore familiarem fuiſſe, ſi quis neget, is profecto oſtendet ſe nunquam Athenæum legiſſe, apud quem Philarchus tradit *Hiberos quamuis hominum ditiſſimos aquam bibere, & ſemel in die cibum capere ob parcimoniam, indui tamen ſumptuoſiſſimis veſtibus, nec tamen* quod Athenæus addit libro duodecimo *ad bella gerenda ideo sunt ignauiores, aut minus fortes.* Sanè eiuſmodi contuberniorum ratio tam commoda illis viſa eſt, vt acerrimè illam retineant; indeque ſociatis inter duos, aut ad ſummum ſex commilitones, dotibus, & pecunijs; quaſuis ærumnas minori diſpendio ferre quàm reliquæ nationes poſſunt; & hercle fatendum eſt illos, vt multis alijs in rebus ingenio valent, ſic ad militarem illam ſocietatem valde eſſe à natura propenſos, dum ſeruatas parcimonià opes, & ad temperantiam inſtitutis corporibus ſœpe negatas, in publicæ oſtentationis gloriam conuertunt; & graues animos, ac pondere quodam elatos, nunquam eo demittunt, etiam inter eos quibus arctiſſimo vitæ vſu, & neceſſitudine coniuncti ſunt, vt offenſiones illæ minutæ, & pungentes

Licet hodie à ſolis ferme Hiſpanis obſeruetur.

libro 2.

 ali-

aliquando facetiæ quæ reliquorum amicitias, ob nimiam familiaritatem diſſoluunt, enaſci inde, aut varios fluctus animorum concitare poſſint.

5. Quod equidem de *Gallis* non periade exiſtimari debet, in quibus cum mirifica ſit virtus illa quam Latini *Comitatem*, Ariſtoteles vero in moralibus ferme ſemper φιλίαν appellat, quaſi rudis, & inchoata quædam amicitia ſit, & de qua Cicero dicebat *difficile eſſe dictu quantopere conciliet homines comitas, affabilitaſque ſermonis*; propterea omnium promptiſſimè amicos ſibi parant, animoſque hominum facile rapiunt in ſui deſiderium, ob candidum pectus, quod ſtatim aperiunt, & denudant; ſed nimia illa familiaritas quæ optimæ matris filia peſſima eſt, nouis continuo rumoribus omnia miſcet, & huic per iocum læſo, alteri per deſpectum traducto, maturè ſe vt ab importunis ſodalibus liberent in mentem inducit. *Germani* vero propter communes epulas quibus libenter capiuntur, omnium commodiſſimè victus ſocietatem per contubernia inire poſſent, eamque integerrimè colere, quia ſunt homines minimè mali, & multum adhuc antiquæ probitatis retinentes; ſed parcè viuere neſciunt, & vereor ne adhuc illis impedimento eſſet, quod vt inquit Lucretius

Et cur non item ab alijs populis.

1. ethic. 7. & 4. cap. 6. 2. officio.

lib. 3.

cum vini vis penetrauit
Acris, & in venas diſceſſit diditus ardor;
Nant oculi, clamor, ſingultus, iurgia gliſcunt.

Itali denique verba exactæ vrbanitatis, ac humanitatis plena, apto corporis geſtu ſanciunt, quæ potentes ſunt ad beneuolentiam & amorem illecebræ; vnde ſi parcius animos & nutus ſociorum obſeruarent, nec perpetuis ſuſpicionibus angerentur, omnium aptiſſimos illos haberem, qui vt frugalitate propius ad Hiſpanos accedunt, ſic non multum ab illis differrent in contuberniorum obſeruatione.

XXXI. His igitur virtutibus quas hactenus ſub nomine legum ſumus complexi, probitas delineatur, qualis ſaltem in milite eſſe debet; ſequitur nunc *pietas*, quæ non minus, & ipſa inter morales virtutes cenſetur, ciuilemque beatitudinem reſpicit, quoniam in affectu poſita eſt, quæ virtutum eſt materia, & mirificè conducit ad reliquos affectus moderãdos, & bene de Deo, ſentiendũ; quemadmodũ probitas idem vt de hominibus fiat perſuadet. Illa vero cõſiſtit

1 Probitatem quambis legibus in milite formauimus excipit pietas, que conſiſtit in conuerſione ad Deum & auerſione à

ſiſtit, cùm in *conuerſione ad Deum*, tum in *auerſione à creaturis*, *&* *dæmone*, ſaltem in iis, quæ ab aliis quàm à ſolo Deo, aut rebus ab eo inſtitutis, obtineri non poſſunt, qualis eſt *vulnerum curatio, aut præſeruatio* per verba, characteres, & ritus alios profanos inſtituta, cuius deſiderium adeo frequenter milites ſollicitat, vt nulla res alia magis; quemadmodum poſtquam de conuerſione in Deũ dixerim, recipio me facturum, vt nulli dubium eſſe poſſit. Hæc autem *conuerſio* quantum ſit in milite neceſſaria probari manifeſtè poteſt, ex ſimilitudine ab ægris deſumpta, quos dum in extremo vitæ actu conſtitutos videmus; ſic quidem vt nulla amplius ope humana ſubleuari poſſint, omni ſtudio contendimus, vt ex ritu noſtræ legis ſuis culpis expiati, & cum ſupremo Numine reconciliati, ex hoc corporis ergaſtulo in beatiores illas ſedes euolare poſſint, quæ bonis omnibus promittuntur: Bellum enim ſicut vulgo dici ſolet eorum eſt, *qui ſani agoniſant*; nec alia ratione Mars *cruentus*, rixæ *ſanguineæ*, bella *horrida*, & *Matribus deteſtata* vocantur à ſapientibus, niſi propter pericula, quæ ſingulis non dicam diebus, ſed momẽtis milites incurrunt, quoties in præliis congrediuntur, & *totas*.

creaturæ primũque de cõuerſione dicitur & de illius neceſſitate ad ſalutem animæ.

Aeneide. 9.

Implicuere inter ſe acies, legitque virum vir
Tum vero, & gemitus morientum, & ſanguine in alto
Armaque, corporaque, & permiſti cæde virorum
Semianimes voluuntur equi, pugna aſpera ſurgit.

Quare cum tot anguſtiis quotidie premantur, vt mors cuius tempora reliquis hominibus in certa ſunt, certiſſima illis præſtituantur, ad vnius ducis nutum, & imperium; qui militibus ſuis, & pro neceſſitate vti in omne diſcrimen, & pro libidine abuti poteſt, vt tanquam victimas illos deuoueat; an hos non decet animo ſemper ad honeſtam hancamque mortem eſſe comparatos? vt quoties illa ex vi ſacramenti ſubeunda erit, toties hanc metam ſine metu adire poſſint, & flagitioſorum imbelliam ridere, qui conſcientiâ ſcelerum retardati, loca illa, & ocaſiones declinant, in quibus ſe non corpore tantum, ſed animâ pericltari intelligunt; metus enim in illis à crimine ſurgit; & ſecutura poſt mortem animos adimunt etiam valentiſſimis, niſi innocentia intrepidos faciat, vt quemadmodum ſecurus moritur quem nullus futurorum metus terret, ſic timidè moriatur quem mors al-

tera expectat, quem nunquam moriturę inferorum pœnæ.

2. *N. corporis.* Atque hunc finem debere eſſe cenſeo pietatis in milite, non autem illum quem Xenophon proponit in Hypparcho, vbi cùm identidem inculcaſſet præceptum iſtud *fauente deo agendum eſſe* rationem illius affert meo quidem iudicio valde ſupeſtitioſam, & indignam viro id nominis ob eximiæ ; ſapientiæ opinionem conſecuto, nempe *vt latentes hoſtium inſidias, aliaque pericula quæ nemo ſic concilio valet, vt rationem illa precauēdi inuenire poſſit Dij ipſi qui omnia ſciunt, tum hoſtijs, tum augurijs, tum rumoribus, & somnijs illa ſui cultus ac gloriæ ſtudioſis præſignificent.* Etenim vtcumque de celeſtibus auxilijs benè conuenienter que pietati noſtræ ſperandum ſit, tunc cùm illis maximè opus eſt, in preſenti aliquo diſcrimine conſtitutis : cauendum eſt tamen ne iſtis abutamur, tanquam Paganorum dijs Marte, Iunone, Pallade, Venere, & ſimilibus vulnerum apud Poetas Auerruncis : aut eorum ſimiles reddamur, qui quod totos dies, vt ſibi ſui liberi ſuperſpites eſſent, deos precabantur, & immolabant, ideo *ſuperſtitioſi* poſtea ſunt appellati, quod nomen ad eos ſe diffudit qui a Dijs quod libet aliud ineptum, aut abſurdum poſtularent. Illud igitur ſolum a Deo poſtulandum eſt, quod, & milites decet, & certo certius obtineri poteſt, modo debitè petatur : vnde non conuenit illos plagas aut mortem deprecari, quæ militibus pro titiuillitio eſſe debent, ſed mortem tantum malam, quæ corpori ſimul atque animæ interitum affert ; hanc vero gratiam vt conſequi poſſint, pietate opus eſt, quæ non nititur hac aut illa quam quiſque hauſit exiſtimatione, nec conſiſtit in magnitudine ſumptuum, aut magnficentià apparatus, ſed in puritate mentis, & vera de deo opinione.

3. *Tantum abeſt vt militibus impedimento ſit, quemadmodum Politicus Florentinus impiè aſſeruit.* Quæ duo cum actiones omnes perficiant, miror valde quid in mentem venerit impiæ cuiuſdam, & profanæ politicæ ſcriptori, vt hæc eadē, bellicas virtutes in chriſtianis hominibus obtundere, virtutemque, ac gloriam militarem, non poſſe cum anguſtijs noſtrarum legum cōtineri aſſereret ; quaſi vero inimicorū offenſiones cōſtantiſſime perſequi, mortēque iniuriæ præferre, & nullū pro laudis ac glorię cōſeruatione recuſare periculū, Chriſtianę legi è directo contraria ſint, quæ vna iubet iniurias patientiſſimè ferre, & humanam gloriam pro nihilo ducere. O miſeram igitur

con-

conditionem Chriſtianorum,ſi quatenus religioni ſeruiunt,nullũ poteſt illis eſſe cum virtutibus commercium! nempe iuſtitiam, prudentiam,liberalitatem,continentiam,& cæteras virtutes exercere poſſunt, quæ homines inter ſe beneuolentià quadam, & humanitate conciliant, fortitudinem vero, & magnitudinem animi non poſſunt,qua ſibi, ſuiſque parentibus, aut liberis, vel labenti patriæ opitulentur; quæ malum! hæc ratio, aut quis in Philoſophiam error? quæ hactenus indiſcretas eſſe virtutes docuit, quoniam qui ritè, & ex ſapientiæ præceptis ipſarum aliquam colit, hoc eſt propter honeſtatem, & vt rationi pareat rectè præcipienti,huic perſuaſum,& inſitum neceſſe ſit, nullo loco ſibi ab officio eſſe diſcedendum, ac propterea cæteras virtutes quas re nondum nactus eſt, ſed electione tantum,ac voluntate percepit, eas nihiloſecius habere dicitur, *participatione*,videlicet, vt inquit D. Hieronymus non autem *proprietate*, quam tamen, ſi in aſſuetudine officiorum perſiſtat, non video cur aliquando etiam obtinere non poſſit. Sed præterea libenter ab hoc ſcriptore quærerem, quaſnam habemus in Religione ſanctiones, quæ iuſtum bellum damnent, aut illud more gentium, iureque naturali gerentibus, hoſtẽ occidere prohibeãt,ipſumque in ſeruitutem redigere, bonis ſpoliare, & cætera in illum agere, quæ belli ratio poſtulat? nullas certè, modò tamen omnia hæc bono animo fiant,& ad pacem,ac iuſtitiam ſpectante,qui Chriſtiani bellatoris ſcopus eſſe debet. Sanè tantum abeſt, vt lex diuina iſtis aduerſetur, quod in Deuteronomij præceptis ad mores ſpectantibus, ac proindè non abrogatis à Chriſto,longè maiori cum ſeueritatis,& rigoris exemplo,iſthæc omnia fieri à victoribus præcipiantur. Nec reclamant ſanctiſſimi Patres Ambroſius,& Auguſtinus, quorum ille præter multa,quæ varijs in locis adducit, contra quoſdam moroſos legum obſeruatores, qui bellum Chriſtiana pietate indignum cenſebant, exemplum tandem profert Chriſtianorum militum, qui in exercitu Iuliani Apoſtatæ fuerunt, & quibus cùm dicebat Imperator producite aciem pro defenſione Imperij, illi abſque mora,& tergiuerſatione parebant *Thebeam legionem* in hoc imitati, quæ Diocletiano imperante, à Zabda triceſimo Hieroſolymorum Epiſcopo Chriſtianæ religioni initiata,his ſe conditionibus ſub Imperatore pugnaturam receperat. *offerimus noſtras in quemlibet hoſtem manus*,

Serm. 66. in pſal. 118. & lib. de fide ad Gratian.

quas

quas ſanguine innocentium cruentare nefas ducimus, dexteræ ipſæ pugnare aduerſus impios, & inimicos ſciunt, laniare pios, & ciues neſciunt, pugnauimus ſemper pro iuſtitia, pro pietate, pro innocentium ſalute; pugnauimus pro fide, quam quo pacto conſeruemus tibi, ſi hanc Deo noſtro non exhibemus. D. autem Auguſtinus non bella modo probat in Chriſtianis, ſed qui aliter ſentiunt pene eſt, vt his verbis irrideat, *quid culpatur*, inquit, *in bello, an quia moriuntur aliquando morituri, vt regnent in pace victuri? hoc reprehendere timidorum eſt, non religioſorum; nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, impacatus, atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & ſi qua ſimilia, hæc ſunt, quæ in bellis iure culpantur*. Et quidē niſi res ita ſe habuiſſet, etiam tunc cùm primi illi patres, qui fidem Chriſto dederant, nihil niſi merè Chriſtianum loquebantur, aut ſcribebant: non dixiſſet profectò Clemens Alexandrinus dum Chriſtiani habitum deſcribit, *eum debere eſſe intectis pedibus, niſi militet*: nec Tertullianus in Apologetico ita ex Chriſtianorum perſona loquutus fuiſſet, *nauigamus, & nos vobiſcum, & militamus*: & paulo ante dixerat. *Externi ſumus, & veſtra omnia impleuimus, vrbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipsa*. Quinimo Pagani vt bellum ip ſum rebus ſacris non officere ſignificarent, nec diſplicere Dijs ſuis tanquam à ratione aliena, non modo permiſerunt, vt *Panatheneis ſacris*, liceret omnibus in pompam armatis procedere, quod notat Thucidides in hiſtoria Ariſtogitonis, & Harmodij, qui celebritatem illam præſtolabantur, velut commodiſſimam obtruncādo Hipparcho Tyranno; ſed varia alia ſacrificia inſtituerunt in quibus, vt Auctores ſunt Ariſtoteles in Rhetoricis ad Alexandrum, & Polybius, ac Halicarnaſſeus idem facere liceret, & Varroni in etymologia *Armiluſtrium feſtum erat apud Romanos, quo res diuinas armati faciebant, ſacrificabantque ad tubarum clangorem*. Vnde hi quidem in magna iuris diuini, & humani ignoratione verſantur, quicunque cædium, prædarum, excidiorum, & id genus malorum vitandorum causà, bellum Chriſtianis vetitum eſſe contendunt; prohibetur enim tantummodo, ne iniuſtè, non autē ne omnino fiat; aut alio modo, quam leges ipſæ bellorum permittunt, quas ſi quis Chriſtianorum imperatorum Conſtantini, & Theodoſianorum more obſeruari curet, non video certè cur bellorum vſus damnari debeat; aſſerente præſertim D.Chry-

Lib. 2. contra Fauſt. cap 4.

capite 42.

capite 37.

libro 7.

Libro 4.
Libro 7.

D.Chryſoſtomo, quod *à Deo habemus dextras, vt & nobis ipſis, & alijs iniuriâ affectis opemferamus, vt ſcelera de medio tollamus, vt his quibus vis & damnum affertur ſimus portus, & refugium*; aut quid illa ſuadere poſſint indignum homine Chriſtiano, ei qui chriſtianè in illis viuere velit. Vnde nec *Sfortiam Attendulum*, aut Marchionem *Vaſtii* laudo, quos dicere ſolitos accepimus, nihil ijs qui in bello verſantur eſſe difficilius, quàm *Martem ſimul & Chriſtum* pari diſciplinâ coluiſſe, quando mos bellicus in hac tẽporum corruptela, & licentia armorum, penitus à iuſtitia, & Religione auerſus eſſe videatur: hęc enim nugæ ſunt, & verborum pigmenta, quibus ſuæ ambitioni, aut auaritiæ, occultiſque conſilijs Duces lenocinantur, dum iniqua multa ſuis militibus indulgent; quo facilius vel ſtipendia illorum morari, & aliquando ſuos in vſus conuertere; vel voluntates redimere, eoſque ſibi maximè obſtrictos, & ad omnia etiam inhoneſta, & nefanda paratos habere poſſint: alioqui ſi deſertores, ſeditioſos, contumaces, & humanæ maieſtatis reos, ſummo iure plectunt, cur eodem vti illis non liceat in blaſphemos, fures, periuros, & omnes qui diuinã temeraſſe ludo, ac honeſtati habent? Quibus ita explicatis reliquum nunc eſſet, vt Anabaptiſtarum, & quorundam aliorum argumenta in medium proferrem, quibus contrariam ſententiam fulcire nituntur; ſed hoc ante me tam cumulatè præſtitit doctiſſimus auctor operis illius elimati de iure belli, & pacis, quod ſub annum iſtius ſæculi vigeſimum quintum Pariſijs prodijt, vt fruſtra ſit qui aliquid vltra requirat: quare vt rem verbo concludam, quam illo iubare exorto, pluribus explicare non eſt neceſſe, ſi res ita ſe haberet, vt ipſi volunt, hoc potius conſilium in Euangelio petentibus daretur vt abijcerent arma, ſeque militiæ ſubtraherent quam vt *propriis ſtipendiis, contenti eſſent, neminique iniuriam facerent, aut extorquendæ pecuniæ gratia concuſſionem*, quibus verbis certum eſt non damnari militiam ſed flagitia, quæ à militibus committũtur, hominibus maximè omnium impijs, & quibus frequenter in ore ſolet eſſe Mezentij iſtud

Homil. in Pſal. 134.

Dextra mihi Deus, & telum quod miſſile libro.

Vnde eo tandem negotium reducitur, vt abſque pietate bellũ nec iuſtè ſuſcipi, nec feliciter terminari poſſit.

Hæc autem Dei *cultum, & ſenſum* in ſe compræhendit, *cognitionem* 4.

Hæc vero cõſiſtit in cognitione Dei. *nem* inquam eius *Eminentiæ, Bonitatis, & Iuſtitiæ*; ac *venerationem* quã propter tria hæc attributa, iure à nobis exigere poteſt. Nam vt ab *Eminentia* dicere incipiam; ſi tota hæc rerum omnium cõpages, & machina, ijs ſe legibus firmat, ac ſuſtinet, vt quæ minus in ſe perfectionis habent, ijs quæ magis elaborata ſunt, & perfecta, iure mancipij inſeruiant; vt elementa mixtis; mixta plantis; plantæ animalibus; animalia, & cætera omnia homini; præterea etiam

Libro 1.c.5. æquum ſit, vt docetur ab Ariſtotele in Politicis, eos, qui inter homines viliſſimi ſunt; meliorum imperio ſubeſſe, quaſi natura facti ſint ad ſeruiendum: an non homines fateri debent tam eximiam eſſe ac præſtantem Dei naturam.

Horatius 3. Ode v.

Qui Terram inertem, qui Mare temperat
Ventoſum, & Vrbes regnaque triſtia.

vt ea ipſa per ſe debeat, ad ſui cultum allicere ſapientem? *Bonitas* præterea, ac *beneficentia Dei* quàm multas, & vrgentes cauſas ſuppeditat Religionis, dum nos fouet, regit, gubernat, eaque ſubminiſtrat in omnibus negotijs adiumenta, quæ ſi quis non agnoſcit, accipitque à diuina illa bonitate, magis impius ſit oportet *Olym-*

in Caſin. *pione Comico*, qui *Statilioni* apud Plautum Dijs ſe fretum aſſerenti, profanè reſpondet

Non ego iſtud verbum emiſſim titiuillitio,
Nam omnes mortales Deis ſunt freti, ſed tamen
Vidi eos Diis fretos ſæpe multos decipi.

ad Ceſarem. *Iuſtitiæ* denique conſideratio, hac ratione pietatem in nobis excitat, quod *pro vero conſtat*, ſicut inquit Saluſtius, *ominum mortalium vitam diuino Numine inuiſi, neque bonum neque malum facinus cuiuſquam pro nihilo haberi, ſed ex natura, diuerſa proemia bonos, maloſque ſequi.*

5. *& eius veneratione* Vnde ſi peccatis ominibus ſua pœna ſtatuitur, quanto magis ſuperbiæ, quæ religioſum ac debitum ipſi Deo cultum non perſoluit? nec enim aliud egerunt Homerus, & Heſiodus, quos *veteres Theologos* Ariſtoteles appellat, Gigantum cum dijs pugnam caſumque memorantes, niſi quod nobis hoc figmento ſignificare voluerunt, præcipitem illorum fore ruinam qui ſe deo

lib.3.Ode 6. non ſubmittunt, hinc enim vt inquit Horatius

Dij multa neglecti dederunt
Heſperiæ mala luctuoſæ.

& Aiax

Digitized by Google

& Aiax Telamonius cùm Mineruam quæ ipſum ad pugnam cohortabatur, & ad hoſtes fortiter inuadendos incitabat, ſic affatus eſſet *Regina fer cæteris Graijs opem, neque enim vllus hoſtium hæc irrumpet in tentoria,* huiuſcemodi verbis, ait Sophocles, implacabilem Deæ aduerſus ſe iram commouit, ac proinde cùm idem in bellum proficiſcens, patrique monenti ne quid prius aut antiquius haberet, quàm *Deo duce ac Auſpice* cum hoſtibus experiri, in hæc quoque verba reſpondiſſet In maſtigoph.

Adiuuante mi pater Deo
Victoria potitur ignauiſſimus,
At deſtitutus etiam ope Deorum, *ſcio*
Belliqúe me confido adepturum decus.

ipſum tandem prudentiſſimus Poeta per furorem perijſſe dicit, quia toties viribus humanis fretus, opem Deorum contempſerat. Colendus igitur deus eſt noſtro militi, & boni ominis causà in omnibus quæ animo deſtinat, præmittendũ iſtud Xenophontis in educatione Ciri σὺν τοῖς θεοῖς, aut Euripidis in Oreſte δύναμιν εἰ διδῷ θεὸς *ſi ſuppetat vires Deus* niſi velit vt *Aiax Telamonius* in gladiũ ſuum, aut hoſtilem cœleſtibus auxilijs deſtitutus incumbere; aut proſterni fulmine bellico; quemadmodum *Capaneus* vnus ex ſeptem ducibus Argiuorũ, qui ſe Dijs etiam inuitis mœnia Thebarum occupaturum inſolentiſſimè iactabat; vel vt *Aiax* alter *Oileus* cui Pallas irata fuit, in cautes cyaneaque ſaxa fluctibus impelli; ac tandem *Gigantis* illius *Philiſtæi* caſum ſubire, quem non proceritas immenſa, non caſſis ferrea, non lorica hamata, non ocreæ æreæ, non clypeus, & haſta trabalis Satis munire ac defendere potuerunt, ne ab adoleſcente paſcendis tantum ſuis ouibus aſſueto, inflictu è funda ſilicis, mox capite mactandus ſterneretur. lib. 2.

Sed cum ille cultus quem Deo debemus, nihil aliud ſit quàm eius *veneratio*, ſeu illa interior exiſtat, quæ in animo, & ex animo ſit; ſeu exterior quæ per actus, & geſtus ſe prodit, vtraque vero totum iſtud abſoluat quod *religionem* appellamus, cauendum eſt in primis militi, vt ſe modeſtè, prudenterque in illis habeat, idque in vtraque fortuna, ne ritus ſacrorum inter aduerſa culti, per proſpera oblitterentur, atque ita ſe habebit in omnibus ceremonijs, ac inſtitutis vt Chriſtianũ ſummopere decet; nec ſi licentia cæteros 6. *Et eius veneratione.*

Digitized by Google

ros corruperit, aut Duces ipſi, quorum intereſt maximè ſingulos in officio pietatis continere, hoc ipſum facere neglexerint, ipſe religioſus eſſe deſinet; caſtrenſibusque ſacris frequens aderit, preces deuotè fundet, gratias demiſsè referet, templa omnia venerabitur, eorumque miniſtros colet, & frequentabit quanta maiori poterit aſſiduitate; atque diligẽtia. Hoc autem quin frequenter, & commodè fieri poſſit, cùm multa ſæpius in cauſa ſint, optimum tunc erit meà quidem ſententià, ſi miles omne ſuum præſidium reponat in cultu illo interiori, quem vbique gentium, & paſſim locorum etiam inter hoſtes recluſus, aut ad Indos, vel Garamantas relegatus, ſolus, & cum alijs exercere poteſt, amando Deum, quia ipſe optimus eſt, & timendo etiam, quia omnia nouit, videt, & prouidet; ita enim fiet vt *amore* grates illi referat, cultum exhibeat, vota nuncupet, & hoſtiam laudis continuo ſacrificet, nomen eius inuocando; *timore* vero ab peccatis omnibus abſtineat, quæ ipſum offendere, eiuſque iram prouocare poſſint: atque hoc modo Deum præſtantiſſimè colet, cùm *optimus animus pulcherrimus Dei cultus ſit*, aſſerente Seneca; imo vero chriſtianè, quia vt inquit Lactantius *Chriſtianorum omnis religio ſine ſcelere, & ſine macula viuere*; & quod conſequens eſt, etiam beatè, quandoquidem *tranquillitate conſcientiæ nihil excogitari beatius poteſt*. Hic igitur vnus Chriſtiano militi murus eſt aheneus; hæc tunica, qua tegitur adamantina; hoc ſcutum Palladis Aegide præſtantius, aduerſus omnem metum; his armis accinctus tutus in hoſtem, & in enſes ruit.

capite 7. Lib. 5. cap. 9.

D. Auguſt. 21 de Ciuitate Dei.

& corpora bello

Obiectat, pulchramque petit per vulnera mortem

2. Rhetoric. capite 5.

quia nimirum, vt inquit Ariſtoteles, & nos etiam ſupra diximus *intrepidi ſunt, confidenteſque, qui pij in Deum ſunt*; & quod idem addit; *qui bene ſe habent erga diuina audaciores ſunt*: ſecurus enim flagrat illis in pugnam animus, cui nullus interior hoſtis timẽdus eſt; & honorem liberiùs ambit corporis periculo, qui prius animã in tuto poſuit apud Deum.

7. *à qua victoria dependet.*

Execrationibus vero diriſque in ſe, in ſocios, in equos coniectis: vociferari; Acheronteṁque totum in vota excire, vt hodierni moris eſt, parum opportuna ſunt pugnæ præſidia, nec iſtis vnquam Deum ſibi propitium reddent, vt quod Iſraelitis aliquandó dixit hoc idem ipſis promittat, *ſi egreſſi fueritis è terra veſtra ad* mili-

militandum contra hoſtes, qui bellum gerunt aduerſus vos, & videritis equitatus, peditatus, currus, & multitudines exercitus aduerſarij maiores quàm habeatis vos, quia recordatio veſtra erit coram Domino, ne conſternetur cor veſtrum, nolite metuere, nolite cedere, ne formidate illos, quia Dominus Deus *veſter in medio veſtri vobiſcum eſt, qui pro vobis dimicabit contra aduerſarios veſtros, vt eripiat vos è periculo, & è manibus aduerſariorum veſtrorum* Et quidem promiſſa hæc non vana fuiſſe, teſtantur *Ierichuntina mœnia* tubarum ſonitu diruta, Iordanis aquæ, ſciſſa maria, penduli fluctus Iſraeli in ſalutem, Aegypto in interitum; teſtantur etiam in Dauide *Syri, Philiſthei, Ammonitæ*, in Ezechia *Sennacherib*; in Gedeone *Madian* in Machabæis *Timotheus, Nicanor, Apollonius*; & quis ignorare poteſt *Maxentium* ſuperatum à Conſtantino; profligatos à Theodoſio *Eugenium*, & *Maximum*; deuictum ab Heraclio *Coſroem*; fugatos à Beliſario *Perſas*, & *Vandalos*; repreſſum demum à Narſete *Totilam*? Numer. 10. Deuteron. 20

Pietas certè his omnibus, & in Deum fiducia, non ferrum triũphos dedit, quos à ſupremo tantum Numine, mitti, & expectari debere, nulla vnquam gens fuit, quæ non apud ſe perſuaſum haberet; hinc enim *Galli* in Amida Ciuitate à Perſis obſeſſi, & morarum impatientes *ſecuribus gladijsque*, vt inquit Ammianus, *ſuccincti, patefactà ſunt egreſſi poſticà, obſeruatà nocte ſqualidà: & interluni, orantes caleſte præſidium vt propitium adeſſet, & libens*. *E Romani* Deorum aras ipſis in caſtris erectas habuerunt, non Dijs communibus tantum, quales poſitas fuiſſe, à Latinis, & Troianis inter denſas armatorum copias refert Virgilius, ſed *militaribus ſacrificijs* peragendis, de quibus aperta eſt, apud Tacitum mentio, cùm agit de Planco Germanici Legato, quem ortà militum ſeditione, penè cæſum fuiſſe teſtatur, ſic enim ille, *ac ni Calphurnius vim extremam arcuiſſet, rarum etiam inter hoſtes. Legatus populi Romani in caſtris ſanguine ſuo altaria Deùm commaculaſſet*. 8. *Quod profanos etiam homines non latuit.* libro 19. lib. 1. annal.

Intereſt tamen, vel maximè quàm conuenienti tempore, & loco, miles noſter pietatis muneribus incumbat: Romani ſiquidem laudati ſunt ab omnibus, quod Imperator commiſſo ſibi bello, antequam vrbe exiret, Martis ſacrarium ingreſſus, haſtam ſimulacri ipſius commouebat, dicens *Mars vigila*, & liberi, vxoreſque eorum qui in militiam proficiſcebantur, vota pro eorumdem ſalute 9. *Et quando illi vacandũ*

lute

lute nuncupare, ipſaque ante vrbis portas appendere ſolebant, ex quo ritu Arethuſa ad Lycotam ſuum maritum ſcribit.

Propert. 4 elegia 3.

Omnibus heu portis pendent mea noxia vota.

atque ex eodem Aeneas apud Virgilium.

Aeneide 9.

Proceſſit ſummoque hauſit, de gurgite lymphas,
Multa Deos orans, onerauitque æthera votis.

Contra vero culpatus fuit T. Quintius Flaminius, quod ſub initiũ prælij, Deos oraturus, vt fauentes eſſent, paulatim à ſuis diſceſſiſſet, non enim tempus eſt, cùm buccina intonat ſuam in conſcientiam anxius inquirere; cùm hoſtis clamore terrendus eſt, preculas quaſdam obmurmurare, vel ſphærulas ſacras euoluere, cùm plumbeæ glandes in aduerſum agmen torquendæ ſunt. *Apage*, inquit vir non minus pietate, quàm doctrinà ſuſpiciendus, *intempeſtiuas illas religiones galeatorum leporum; iam ante hæc egiſſe oportuit, pugnandum eſt dum pugna vocat, & quando vacat orandum*: niſi forſan quemadmodum Niſus antequam Eurialo ſuccurrat, ita Lunam precatur,

Tu Dea, tu præſens noſtro ſuccurre labori.

& Aſcanius Iouem inuocat, vt telum ſuum in caput Remuli feratur, eodemque modo cæteri Heroes, Deos ſuos inter pugnandum frequenter appellant; ita etiam potiori iure militi chriſtiano concedendum, & conſulendum ſit, vt cùm iam imminet extremum illud, & ferale multis pugnæ diſcrimen, oculos animumque attollat Cœlo, & diuina ſpe fultus, quaſi auſpicato ruat in hoſtem.

XXXII.

1. Altera pars pietatis erat auerſio à creaturis, & dæmone vitando primum ſuperſtitioſas vulnerũ præcautiones.

Sed parum iuuabit militem ita ad Deum conuerti, per verum, & legitimum eius cultum, niſi eodem tempore auertatur ab omni *ſuperſtitione*, & *idololatria*, quàm multi, qui ſe telis inuiolabiles fieri poſſe vaniſſimè credunt per magicas, & impias obſeruationes exercere ſolent; nam hæc tria tam bene inter ſe conuenire, & mutuo veluti fœdere iungi certum eſt, vt quemadmodum Idololatria artis magicæ viribus innititur ex opinione Theophili Alexandrini, & D. Hieronymi, ſic Idololatriæ ſuperſtitio ipſa adhæreſcat; quia ſicut optimè aduerſus Ciceronem diſputat Lactantius, *religio eſt veri cultus exhibitio, ſuperſtitio autem falſi*; & eius præſertim qui dum alijs rebus à Deo tribuitur, ſi non manifeſte, ſaltem latenter, & implicitè, ad Idololatriam pertinet, vt vario ſacræ Polymathiæ apparatu doctè quidem, ac eleganter docuit Ioannes

In epiſt. Paſchal. ad Aegypt. Epiſc. Præfat. in epiſtol. ad Epheſios.

nes Fileſacus, in libello ad iſtud conficiendum peculiariter deſtinato. Hæc autẽ ſuperſtitio polemica, licet ex ſua luxurianti radice plures ſurculos emittat, quibus æque rebus à natura, & arte factis abutitur, ac illa quæ per reliquas artes ſe diffundens, dictum illud Ioannis Sariſberienſis veriſſimum eſſe comprobat.

Omnia ſi neſcis loca ſunt pleniſſima nugis,
Quarum tota cohors eſt inimica mihi

duos tamen præcipuos, atque vſu ipſo valde frequentes ſatis eſt in medium proferre, ex quorum poſtea cognitione, quid de cæteris iudicandum ſit facile dignoſci poterit; huiuſmodi vero ſunt ***præſeruatio, & curatio vulnerum ſuperſtitioſa***, ſeu alijs modis quàm ex præſcripto Chriſtianæ Religionis, & rationalis medicinæ placitis, quæſita ac vſurpata. Quæ pernicies quàm altè militum animis defixa inhæreat, vel ex eo facile conijci poteſt, quod ab antiquiſſimis temporibus, quorum ad nos ***vix tenuis fama perlabitur vmbra***, vſurpatã illam fuiſſe conſtat, etiam ſœculo Heroum; & inter Deos illos Homericos, à quibus, vt virtutum, ſic vitiorum quoque exempla in poſteros omnes dimanarunt.

2. *Quarum origo petitur à Troianorum, & Græcorum fatis.*

Atque vt ex ***præſeruationis*** origine primùm quidem iſtud delibem quod ſentio, etſi hæc nobis à natura inſita ſit, quæ ſui conſeruationem in quolibet ſubiecto, per extremos conatus, & labores meditari ſolita eſt, ita vt Philoſophorum Scholæ, nullis frequentius, quàm ratis de hac re ſententijs, ſeu mauis axiomatibus perſonent; conijcio tamẽ magnam homines occaſionem habuiſſe, vt præter vera, legitimaque preſidia, quæ in hanc rem natura ſuppeditat, ad inania diuerterent, ex antiquorum commentis circa Troiæ expugnationem: à qua velut omnium ſi non primà, ſaltem earum quæ ad nos peruenerunt vetuſtiſſimà, & ingenioſiſſimà fictione, credibile eſt, multa cùm de Deorum opinionibus, & ceremonijs; tum etiam de rebus ad mortalium commoda ſpectãtibus, per credulas illorum mentes, ad hæc vſque tempora irrepſiſſe. Vnde cùm Homerus eadem mente *Iliados*, *& Odyſſeas* compoſitionem aggreſſus ſit, quà ſuperiori ſœculo Gorræus, & alij *Amadiſiorum*; ac Boiardus, & Arioſtus *Rotolandi* amores, & furorem decantarunt; omniaque in illis ſuis fictionibus inſinuare vellet, quæ ſummam delectationem ex admiratione faciunt; præter alia infinita, iſtud quoque commentus eſt, vt quæ-

Digitized by Google

dam veluti *ſecuritatis pignora*, Troiæ concederet; de quorum numero licet varijs auctoribus conueniat, qui tria illa fuiſſe vno conſenſu exiſtimant; grauiter tamen diſſentiunt in eorumdem aſſignatione, cùm Lycophron illa fuiſſe dicat *Neoptolemum* filium Achillis; *ſagittas Philoctetæ*, quas ille ab Hercule acceperat; & de *Pelopis oſſibus* vnum: quod tamen vltimum Euripides non recenſet, ſed eius loco *Rheſi equos* conſtituit; qua in re ne dum cum Plauto facit, cui tria alia ſunt penituſque ab ipſis diuerſa Troianorum Fata, nempe in Bacchidib.

Signum ex arce ſi periſſet, alterum etiam Troili Mors,
Tertium cùm portæ ſcææ limen ſuperum ſcinderetur.

quæ omnia licet à ſe inuicem toto cœlo diſcrepent, difficileque in primis, atque arduum videatur, repugnantes auctorum ſententias conciliare; nullo tamen negotio illud fieri poteſt, ſi ad Poetæ ſolertiam aduertamus, qui vt narrationem ſuam maximà difficultatum, & hiſtoriarum, mirabiliumque euentuum connexione, gratiorem efficeret, non modo Troianis ſua fata, quorum præſidio vrbem defenderent; ſed & Græcis ſua pariter conceſſit quibus illam poſſent oppugnare, eodem prope conſilio quo ex Deorum inter ſe diuidia.

Iuppiter in Troiam, pro Troia ſtabat Apollo,
Aequa Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.

nimirum, vt ambæ partes magnis vtrimque fautoribus, & auxilijs ſuſtentatæ, dubium omnino lectoris animum retinerent, quo tandem bellum iſtud deſineret, cuius in partes, mortales æque, ac immortales, tanto ſtudio conceſſerant. Vnde cùm *Achillem*, aut eius filium *Neoptolemum*; *Herculis ſagittas*, *& Pelopis humerum* Græcorum fatis annumerare oporteat, ſine quibus Troiam ex oraculi monitis fruſtra ſubuertere tentabant; reliquum eſt etiam, vt *Cineres Laomedontis* quos Vlyſſes clam è ſcæa porta rapuit; *Palladium* quod cæſis arcis cuſtodibus ſuſtulit; & *equos Rheſi* quos idem, explorator cum Diomede miſſus adduxit, antequàm Xanthi aquam bibiſſent, pignora ſecuritatis Troianæ fuiſſe dicamus, quæ quãdiu in vrbe conſeruata fuerunt, tamdiu inexpugnabilem hanc hoſtium viribus, impenetrabilemque efficerent. Ex eoque Seruius ad illud ſecundæ Aeneidos *vrbs antiqua ruit*, non veretur affirmare, quod illa duobus millibus & octingentis

gentis annis ſteriſſe dicitur incolumis; quamquam miror valde vt verum iſtud eſſe poſſit, ſi quidem, vt inquit Virgilius, ante aduentum Teucri ſoceri, & Dardani generi Troia non erat Aeneid. 3.

nondum Ilium & arces
Pergameæ ſteterant, habitabant vallibus imis.

a Dardano autem ſub regibus ſex ad Troiam captam, Euſebius in chronicis, annos tantum numerat trecentos, qui numerus tam longè à priori diſtat, vt Modicio & Criticis, non dubium ſit peſſimè ab exſcriptoribus tractatum fuiſſe hunc Seruij contextum.

Verum cum inter eiuſmodi periapta ſeu ἀποτελέσματα Palladiũ eſſet, cui præ cæteris, eximius ſemper honos fuit habitus, quod perſuaſum haberent Ilienſes maximam eius vim eſſe, in expellendis ab vrbe ſua, non hoſtibus modo, ſed malis omnibus, quæ maieſtatem Troiani imperij labefactare poſſent; ita quidem vt hac eadem opinione imbutus Conſtantinus Magnus, quo vrbis à ſuo nomine dictæ ætatem prorogaret, idem illud Palladis ſignum Romà exportatum Conſtantinopoli abdidiſſe, à Zonara dicatur; vbi ipſum ſuo tempore, hoc eſt anno Chriſti DXC. Mauritio Imperante, extitiſſe teſtatur Olympiodorus peripateticus, in commentarijs ad primum meteororum Ariſtotelis, quaſi hoc verum eſſe imperator arbitratus fuiſſet, quod dixerat de eo Silius Italicus 3. *Potiſſimũ autẽ à famoſo illo Palladio magico & taliſmanico.*

Quippe Deis viſum, ne cui perrumpere detur
Effigies ea quas vnquam poſſederit vrbes.

Illud propterea conſideratione dignum eſt, quod de eius compoſitione refert Firmicus his verbis, *Palladij quid ſit numen audite; ſimulacrum eſt ex oſſibus Pelopis factum, hoc auarus ſcytha Barbarus conſecrauit*; & paulo infra idem addit *poſtea ſimulacrum hoc Troianis vendidit, ſtultis hominibus vana promittens, vendebatur Deus vt prodeſſet emptori, & emptor ſuppliciter adorabat, quicquid antea viderat ſubbaſtatum*: nunquã enim memini ego legere Palladium ex oſſibus Pelopis concinnatum fuiſſe, nec ſcio vnde talis opinio Firmici originem habere potuerit, niſi forſan ex eo quod ſcribit Pauſanias τὴν ὠμοπλάτην Pelopis ex Piſa Ilium fuiſſe delatam; ex quo deinde oſſe, vetuſtas, & fama quæ maiora omnia fingunt, totum *ſcheletum*, ſeu integram oſſium Pelopis compagem, forſan efformarunt, quod ſi concedatur, non propterea lib de error. prof. r. lig. in Eliac.

Aa 2 tamen

tamen carebit errore Firmicus, qui Græcorum, & Troianorum
fata ſimul confundit; nec video præterea quis nam fuerit barba-
rus ille Scytha, cùm *Abaris* quem Scaliger reponit, multis ſæcu-
lis poſterior fuerit Troianis temporibus. Alij igitur vt Conon
in narrationibus, & Appollodorus Grammaticus in Bibliotheca
numero 186. Photij, aſſerunt ſimulacrum iſtud Mineruæ, è cœlo in Peſinun-
tem Græciæ ciuitatem deiectum fuiſſe, & ab eo vocatas *palladia*
omnes ſtatuas, quæ manibus non eſſent elaboratæ humanis. vn-
de, & illud ipſuum, διοπετὴς cognominatum fuit ex Clemente
Alexandrino, quoniam à Ioue ad homines deuolaſſe credebatur:
ſed techna iſta fuit ſeu dolus quorundam hominum, qui refe-
rente Suida in voce διοπετὴς, vt hominibus terrorem incuterent,
præconis voce palam promulgatum ibant, eiuſmodi ſimulacra
à Ioue demiſſa, & omni humano artificio, ſumptuque longè
præſtantiora, è cœlo delapſa fuiſſe. Quamobrem magis in rem
faciũt Cedrenus, & Antiochenus relatus à Tzetze in Lycophro-
nis Caſſandram; qui ſignum hoc fuſum fuiſſe dicunt ab *alio* præ-
ſtantiſſimo mathematico, ſub quodam aſpectu ſiderum benigno
& pelle humana obductum, ita vt prorſus ad priſcum illud Ma-
gorum, & Chaldæorũ inuentum pertineat, qui *Stoichematici* eam
ob rem dicti ſunt, quod στοιχεῖα, ſeu quas Arabes vocant *talisma-
nicas* ſtatuas, fabricarent, characteribus quibuſdam ſub propitio
cœlorum influxu exaratis, ijſque munitas obſeruationibus, vt
φυλακτηρίων, & amuletorum loco haberi poſſent, cuiusmodi in-
ſub finem. numeras fuiſſe in circo Conſtantinopolitano, auctores ſunt Gly-
lib 3. Annal. cas, Nicetas, & Zonaras ex Cedreno, quibus poſtea Tzetzes Ca-
60 cap. Chiliade. 3 merarius Maiolus, & alij ſuffragati ſunt, ne *hircum mulgentibus*
Tom. 1. me illis, non ſecus ac Philoſtrato dum perſonatum ſuum Appollo-
dit. lib. 3. cap 20. Collog. 1. nium, hominemque prorſus ſtramineum, velut fuſoriæ iſtius, ac
tom. 2. characteriſticæ magiæ apprime ſcientem, in ſcenam introducit,
nemo *cribrum non ſupponeret*: aut pro veris non haberet, quæ-
cumque de lamellis, & phylacterijs, ab hoc hominis monſtro
fabre factis, vulgus ſcriptorum referre ſolitum eſt; adeo quidem
incautè, parumque prudenter, vt idem de Virgilio multiſque
alijs aſſereret non dubitent, iſtos ſi quidem referunt cum vel-
lent tecta, oppidaue ab incendio, repentino caſu, ſerpentibus,
gliribus, muſcis, lemuribus libera fore, iſtud obtinuiſſe nullo ne-
gotio

gotio, harum imaginum virtute, quas ritu magico conſecratas, in illis ſepeliebant: quemadmodum etiam in ciuitate Pariſienſi contigiſſe refert, ex aliorum potius quàm ex ſua opinione, Gregorius Thuronenſis, vt à ſerpentibus, & gliribus tandiu ſecura fuerit, donec effoſſo in pontis cuiusdam cuniculis æreo ſerpente, ingentem vim reptilium & glirium ſtatim in ea emerſiſſe obſeruatum eſt.

Nempe ab exemplo Palladij Troiani de quo Chalcas non fruſtra Danais vaticinatus fuerat, quod *4. Et quorundã exẽplo qui inuulnerabiles olim exiſtimati.*

niſi clauſum à ſedibus arcis
Armiſonæ curent ſimulachrum auellere Deæ,
Nunquam affirmat Theramneis Illion armis
Ceſſurum.

vrbes aliæ ſitu, & imperio maximæ Roma, Conſtantinopolis, Lutetia ſuum pariter habere voluerunt ſecuritatis pignus: & milites ipſi, non minori curâ in hoc vnum ſibi incumbendum eſſe duxerunt, vt hoc genere præſidiorum inuulnerabiles efficerentur. Maxime cùm *Achillem* viderent apud eundem Homerum, propter *arma* quæ à Vulcano acceperat, & *Stygias aquas*, in quibus à matre ſua Thetide ablutus fuerat, talem prorſus euaſiſſe, vt nullibi membrorum, præter quàm in talo, vulnus accipere potuerit: quemadmodum etiam idem refertur de *Cyneo* Neptuni filio, qui in Latina Metamorphoſi ita Achillem ipſum alloquitur Lib. 12.

non hac quam cernis equinis
Fulua iubis caſſis, nec onus caua parma ſiniſtræ
Auxilio mihi ſunt, decor eſt quæſitus ab illis.

& de *Coeneo* Lapitha; ac *Herilo*, cuius à ſe, nouo genere pugnæ debellati, non iniuriâ Virgilianus Euander tanquam audaciſſimi facinoris meminit Aeneide. 8.

Et Regem hac Herilum dextrâ ſub tartara miſi,
Naſcenti cui trinam animam Feronia mater
Horrendum dictu dederat, tria arma mouenda,

quos verſus cum lego, toties apud me reputo, occaſionem inde ſumpſiſſe Arioſtũ fatalis illius crinis, quem in *Orillo* ſuo valdè affini cũ *Herilo* nomine, ea poteſtate, ac virtute magica præditum fuiſſe contendit, vt niſi eo truncato, Orillus hic, abſciſſa membra, & proiectum etiam in flumen caput ſuum, quaſi ex cera fuiſſent re- libro 15.

 liquis

liquis iterum membris aptaret, conferruminaretque naturali
Aeneide 7. quodam glutine. Nec illis abſimiles fuerunt,

Meſſapus equùm domitor Neptunia proles,
Quem neque fas igni cuiquam, nec ſternere ferro.

ac denique Perſeus, Abaris, & alij quibus, vel *Orci galea*; vel *Meduſæ coma*, vel *Apollinis ſagitta*, aliaque virtus occulta, & magica ita fauebat, vt inuiolabiles ab illa facti, hoſtes ſuos impunè conficerent.

5 Horum igitur exemplo, ſibi pariter conſulendum eſſe duxerunt, qui in ſimili armorum diſcrimine verſabantur, ſed quemadmodum virtutem illam, non ab vna aliqua determinata cauſa prouenire videbant, ita nihil poſtea facere recuſarunt, à quo ſperarent ſe illam poſſe conſequi: vnde cœlum primò fatigarunt, vt ex Hermetis conſilio, στοιχεῖα illa fabricarent, quibus ob Martis influxū, vis ineſſet inuictos illos efficiēdi. Hincque inter *ſigilla*, quæ ſub eius nomine circumferuntur, cuiuſdam habetur deſcriptio, quod ſi quis in die Solis nondum eo ſydere exorto aſpexerit, modo veſtibus albis induatur, & columbarum eſu ſibi temperet, ab hoſtibus ſuis violari nō poterit, ſed omnium facile victor exiſtet. Poſtmodum vero ad *Epheſias literas* deuenerunt, ſeu voces illas magicas ἄσκιον, κάτασκιον λὶξ τετρὰς δαμναμενεὺς, & αἴσια; quarū vera ſignificatio, ex Clemente Alexandrino petenda eſt, qui multo melius rem totam explicat, quàm Heſychius lexicographus quidem antiquus, ſed corruptus: ſcilicet illæ tantum veteres & ſacræ voces fuerunt, quæ in pedibus, zona, & corona Dianæ Epheſinæ inſculptæ legebantur, nam ab impoſtoribus poſtea adiunctæ fuerunt quædam aliæ. Omnibus vero ea vis ineſſe credebatur, vt ipſis vtentes victoriâ, quod inquit Diogenianus adagiographus, in omni certamine potirentur. Sicut exemplo cuiuſdam Mileſij innotuit, quem Suidas teſtatur, cum Epheſio quodam in Olympijs palæſtrâ depugnaſſe, nihilque aduerſus illum potuiſſe, quoniam patrios illos characteres in talo haberet, quod ſimulac animaduerſum fuit à iudicibus, victorem à quo triginta ſuperati fuerant, detractis literis alteri continuo ſuccubuiſſe: indeque patefactâ virtute eiuſmodi vocum, coli à multis, ac obſeruari, & geſtari cœperunt, vt paſſim ab auctoribus animaduerſum eſt, & inter alios ab Anaxila apud Athenæum, cuius iſtud eſt

Quos vt reliqui homines imitarentur varia cōmenti ſunt ſecreta non modo conſulēdi ſibi

in Aſclepio.

li. 5. Stromat.

Libro 12.

ἐν

ἐν σκυτίοισι φορεῖς Ἐφέσια γράμματα καλά.

in conſutis ſcytariis, ideſt minutis corijs *Epheſias ferunt literas ſcite efformatas, ſeu pulchras.* Cui ſuperſtitioni, cognata valde fuit, eorum obſeruatio, qui vt notat Plutarchus *Idæorum dactylorum nomina ediſcunt, eiſque contra pauores vtuntur, tanquam ad auertenda mala remedium habeant, paulatim ſingulos recenſentes:* cuius rei videtur mihi non alia origo fuiſſe, quàm opinio, quæ omnium mentibus inerat, *Telchines*, *Caberos*, *Curetas*, *Coribantes*, ſeu mauis *Idæos ipſos dactylos*, pro Ioue infante in Ida excubantes lib. vt quis in virtut. profic.

Quum pueri circa puerum pernice chorea
Armati in numerum pulſarent æribus æra.

effeciſſe, ne Saturnus Rheæ partũ reſciuerit; vnde quod inconniuẽtibus ſemper oculis operam Ioui darent, hinc, & nomina *Corybantium* illis impoſita ſunt, κορυβαντιᾶν enim eſt *Leporum more oculis patentibus ſomnum capere*. ſed præterea illos multarum rerũ inuentione commodos fuiſſe humano generi, nemo non nouit: ita vt cùm ob opem quam cæteris preſtabant; tum quia Rheam pauentem, ipſum que Iouem infantem à Saturno qui filios ſuos vorabat ſeruaſſent, procliue poſtea fuerit ipſorum nomina, tanquam malorum omnium ἀποτρόπαια inuocare. Nec puto illud mediocriter iudicio meo ſuffragari, quod à maximis auctoribus *Hercules* inter eos recenſeatur, qui ἀποτρόπαιος ideſt *auerſor*, & ἀλεξίκακος. ideſt *malorum propulſor* publico præconio celebratus fuit, eo quod perpetuus monſtrorum expugnator, & humanæ libertatis vindex ſeuerus extiterit. vnde qui eius imaginem in annulis geſtabant, tacitum fauorem aſſequi credebantur, & plus Fortunæ mereri. Id quod de *Alexandri* Magni effigie vulgatum etiam accepimus à Trebellio Pollione qui de Macrianorum familia refert, *quod ſpeciale ſemper habuerunt* Alexandrum Magnum *Macedonem viri in annulis argento, mulieres in reticulis, & omni ornamentorum genere exculptum; ſemper habere. eo vſque vt tunicæ limbi, & penulæ matronales in familiâ eius hodieque ſint, quæ Alexandri effigiẽ delicijs variantibus monſtrent* addit vero poſt, *quod idcirco poſui quia dicuntur iuuari in omni actu ſuo, qui* Alexandrum *expreſſum vel auro geſtitãt vel argento*, multique vt inquit D. Chryſoſtomus eius Numiſma capiti vel pedibus circumligabant, eodem prorſus modo quo Sylla quandam Apollinis imagun- In Quieto 13

culam Delphis nactus, eam ſemper in prælio geſtaſſe dicitur, ſinu occultatam, votaque illi feciſsè, & oſcula pluries fixiſſe, cùm in periculis verſabatur, vt incolumis eius beneficio ab illis euaderet. Quinimo Claudius Imperator Equitem Rcmanum occidit, quia ſecum *Gallinacei ouum*, velut ἀποτρόπαιον κακῶν ferebat; & auctor eſt Iulius Africanus Milonem Crotoniatam inuictum
lib. de bellic. appar. fuiſſe Atheletam, ex peculari virtute *lapidis Alectorij* quem ore vel brachio geſtatum, robur virtutemque pugnantibus addere credebant; non ſecus ac Orus Apollo refert in ſymbolis, Aegyptios cùm hominem, iniectas ſibi difficultates ad mortem vſque intrepidè ferentem, ſignificare vellent, *Hyenæ* pellem depinxiſſe, quoniam ſi quis ea pelle ſuccinctus medios in hoſtes feratur, à nullo tamen læditur; ac ne quidem a Canibus quorum
3. de venat. verſ. 279. idcirco Oppianus *magnũ* illam vocat *terriculamentum* σκυλάκεσσι μέγα δεῖμα κεραστάων Ferunt etiam nonnullos fuiſſe qui *Selagine* herba, *Achate* vnius coloris, & *Androdiamante* lapidibus ad eundem effectum vterentur: ſed *Achimenide* præſertim, qua in aciem hoſtium coniectà, trepidare ſtatim agmina, ac terga vertere non deſunt etiam iſtis temporibus blẽni, ac inſulſi ſcriptores qui ex Plinio referant; tantũ abeſt vt fabuloſum putent, quod omniũ
lib. 16. c. 14. vocibus iactatur, *Eranum* ſeu *Turcicum* porracei coloris lapidem, impendentia pericula, prius quidem obſcuritate inſolita denotare, & elapſo periculo frangi. Nam de ea virtute dubitarè,
lib. 3. argon. quam Apollonius herbæ *Promethea* tribuit, non modo ad dirimendas diſſuendas que amicitias, quo ſenſu illam ſibi aduerſam
libro 2. fuiſſe queritur Propertius hoc diſticho

Inuidiæ fuimus, num me Deus obruit? an quæ
Lecta Prometheis diuidit herba iugis.

ſed vt corpus, illius ſucco inunctum, expiatumque, Proſerpinæ ſacris de more antea peractis, nullatenus ferro obledi neque item incendio violari poſſit; flagitium eſſet nullis apud illos hoſtijs expiandum. Nec ſane cordatiorem illum fuiſſe, exiſtimandum eſt, qui apud Lucianum optabat, Mercurium darè ſibi talem
in Nauigio. *annulum* virtute, vt corporis inculpata ſanitate frueretur, & *Inuulnerabilis* eſſet; alterum etiam vt *inuiſibilis*, cuiusmodi fertur Gyges vnum habuiſſe ſic: Heliodorus annuli cuiusdam meminit in quo certi charateres inſcripti, & impreſſi efficiebant ne qui-

cun-

Digitized by Google

cũque anulum illũ geſtaret, lædi vllo modo ab *igne* poſſet, & Ariſtophanis ſcholiaſtes narrat philoſophũ quemdam nomine *Eudamum*, multos γοητευτικοὺς annulos fabricaſſe aduerſus Lemures morbos, ſerpentes, & id genus mala: quomodo aſſerit etiam Marcus Paulus Venetus *Zipangranos* contra hoſtium exercitus annulis quibuſdam vſos, quorum ea vi eſſet, vt nunquam ferro lædi poſſent, & *Exceſtus* Phocenſium Tyrannus quemadmodum ex Ariſtoteles ſcribit Clemens Alexandrinus certos ſibi annulos parauerat, quorum ſtrepitu, de rebus ſuis admoneri ſolitus fuit. Sed maiori adhuc admiratione dignum videtur, quod Indicarum rerum ſcriptores referunt, nempe in *Iaua* maiore, arborem quandam eſſe, raram omnino, difficilemque inuentu, cuius medulla ferrea ſit, & exilis, non vero ferrea, vt inquit Coſtæus porrecta tamẽ ab ima radice ad ſummum plantæ faſtigium, à qua decerpti fructus, tantà ſunt virtute, vt qui ipſos gerunt omni ferro impenetrabiles reddantur.

li. 1. ſtromat.

lib. de plãtis.

6.

Sed præterea necẽdi aduerſarijs quibuſdam preculis aut veneficijs.

Atque vt nihil in hac vanitate reliqui fieret, non ſatis habuerunt antiqui ſeipſos à vulneribus non reipſa, ſed ſtultà credulitatẽ immunes preſtitiſſe: niſi inſuper hoſtium vires ſiſtere, conatus impedire, irruptioneſque cohibere, & manus, armaque conſtringere, ac velut iniectis funibus ſuo arbitrio ligare, & ſoluere poſſent. Hoc vero efficiebant vel diris quibuſdam, ac imprecationibus obmurmuratis, vt in *auriga* contigit, cuius *equos* eiuſmodi preculis deuotos ab æmulo, & à curſu retardatos, Diuum Hilarionem liberaſſe teſtatur in eius vita S. Hieronymus, *hic igitur*, inquit, *æmulo ſuo habente maleficum, qui dæmoniacis quibuſdã imprecationibus, & huius impediret equos, & illius incitaret ad curſum, venit ad Beatum Hilarionem, & non tàm aduerſarium lædi, quã ſe defendi obſecrauit*. Vel aliquo veneficio ad id vtebantur, quale Amphion dedit Pelopi, quo *Oenomani* equorum velocitatem infringeret. vel denique στοιχείων, ſeu T*aliſmanicarum imaginum* virtute, id conſequebantur, tam in equis, quàm in hominibus vinciendis. Nam quantum his artibus aurigæ Circenſes vterentur, dictu propemodum videretur incredibile, ni rem ita ſe habuiſſe, planè ex Ammiano conſtaret, qui Hilarij, & Anchenij aurigarum veneficia detegit, & conſtitutio Valentini, Theodoſij, & Arcadij Imperatorum ſcripta in parte non fuiſſet, contra eiuſmodi artes;

leg. 9. C. de maleſ. math.

quas

Digitized by Google

quas exagitans pariter Caſſiodorus hunc in modum, de quodam
lib. 3. epiſt. 1. nobili auriga loquitur, *frequentia palmarum eum dici faciebat maleficum, neceſſe eſt enim ad peruerſitatem magicam referri, quando victoria, equorum meritis non poteſt applicari*: & Arnobius inter
libro 1. Magorum fraudes enumerat, *ſine clauibus reſerare, quæ clauſa ſunt, aut ora ſilentio vincire, aut in curriculis equos debilitare, incitare, tardare*.

7. *imaginibuſque Taliſmanicis quarũ maxima vis, & auctoritas*

Hæc autem omnia quamuis vt antea dixi variâ ratione fierent, præſtantiſſimus tamen ſemper habitus eſt *imaginum* modus, quas τετελεσμένας dicebant vt pote cæteris difficilior, & qui ab eruditioribus tantum, cœleſtiumque virtutum peritis vſurpari poſſet ad res noxias, & catharmata, quibuſdam ex locis, vel perſonis auerruncanda: vnde apud Cedrenum Anaſtaſius Theopoleos Epiſcopus, multas eiuſmodi imagines Apollonio tribuit, quia omnium erudtiſſimus fuiſſe, & ſecretorum naturæ conſcius fingitur ab Philoſtrato *Apollonij* inquit *hodie etiam in pluribus locis opera perſeuerant, & efficacia ſunt; aliâ quadrupedibus ac volucribus damnoſis auertendis, alia ad inordinatos amnium curſus inhibendos*; quibus verbis *Lycum* amnem intelligit, quem vt habetur in Cedreno, ne Bizantium eluuione mergeret, deuinxit Apollonius, idemque, ſi Philoſtrato, Tzetzi, Vopiſco, multis que alijs auctoribus credendum eſt, tot alia præſtitit vanitatis iſtius magicæ miracula; tum Antiochiæ, tum vbique ferme gentium, in expellendis ſerpentibus, ſcorpijs, culicibus ciconijs, & id genus alijs animalibus noxijs, vt etiam ſi, non antea quidem validiſſimis rationibus probaſſem in *Apologia* pro viris illuſtribus falſo de criminè magiæ inſimulatis; huius philoſophi hiſtoriam eorum omnino ſimilem eſſe, quæ de *lamijs*, & *pectinibus Solis* dicuntur, aut quæ Lucianus de *Caulomicetibus* refert quibus fungi erant ſcuta, haſtilia vero virgulta aſparagorum; ſatis ipſa me, vt hoc de illa penitus haberē perſuaſum, inducere poſſent. Verum vt quod antea propoſui, de Taliſmanicarũ imaginum vſu, quoties vis aliqua, aut pernicies, vel auertenda vel inferēda eſſet, illud demoſtrē huius certè exemplum illuſtre habetur apud Photium in Olympiodoro, vbi narrat *Regium* metropolim eſſe τῆς Βρεττανίας, ſeu vt alij legũt τῆς Ιταλίας, vnde Alaricus cum vellet traijcere in Siciliam, prohibitus fuit à *ſtatua magica*, quæ traiectum impediebat

facta

facta enim fuerat à veteribus vt *Aethnæ montis ignes auerteret*, & Barbaros ne in Siciliam tranſirent prohiberet; proptereàque in vno pede ignem inextinctum fouebat, ex altero vero aquam indeſinenter ſcaturientem emittebat: ſed hac demum confractâ ab Aeſculapio, qui in Sicilia Conſtantij, & Placidiæ ſororis Honorij, & Arcadiæ Imperatorum poſſeſſiones curabat, inſula hæc, & ab Aethneô igne, & à Barbarorum inundatione grauiſſimas poſtmodum experiri cœpit calamitates. Quibus paulo infra, ſimile quiddam aliud ſubiungit, *de tribus ſtatuis magicis*, adeo fauente, & blandiente potentiori Cœlorum influxu conflatis, vt Barbarorum vim omnem, atque impetum ab Imperio Populi Romani ſubmouerent: quaſi ad inſtar illarum eſſent conflatæ, quas Helinandus frigidi montis monachus in chronico, & Alexander NeKanus in libris ſuis de rerum proprietatibus, ea arte fabrefactas à *Virgilio* fuiſſe referunt, vt quoties gens aliqua Barbara in Romanos moueret, continuo ſtatua, quæ iſtius populi nomen ſcriptum in fronte habebat, digitum ad excubantem in Capitolio, eius rei causâ ſacerdotem, protenderet, tintinnabulumque manu altera moueret, ſignum magnæ confuſionis, & calamitatis futuræ, ni tempeſtiuè huic à Romanis prouideretur. Nempè tantum illo tempore *magiæ characteriſticæ, ac fuſoriæ* conceſſum fuit auctoritatis, vt ipſa, firmum etiam exiſtimaretur eſſe aduerſus ingruentes, & irrumpẽtes Barbaros præſidium; ita quidem vt Photius eodem capite referat, *Libanium* quendam magiæ ſtudijs apprimè celebrem, & eruditum; profeſſum fuiſſe, multa ſe aduerſus *Barbaros*, patrare poſſe admiratione digna, abſque vllis militibus, & ex perimento etiam verbis auctoritatem feciſſe; ſed iuſſu Placidiæ necatum poſtea. Quod ſanè reducit mihi in mentem pollicitationes vanas cuiuſdam auctoris ineptiſſimi, qui ſub ementito famoſi illius Aſtronomi Arabis, Thebit Ben Corath, nomine libellum de tribus *imaginibus magicis* edidit, quibus ſtultè pollicetur multa ſe facturum aduerſus potentiſſimos exercitus, ne prouincias alienas inuadere poſſint, quæ cuncta promittere.

Quis dubitet, quin magna ſit hoc rationis egeſtas?

Iam vero ſi de reliquis artibus dicere vellẽ quibus *Aliptæ* ſuos Athletas muniebant, contra vires, & lacertos æmulorum: *Agitatores* equos in circo retinebant; *Veſtales* mancipia fugitiua, ſed nõ- 8. *Et aliis artib.*

dum

dum tamen vrbe egreſſa ſiſtebant hoſteſque numeroſi victoriam alijs de manibus eripiebant; nimius profectò eſſem, & tædium potius tibi, quàm voluptatem afferrem, cùm notiſſima ſint quæ refert
lib. 8. Arnobius de pugna *Aſſyrios* inter, & *Bactrianos* Nino, ac Zoroaſtre ductoribus, non ferro tantùm, ſed magicis, & reconditis Chaldeorum diſciplinis commiſſa; quæ Vopiſcus in Aureliano, & Spartianus in Heliogabalo, de Romanis, certo carminum, & ſacrificiorum genere *Marcomanos* aditu in ſuas terras prohibentibus: quæ Zonaras in AnaſtaſioDichoro de *Bulgaris* qui magica præcãtatione vſi Romanos ſuperarunt: quæ Gre-
lib 4. hiſtor. cap. 29. gorius Thuronenſis de *Hunnis*, ſeu *Chunis*, quos ait ſuis præſtigijs Sigebertum viciſſe; quæ Curopalates de Ioanne Morochaſurio Theophili Imperatoris præceptore, qui percuſsâ malleis quibuſdam æreis tricipiti ſtatuà, in Euripo circi Conſtantinopolitani tres fortiſſimos *Bulgarorum* duces interemit: quæ Saxo
li. 3. hiſt. dan. in Hiſt. ſeptẽ. Grammaticus de *Odone* pyrata & *Haquino* Noruego; Olaus ma-
in Hiſt. Boem. gnus de *Biarmenſibus*; Dubrauis de *Syderio*; quæ Cromerus denique de *Tartaris* narrat, vexillũ quoddam gerẽtibus, cuius in cuſpide, figura erat capitis humani barbati, nebulamque fœdiſſimam & denſiſſimam aduerſus Polonos inhalantis, quam dum illi ferre non poſſent, cæſi tandem à Barbaris, ac fugati ſunt.

9. *Damnati inter Chriſtianos.* Quibus ſimiles alias narrationes, ſi propemodum infinitas afferri poſſe dixero, equidem non mentiar, cùm hiſtorici fere omnes, dum ex vulgi fæce hauriunt indifferenter, quæ in ſuos annales referant, nulla in re grauius, aut frequentius peccent quàm in ſcribendis eiuſmodi fabulis, quæ ipſos poſtea fabulas eſſe faciunt toti ſapientum, & bene cordatorum virorum collegio: ſed ita ſunt, fueruntque ſemper tempora, vt pauci quos æquus amauit Iuppiter, ea dignoſcere poſſint, quæ vera ſunt,

Iuuenal. *atque illis multum diuerſà, remotà*
Erroris nebulà

quod equidem etſi ætate illa ſequiori, quæ dæmonum imperio velut mancipata fuit, vtcumque tolerari potuerit, neſcio tamen quomodo hac noſtrâ, quæ tot ſæculorum anteactorum exemplis erudiri, totque ſalutaribus præceptis, ad veram pietatem informari commodiſſime poteſt, hoc ipſum non ſummopere damnari debeat. Si enim falſa ſunt quæ de victorijs illis referuntur, vbi

vbi eorum ſapientia qui talibus nugis bibulas aures accommodant? ſi vera, vbi Chriſtianorum pietas, qui *principem huius mundi foras eiectum à Chriſto, & ligatum ab Angelo vt non ſeducat amplius gentes*, quaſi poſtliminio reducunt? eique ſacrificia offerendo, idololatriam renouant, toties à Chriſto eiusque veris ſectatoribus prohibitam: & tamen proh Dei, hominumque fidem? quid inter nos frequentius, quàm eiuſmodi flagitia, vel falsò credita, vel verè patrata? dicebat Horatius de ſuis temporibus loquens lib 2. Ode 1.

Aetas parentum peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Sed quis non idem de hac præſenti ætate dicat? cum in hanc 10.
omnia ſuperiorum temporum inquinamenta, vanitates omnes, Idololatriæ, ſuperſtitiones, obſeruationes fatuæ, ridiculæ, impiæ, tanquam in ſentinam defluxerint, nullique vſui ſit apud nos vera, & ſincera religio, niſi vt ea mille modis abutamur, in ſacris iſtis *Hecatis*, & profanis; quibus vt quiſque vehementi aliqua libidine ducitur, ita confeſtim mentem applicat, quo voti ſui compos fieri poſſit. Atque hęc cauſa eſt, cur milites Chriſtiani, nihilo ſua religione quæ talia prohibet, vel longo rerum vſu qui vana illa & ridicula coarguit; paganis ſapientiores facti, dum verſari inter horrida ſine metu, & abſque damno pericula ſubire cupiunt, tot indigna committant hominibus ſanæ mentis, nedum Chriſtianis, in amuletorum compoſitione. Solebant equidem priſci Gallorum reges, ſacras quasdam Sanctorum reliquias, & Chriſtianæ pietatis monumenta, ſecum in caſtra deferre, propter ſpem quam habebāt in Diuorum auxilio, quibus ab illis iſtud honoris habebatur; cuius rei teſtem laudare poſſum Vualafridum Strabonem in libro de quibusdam rebus ad Miſſarum ſolemnia ſpectantibus, vbi *dicti ſunt* inquit *Capellani primitùs à Cappa B. Martini, quam Reges Francorum, ob adiutorium victoriæ, in prælijs ſolebant ſecum habere, quam ferentes, & cuſtodientes cum cæteris Sanctorum reliquijs clerici Capellani cœperunt appellari*; & Iſraelitæ antiquitus ſummum perfugium, tutamenque habebant in *Arca fœderis*, quam propterea ſecum in bellis ferebant, vt hoſtibus ſuis terrori eſſet; ſic enim Philiſtæi in primo Regum, cum capite 4.

Et noſtræ ætatis milites qui non vno modo hac in re inſaniunt.

cogno-

Digitized by Google

cognouiſſent quod Arca domini veniſſet in caſtra Hebræorum, timuerunt valdè *dicentes quænam eſt vox clamoris magni in caſtris Hebræorum? venit Deus in caſtra:& ingemuerunt dicentes ve nobis, non enim fuit tanta exultatio heri, & nudius tertius; ve nobis quis nos ſeruabit de manu Deorum ſublimium iſtorum*. Verum quo nunc abijt confidentia illa in Deum, aut eius Sanctos,& quid horum loco, quod abſurdum & impium ſit milites hodie non committunt,libros omnes damnatæ lectionis conquirunt; tenebriones adeunt, quos profanarum artium callentiſſimos eſſe ſibi perſuadent; impoſtoribus omnis generis ludibrium debent, nec vetulas contemnunt, ſed pannuceas,Baucides, anuſque delirantes in gallinario tanquam Sibyllas conſulunt; vt περίαπτα quædam, & vulnerum ἀποζέσματα, ſeu quemadmodum ipſi loquuntur *ſchediasmata militaria*, ab illis obtineant; quibus è collo ſuſpenſis, aut thoraci inſutis, vel deglutitis auidè, alioque modo geſtatis, non amplius illis pertimeſcendæ ſint glandes plumbeæ, non acinaces Turcici,non claua Hungarica,non mors denique, aut periculum in foco vel aqua; eo vſque efficaci & exploratâ ſi Dijs placet, & impoſtoribus credendum ſit, ipſorum virtute, vt ſi in æſtu febrili, chirurgus venam tundat, niſi depoſito tantiſper ſuperſtitioſo carmine, fruſtra conetur ſanguinem elicere. Nempe hæc ſunt præclara,& mirifica ſecreta,propter quæ *Cælũ* fatigat Aſtrologus, & Phyſicus *Elementa* flagellat, & Magus ſollicitat *Tartara*: hæc ſunt quorum causâ vigent adhuc,& florent inter Chriſtianos, quæ prorſus occidere debuiſſent *Phylacteria* Hæbreorũ, *Stoichoea* Græcorum, *Thalismud* Arabum, & Latinorum *incantationes* atque *carmina*; imo vero his ſeruiunt *Pſalmi Dauidici*, his *Euangelia* famulantur, his *Sacraſcriptura* mancipatur; quam nefandis ritibus violant, profanè inuertunt, temerè decurtant, explicantque ſuo vel dæmonis modo;cui vt nulla ex parte Idololatriâ non præſletur, nefarias etiam quorundam precum formulas excogitarunt, quas vel *Sancti Vbaldi*, vel *Leonis Papæ* nomine, contra omnia mundi pericula breui enchiridio comprehenſas, circumferunt, & recitant. Quid plura *radicem Cicorij*, die feſto Sancti Ioannis, paulo ante auroram argento tangunt, ferroque per gladium Iudæ Machabei, & alia verba, quæ non referre ſatius eſt, expiato, multis præterea additis ceremonijs, eam

èter-

è terra eruunt, & ſecum portant contra aduerſa omnia: *Induſium* etiam non quale Mars habuiſſe dicitur adamantinum, ſed quod à *neceſſitate* in qua geſtari ſolet nomen ſortitum eſt, tot profanis ritibus conſuunt, tot characteribus viſu ipſo terrorem incutientibus, opere phrygionico diſtingunt; vt ſi illud à ſe viſum apud eximiæ nobilitatis hominem non teſtaretur medicus ille qui de præſtigijs demonũ libros edidit, merito ab Eccleſia dãnatos, vix Ludouico Charondæ iuriſconſulto Gallo doctiſſimo, & Simoni Maiolo, ac Iacobo Boiſſardo mira ac prorſus inaudita de eius ſuperſtitioſa elaboratione referentibus, credendum vnquam eſſe mihi perſuaſiſſem. Denique annulis in quibus πάρεδροι ſeu *comites ſpiritus* recluduntur, vbicumque nanciſci illos poſſunt, non veros quidem vt ipſi putant, ſed fictos ab impoſteribus, minuto aliquo ſerpente ferreo, qui licet intra palam concluſus, variè tamen mouetur, prout impoſtor fruſtum magnetis quod in manu tenet, huc & illuc conuerterit, illos inquam emunt grandi pecuniâ, tanquam Vliſſipone vel Conſtantinopoli aduectos, & *loco theſauri carbones*, poſtquam tamen nulla amplius fieri poteſt nummorũm redhibitio, ſe habere depræhendunt; eodem prorſus fato cum Romanis, qui dum ſingulis rebus ſuos genios aſſignant teſte Prudentio

lib. 4. cap. 15. de præſt. in varijs quæſtionib. colloquio 3. tom. 2 cap. 6. de diuin.

aduer. Symmachum.

Quamquam cur Roma Genium mihi fingitis vnum?
Quum portis. domibus, thermis, ſtabulis, ſoleatis,
Adſignare ſuos Genios perque omnia membra
Vrbis, perque locos, Geniorum millia multa
Fingere, ne propria vacet angulus vllus ab vmbra

ipſi interim nec Genium, nec ingenium vllum, ſaltem hac in re habuiſſe cognoſcuntur.

11\. Sed riſum precor contine Ludouice Comes, dum extremum tibi dementiæ conatum repræſento, quem ante quindecim, aut ad ſummum viginti annos *Erneſtus Burggrauiuis* edidit, homo non ita quidem eruditus vt videri voluit, quandoquidem omnẽ elocutionem, floſculoſque, & venuſtates, quibus ſuo operi decor præcipuus acceſſit, ab eo mutuatus eſt, qui illi eiuſdem penitus ſtyli epiſtolà præiuit, ſed longè magis ineptus quàm facile ſibi quiſquam perſuadeat; cùm neglectis aliorum humilibus curis, qui ſecuritatis ſuæ pignus conſtituebant in preculis quibuſdam

Vt præter alios ex Burgrauij Achilles redimito, & inuulnerabili pateat qui totus explicatur.

ob

obmurmuratis, herbiſque, vel lapidibus ſuperſtitioſè geſtatis; ipſe ex principijs *Magneticæ philoſophiæ*, arma quædam fieri poſſe meditatus eſt, quibus, vt inquit, de repente bellator indutus, hoſtem adoriatur intrepidè, & ingentem in acie conſternata, terrorem vndique cateruis obuerſantibus incutiat, ferociſſimoſque duellatores, *virtute Magnetis naturalis inuiſibilis magico phyſicâ*, faſcinatos, omni robore animi, corporiſque exuat. Horum igitur elaborationem fieri debere contendit in officina naturæ, in qua nihil ſit conſecrationum ſuperſtitioſarum, nihil impiarum coniurationum; ſed materia primũ ex *Electro Vulcano phyſico* præparata; ignis *fulminator* ſeu, quod diceret Apuleius, *Tonitrualis*, & quemadmodum in opere martiali conuenit, reliquarum rerum quę ad hoc neceſſariæ ſunt *martialis diſpoſitio*, cœli videlicet, aeris tempeſtatis, temporis, diei, horæ, momenti, inſtrumentorum, & Fabri præſertim: cuius animus, vox mores, martium quid ac truculentum ſpirare debent; Pro *Electro* autem *Vulcanio*,
lib. 33. c. 4. non hoc recipit, quod Plinius ex quinta Argenti portione, cum Auro permiſta fieri poſſe docuit; quale erat illud quo Menelai Regia ſternebatur, & Alexandri Magni numiſmata cudebantur, tempore Seueri imperatoris: ſed quoddam aliud corpus requirit ex ſeptem metallorum liquatione conflatum; cui Paracelſus homo ille multorum nominum potius quàm boni nominis, adeo ſtupendas vires attribuit, vt in libro ad eius virtutes aſſerendas compoſitio nihil eſſe dicat, quod illud præſtare non poſſit aduerſus venena, maleficia, morbos omnis generis, infeſtos ſpiritus, genios, Laruas, & quicquid vſpiam homini noxium excogitari poteſt: vt minus proinde mirum ſit, quod Burggrauius hoc metallum, per certas, definitaſque reliquorum portiones, quas *doſes* medici vocant, ad *Panopliæ* ſuæ fabricationem temperare docuerit. Verum quid, ipsà materià iam ad incudem delatà, & inſtrumentis omnibus martiali ritu præparatis, vlterius Fabro curandum eſt? *ſtabit* inquit ille *ad fabricam obfirmato animo, & imaginatione fortiter eleuata & affectu exaltato; tum voce iracunda, aſpera, infracta, raucà, minaci, atroci, vno verbo martiali, oculiſque in Baſiliſci morem vibratis, operi irradiabit, & martialiter aſpirabit, voces quasdam iracundas atroces, imprecationumque, & odij in hoſtes plenas*, quas ille verſibus aliquot comprænhendit, ſtylo nimirum

rum pugnaci, & bellicoſo. Poſtea ad *amenta* tranſit, quibus arma inter ſe religantur, aptanturque corpori, quæ ex crudo Hyenæ, vel Lupi corio, è viuente belluà detracto præparat: *enſem* prætereà, *clauam*, *tela* varia, *fiſtulas militares*, *calcaria*, *ſoleas equorum*, *lupata*, & *equum ipſum*, tot rerum futilium, infectionum, potionũ apparatu inſtruit, vt miſerum ſit hominem, eo dementiæ, & ſuperſtitionis ſi neſciens fallit, vel impudentiæ, ſi fucum facit, deuenire potuiſſe. Demum vero cùm hæc arma nullius momenti fore videret, ſi malè animato induerentur, quod reliquum erat, ne poſtremum aliquem ſtoliditate haberet, *aqua magnanimitatis* ſecretum propoſuit; ſed illud quidem tot ambagibus inuolutum, circũſeptumque tenebris, & ignorabilibus lineis deſcriptum, vt cùm ipſo Maximilianum Primum in bellicis, cæteriſque grauioribus negocijs, vſum fuiſſe dicat, neminem credo dignum iudicauit, qui poſt tantum Imperatorem, eius aquæ fortunato hauſtu, magnanimus euaderet.

Hæc autem, Comes Ludouice, eo lubentius in hunc locum attuli, qui maximè mihi conueniens viſus eſt, quoniam non potes ſummopere non delectari, iſtius commenti nouitate, quod mirificis pollicitationibus, non aliter quàm *Melluſinæ* noſtræ, aut *Arturi* Britannici, vel *Malagiſij*, fabulæ ſuauiter tibi animum demulcere poterit; tum etiam, quod multi poſtquam hæc ipſa viderint, quæ ad te de Achille rediuiuo retuli, minori forſan deſiderio tenebuntur, vlterius inquirendi, in eius hiſtoriam, quam dum ex titulo tantum metiuntur, adeo quidem amplo, & magnifico, vt *propter hunc vadimonium deſeri poſſit*, egregiam illam & valde vtilem fore concipiunt; interius vero cùm penetrant, nihil quod operæpretium ſit inueniũt. Vnde melius conſuluiſſet ſuo nomini Burggrauius, ſi quemadmodum Virgilius, quò falſa eſſe ſignificaret, ea omnia, quæ de campis Eliſijs dixerat, Aeneam introducit proripientem ſe ab illis per eburneam portam, de qua prius ille monuerat quod 12. *Refellitur que varijs rationibus.*

Sunt geminæ ſomni portæ, quarum altera fertur
Cornea, qua veris facilis datur exitus vmbris.
Altera candenti perfecta nitens Elephanto,
Sed falſa ad cælum mittunt inſomnia manes.

ita ille laudem tãtum ex inuentione ſibi quæſiuiſſet, non autem

Bb ex

6. Aeneide. ex veritate quæ nulla in eiusmodi ſomnijs, ac delirijs eſſe poteſt, ſed non potuit homo nugaciſſimus, non reliquorum more facere, quibus id vnum in mente tantum eſt, vt poſſint ſe Iaſonis inſtar *ferre ad aurigera caput arboris*. Nimirum fœcunda mendaciorum *Alchymia*, fœcundos etiam fabularum reddit, qui vltra quam ſatis eſt, eius ſacris operantur, & ex arcano quodam nouiter in ſinu naturæ detecto, facillimè illos in ſpem adducit quorumdam aliorum, quæ in illo pariter recondita latere ſibi perſuadent: hæc vero cum effectu conſequi non poſſint, ſaltem affectu venantur, & quæ re vera numquam viderint, cogitatione tamen depingunt, quaſi ea explorata haberent. Hinc igitur *Elixir vitæ* profluxit; hinc *aurum potabile*; hinc *Metallorum tranſmutatio*, & *Chryſogonia*, vel *Chryſopœia ſecreta*; hinc *Elias Artiſta*; hinc *hominum non Adamicorum* generatio; hinc *Electrum Vulcano phyſicum*; & ab Electro *arma*, quæ nullius corporis violentia percellat; hinc *Biolychniū*, ſeu *Lucerna vitæ*; hinc *vnguentum armarium*, & *curatio morborum magnetica*; hinc *generale Alexipharmacum*; hinc *palingeneſia plantarum* è cineribus Hermeticis ſuſcitatarum; hinc denique vt omnium extrema, ſic ineptiſſima *fratrum larualium*, quibus *à Roſea cruce* appellatio indita fuit, Societatis hiſtoria; quæ omnia ſi quis in rerum natura exiſtere crediderit, is immane quantum à recto, & vero aberrat: etenim quantumuis penitiſſimè in illa inſpiciatur, nihil vnquam aliud eſſe deprehendentur, quàm vel hominum vota, qui naturæ vires, & ſecreta non ſatis cautè perquirunt, vel fraudes, ac mendacia nonnullorum, qui famam, aut nummos aucupantur; quemadmodum olim fecere ſuis technis callidis & vafris impoſturis *Trithemius, & Agrippa*. Nec forſan à veritate longius aberrabit, qui idem de Burggrauio iudicium feret, cùm Marcellus Vrancheim qui ſtylum illi, ac præfationes commodauerat, ingenuè poſtea faſſus ſit, in epiſtola quadam ad Arnaldum Honorium à Boecop Societatis Ieſu Theologum, *ſe nimis ſuperſtitioſè & re inexplorata, iſtius hominis amicitiam habuiſſe, qui neſcio quid ornamenti à calamo ſuo petebat Pyrotechinæ & arcanis quibuſdā Eleuſinijs ſpagiricis, quorū ille penes ſe κέρας ἀμαλθείας profitebatur*; non tam vt aliquid dolo malo, vel pro ſuperſtitione ageret, quā vt edita Panopliæ iſtius mirabilis, & Biolychnij præparatione, ſe quoque poſſet tollere humo, & aliquid aliud cōſequi,

ſequi, quod Marcellus ſatis habuit, ne amicum in Scena iugulare, his verbis indicare *facile venaturam facis quid rei ſit reliquum.* Ego vero quid Honorius venatus ſit prorſus ignoro, ſed quantũ ad me attinet, nihil aliud ex eiuſmodi verbis ſuſpicari poſſum, niſi quod Burggrauius, hæc duo ſecreta in vulgus emittere voluerit, tanquam illicia transmutationis illius metallicæ, qua ſe multos poſtea nummis emuncturum ſperabat. Hæc enim eſt *fatalis chymiſtarum Helena*, quæ ſuis raptoribus perniciem accelerat; Hæc *Diana*, quam vt nudam videre poſſint incauti homines, non à canibus ſuis, vt Actæon: ſed ab expenſis lacerantur; hic denique *lapis ſcandali* cuius conſequendi gratià, non modo bona ſua dilapidant, ſed bonæ mentis iacturam faciunt, & tantum non in lapides, aut ſaxa conuertuntur. Verum vt *Achillis Burgrauiani* mera vanitas, & impoſtura à prima ſua radice innoteſcat; animaduertendum in primis eſt, eandem illius, quæ & ſimilium aliarum fuiſſe originem, nempe ab impio illo; & ſuperſtitionum omnium, quas vnquã humana mens ſibi fingere poteſt promo condo *Theophraſto*; hic enim vt erat naturà *leuis, & nugaciſſimus*, profeſſione *Medicus*, conſuetudine ferme ſemper *ebrius*, ita philoſophiam ſuã, tam inæquali rerum mixtione temperauit, vt longe plus in illo valuerint natura, & conſuetudo, ad congerendas futilitates, quaſi per ſaturam, quàm Medicinæ profeſſio, vt iſtud tantum quod homine recti, & honeſti ſtudioſo, dignum eſt, in ea conſcriberet. Vnde præter innumeras hæreſes quas excogitauit cum *Luthero*; præter magicos characteres, ritus, ſuſurros, quos *Agrippa* præmuniuit; præter tot fabulas, quas à *vetulis*, vt ipſemet fatetur, *ſagis, ruſticis, circumforaneis* in medicorum officinas reduxit; multa inſuper ex ſuo, & chymiſtarum ingenio commentus eſt, omnino abſurda, & ſi primo ſtatim aſpectu non talia eſſe, ſed fundamentum aliquod, in naturæ myſterijs occultioribus habere videantur: qualia ſunt quæ nos ſupra aſſignauimus; & inter hæc præſertim noua illa confuſio metallorũ inter ſe ad *Electri Vulcanophyſici* compoſitionẽ, *oleum ex ſanguine ſeu fæcibus humanis deſtillatũ*, ad vſum lucernæ inextinguibilis, *& vnguentum ſympatheticum*, ſeu *curatio vulnerum magnetica*, de qua nobis etiam paulo infra dicendũ erit; ita vt qui libros iſtius hominis tot prodigioſis narrationibus, refertos, diligenter euoluerit, illi quoque neceſſariò fatendum

ſit, totum hunc auctorem ex fallacijs, fraude, mendacijsque fuiſſe conſutum. Nihilominus tamen quia *nullum eſt tam impudens mendacium quod teſte careat*; nec vlla opinio tam abſurda excogitari poteſt, quæ nauci quoſdam homines non inueniat, quibus perſuaderi poſſit; ita non defuerunt multi, qui ex talibus ouis pullos excluderent; hoc eſt qui Paracelſi contemplationes, ex theatro naturæ ſpeculatiuæ, in eiuſdem, per varios ignis gradus vexatæ, fornaces traducerent; ac inter alios Burggrauius ex oleo humano *Biolychnium* illud concinnauit, quod ſingulas hominis è cuius ſanguine elicitum fuit, diſpoſitiones repræſentet, nec vlla vi extinguatur, niſi eodem ſimul animam efflante: ex *Electro* vero arma cudit *Achilli ſuo rediuiuo* qualia ſuperius illa fuiſſe diximus: ſed quàm ingenuè aut rectæ rationi conuenienter iſtud præſtiterit, hoc ſane in præſentia diſpiciendum eſt. *Electrum* igitur ſumit eo potiſſimum nomine à Paracelſo laudatum, quod ſeptem in ſe metallorum virtutes contineat, & cœleſtes nonnullos influxus, quos ab aſtris in ſuæ fuſionis momento recipit; ſed quis vnquam dummodo mentis ſuæ compos eſſet, de hoc ſiderali defluuio poſt Ariſtotelem non dubitauit, maximè cum ad eiuſmodi minutias operationum pertrahitur; aut quis alias metallorum virtutes agnouit, præter manifeſtas, quarum participatione concreſcunt, durantur, liquantur difficulter aut facilius, pro illorum materiæ diſpoſitione? nugacium tantum eſt, & otio diſciplinisque præſtantioribus temerè abutentium, acutius in illis videre, & occultum neſcio quid rimari, quo ſemel admiſſo, ruũt iſti per vetitum nefas, fraudeſque omnes, & impoſturæ quà datà portà ſeſe in hominũ pernicie inferunt, nõ aliter certè quàm

Horat. od. 3. lib. 1.

Poſt ignem ætheria domo
Subductum, macies, & noua febrium
Terris incubuit cohors.

Verũ quid poſtea Burggrauius? experiẽtiam laudat, ſed qualisnã illa Deus bone, & quã ridicula? Paracelſus inquit ille, *annulos* digitis geſtari ſolitos ex hoc electro fudit, quos quicũque induiſſet, nũquam vel ſpaſmo, vel odontalgià corriperetur, ſed nec in epilepſiam incideret, aut ab immundis ſpiritibus vexaretur. At hæc pauca, & in Hermetica philoſophia, que tota ex ſigillis, & characteribus conflata eſt, adeo frequenti vſu trita, vt magnam electro

Vulca-

Vulcano phyſico auctoritatem conciliare non poſſint: viſum igitur à ſe in Hiſpania narrat, qui *tintinnabulum* ex hoc electro fuſum habebat, duarum plus minus librarum pondere, cuius pulſatione varia euocabat ſpectra, multis quandoque inſpectantibus, & hominum inſuper ferarumque monſtra, vel ad ſe cogebat vel diſpellebat iterum, pro nutu, & arbitrio. Papæ quid narras Burggraui, ergo Paracelſus Hiſpaniam adijt? imo ſi varia exprimenta colligas, quæ alibi gentium à ſe obſeruata refert, per vniuerſum orbem peregrinatus eſt, qui nedum ex Germania diſceſſit: ergo ſpectra vidit pleno meridie, ictu campanæ, velut canes ſibilo euocata; ergo tibi hac mentiendi, & quiduis impunè confingendi licentià, animos fecit, vt multa ſimiliter eiuſdem farinæ à te obſeruata referres: & *loricam Ferdinãdi* Aluaris Ducis Albani, ex electro magico fuiſſe conijceres; vt *Rotolandi enſem* eadem ex materia, & eiuſdem *cornu*, virtute magnetica præparatum diceres; vt *ſpeculo Virgilij* magnam vim ineſſe; & adulteros ac meretrices omnes qui in aula Regis Arcturi erant, tinnitu euiuſdam *æris magici*, è ponte ſe in aquam ſubter labentem dediſſe præcipites arbitrareris; vt denique tot nugas nugaciſſimas, tot ineptas, & ridiculas hiſtorias, tot fabulas, & Atellanarum exordia, in hunc librum congereres, quo fidem *Achilli tuo rediuiuo, & impenetrabili* poſſes aſtruere. Ad populum phaleras diceret alius, aſt ego qui nullum animal facilius decipi, turpiuſque traduci ſcio, quàm belluam illam multorum capitum, quæ animà tantum vtitur vt viuat, non mente vt ſapiat; ad prudentes viros, & ſapientes te amandabo, quibus riſum moueas, aut potius commiſerationem; ob caſum tot ingeniorum, quæ nimis quàm frequenter in illas ſyrtes, & ſcopulos volentes impingunt, vnde amplius non poſſunt abſque bonæ mentis iacturà ad portum enatare. At vero quoniam armaturæ materia per ſe non ſufficiebat, licet ex electro mirifico, ad inuiolabilem efficiendum Achillem rediuiuũ, *impenetrabilitatem* illi, & merito quidem adiungere voluiſti, ſed vnde vel quomodo? ab *imaginatione Fabri*; qui vero fieri iſtud poteſt? cum illa ſomnio ſimillima ſit, & in proprium ſubiectum debilis exiſtat, in alienum nulla, niſi rurſus ad gerras quas cõgeris recurrendum ſit: ſed tædet me profectò illarum, nec ſi Lucianus, aut Apuleius ſis, hoc à me obtineas, vt te de illis amplius patienter

 feram.

feram. An igitur à *voce* virtus illa profluet? nihil equidem minus, momẽtanea enim eſt aeris percuſſio, & φῶς ἐστι nõ δύναμις vnde φωνὴ dicitur; nec verba Fabri ferrea ſunt, aut fuſile aliquod electrum quod reliquis metallis miſceatur, tanquam ſi

fluat, æs riuis aurique metallum,
Vulnificusque chalybs vaſta fornace liqueſcat.

Forſan ab *aſpectu*? at ille ſi neſcis admiſſione ſpecierum fit, non emiſſione, ſeu defluentibus quibuſdam quaſi exuuijs, à re conſpecta ad oculum demiſſis, non foras è conſpectu erumpente lumine, quod cum alio externo iunctum coeat: nam quod ad iſtius emiſſionis fidem afferunt Platonici, de Baſilico, aut muliere quæ ſuperfluo ſangine per menſium interualla repurgatur; inefficax prorſus, & irritum videtur argumentum eſſe. Neque enim hæc vt vulgo creduntur, vera eſſe comperimus; & ſi Baliſcus hominem interficeret, aut mulier ita affecta pollueret ſpeculum, iſtud non viſione aut ei famulante ſpiritu; ſed tetro quodã, & diro vapore, qui foras vt ab ore, & reliquo corpore, ſic etiam ab oculis erumpit, & emanat. Reſtat igitur vt ab *expiratione anhelitu, exſufflatione* temperies illa proueniat; quaſi vero Faber

Sanguinis expirans calidum de pectore flumen,

illud in electrum verſaret? ac non potius fumum tenuem è pectoris foculo protruſum, qui ſtatim in auras euaneſcit. Malè igitur literis inauguratus ſit oportet, qui præter nugas, & fabulas, quicquam aliud in operibus Burggrauij venantur, cùm illa ſi breuiter quid ſentio proferendum ſit, nihil aliud ſint, quàm

Lucan.

Gerræ Germanæ. & Aedepol Lyra Lyræ.

Et docetur naturalis ferri purgatio ad armorum impenetrabilitatem tum etiã calybis ad gladiorum preſtantiam lib 7.

13 Rectius autem hi ſuo nomini, & vtilitati publicæ conſulunt? qui impenetrabilitatem illam armorum, ex ferri metallorumque purgatione, & certa præparatione, tanquã ex naturæ officina educere conantur; quemadmodum Cardanus in libro de vita propria, quem τοῦ μακαρίτου Alſarij Crucij munere penes me M.S. habeo, & in opere illo vario de ſubtilitate, factum ſuo tempore fuiſſe refert à *Galeatio Rubeo* Mediolanenſi, qui ferreos thoracas ita indurabat, vt æque facilè plumbeis glandibus obſiſterent, ac illi, qui vulgo *duplices* appellantur, quique præ nimio pondere vix etiam à militibus vitæ ſuæ cupidiſſimis geſtari poſſunt. Et ſanè cùm iſtius rei ratio in purgatione metallorum, aut eorundem induratione con-

conſiſtat; veramque artifex ille Mediolanenſis vſurpaſſe viſus eſt, qui longis ictibus, ac vi aquarum, tenues ferri laminas ita cõdenſabat, expurgato nimirum per ignem terreo, & aqueo excremento, vt coacta hoc modo in ſe materia, eandem omnino duritiem, quàm duplo craſſior alia, ſed non ita accuratè repurgata exhiberet. Enimuero quanam arte hæc duo in armorum præparatione obtineri poſſint, nemo, quod ſciam, fuſius, aut melius Ioãne Baptiſtà Portà edocuit, libro decimo tertio magiæ naturalis, qui totus eſt de re ferraria, nec etiam inutiles ſunt Cardanus loco iam antea à nobis laudato, & Antonius Mizaldus, qui centuria quarta, & octaua memorabilium, quædam acuendi, & ſolidandi ferri ſecreta proponit, à peritiſſimis, vt inquit, machæropæis accepta. Quibus vt aliquid ex humanioribus literis addã, quod te reficere, Ludouice Comes, atque oblectare poſſit, memini me quædam legiſſe in Plutarchi Demetrio, quæ non multum ab eo quod Cardanus de Galeatio Rubeo aſſerit, ſint diſſona, ſic enim ille *Demetrio duo ſunt ex Cypro Thoraces allati ferrei, quorum vterque quadraginta minarum erat; eorum robur cum vellet* Zoilus *fabricator oſtẽdere, iuſſit aduerſus illos triginta paſſuum interuallo ex catapulta telum admitti, quo quidem facto adeo firmiter vim teli ſuſtinuerunt, vt nihil in illis relictum ſit, præter lineam quandam, quæ non teli cuſpide, ſed penicillo potius confecta videbatur. Horum altero virum audaciſſimum, ac robuſtiſſimum omnium qui cum Demetrio erant Alcimenum Epirotam eo bello vſum fuiſſe tradunt, ſolumque arma duorum talentorum geſſiſſe, cum alij vnius duntaxat talenti armis vterentur.* Quomodo vero talis durities ferro concilianda ſit, rem equidem eſſe exiſtimo: quæ vnà forſan cum artifice, & inuentore ſuo perierit, tam pauci, ſunt hodie, & antiquitus etiam extiterunt, quibus cognita hæc, liquidoque perſpecta fuerit! Quanquam exiſtimo ego, modum quendam eius conſequendæ, fuiſſe ab Homero propoſitum per ſimilitudinem illam, quam affert in Odyſſea à Fabro Ferrario, qui ſecurim, vel aſciam in aquam frigidam immergit, quo duriores illas efficiat: nõ ſecus ac hodie noſtri etiã artifices facere ſolent in ferri tractatione, & malleatione, dum libro 9.

Inter ſe magna vi brachia tollunt

In numerum, verſantque tenaci forcipe maſſam.

quemadmodum inquit Virgilius de priori, & vulgari ferri præ- Eneide. 8.

Digitized by Google

paratione,cui tandem altera ſuccedit rectè;eleganterque ab Ouidio expreſſa.

Metam.12.

Terribilem ſtridore ſonum dedit,vt dare ferrum
Igne rubens plerumque ſolet, quod forcipe curuà
Quum faber eduxit,lacubus demittit.

qua in operatione cùm *Hiſpania* primas ſemper obtinuiſſe feratur,itaut Vulcanus illic *officinam*,& Mars *armamentarium* poſuiſſe dici poſſet;in eoque potiſſimùm nomine palmam illi inter cæteras Europæ regiones Georgius Agricola his verbis deferat, *qui Europæ regiones è quibus multa metalla quondam fuerunt effoſſa conſiderant;primas tribuunt Hiſpaniæ,ſecundas Thraciæ,tertias Britanniæ,quartas* Galliæ,*quintas Græciæ,quas reliquæ ſequuntur*:tum vero in Hiſpania *Bilbilis aquam* ſingularis ad ferri temperationem prærogatiuà fuiſſe ex Iuſtino didicimus, nec illud etiam Martiali indictum fuit, cùm patriæ ſuæ laudes celebraret.

lib.de veteribus metal.

lib.12.

Me multos repetita poſt Decembres,
Accepit mea ruſticumque fecit
Auro Bilbilis, & ſuperba ferro.

vellem tamen vt magis diſtinctè explicatum ab Auctoribus fuiſſet, qualis nam eius aquæ peculiaris virtus erat; quoniam omnibus aquis commune eſt,vt earum appulſu candentis ferri calor introrſum compulſus,fortiorque redditus,humorem ab ſumat,& ex ſiccitate maiorem duritiem adipiſcatur, partibus in ſe coactis, ac ſolidioribus factis. Alij tamen velut è contrario volunt aquam, ferri candentis quod in illam immergitur intimos ſubire poros, ac meatus, illoſque ita replere, aere qui intus latebat expulſo, vt ferri partes ſibi inuicem cedere amplius non poſſint, & frangantur potius quàm malleis cedant. Vnde Lacedæmonij quemadmodum obſeruat Plutarchus, numiſmata ex ferreis baculis conflare ſolebant,eaque cãdentia mergere aceto,vt diſrumperentur potius quàm in alios vſus conuerti, aut malleo tũdi poſſent;quod ſatis argumento eſt aquam & acetum intimos ferri meatus ſubire, cùm alioqui ſubſtantia, quæ nihil intus admittit, fragilis reddi nõ ſoleat. Multos tamen ſcio huic ſimplici præparationi parùm cõfiſos, operoſiores quaſdam excogitaſſe immergendo ferrum in *muriam,vrinam,ſuccum raphani, lumbricorum*, & ſimiles alios liquores,quibus tantùm tribuit Albertus Magnus,vt meâ quidem

Lycurgo.

ſen-

ſententià, parum differant ea, quæ dicit in ipſorum commendatione, ab illis quæ Burggrauius de *cultris* à Diuo Thoma, & ipſomet Alberto, ac Paracelſo fabrefactis, & ea temperie donatis narrat, vt illis, æmulatione forſan cum Tarquinio, cotem, & quæ vellent alia duriſſima, plumbi inſtar diſcinderent. Quod vero ad *purgationem ferri, & chalybis* attinet, hæc antiquitus Hiſpanis frequētiſſima erat teſte Diodoro, vt laminas ex quibus gladios, & arma procudere volebant, terra ad aliquod tempus operirent, quo illæ ferruginem, rubiginemque contraherent, & purgarentur: noſtra autem ætate Fabri Ferrarij cùm laminas, tum parata ex illis inſtrumenta fimo equino ſepeliunt, eadem prorſus experientià ducti; quoniam vt rectè conijcit Magius ex Platone, ferri ſubſtantia cùm impura, fœculēraque ſit, ac habeat terræ indigeſtam portionem non modicam, humo quodammodo macerata, marceſcentia excrementa exudat, indeque rubigine, tanquam ſcabie quadam obducitur, qua leuiter detersà purior euadit, vt in peruetuſtis enſibus, ac rubigine ſcabris videre eſt, qui poſtquam expoliti fuerūt, miram tum in incidendo, tum in fodiendo vim adipiſcuntur. Iſtis vero temporibus *Damaſci*, quæ totius Syriæ Vrbs vetuſtiſſima, & Regia eſt, ſtomoma in ſcobem redactum deglutitur ab Anſeribus redditumque conflatur in maſſam, ex qua arcus, cultelli, enſes, acinacesque vndulati maximà arte conficiuntur, *Damaſceni*, & ipſi vbique terrarum nuncupati; atque ob incomparabilem, & rariſſimam chalybis temperaturam, ſummo apud omnes in pretio habiti, itaut verutum ipſum, ſeu lamina alicuius enſis, aut acinacis centum aliquando aureis æſtimetur; nec iniuriâ ſanè, cùm eius chalybis ea vis ſit, vt vno ictu, nihil retuſa eius acie, militum galeæ diſcindantur, non magis illi obſiſtente ferro, quàm lignum vulgaribus gladijs repugnat; quemadmodum Turcæ ipſi magno ſuo damno aliquoties experti ſunt, in prægrandi, & ponderoſo *Georgij Scanderbechi* acinace, quem Piſauri in Vrbinatum Ducis armamentario, Eminentiſſimus tuus patruus, cùm hac in Flaminiam iter haberet, non ſemel vidit, & admiratus eſt. Vt nihil hic referre neceſſe ſit, quæ Sigebertus Gemblacenſis habet in Chronico de *lancea Regis Britonum Arturi*, quà ſeptuaginta ſupra quadringentos hoſtes vno prælio occidit; aut quæ Giraldus in hiſtoriam Galliæ ſatis leuiter, & inconſideratè retulit de Du-

[margin: in Timæo.]

[margin: lib. 3.]

randa.

Digitized by Google

randalo, vel *Durindano* Rotolandi Caroli Magni ex ſorore nepotis enſe, forſan à *duritie* ita appellato; præter quam enim nullus hæc παράλογα pro veris habebit, qui ſimiliter Dædalum, & aſinos volaſſe ſibi in animum non inducat, certum eſt adhuc, nihil hæc arma commune habuiſſe cum *Damaſcenis*; nec eius temperaturæ fuiſſe, vt cautes aſperrimas diſſecare; ſaxaque in fruſta comminuere potuerint.

14. *Mox ſchediaſmatũ ſeu breuium & eiuſmodi amuletorum vanitas ſimulque incerta Hippomanis natura detegũtur.*

His igitur pro veritate, & rei ipſius natura ſtabilitis, veniendũ eſt ad *ſyngraphas*, & *ſchediaſmata*, ſeu *amuleta*, quibus milites gregarij, ſuæ incolumitati apprimè conſultum exiſtimant, cùm illa ex collo pendula geſtarint; eorumque vanitas, & impoſtura primũ quidem experientiæ, deinde etiam rationum momentis demonſtranda eſt. Hoc vero neſcio an commodius vnquam fieri poſſit, quàm duobus exemplis, quæ ab hiſtoriæ noſtræ ſcriptoribus mutuari poſſum: narrant enim ſuperiori ſæculo cùm turbantibus omnia Sectarijs, Germanorum hæreticorum examina in Galliam irrupiſſent, & à Duce *Guiſio* octodecim illorum millia, quæ Baro Danou ducebat, penitus cæſa fuiſſent, ac internecioni data; huiuſmodi *ſchediaſmata* collo cæſorum fere omnium appenſa reperta fuiſſe, ab iis qui cadauera ſpoliabant; vnde profecto coniectãdum eſt, non modo debile, ſed nullum omnino in illis latere præſidiũ; tutiuſque facere eos qui prudenter, & callidè pericula deuitant, ſi forſan in ipſis occumbere timent, quàm qui temerè illa ſubeunt, tribus, aut quatuor damnatis carminibus confiſi. Quemadmodũ iidem Scriptores accidiſſe narrant, militi cuidam ex eorundem ſectariorum exercitu, eo tempore quo *Pictauium* vrbem in Gallia celeberrimam obſidione cingebant; hic enim æſtro furoris percitus, cùm impreſſio quædam tentaretur, audacius cæteris pedem intulit, & quaſi ſolus vrbem expugnare voluiſſet, ita ſe propugnaculis admouit, vt ſtatim imbre pilarum ferreo traiectus ceciderit; ſigno autem receptui dato, cùm Duces Catholici mirarẽtur quid iſtud audaciæ, & temeritatis in manipulario? alijque furore hunc aut inſaniâ agitatum; alij probroſæ mortis pœnam, quam ſcelere aliquo meruiſſet, huic forſan honoratiſſimæ commutatam ex Ducum indulgentiâ dicerent; placuit fune demiſſo corpus attrahi, & eccum in eius pectore *ſchediaſma*, cuius mirificam virtutem, ſuis commilitonibus proprio ſe, & euidenti periculo

culo patefacturum receperat. Quinimo in bello quod Carolus
Quintus Imperator contra Barbaraſſam in Africa geſſit, accidit
ſemel, vt Barbarorum triginta millia, ad occupandam turrim in
antiquæ Carthaginis tumulo ſitam; magno ſtudio, & velocitate
contenderent; præeunte *Mago quodam ſacerdote Numida*, qui ſu-
perſtitioſo vlulatu edito; ſpargebat circumquaque quaſdam *ſyn-
graphas*, quibus Chriſtiani nominis militibus dirum exitium im-
precabatur: ſed quàm ſibi ipſi funeſto exitu, confeſtim patuit,
quia Carolus ipſe promotis equitum, & peditum aliquot ordini-
nibus, Barbaros inuaſit, atque omnes celeriter mago ſacerdo-
te ante alios interfecto, terrore perculſos in fugam coniecit. Quid
vltra Turcæ potiti tota fere Epyro poſt mortem *Scanderbechi*,
eius ſepulchrum quod apud *Lyſſum* vrbem fuit, effoderunt, oſſa-
que tanti Herois religioſè direpta, ſibi quiſque qui fruſtulum ex
illis habere potuit, ituris in bellum pro amuleto geſtanda du-
xit. Et *Ziska* etiam *Thaborenſium* hæreticorum Dux, multum
Aeneæ Syluio, à præſenti in bellis audacià commendatus, cutim
vbi occubuiſſet ſibi detrahi, eademque tympanum pro Ouina lib. 3 cap. 46.
pelle intendi teſtamento ſtatuerat; futurum ſpondens militibus
ſuis, non minori terrore perculſum iri hoſtem, iſto ſonitu audito,
quàm conſternatus ante fuiſſet, ſeipſo in prima acie depugnante.
Quis tamen aut Turcas, aut Thaborenſes hereticos inſuperabi-
les propterea fuiſſe, minuſque periculis bellorum obnoxios, ſibi
ſanus perſuaſerit? præſertim cùm poſtremi, feroci illo Impera-
tore deſtituti, protinus oppreſſi à principibus Chriſtianis cecide-
rint, præclaramque illis attulerint occaſionem de impietate tri-
umphandi. Verumtamen reclamant quotidie huic opinioni mi-
lites, & vnà cum *remotarum artium* ſtudioſis ad experientiam ſi-
militer prouocant, vt multorum exploratà præſeruatione à pe-
riculis; de vi ac poteſtate ſuorum carminum, fidem miſeris ho-
muncionibus faciant, quorum credulitati qui malignè velit, poſ-
ſit etiam faciliſſimò negotio imponere: cùm tantus ſit eorum ſtu-
por, tamque peruicax ignorantia, vt quemadmodum Alcumena
in fabula *maritum ab adultero* nequiuit diſcernere, ſic ipſi vix in-
telligant *quantum diſtent æra lupinis*, prorſuſque vt ſatyrice lo-
quar *inguinis, & capitis quæ ſint diſcrimina neſciant*, ſed multa quo-
tidie vt ſibi explorata pronunciant, quæ ne quidem digna ſunt
lucu-

Digitized by Google

lucubrationibus anicularum. Et amabo quomodo poſſent hi mihi in animum inducere, vt credam præſeruationes illas quas iactant, potius à *ſchediaſmate* fieri, & *periaptis* illis ſuis, quàm caſu aut Fortunà. Maximè cùm ex ijs quę in ſequenti libro ſum dicturus, & ex militaribus hiſtorijs omnium pene nationum, liquidò conſtare poſſit, infinitos vitam omnem duxiſſe in periculis verſatoſque ſingulis diebus fuiſſe, inter hoſtium globos confertos, glandiumque, & telorum imbres ſuſtinuiſſe, ac primos in omni conflictu, manus conſeruiſſe, abſque quod tamen vllum vulnus, vel etiam leuiſſimũ acciperent. Refert enim Vopiſcus ex Theoclio Cæſarianorum tẽporum ſcriptore *Aurelianum manu ſua bello Sarmatico, vno die quadraginta & octo interfeciſſe, plurimis autem, & diuerſis diebus vltra nongentos quinquaginta,* neque tamen alicuius vulneris quod his in certaminibus tulerit, vſquã fit mẽtio: ſic *Georgium Caſtriotam* narrãt gentiles eius nunquam detrectaſſe pugnam, nunquam hoſti vertiſſe terga, nullo vnquam in diſcrimine metu occupatum, & quod rei caput eſt nunquam vulneratum, niſi ſemel leui ſagittà in crure fuiſſe, licet ſupra duo hominũ millia, diuerſis in prælijs ſuà manu interfecerit. Nemo tamen vnquam dixit, ac ne cogitatione quidem finxit, illum ſuperſtitioſis carminibus, aut figuris, ſui curam commiſiſſe, vt nec certè de *Cæſare*, de *Montucio noſtro*, de *Piſcario Marchione*, de *Ioanne Franciſco Proauo tuo*, & ſimilibus viris præliorum, rixarumque auidiſſimis, in quibus tamen impunè verſati ſunt, illud dicendum eſt. Enimuero vt quàm ineptè ſuperſtitioſi homines de virtute *amuletorum* ſententiam ferant, contrarijs exemplis oſtendam; Refert Guionius, obſeruatum fuiſſe à multis, nobilem Gallum, quinquies ex ſingulari certamine victorem rediſſe, quia *Hippomanes* cryſtallo incluſum ſecum ferebat: nec ille vlterius inquirit in rei veritatem, aut hiſtoriam hanc falſi inſimulat, ex incerta Hippomanis natura, de qua non ſatis adhuc conuenit inter ſcriptores, num ſit *confectio* quædam ex Titimalo herba, quæ apud Arcadas in Aegea vrbe præparetur, vt Theophraſto placet: an vero ſtirps aliqua quemadmodum cecinit Theocritus; aut virus illud ex equarum inguinibus defluens, quo tempore feruntur in amorem, ſicut Tibullus interprætari viſus eſt.

in varijs lectionibus cap. 7. lib. 13. auc. 53.

li. 9. de ſtirp. hiſtor.

lib. 2. elegia. 4

Et quod vbi indomitis gregibus Venus afflat humores,

Hippo-

Hippomanes cupidæ deſtillat ab inguine equæ.

&grammaticorum doctiſſimus atque accuratiſſimus Seruius ad illud tertij Georgicon Lib. 7.

Hinc demum Hippomanes vero quod nomine dicunt
Paſtores lentum deſtillat ab inguine virus.

quibus cum facit etiam Columella his verbis, *itaque curandum eſt vt prædicto tempore anni tam fœminis, quàm admiſſarijs deſiderantibus fiat coeundi poteſtas, quia id præcipue armentum ſi probibeas libidine, extimulatur furiis. Vnde & equinũ nomen veneno inditũ eſt, quod equinæ cupidini ſimilem amorẽ accendit.* An potius res eo nomine ſignificata caruncula ſit, in equini pulli fronte enata, caricæ magnitudine, & colore nigro, quam ſtatim edito partu mater dẽtibus conuellit, vt aſſerunt Ouidius in ſecundo περὶ τῆς κακοτεχνίας.

Fallitur Aemonias, ſi quis decurrit ad artes,
Datque quod à teneri fronte reuellit equi.

& Plinius, ac Ariſtoteles multum etiam ipſe in *Hippomenis* natura varius, cum alibi liquorem illud eſſe dicat, alibi vero carunculam, & alias vnum & idem vtrunque faciat, alias etiam diuerſum, *ibi vero*, inquit, *eiiciunt quiddam, quod cognomine voce appellant, cum eo quod pullus naſcens gerit.* Aut denique non res aliqua ſit, quæ per ſe in rerum natura exiſtat, ſed nudum tantum, ac ſimplex nomen eius *furoris*, ſeu *orgaſmi* qui equos in amorem cõcitat, quaſi τοῦ ἵππου μανία. non inquam adeo accurate hiſtoriam illam perpendit Guionius, vt in hæc omnia ſibi inquirendum duxerit. Sed demus illi *Hippomanes* rem eſſe quæ cryſtallo includi à ſtultis hominibus, & geſtari poſſit; num propterea ſtatim conijciendum erit, eius virtute quæ prorſus nulla eſt, non autem caſu aut induſtrià fieri, quæ, illud aut ſimile quid ſuperſtitioſum, ac inane gerentibus, contingunt? At vero caſus, inquit ille, bis aut ter eodem modo res vt accidant efficere poteſt, hic vero quinquies vicit, omnemque fortunæ ſecluſit potentiam at vide precor, quàm falsò de rebus iudicent, qui ad pauca animaduertunt: *Bouteuilleus* nobilis alter Gallus, bonorum omnium Ducis Mommorantij, niſi parem cum illo vitæ exitum tuliſſet hæres ex parte futurus, ſepties & vicies ſingulari certamine, cum pugnaciſſimis Gallorum expertus eſt, adeo ſemper illi blandiente fortuna, vt maximo totius Europæ ſtupore, bis terue ad ſummum

lib. 8. cap. 3. lib. 6 de Hiſt. animal. cap. 22. 18. &c.

con-

contrariâ illâ vſus ſit. *Sordellus* item Mantuanus qui ducta in vxorem Eccellini Tyranni Patauini ſorore, celebris apud nonnullos Principes extitit, quo tempore ſingulare certamen magni ab omnibus nationibus habebatur, ipſe viginti tres famoſiſſimos pugnatores, publicis concertationibus ſuperauit, & quidem tres eadem die in Gallia, cũ à Ludouico Rege in eam accitus fuiſſet,
lib 1. teſte Baptiſtâ Platinâ, qui Sordelli vitam eleganter expreſſit in hiſtoria Mantuæ Gonziacæque Familiæ, quam ex Bibliotheca Dominici Molini elegãti charactere deſcriptam, nec adhuc Typis excuſſam, commodauit mihi vir amœniſſimi ingenij, & multæ in literis induſtriæ Iacobus Philippus Thomaſinus: Verum quis vnquam audiuit, vel *Bouteuillæum*, cuius memoria geſtorum omnium recens apud nos eſt; vel *Sordellum*, qui tam accuratè delineatus fuit à Platina, tot victorias felicesque digladationes, aut *Hippomani*, aut ſuperſtitioſo & vaniſſimo alicui *carmini* acceptas retuliſſe. Sed quo magis pateat, quiduis aliud plus poſſe in rebus bellicis, quàm *periapta* omneſque, ineptiſſimas *ſyngraphas*; ex duobus alijs exemplis iſtud confirmo, quæ ſi rectè cõſiderentur, pudorem omnibus incutere poſſint, qui multa *breuibus* & *ſchediasmatis* abſque ratione tribuunt, quæ temere potius aut caſu facta videri poſſint. *Mornacium* comitatus Venaiſini oppidum, turbantibus in Gallia Sectarijs, Baro Ardretius qui multũ apud ipſos auctoritate valuit, vi Catholicis eripuerat; atque vt erat animo feroci valde, & truculento, omnes ad ducentos ferme qui in eius caſtri præſidio reperti ſunt, ex altiori turre, ſaltu præcipites dari iuſſit, in ſubiectas rupes: illudque dum à ſuis impigrè, & omni genere ſæuitiæ præſtaretur, vnus inter alios deiectos præcipitatoſque, ramum arboris quem ſors illi cadenti forte obtulerat, tam conſtanter retinuit, vt ex illo diutiſſimè penderet; quod videntes hæretici, deſtinatis ſclopetorum infinitis ictibus, eum ex ſuperiori loco petiuere, mox etiam ſaxis, & omni alio telorum genere, in eius caput vibratis, quantum viribus, & induſtriâ potuere, tantum in eius perniciem conati ſunt: ſed fruſtra nitentibus illis, Ardretius ei tandem parcendum cenſuit, quem caſus tam-
lib. 4 pag. 206. diu & contra tot coniuratos hoſtes defenderat: eaque res tam inſolens poſtea & mirabilis omnibus viſa eſt, vt Catharina Medicea Franciæ Regina, & Caſtelnaudus qui totam hiſtoriam

riam

rium ſcriptis ſuis conſignauit, cùm hac iter haberent, locum ſibi deſignari, & oſtendi voluerint, in quo miſer ille, qui adhuc in pago non ita diſſito viuebat, tam euidenti caſus miraculo, certum vitæ periculum euaſiſſet: at nulla hic *Syngrapha*, nullum *Breue*, nihil occultum aut ſuperſtitioſum, cui blenni illi, & ſtolidi homines, dum nihil ſincerè dijudicant adhærere poſſint. Aliud vero exemplum quod vanitatem eiuſmodj omnem funditus conuellit, tale eſt: Pariſijs ſub annum MDLXXXVII. v. Kalend. Octob. Rotæ ſupplicio, quod Paulo ante à Germanis acceptum, iudices noſtri velut extremæ ſæuitiæ tormentum, in publicos graſſatores decernebant; excruciatus fuit ad mortem Normanus quidam nomine *Contapedius*, eò quod alteri nobili M*illano Dallegere*, capſulam miſerat, quam ille dum in remotiori, & anguſto conclaui fraudis inſcius aperiret, en ſubito duæ & ſeptuaginta glandes plumbeæ, ex triginta ſex minoribus fiſtulis, quæ in illa quoquo verſum diſpoſitæ certiſque rotularum circumuolutionibus ignem conceperant, tanquam ex Tartari faucibus, eructantur in perniciem ſuam, & ſerui cuiusdam à pedibus, qui tunc illi adſtabat: quid igitur ex illis factum fuiſſe cogitas, nihil minus opinor quam vt inſtar cribri, perforari ambo debuerint? ſed forſan obfuerunt *carmina* quæ geſtabant? Apage tale auxilium, caſus ita tulit, vt Alegrià prorſus inuiolato, miſellus ille Soſia vix à pedibus laborarit, quos tranſeuntes aliquot globuli delibarant. Et erit adhuc aliquis adeo proiectæ temeritatis, & audaciæ, qui ea quæ merà forte fiunt, in vanæ cuiusdam ſecuritatis opinionem velit conuertere? Sane tam inepta eſt hæc hallucinatio, vt non maior olim Romanorum fuerit, dum ſibi perſuadebant, vrbem ſuã eo anno à peſtilenti contagio fore immunem? quo Plauti comœdia cui argumento eſt A*mphitruo*, probe in ea ac decenter recitata fuerat. Sed ita eſt vulgi natura, vt præ ignoratione rerum, multa ſæpius in illis quæ quotidie eueniunt, pro veris cauſis habeat, quarum nulla eſt cum effectu conuenientia; & ex aduerſo varia non conſideret, quæ prorſus cum illo conſentiunt: atque vbi vel leuiſſimæ ſuperſtitioni locus eſt, ex innata credulitate ſtatim ad illam rapiatur, vt ante aliquot annos, cùm primum Suecus in Germaniam moueret, accidit; quis enim tunc rumorem ſparſum non audiuit de tenebris, quas Finlandi milites damnatis artibus

in

in expugnatione cuiusdam arcis munitiſſimæ concitarant? ego ſanè videram illum diſſeminari Pariſijs, & quoſdam amicorum ſubſannaram, quod auctoritate Olai magni, quaſi dare pondus idoneà fumo, abuterentur; neſciebam tamen quonam fundamento mendacium illud niteretur, donec perlectâ hic Petri Baptiſtæ Burgi eleganti hiſtoriâ de bello Suecio, didici fabulæ huic occaſionem eiuſmodi fuiſſe, quod *Brandeshaga Rugiæ* à Sueco obſeſſa oneraria biduo poſt in conſpectum ſe dedit, quam dum Sueci myoparones continuâ tormentorum diſploſione prohibere vellent, ne commeatum in terram exponeret, contrarijs vero ictibus illam tutarentur, qui in præſidio erant, factũ ex eo eſt, vt craſſiora fumi volumina proſpectum omnem Imperialibus ademerint, animumque Suecis attulerint arcem hanc improuiſis à irruptione expugnandi: atque ita fumus ille Bombardarum, credulis hominibus impoſuit, vt innatâ ſuâ ſtoliditate, confeſtim diſſeminarent magicum illum fuiſſe, & à Finlandis excitatum, probè iſtarum artium peritis.

15. *Oſtenditurque omnia hæc non tam quod vera ſint, quã quod temere credita propagari.*

At ipſi non tamen ſibi deſunt, ſed auctores propemodum infinitos laudant, quibus fidem non habere in ijs quæ de *amuletorum characterum ſigillorum*, *verborum*, *herbularumque* virtute obſeruata fuiſſe narrant, non, temeritati modo, ſed piaculo ſcelus proximum eſſe exiſtimant; ſed cur nõ item grande nefas erit, omnia temerè, ac inconſultò, & inexploratò ſcribentibus credere? quaſi vero vlla ſit fabula tam abſurda, prodigium adeo immane, monſtrum ita horrendum, quod contra ſenſum omnem, ac rationem ſuos fautores, & laudatores non habuerit, quorum maxima pars eò iam dementiæ prouecta eſt, vt non amplius cura illi ſit de veritate, ſed tantummodo de mirabilitate hiſtoriarum, quâ potiſſimum allicere ſibi, & deuincire poſſe lectorum animos, qui talibus nugis ſponte capiuntur, exiſtimat. Quinimo certos nominare poſſem, qui pertinaciter contendunt, *Apuleio*, *& Luciano* dum ſe fabulas narraturos ſpondent, minimè credendum eſſe; quoniam hæc omnia quæ referunt de Magorum præſtigijs, tam vera eſſe perſuaſum habent, vt quæ apud Sagram geſta ſunt, veriora eſſe non potuerint, ſed illos arbitrantur, quo facilius peccatis ſuis noctem obijcerent, quæ verè præſtiterant, ea fabulas appellaſſe.

Oca-

O capita Anticyræ ſuccis curanda meracis!

quid aliud reliquum eſt vobis ad inſaniam, & furorem, niſi vt idē aſſeratis de primo illo, & antiquiſſimo fabulatore Aeſopo, & Ouē cum fratre ſuo Lupo, aut Quercum cum Platano ſermones inuicem miſcuiſſe de Rerumpublicarum conuerſionibus, aut Principum interitu credatis? equidem facilius quiduis fero quàm ſimiles ineptias, & citius ad latomias damnari vellem, quàm aſſenſum præbere Calliſtheni, ſcriptori illi Græco mirè nugaci, & imperito, qui paſſim in Bibliothecis manu tantum exaratus ſeruatur, vbi Alexandrum inquit, ſi quando hoſtes in eum irruerent, non ipſum phalanges ſuas inſtruxiſſe, ſed pelue poſita *Lecanomantiam* feciſſe: hic tamen quid facias inter tot ingenia vulgaria, plebeia, parua, deiecta, quæ in anguſtas damnata cogitationes nihil alti concipiunt, nihil præclari, ac ne veri quidem cogitant, & in quibus vt de Anaximene dicebat Theocritus, *verborum flumen eſt, mentis gutta*, imo vix dum ſalis mica: equidem ſuis vt moribus relinquantur tutius eſſe exiſtimo, quandoquidem ſi cœlum terræ miſcueris, vix obtineas, vt ab illis vel tranſuerſum vnguem diſcedant? Verumtamen quo ſe viris ſapientibus deriſui eſſe intelligant, indeque ſi mens illis non læua ſit, rationem ſecum ineant, ſanius in poſterum de rebus iudicandi, volo huc afferre ingenioſum commentum, ex oraculorum libro, quem Cœlius Calcagninus in hoc potiſſimum edidit, vt vota hominum traduceret tam inepta, ridicula, inſana, vt Apollo ipſe quem oracula illa dediſſe fingit, perſœpe indignetur, quod ad eum tam impudentia, & ridicula mortales referant. Hic igitur inter alios qui quæſitum veniunt, ſciſcitarumque Apollinis numen, magnum militum tribunum introducit, robuſtiſſimi virum corporis vt videbatur, ſed hebetiſſimi animi, qui profecturus in bellum, rogat in primis numen, vt vitam illi ſeruet incolumem: quin et gladiator quidam primi nominis, rogatum Apollinem venit, vt quo artificio inuicta ſibi arma parare poſſet, ei retegere non dedignaretur his vſus precibus: *Apollo qui æreo curru æreum cœlum quatis, inuictum hominem inuictis viribus vides; digna arma comparare ſtudeo mihi: quid ad hanc rem opus ſit, Apollo expedi, facque vt Vulcanijs armis vti poſſim quæ neque tragula, neque catapulta perforare poſſint, ſed imperfoſſus, impenetrabilisque dicar, hoc nomine homi-*

nes decem fortes viros tibi immolabo. Hæc Macharophorus pollicetur. Apollini vero ad hæc ita reſpondere viſum eſt, hominumque immolationem, vtiliori elargitione commutare

Non Temeſe, Chalybumque ferax tibi terra petenda eſt,
Sed mons à veſtris qui longe diſſitus oris
Inter arenoſas ſyrtes faſtigia tollit,
Hic leo conuoluit clypæo genus omne triueſper,
Quom miſero ab miſero vellet ſuccurrere fratri.
At tu nodoſæ ſobolis tua ſanguine trage
Telaque loricæque cutem ſuppone cruentam,
Nec mihi dulce putes hominum dare corpora letho.
Da potius totidem, totidem cum matribus hedos.

Secretum igitur in iſtis verſibus habent, & quod ab Appolline putandum eſt, veriſſimum, *impenetrabilitatis* armorum; modo iſtud expiſcari rectè impoſterum ſapiendo poſſint; interim cæteris qui bonæ mentis poſſeſſione nondum exciderunt conſulo, vt quemadmodum inquit Tullius *nihil tam temerarium eſſe intelligant, nihilque adeo indignum ſapientis grauitate & conſtantiâ, quã aut falſum ſentire, aut quod non ſatis exploratè perſpectum ſit, & cognitum ſine vlla dubitatione defendere*: propterea enim idem cùm Titum Pomponium Atticum laudaret, quem pro ſapientiſſimo Romanorum poſteri omnes ſuſpiciunt, admiranturque, ſatis habuit dicere *mendacium hunc, nec dicere ſolitum, nec pati potuiſſe*: forſan quia vt prouerbiorum decimo quarto habetur *innocens credit omni verbo*, illic enim Hebræi pro innocente *nimis ſimplicem* legunt, & Chaldæi *inſipientem*; atque ita ipſimet Theologi eo deueniunt vt fateantur, veriſſimum eſſe, ac vtiliſſimum Epicharmi Poëtæ Siculi Pythagorei celebre, & peruagatum dictum νᾶφε καὶ μέμνασο ἀπιστεῖν νεῦρα ταῦτα τῶν φρενῶν quod Cicero in libello de petitione cõſulatus his verbis reddidit *quamobrem Epicharmium illud teneto; neruos atque artus ſapientiæ eſſe; non temere credere*, ac per conſequens demenda eſt tot ſcriptoribus fides, qui de ſchediaſmatum, & periaptorum efficacia *horrendas canunt ambages*, & facta infectaque referunt; non magis interdum verè, aut appoſitè, quàm ſi *Merlini Caledonij* vaticinia nobis recitarent; & militum ſors, qui nugas eiuſmodi ſectantur, commiſeratione potius quam riſu excipienda eſt, quandoquidem vt rectè cenſuit Phi-

1. de natur. Deor.

Philoſtratus ſub perſona Apollonij *victorias quas virtute, aut forte fortuna adepti ſunt, ſibi ipſi inuidentes hominum infeliciſſimi, magicæ arti attribuunt*. Quæ cuncta de ſchediaſmatum, & amuletorum vanitate, lubenter in eorum anteceſſum attuli, quæ caſtigatæ vir facundiæ, & multum in literis diligenti labore commendatus Gaſpar de Simeonibus, in ſua *Thaumatologia* non excutienda modo rationum momentis, & præclaris ſummorum virorum auctoritatibus munienda, ſed quaſi veſtitu quodam verborum elegantium ornanda, explicandaque recepit. Superesſet nunc vt rationibus agerem aduerſus characterum, & verborum ſuperſtitioſas obſeruationes, quibus ipſa amuleta plerumque componũtur: Verum quoniam hæ non minus frequenter vſurpantur in profana, & nefanda vulnerum curatione, quæ vt antiquitus ſemper varijs modis, ſic iſtis præſertim temporibus, noua quadam, & hactenus inaudita vnguenti armarij confectione innotuit; ſatius erit propterea, vt cum de iſta mihi in præſentia tractandum ſit, ea omnia inſequentem diſcurſum reijciam, quæ hic de illis dicenda forent, quo vna eademque fideliâ, quod prouerbio dicitur duos parietes dealbare poſſim.

lib. 7.

XXXIII

1. Secundum quod in auerſione conſideratur eſt ſuperſtitioſa vulnerum curatio.

Hoc vero prius quàm aggrediar nolim quiſquam exiſtimet, me qui de præſeruatione vulnerum ſuperſtitioſa tam prolixè tractaui, idem etiam facturum eſſe de eorundem curatione; quoniam non ſoleo libenter in aliorum veſtigijs pedem figere, & aratas ab alijs glebas rurſum calamo meo occare, vel repaſtinare: de hac autem tam multi dixerunt, quàm de priori illa pauci, aut verius nulli; neque enim vllum hactenus vidi, qui librum ex profeſſo aliquem, ſed ne dum caput, aut ſectionem *remediis* illis plagarum *auerruncis*, aut nouæ *panopliæ Burggrauianæ*, vel damnandis, quoniam impia ſint; vel falſi conuincendis, eo quod vana prorſus, & ridicula, dicarit: cùm è contrario infinitæ habeantur ſanctiones Eccleſiæ, & Conciliorum decreta, innumeræ etiam Patrum, & Scriptorum omnis generis auctoritates aduerſus *amuleta morborum*; & quod magis incaſſum aliorum laborem reddit, circa cenſuram magneticæ curationis; multi iam præclari, & omni teſtificatione ſuperiores viri, illam abſoluerint, ac inter cæteros *Ioannes Roberti* Societatis Ieſu presbyter, pluribus, ac iteratis, & eruditis voluminibus: *Andræas Libauius* vnico quidem, ſed vali-

diſſimis etiam rationibus inſtructo; *Sennertus* toto capite decimo partis quartæ libri quinti practicæ medicinæ; & quem ſilentio præterire nefas eſſet, Dominus *Renatus Moræus* Facultatis medicæ Pariſienſis doctor, & in eadem vrbe profeſſor Regius, qui præ excellenti iudicio, ſubtili ingenio, doctrinà reconditâ, dictioneque terſa, & accurata quibus ſe, ſuaque omnia illuſtrare, & expolire ſolitus eſt, ita tractationem hanc de ſuperſtitioſa, & magnetica præſertim vulnerum curatione, in inſtitutionibus chirurgicis, quas nunc publico bono cudit, tam variè, diligenterque complexus eſt, vt qui deinceps ſubtilius, aut ornatius in hac quæſtione verſari poſſit, non facile ſi meo iudicio alium inuenire. Quamobrem paululum vt dixi breuior ero in hac materia, niſi me forſan indignatio vlterius prouehat quàm ipſe vellem, aut rationes mihi ſub acumen calami incidant, quas nullius auctoris præiudicio, qui illas ante me excogitarit, poſſim in mediũ afferre.

2 *Quæ a nõnullis Homerica dicitur.*

Ac primùm vt à nomine incipiam, multi quicquid in morborum profligatione præter rationalem methodum, quæ ſola vera, ac legitima eſt, tentatur, *Homericæ curationis* nomine compræhendunt, vnde Alexander Trallianus Galeni librum Homericæ curationis titulo editum laudat, iure an iniurià non hic inquiro: & Augerius Ferrerius, alijque ab eo hanc appellationem, quæ paſſim nunc per ſcholas diuagata eſt, retinuerunt; forſan quia apud Homerum Autholici filij, *Vlyſſe* ab apro vulnerato, *vulnus eius glorioſi, & diuini colligarunt ſapienter, incatatione autem ſanguinem nigrum repreſſerunt.* ἐπαοιδῇ δ' αἷμα κελαινὸν ἴσχετον: quem locum reſpiciens Apuleius ita de eo pronunciauit, *veteres medici etiam carmina remedia vulnerum norant; & omnis vetuſtatis certiſſimus auctor Homerus docet, qui facit Vlyſſi de vulnere ſanguinem profluentem ſiſti cantamine*: eumdemque imitatus auctor Aethiopicæ hiſtoriæ, ſanguinem *Oroondatis* carmine, & incantationibus reſtrictũ fuiſſe narrat; quin etiã hanc eandẽ ſanguinis certà verborũ virtute ſiſtendi cõſuetudinẽ, Froiſſardus ſuo ſæculo in vſu fuiſſe refert; vt non immeritò antiquus Homeri Scholiaſtes, qui vulgo Didimus eſſe cenſetur, addiderit ex Diocle Medico *incãtationẽ eſſe conſolationem, quia ſanguinem ſiſtit, cum vulnerati ſpiritus attentus eſt quaſi à conſolãte appenſus.* Atque vt hic, Homerus incãtationes laudat, ſic alibi *amuletorum* vim cognouiſſe viſus eſt, adeoque

Odyſſeæ 19.

Apolog. 1.

lib. 9.

que homines aliquando aberrarunt in remediorum delectu, vt non hæc modo à vate propoſita, & laudata vſurparent; ſed eius præterea verſum quendam pronũciatum *arthriticos dolores* mitigare; librum vero Iliados quartum capiti ſuppoſitum, *quartanam febrem* depellere arbitrarentur; varijsque alijs modis quos apud Brodæum videre eſt, circa eiuſdem auctoris carmina delirarent: ex quibus non inconcinnè videntur mihi feciſſe, qui vaniſſimis omnibus illis obſeruationibus, quarum toties in Homero, aut ex Homero mentio fit, *Homericæ curationis* nomen indiderũt. miſcel 6 lib. cap. 20.

3. *Eiuſque origo & modi varij explicantur.* Has autem ab Aeſculapio in illum defluxiſſe, rationi valde conſentaneum eſt, quandoquidem Pindari teſtimonio *quoſdam mollibus incantationibus tractabat, quoſdam vero leuia exibens, aut membris circumponens vndique phrmaca, quoſdam etiam ſectionibus fecit rectos*; eoque modo initium à verbis fuiſſe exiſtimo ſuperſtitioſæ curationi; nam Pytagoras etiam referente Porphyrio in eius vita τὰ ψυχικὰ πάθη καὶ τὰ σωματικὰ *animi corporiſque affectus, rythmis carminibuſque, & incantationibus ſanabat.* Et valde quidem conueniens eſt arbitrari, Aegyptios, aliosque antiquiores populos, quibus ob morbi vehementiam, aut diuturnitatem, longum ac difficile videbatur iter ad ſanitatem, per vſitata remedia; primum quidem verba magis innoxia minusque ſæua experiri voluiſſe: deinde vero cùm nihil plus in illis auxilij inuenirent, ad res alias diuertiſſe, quas vna cum prædictis carminibus vſurparent; vnde meminit Pauſanias *Olenis* hymnos vetuſtiſſimos in Delo cantatos fuiſſe, dum cinis qui erat ſupra ſepulchrum Opis, in ægrotos à ſacerdotibus ſpargebatur. Verum cum neque iſta ſufficerent, & humana vis debilior videretur, quàm vt tot calamitatibus mederi poſſet, diuina autem non ſemper vellet nefarijs ac immerentibus opitulari; corpus illud quod interiectum vtriſque videbatur, tandem adierunt, futurũ rati, quod ſi vim eius defluam conſtringere poſſent in aliqua conuenienti materia, non minus ad morbos abigendos valeret, quàm ipſa quotidie ad varios alios vſus deprænhendebatur eſſe vtilis, & commoda. Atque ab hac opinione *characteres ſigilla, laminæ ignorabilibus literis literatæ*, cæteraque eiuſmodi vanitatis inſtrumenta originem habuerunt, adeoque ex omnium poſtea confuſione, & vocum cum characteribus, horum cum certa materia combinatione, horri-

Ode 3. pyithior. Stroph. 3.

In pheciac.

Digitized by Google

bilis iſta ſuperſtitionũ cõgeries paulatim accreuit, quæ inter Chriſtianos ita liberè vagatur, vt etiam nouas vires acquirat, & pietatis prætextu, ſenſim ſe per inſolentes ritus magis in dies effundat. Notum enim eſt in *Italia* quid nebulones nonnulli artem *ſancti Anſelmi* ſe habere profitentes, ineptè, aut potius impiè conentur, in vulneribus etiam atrociſſimis ſolo afflatu, oſculo, aut deuoti nudi cuiuſdam lintei impoſitione, ſanandis: notum in *Hiſpania* quid *Emſalmadores* ſeu *ſalutatores*, partim ſaliuâ, partim obmurmurationibus, in morſis a cane rabido, vel infectis toxico, aut telis è corpore ducendis, non turbent aduerſus Galenum, & Hippocratem: quid etiam eo loci non recipiant ſe facturos impoſtores quidam girouagi, certis preculis, & orationibus, quas à *Sixto Quinto* impudenter comminiſcuntur, tranſmiſſas fuiſſe Ioanni ab Auſtria, tunc cùm ad Echinadas contra Turcarum claſſem pugnaturus erat, vt illis militum ſuorum vulneribus medicinam faceret: notum denique quid heic in Italia publice circunferatur, de oratione quadam, in papilionibus *Caroli Octaui* reperta, cùm in pugna ad Tarum, impedimenta eius omnia ab Epirotis militibus directa fuiſſent; vt omittam eius generis infinita alia, quæ paſſim apud ſcriptores parum naſutos vel ambitioſè collecta, vel temere aſſerta videre eſt. Et quod *Fundi medici* calamitas eſt, quemadmodum olim inuenti ſunt viri ſapientiſſimi, qui tales nugas, & quiſquilias ſua auctoritate vel exemplo confirmarunt, vt *Plato* qui in Charmide incantationem cum medicamento coniungendam eſſe ſcribit; & alibi non modo pharmaca, vſtiones, inciſiones aliaque adhibenda conſulit ad morbos cur̃ados, ſed incantationes inſuper, quarum etiã ſtudio *Socratem* ita addictum fuiſsè refert, vt ſacramento cuidam Thraci fidem ſuam obſtrinexerit, non aliter vſurum ſe medicinâ, quàm vt iubebat *Zamolxis*, qui ſimilium vanitatum doctor erat, & fautor apud antiquos celeberrimus: ita non deſunt hoc ſœculo candidæ quedam, & albæ nimis doctorum hominum animæ, quæ dum omnia eiuſmodi veteratorum commenta, quaſi pietatis officijs niterentur, æqui bonique conſulunt, vitio paulatim licentiam concedunt, vt ſeſe facilius in reliquorum animos inſinuet, & Ianuam ſuperſtitioni reſerant, quam poſtea cùm maximè vellent, non poſſint ocludere.

4. de repub.

Sed

Sed num credas melius eſſe *Germanis* ab hoc tricarum, & aſaniarum cõtagio? ſane magis adhuc de bona mente apud illos conclamatum eſt, quid ita? Lucianus petulcus ille ſannio, pro aperto mendacio habebat in ſuo Philopſeude *pharmaco aliquo abſente, abſentem curari poſſe:* at vero ridere nunc quiquid eſt domi cachinorum, iſtud apud Germanorum nonnullos tenebriones, & medicaſtros tam verum eſt, quàm illud idem falſum ſemper habebitur, ab ijs omnibus, quorum cor eſt extra melopepones, & caput extra cucurbitam. Sed omnes illi mirum quàm egregia, & hactenus inaudita ſecreta à Paracelſo ſuo acceperint; atque inter cætera Vnguentum habent tam varij nominis quàm incertæ deſcriptionis, cùm ab vtendi modo, quia arma eo illinuntur, *armarium* dictum ſit; & ab operatione quæ illi cum magnete cõmunis eſt *Magneticum* ac *ſympatheticum* audiat. Hoc vero ex virtute, & energià ſpiritus balſamici proprij, & neceſſitudine qua mundano iungitur, ea facultate præditum dicunt, vt ſi telum, aut aliud inſtrumentum quo vulnus inflictum ſit, eo aliquis perlinat, ab acie tergum verſus ſi cæſim, aut à cuſpide ad capulum ſi punctim adactum fuerit; & æger interim, quem non refert præſentem adeſſe, aut plurium miliarium interuallo decumbere, vulnus ſuum quotidie vrina ſuà; aquà purà, vel vino eluat deparet, & linteo mundo diligenter tegat; non minus ille perfectè conualeſcet, quàm ſi chirurgus qui fractum crus obligauit Aeſculapio, eius curationi præſſet, & remedijs omnibus in illa vteretur, quæ vnquam ab ipſomet Paracelſo, in chirugia ſua minori excogitata ſunt. Verum quoniam iſtud remedium eo præſertim nomine ridiculum videri poterat, quod non ita facile ſit hoſtium gladios obtinere, quibus medicina illa fieret; ex libertate mentiendi, & confingendi quælibet ſuo modo, huic incommodo remedium eſſe dixerunt, ſi horum loco, ferrum aliud quodcumque per vulnus ducatur, aut ramus ſalignus in apertura cruenta madefiat, totus quidem ſi quouſque ferrum in corpus penetrauerit ignoretur, ſecus ad notam vſque ſanguinis in eo relicti. Tandemque eo facilitatis negotium ſe reduxit vt veſtis ſanguine ægri intincta, aut induſium eodem maculatum, ſatis idonea ſint remedij iſtius ſuſcipiendi, ac ſuſtinendi inſtrumenta. Præterea ne ſuo fine in grauioribus plagis exciderent; vulnera negant quæ

4. *Inter quos præcipuus eſt curationis magnetica quæ tota cõuellitur vanitatis falſitatis ſtoliditatis arguitur*

in arterijs, aut aliquo è membris principalibus excipiūtur, ab hac inunctione quantumuis accuratà ſanari poſſe, ſed ſimplicia tantum vt opinor, & ſolitaria; qualia non amplius dici poſſunt: quæ vel intemperiem, vel ingentem dolorem, vel phlegmonem, vel pruritum comitem habent, aliaque accidentia, quàm pro ratione ſimplicis vulneris grauiora. Atque ita per meram virtutum tranſplātationem inter qualitatem vnguēti balſamicā, & ſpiritum mundi, qui rerum omnium actiones in ſe recipit, ac aeri repræſentat, curationem eiuſmodi vulnerum mirificam perfici volunt cuius ſe vadem ac ſponſorem præcipuum, eodem ferme tempore quo Burggrauius Biolychnium ſuū accendebat, *Goclenius* exhibuit, nempe vt hic vulnera omnia citra vllum dolorem, & remedij applicationem ſanando, ille vero morbos cuiuſuis generis abſque vlla potione, aut ſumptis pharmacis abigendo, ambo, homines inſigni miſeriâ leuarent, efficerentque vt fruſtra eſſent omnes medici, chirurgi omnes, medicamenta, emplaſtra; & quicquid vſpiam Hippocraticorum, aut Galenicorum eſt exularet. Profectò cùm tot in dies ſupra captum humani ingenij, beatiſſimos illos ciniflones, è viſceribus naturæ detenebrare video, equidem audeo ſimiliter in hanc ſpem venire, vt cœlum ipſum petant ſtultitiâ, & ſe *volaturos* aliquando non diffiteantur; quandoquidem fuerunt olim homines qui volandi artem probè callebant, & eſſent adhuc ni Plautinus quidam miles *ſexaginta horum millia vno die manibus occidiſſet ſuis*: immortales enim eos quid attinet cogitare, aut à præſenti, obſignatâque multâ pecuniâ æternum fœlices, cùm plures ſint ex illorum grege, qui *ἀγηρασίαν* ſeu mauis *inſeneſcentiam* cum Sophiſta illo Galenico, aut *Solis, & Lunæ* quas vocant operationes polliceantur,

Plaut. Trucul *Quàm olim Muſcarum eſt cum caletur maxime.*

imo eo vſque prouecta eſt *Henrici* cuiusdam *Conradi* impudentia, vt edito publicè libello, ne dum programmate, ſingulis qui *magni operis ſecretum, ſex nummis coronatis licitari vellent, illud ſe declaraturum reciperet.* Sed Herculis ſit ſtabulum Augiæ repurgare, noſtrum vero fucatæ illi curationi laruam detrahere, non ſecus atque Burggrauium exarmatum antea reliquimus. Qua in re, quin facilitas ſit omnibus obuia, nullum certè dubium eſſe poteſt; nam ſeu libros inprimis illorum conſideres, qui diuina

hæc

Digitized by Google

hæc remedia, καὶ θεοῦ χεῖρας in orbem inuehunt literarium: ſeu rem ipſam, quam bono omnium natam, & excogitatam prædicant, vix quicquam in illis reperias, quod Bacchæ bacchanti non turpe ſit effudiſſe. Scripta enim vides bullatis continuò nugis vt turgeſcant, vt inæqualia ſunt, vt nihil in illis explicatum, oſtenſum, apertum, probatum eſt; meras fabulas narrant, quas non effutirent anus merobibæ; rerum inter ſe mutuas conſenſiones, vel diſſenſiones tam accuratè colligunt, vt Mizaldi centurijs obſtruat poſteriorum hæc quaſi exaggerata altius diligentia, & nihil tandem ſit in orbe, quod cum aliqua alia re non mirabiliter conſentiat: characteres inſuper & ſigilla laudant, quorum minima virtus ſit hominem θαυματουργὸν ſeu *mirabilium operum patratorem* efficere; ac demum auctores ſemper illis in ore ſunt, obſcuri, infames, fictitij, *Chael, Hermes, Thetel, Rhaſiel, Artephius, Picatrix, Morienus, Pſeudo Salomon Rabinicus*, & id genus innumeri, quorum imbuti deliramentis, poſtquam omnia ferme extra rem, de qua quæſtio inſtituta fuit, & verè ἀπροσδιόνυσα congeſſerunt; vis ſcire quomodo tandem illis abutantur, ad vnguenti magnetici vim ſtabiliendam? hoc ſanè vel prorſus ſimili modo, Remora ſeu Echeneis nauim in medio curſu ſiſtit, iuxta illud Lucani

puppim retinens Euro tendente rudentes
In medijs Echeneis aquis,

ergo characteres certis ſub conſtellationibus ſculpti, admirandas virtutes habent: iam vero fœmina tenens in vna manu auem, in altera piſcem, modo inſculpta fuerit ſub debita conſtellatione, optima eſt ad capiendas aues, ergo vnguentum armarium vulnera curat citra remedij applicationem: Fidem veſtram appello Academici omnes, quodnã hic humanæ nedum artificioſæ ratiocinationis veſtigiũ? merito quidem Horatius, & ego cum illo,

Si dicentis erunt præmiſſis *abſona dicta*,
Romani tollent equites, peditesque cachinnum.

Rem igitur ipſam videamus, forte an melius, & rationi ac experientiæ cõuenientius ſtabilita ſit, tũc enim vt inquit Ariſtoteles in libris de Cælo, res bene cedit cum ὁ λόγος τοῖς φαινομένοις μαρτυρεῖ, καὶ τὰ φαινόμενα τῷ λόγῳ *quando ratio apparentibus atteſtatur, & apparentia rationi*. Iam vero quamuis ipſi circumforaneorum inſtar *Maximilianum* Imperatorem, & magna alia nomina proferant,

rant, quibus ſecretum iſtud cùm à Paracelſo, tum ab alijs Medicis rei inſtar pretioſiſſime oblatum fuit, eiusque in multorum ſanatione experimentum quotidie fieri aſſeuerent; ego tamen qui probè noui, quanto cùm veritatis diſpendio, homines illi ſuis opinionibus blandiantur, libenter profiteor me adhuc in dubio verſari, an vnquam periculum iſtius fecerint, ſaltem in vulneribus compoſitis, aut alijs quæ natura ex ſe, & abſque eiusmodi ope medicamenti ſanare non potuerit; nam quomodo in primis, tunc cùm non adeo facilis erat curatio, vt nunc ipſam per ingenioſa mendacia reddiderunt, ferrum haberi potuit, quod vnguine illo magnetico delibutum, eadem virtute foret ad vulnera quæ intulerat ſananda, quà Achillis haſta quondam fuiſſe perhibetur? & ſi illud caſu tandem adepti ſunt, quis medicus tam effrons vnquam fuit, vt auderet remedium hoc, homini de vita periclitanti præſcribere? aut qualis æger tam inſanus, qui neglectis optimorum medicorum præſidijs, tunc cum ſpes omnis in anguſto redacta eſt, huic potius ſuperſtitioſæ, & inexploratæ curationi velit confidere? præterea ſi *Guaiaci* ſeu ligni ſancti virtus, primùm quidem ab Vlrico Hutteno equite Germano, ſalutari effectu comprobata, in luis venereæ curatione, ſtatim ab omnibus medicis, & ægris amplexata fuit, nec hodie apud orbis vtriusque accolas *ſanctius illà, eſt quicquam, aut potiore vſu*: ſi idem contigit, *perunctioni ex Hydrargiro*, poſtquam Iacobus Carpus inſignis medicus, eam in eiusdem affectus profligatione, expertus eſt plurimum prodeſſe: ſi minimus *fons medicatus* qui in aliquo Europæ angulo ſcaturit, tribus aut quatuor comprobatis ſanationibus, omnes ægros ad ſe ex reliquis partibus attrahit; ſi Cæſaris Magati *noua curatio curandi vulnera, raro ipſa tractando, & medicando*, multum iam non modò per ſcholas, ſed per chirurgorum tabernas, & noſcomia inualuit: ſi denique *alia remedia* continuò placent ſtatim atque vel vſu vtilia, vel experientià certa eſſe cognoſcuntur: Quid tãdem cauſæ eſt, ſi *vnguentum armarium* toties probatum fuit, & quod ipſi vacerræ barbaroque potitio ſtultiores, dicunt, nunquam fallente euentu, quod nulli huc vſque ex tot principibus viris, qui moras, & moleſtias curationis methodicæ ægerrime ferunt, vim eius tentare ac experiri voluerint? cur in noſocomijs vbi expenſis tam accuratè conſulitur, tot medica-

men-

mentorum loco, iſtud non vſurpatur quod inſtar aliorum omnium eſſe poſſet? cur in caſtris & vrbibus obſeſſis, quæ plerumque chirurgorum inopià laborant, non hoc remedium, quod ab omnibus adminiſtrari poteſt, admittitur? imo cur milites tam crebro moriuntur, aut mutili fiunt, ſi adeo facilè ipſorum vulneribus ſubueniri poteſt? cur item nulli hactenus probo & erudito medico fidem ſui fecit; ſed ciniflones tantum, & bardi, ac ſtupidi quos Galenus ipſe χεσομύζους quaſi *veruecino mucco ſcatentes*, & βουβάλους Tzetzes appellaret, ego vero omnium ineptiarum ſeruos eſſe plerumque deprædhendi, eius vim non ex proprià experientià, ſed ex communi aliorum agyrtarum fraude, & impoſtura iactant & efferunt, vt ſolent multa alia abſurdè omnino, & inconſiderate? fieri ne poteſt vt tot herbulæ, tot ſemina, tot radiculæ, tot exotica medicamenta vni tantum aut alteri affectui ſanando dicata, breui tempore auctoritatem ſibi apud nos fecerint, & vnguentum illud cuius tot mirificæ virtutes eſſe prædicantur intra ſœculi vertentis ſpatium quod ab eius inuentoribus *Baſilio Valentino & Paracelſo* decurſum, confectumque eſt, nondum ſe è tenebrionum officinis in claram, apertamque lúcem vendicare potuerit? equidem cum hæc apud me perpendo, venit mihi in mentem cogitare, quicquid de eiuſmodi curatione iactatur, non ratione vlla, aut experientià niti; ſed fallacijs, & ineptorum hominum ſermonibus cõſtare, qui malignè, aut ſuperſtitiosè ab alijs excogitata, ſuos in libros conuehunt, multaque illis de ſuo addũt, non experta modo, ſed ne tacita quidem meditatione diligenter apud ſe expenſa; vera nè illa, an falſa eſſe poſſint. Vnde in illud tandem redeo, quod antea dicebam, exiſtimare me, aut eiuſmodi curationis raro factum fuiſſe periculũ, vt ex eo intelligi vel maximè poteſt, quod *Cardanus*, & *Porta* tot experimentis celebres, nunquam de eo, niſi ex aliorum relatione meminerunt; aut quoties eius vim experiri voluerunt homines illi, qui ſibi facile imponi non ſuſtinent, toties experimento comprobaſſe, vanum eſſe, ac inane, & falſum omnino quidquid de ipſo promittitur, & nihilo magis illud curare poſſe vulnera, quã iuuare ſolent

Therapeut. lib. 6.

lib. 1. de venen. cap. 6. mag. nat. lib. 8. cap. 12.

cæcum picta tabula. fomenta podagram,
Auriculas cythara collecta ſorde dolentes.

Nec ſanè aliter de eo pronunciauit *Fabricius Hildanus* cui omnes

nes boni teſtimonium reddunt ampliſſimum, perfectæ laudis, in chirurgicis operationibus adeptæ, poſtquam ſemel atque iterum hac curatione vſus, nihil ſibi in illa ex voto ſuccedere comperit. Sed demus illis, vt nobis quoque conſentientibus liberè mentiantur, & experimenta quæ fingunt, vera eſſe ponamus; an propterea virtus hæc erit *vnguenti armarij*, quod nihil habet cum ægroto commune, potius quam *naturæ* ipſius? quæ licet *ἀπαίδευτος* ſit, & à *nullo edocta*, optimè tamen curat omnia, quæ ad ſui conſeruationem neceſſaria ſunt; nec tantum leuem aliquam intemperiem, morbum acutum, aut à materia calida exortum, ſimplicemque continui ſolutionem per ſe ſanat; ſed grauiores plerumque morbos, & vulnera etiam periculoſa, abſque tot indicationibus, & remedijs ad felicem exitum perducit. Et vero ſi diligenter intueamur in rem ipſam, comperiemus medicum longè minorē partem habere in curatione vulnerum, quàm cuiuſuis ferè alterius morbi; etenim æſtuante ægroto febrili ardore, medicus calorem illum refrigerantibus obtundere poteſt, humoremque noxium qui eius focus eſt: reſerata vena, vel potione exhibita; aut affatim ſi opus eſt, aut minutatim gradatimue de corpore demere; at ſolutam partium vnitatem, ſiue ea ſimplex ſit, ſiue cum cauitate, nullum tollit medicamentum, ſed quicquid in hoc perficitur, naturæ opus eſt, de quo dicebat Galenus *ſiue vlcera ſimpliciter ſint, ſiue cum cauitate, ſi quis diligenter æſtimet ex fugiendis proſpiciendiſque ijs, quæ naturæ officiunt, ſanatio perficitur*. Naturæ autem tale opus meditanti, duo potiſſimū impedimento ſunt, in quorum remotione, aut prohibitione medicorū induſtria deſudat, auferendo nimirum excrementa, quæ impedire, ac irritum facere eius conatum poſſunt; & prohibendo naturalis caloris effluxum, cuius proprium eſt agglutinare, ſuppurare, carnem gignere, excrementa partim digerere, partim ſenſibiliter expellere, & non raro etiam exigua corpora foras protrudere, ac demum primas ſibi vendicare in vulnerum curationibus; in quibus tantam vim eius eſſe Paracelſus ipſemet arbitratus eſt, vt in Chirurgia magna dixerit *medicæ manus in læſionibus curandis hoc ſolū eſt officiū, vt naturam eo loci defendat ab accidentibus, & inimicis externis intrinſeci balſami, ne per eos impediatur, quo minus vires ſuas valeat exercere naturales, at potius in illis auxilio chirurgi corroboretur*. Et ne quis dubi-

oſeruat. 23. centur. 3.

4. meth. 3.

dubitaret curationem vulnerum hoc ſolo naturali balſamo fieri conſueſſe, idem in chirurgia parua rurſus ediſſeruit his verbis *dico naturam corporis offenſi aut læſi, propriam in ſe continere ſanationem, prout in arbore tenella videmus fieri quæ ſaucia, per ſe mumiàque proprià curatur, & concluditur vt* Alnus; *quod ipſum etiam accidit in hominibus* ac demum paulo poſt addit *quiquid igitur laboris hoc loco de vulneribus habebitur, volo curã eorũ per naturæ mumiam fieri, tum quod ſuperponetur medicamentum incarnatiuum nullo modo vocari, ſed bene conſeruatiuum.* Atque ita ſatis eſt ad vulnerum curationem, repurgare ipſa ab excrementis, conuenienti aliquo liquore; & artificiali tegumento, caloris naturalis, qui internè laborando damna reſarcit, effluxum cohibere: quæ duo cum in curatione magnetica, circa ægrum fieri conſueuerint, interim dum gladius illinitur, non poſſum ſatis mirari eorum dementiam, qui perunctionibus illis vaniſſimis, non autem curæ, quæ circa vulnus impenditur, ſanationem acceptam ferunt: deſpuant ipſi ter in lignum quod vngere deberent; calceos ægri, aut proprios, inuertant quando eunt cubitum, & ſi quid aliud quod inſaniæ propius ſit, excogitari poteſt, iſtud faciant; tam bene cura ſuccedet, quàm ſi medicina magnetica baculo facta fuerit; eadẽ enim eſt vtrobique, & par ratio, eadem certè inſania, furor omnino idẽ. Verum quod ſupra dicebamus, peccare illos æquiuocatione, & fallacia cauſæ, qui ſuis preculis, & characteribus, acceptũ ferunt quod fortuito euẽtui verius tribuendũ eſſet; illud idem de nouis iſtis, & argutis ſi Dijs placet medicis concludendũ eſt, qui ita cæcutiunt in naturæ operibus, vt quod ipſa in corpore affecto per ſe facit, hoc ipſum aliunde, & ab omnium, quæ fingi poſſunt ineptiſſima curatione, proficiſci exiſtimant. Non igitur vnguentum armarium curationis vulnerum cauſa eſt, etiamſi dum baculo illinitur, vulnus interim ſaneſcit; quia multa ſæpe cum effectu aliquo coniungi ſolent, quæ tamen nullatenus ad ipſum pertinẽt, eiuſque nec ſignum, nec cauſa eſſe poſſunt, vt ſi me cum amiciſſimo Antonio à Turre, quod noſtri moris eſt, per anfractuoſos viridanteſque huius amœniſſimæ vallis Reatinæ colliculos diuagante, nubes aliqua in imbres ſoluatur, non tamen ambulatio mea iſtius pluuiæ cauſa cenſenda eſt; nec ſi famulo meo ocreas inungente, dolor me vel capitis, vel dentium, aut alterius partis

lique-

ſiquerit:ideo ocrearum inunctioni ſanitas accepta ferēda eſt, quia nulla eſt neceſſaria, aut probabilis tantum vel apparens connexio eiuſmodi cauſarum, cum effectu qui in illas refertur; ſed natura eſt quæ vt in his, ſic multo magis in curatione vulnerum, numen ſuum explicat. Enimuero quid ni iſtud in homine faciat propter quem cætera condita ſunt, cùm *Capra* telo transfixa, ſagittam eijcere dicatur paſta dictamno, quod pabulum illi familiare eſt in Creta inſula, id enim ab omni antiquitate proditum, & à Virgilio his verſibus conſignatum

non illa feris incognita capris
Gramina, cùm tergo volucres hæſere ſagittæ.

Aeneid. 12. Theopraſtus vt rem veriſſimam aſſeuerat, quāquam apud me dubiam illā faciat, quod Ariſtoteles inter admirandas tantum auditiones, eius, vtpote à vulgo iactatæ, ſed nōdum penitus exploratæ meminiſſe voluerit. *Canes* præterea videmus vt ſuà linguà lethalibus plagis, & verminoſis, vlceribus medicinā faciant; vnum certè vidi cū eſſem in Flaminia à Phicoclēſi nobile *Vianio*, quem morſibus laceſſiuerat, quatuor acutiſſimi pugionis ictibus transfixum, quibus tātum abeſt vt contabuerit; quod nihil propterea de ſolita ferocitate remiſit, nec minimà ex illis damni conſecutione multatus eſt. Præterea non parū in hāc rem facit quod Cardanus refert *Lupum* fluuiatilem piſcem quem *Lucium* Itali vocant *ſciſſo ventre oſtendendi lactis causà, indèque conſuto, atque inter tinchas in viuarijs repoſito, ſanari humore illarum, dum ſe illis lupus ventre affricat*; quod vt idem Auctor addit, cauſam habet euidentem, *cùm viſcera non ſint oblæſa, & humor ipſe glutinoſus ſit aerque ad corruptionem minimè paratus*. Verum ne quis ſtatim mihi obijciat, quid Cani, aut Lucio cum homine? en aliud notabile exemplum ex Cabrolio peritiſſimo Monſpelienſis Academiæ Chirurgo, quod rem planè conficiat; narrat enim viſum à ſe ruſticum, cui ex vulnere per tranſuerſum cranium, menynges, & cerebrum cæſim inflicto, ventriculi ipſi ſua veluti concameratione denudati apparebant: vnde cum nullis ipſum indigere præter quàm ſacris inunctionibus pronunciaſſet, vxor nihilominus pietate mota, laridum candenti ferro ſæpius traiectum ſtillare fecit in pinguedinem, cuius illitu frequenti, ſalutem marito reſtituit. Nec plura eiuſmodi experimenta admirabilium in vulneribus curationum

Marginal notes: atic.4. (beside "biam illā faciat"); lib. 10. de ſubt. (beside "oſtendendi lactis")

refe-

refero, quoniam tam crebra ſunt in Ioannis SchencKij, Marcelli Donati, Fabritij Hildani, Dodonei, Amati Luſitani, Valeriolæ, Beniuenij aliorumque medicorum obſeruationibus, & in tractatu Bernhar iSueui Rotenburgi de inſpectione vulnerum lethalium & ſanabilium, vt neminem ipſa latere poſſint, qui paulo vlterius quàm à limine medicinam ſalutarit; in qua ſummus Dictator hoc velut pro explorato ſupponit, quod vulnera magis mortifera ſunt quæ venis craſſis; ijsque quæ in collo, ac inguinibus infliguntur, deinde quæ cerebro, & iocinori, poſtea quæ inteſtino, & veſicæ; *ſunt autem hæc omnia valde pernicioſa, non tamen ita deſperata, velut putatur: nam, & loci qui hæc nomina habent multùm inter ſe differunt, & ijdem mores; multum etiam differt præparatio corporis ipſius hominis*: & quemadmodum idem alibi non ſemel candidè profeſſus eſt *νούσων φύσιες ἰητροὶ morborum naturæ medicatrices*? etſi hoc verum eſt in compoſitis vulneribus, quid non de ſolitarijs, & leuioribus ſperandum erit? quæ ſola perſicariâ, lyſimachiâ, axungiâ porcinâ, oleo abietino, hyperici myrrhæ, folijs quernis, aut hederæ vino incoctis, balſamo communi ex vino, & oleo, cereleo, imo ſola agglutinatione, & deterſione Ruſtici ferme omnes curare norunt; non ſecus ac antiqui Heroes aquam potiſſimũ in illud adhibebant, etiam medicorum conſilio, vt Galenus pluribus locis, & Celſus item nõ ſemel teſtati ſunt, indeque Apuleius dixit *hic cruorem præterfluentis aquæ rore diluere, ille ſpongijs madidis tumorem comprimere*: & Lucianus addit in Dialogis Iouem petijſſe aquam à Mercurio, quà Semelis vulneri medicinam faceret, eumque ritum, vt ſeruaret Virgilius paſſim in ſua Aeneide ita Homeri exemplo locutus eſt, vt Aeneide quarta, *Date vulnera lymphis*, & decima

Interea genitor Tyberini ad fluminis vndam
Vulnera ſiccabat lymphis

ac etiam duodecima, vbi poſtquam ingenioſè finxit Venerem infeciſſe Dictamno amnem vicinum, tandem addit

Fouit ea vulnus lymphâ longæuus Iapis
Ignarus ſubitoque omnis de corpore fugit
Quippe dolor, omnis ſtetit imo vulnere ſanguis.

forſan quia ſcribit Hippocrates ſanguinem vndequaque fluentẽ algentis aquæ fotu cõprimi, & calidà eundem vt ſe diffundat prouocari

Margin notes: li. 3. prorrheticor. — 6. epidem. com. 5. — libro. — 6. Epidem.

uocari. Sed puto ego vulteios illos ſcrutis ſuis & veteramentis *cabaliſtico magicis* tunicato popello diuendendis, ita ſemper eſſe occupatos, vt nunquam animum aduerterint, ad naturalem hanc vulnerum curationem; multoque minus euoluerint aut *Cæſaris Magati* celeberrimi profeſſoris medici, eruditiſſimum opus de rara medicatione vulnerum, ſeu de vulneribus raro tractandis, quod à Septalio omnibusque bonis mirè commendatum venit: aut methodum quibuſcumque vulneribus medendi, eo medicamento quod aquà ſimplici, & fruſtulis ex cannabe, vel lino conſtat, editam à *Philippo Palatio Trebiate*: aut denique *Petri Pariſij* diſcurſum, quo omnis generis vulnera, etiam deploratæ ſpei, ſolo illo balſamo communi ex oleo, & vino feliciter à ſe curata fuiſſe oſtendit, ſuadetque vt operoſioribus alijs medicamentis procul amandatis, ſimplici eo, aut alio ſimili, vulnera medici impoſterum curanda ſuſcipiant, ſi velint cùm ſuæ conſcientiæ, tũ etiam ægrorum commodis & ſaluti conſulere; natura enim eſt quæ hoc adiuta leui præſidio, totaque in ſui conſeruationem defixa, partes læſas fouet, vnit, terget, agglutinat, atque ita ſenſim illatum damnum reparat; non autem inunctio iſtud efficit, quam illi Coroebo aut Amphiſtide ſtultiores, telis gladijsque applicant. Quandoquidem non deſunt, qui neque de telo ſolliciti, nec de ſanguine, aut Goclenij ficta cognatione, vbi vulneratum ſanare magnetica curatione, ſeu *opochryſmatis* vſu aggrediuntur, tripodem domi ſuæ obligant, & totam curationis oeconomiam in illo perficiunt, cùm tamen ille tripus nunquam vulnus, aut vulneratum attigerit, aliaue ratione ei cognatus ſit. Et quidem rectè in hoc, meo iudicio, faciunt, ſed magno adhuc faſtidio ſe liberare poſſent, ſi nullatenus eſſent ſolliciti de vnguenti compoſitione, quia cùm non reperiantur duo auctores, qui de illa inter ſe conueniant; ſed aliter eam exprimat *Paracelſus*, *Crollius* aliter, & ab vtroque diſſentiat *Gabelchouerus*, cui ne dum cum *Iacobo Colero* conuenit, aut *Ioanne Vuittichio*, vel *Cardano* quorum rurſus magna eſt à ſe inuicem diſſentio, dum hi vſneam & mumiam, ſanguinemque, & adipem humanum, parum referre exiſtimant, ſiue adhibeantur ſiue omittantur, quibus tamen alij totam vim magneticam contineri ſcribunt: ſignum eſt euidentiſſimum, nihil hic vnguentum poſſe tam variè deſcriptum, quod non item præſtare valeat vel

lib. 8. caut. medic.

ſeuoſa

ſeuoſa cornigeri medulla, vel axungia illa vetus, & rancida qua curruum axes perunguntur, aut ſi quid honeſtius velis aruina, quà apud Virgilium Aeneid 7.

Pars laueis clypeos, & lucida ſpicula tergent.

ſed quid opus pluribus, vt naturæ vim, maieſtatemque aſſeram in vulneribus ſanandis, quæ neminem latere, poteſt paulo accuratius in antiquiorum temporum memorias reſpicientem, & diligenter ea perpendentem apud ſe, quæ in illis circa morborum curationem, facta à medicis fuiſſe referuntur; nam cùm Zamolxis, Plato, Socrates, Democritus, Apollonius, & innumeri alij quorum nonnullos poſtea laudabimus; *incantatione*, hoc eſt *verbis characteribus, amuletis*, & id genus ſuperſtitioſis, & vanis inutilibuſque remedijs, mòrbos ſanari poſſe tradiderint, non eſt credibile opinionem hanc tamdiu inter homines vigere, & perennare potuiſſe, niſi ſubinde quibuſdam experimẽtis confirmata fuiſſet, & multarum curationum exempla fidem opinioni feciſſent, eiuſmodi remedia, quibuſdam fuiſſe ſaluti: hoc vero poſito quod nemo ſanus vt opinor inficiari poteſt, quæro ab vnguenti armarij fautoribus, num incãtationum illarum mirificæ poteſtati, aut naturæ vi, ac facultati tot curationes imputent, an ſecus? dilemma eſt, cuius ſi priorem partem conceſſerint, non aliter cum illis agendum cenſeo, quàm cum hominibus, qui in hoc videntur à natura facti, vt cæteris omnibus ſint deriſui, & ludibrio, dum tam ineptè de rebus etiam obuijs ſentiunt & loquuntur; ſi vero poſteriorem partem admittant, erit quod plurimum gaudeã reſipuiſſe illos, & aliarum rerum exemplo, quàm ad nullam partem vtile ſit vnguentum illud ſympatheticum, tandem dijudicaſſe; alioqui cum eius vanitas, & fallacia tam manifeſta ſit

Quam Solis radij eſſe olim cùm ſudum eſt ſolent.

quis homines ferat aliorum medicos, ita ineptire in hac medicina, vt quo illam Muſis omnibus inuitis, & Apolline nullo, in ſcenam proferant, hominem exuere non vereantur? aut ſaltem id quod homines à Brutis diſtinguit, nimirum *rationem*. Quæ licet mille modis & experimẽtis veriſſimis quotidie inculcet, diuiſionem continui in animalibus abſque dolore, fieri nulla ratione poſſe, & actionem agentium inter ſe præſupponere mutuum cõtactum, ſi non corporis ſaltem virtutis: quoniam vt inquiunt phi-

Digitized by Google

loſophi impoſſibile eſt vt, moueat quod non tangit, & vt ab eo
1 Meteor. quod non mouet aliquid efficiatur, vnde etiam Ariſtoteles aſſerere non dubitauit *mundum hunc inferiorem ſuperioribus lationibus eſſe contiguum, vt omnis inde virtus gubernetur*. Licet præterea cōmune pronunciatum ſit, qualitatem nullam abſque conuenienti vehiculo effundere ſe, ex rebus, aut in alias propagari poſſe, quoniam, vt inquiunt ſcolaſtici doctores, accidentis eſſe eſt ineſſe, & ſubiectum aliquod habere cui inhæreat: nihilominus tamen ipſi tot ſapientum effata, vaniſſimæ neſcio cui, ac putidiſſimæ opinioni ſubmittunt, & iura legeſque naturæ ſubuertunt, vt inuerſi ſui cerebri nugas & deliramenta poſſint ſtabilire. Contra rationem iam dixi, oſtendamus nunc vt etiam abſque ratione: dantur inquiunt multæ actiones quæ abſque contactu corporeo, ſed per occultam ſympathiam, & magnetiſmum vt vocant efficiuntur, quemadmodum in *Magnete* videre eſt; in *Torpedine* in *Aſtrorum influxu*, in *ſecundinis*, & primo *ſanguine menſtruo*, quæ non rectè tractata damnum inſigne fœminis, & virginibus afferunt, ac demum in *Vinis* quæ intra dolia vite florente perturbantur, vt in-
5. Faſtorum. quit Theophraſtus, & Ouidius ex eo

Vina quoque in magnis operosè condita cellis
artic. 66. *Florent, & nebulæ dolia ſumma tegunt.*

& in *adipe vrſino* qui vt Ariſtoteles in admirandis narrat, etſi algore hyemis in vaſe congelatus fuerit, videtur tamen eo tempore quo vrſa in ſpeluncis occultatur, creſcere, & ſupra vaſis labra ſe diffundere: quod refertur etiam à Solino polyhiſtore, & à Theophraſto in libro de odoribus, vbi multa alia eiuſmodi pro-
capite 29. fert, quæ conuenientius eſt eius verbis referre, vt ea politiſſimus, & accuratiſſimus interpræs Turnebus reddidit. *huiusmodi autem naturæ conſenſio, atque contagio in alijs etiam quodammodo euenit. vinum enim cum vua efferueſcens tentari videtur: & allia, cæpeque tum acerrimi ſunt odoris cum in terra germinant. ſed præterea accidit vt vna etiam ipſa germinent; atque omnino omnia quæ tunicatâ conſtant radice modo non exaruerint, germinationis tempore mouentur; cum inſita cuiqueuis ſollicitetur, & excitetur: ſed omnium iſtorum admirationem facile ſuperat quod in adipe vrſino euenit, qui latebrarum tempore exundans, intumeſcenſque vaſa implet.* Hæc autem experimenta occaſionem & vigorem dediſſe

cura-

Digitized by Google

curationi magneticæ, tam certum eſt, vt nulla adhuc ratio ab eius fautoribus excogitata fuerit, quam ambitioſius proferant in ſui defenſionem. Et ſanè optarem vt multa alia quæ in hanc rem ex penitiſſima antiquitate, & infinita auctorum lectione collegit doctiſſimus ille vir;& cuius merita latius diffuſa ſunt in literarum monumẽtis,quàm vt à me perſtringi poſſint, Leo Allatius,cognita illis ac peſpecta forent; ita enim fieret,vt ſi non eiuſmodi experimentorum veritate, ſaltem eorundem munerosà phalange, tueri ſe vtcumque, & *magnetiſmo ſuo* patrocinari legitimè poſſent. Verum quam diſpar ſit horum omnium ratio cum *oplochryſmatis* operatione, operæ pretium eſt videre quidem diligenter, ſic enim conſtabit, quod etiamſi talia experimenta in dubium vocari non poſſent, tamen nihil ex illis inferri poteſt quod magneticæ curationis vim, & preſtantiam non potius eleuet, quàm augeat, & attollat: vnguentum enim quo perficitur res eſt non naturalis, non vna, ſed à varijs cõpoſita, atque ab alijs aliter, & ex alijs rebus, quarũ ratio nõ bene apud vllum ſcriptorẽ conſtat. Præterea non ad vnum effectum determinatur,ſed ad varios,& multiplices,nam dolorem ipſum leuare oportet, & concoquere pus, & excrementa expellere,& carnem reſarcire,& agglutinare de nouo,ac veluti ferruminare partes ſeiunctas. Denique non in eodem corpore hæc omnia præſtare debet, ſed in multum diuerſis; & plerumque contraria temperie præditis, quorum omnium,in mutua illa conſenſione,& contagione rerum naturalium nihil vnquam ſimile obſeruatum fuit, ſed ipſæ ex iiſdẽ principijs ad eoſdem effectus,per mutuas naturæ ſimilitudines tendunt,operationeſque producunt certas,& conſtantes, ex vi totius in ſe cõſpirantis rerum naturæ,& ordinis vniuerſi,quos effectus dum homines arte ſua venari, & imitari ſtudent: næ profectò tam ridiculi fiunt in vnguenti ſui præparatione, quàm alias infelices extiterũt in *Biolychnij confectione*, in *Metallorum trãſmutatione*,in *tonitruũ, ac fulminum imitatione*,& ſimilibus naturæ in ſe, ac in proprià officinà laborantis operationibus,quæ ſolà hominum arte, & induſtrià effici ſimiliter non poſſunt: atque ita etiam ſi conſenſus ille rerum naturalium verus eſſet, nihil tamen ex eo in magneticæ curationis fauorem deriuari poteſt.Sed tantum abeſt vt talis contagio vera ſit, quod ſi diligenter, & ſigillatim per ſuas partes exa-

minetur vnicuique ſtatim innoteſcet, multa dici de illa, quæ aut nullatenus vera ſunt, aut ſaltem alio modo ſe habẽt quàm ab ipſis auctoribus referantur. Nam quod de *adipe vrſino* dicitur, non illud quidem aliter ſe habere dicam ex Plinio, qui *coctas vrſorum carnes*, non eorum adipem, *creſcere* aſſerit, quandoquidem manifeſtum eſt eum, Theophraſti, quem iſtiuſce rei teſtem laudat, non bene libros inſpexiſſe: ſed quæram potius quinam alij auctores mentionem præter Theophraſtum, de hac re fecerint? nam Solinum idemmet Plinius in errorem ſeduxit, vtpote ſui tranſcriptorem; & quantum ad auctorem collectionis ipſius admirandarum auditionum, non ſatis idoneum illum habeo, qui fidem in re ſeria facere poſſit. Theophraſtus vero multa etiam dixit non ſemper ad vnguem explorata, & vulgi iudicium, *cuius opinionibus*, vt inquit Cicero *trahimur in errorem, nec vera cernimus*, in pleriſque ſequutus eſt, vt omittam quod ita eam obſeruationem refert, quaſi de eius veritate dubitare videretur, vtpote nondum per legitimam experientiam perſpectà, exploratàque ad normam, quam tradit Galenus obſeruari debere, priuſquam de aliquo effectu cõſtare poſſit. *ſi ex medicina*, inquit, *aliqua purgatos videris ſex, vel ſeptem homines, dicere certe non poteris quod omnes poſt hac homines ex neceſſitate purgabuntur*, vnde ſi adeps vrſinus ſemel aliquando ollã in qua aſſeruatur ſupergreſſus eſt, eo tempore quo animalia ferme omnia in latibulis deliteſcunt; nõ propterea ſequitur iſtud ob receſſum, vel ſomnum eiuſmodi animalium, potius quàm alia de cauſa factum fuiſſe, alioqui ſingulis annis idem effectus rediret, nec modo in Vrſis, ſed in alijs animalibus, quorum adipes in Pharmacopolijs aſſeruantur: quod tamen vſu ipſo, & continuà obſeruatione falſum omnino eſſe deprærhenditur. Quod vero dicebat Theophraſtus de *vinis, & allijs*, id neque ſimiliter verum eſſe conſtat, & ſi tale ſit, ad temporum conuerſionem potius ſpectat, nec tam cauſa eſt iſtius effectus, quàm ſignum immutatæ aeris temperiei à qua ille producitur, veluti de fabis communi prouerbio noſtrorum, ac Italorum quoque iactatur

lib.8.cap.36.

2. de legibus.

com.1. ſect.3 aphoris.

Quando le faue ſono in fiore
I pazzi ſono in vigore.

Ideſt quod vbi culmi fabacei florere incipiunt, pleroſque videmus homines vacillantis cerebri, & fœminas præſertim mente alie-

alienari, multaque abſurda,& ridicula proferre. Neque enim inſania quicquam cum fabis commune habet, vt qui maximo locorum interuallo ab illis diſtãt,hoc ſymptomate corripiantur, quoties hæ in florem eruperint; ſed Solem ipſum accuſant peritiores medici,accedentem propius ad nos, & vernam tempeſtatem afferentem: hoc enim tempore genitalis aruorum ſpiritus, ac viuificus terræ calor, flores fabarum trudit, & natiuus in homine humorũ *orgaſmum* ſuſcitat, atque cõmouet,itaut reſtagnare incipiãt denſiſque fumis,ac vaporibus cerebrum afficere; vnde tandem accidit,vt qui imbecillo ſunt cerebro,& ad inſaniam propenſi naturà exiſtunt, ex illa humorum ebullitione, quæ non minus in muſto,& alijs ſuccis animaduertitur, nouas inſaniæ exacerbationes patiantur. Obſeruationes autem illæ de *ſecundinis*, & *primo ſanguine menſtruo*, prorſus ad muliercularum ſuperſtitionem referendæ ſunt, ſi enim vt argutè quærit Sennertus ſecundinæ in ſordida loca abiectæ, fœminæ moleſtiam faceſſunt, cur brutis non idem euenit, quorum lochia,& membranæ quotidie in fimo putreſcunt? & quocunque defodiuntur humanæ, tandem putreſcãt oportet: idque in vili ac ſordido quodam angulo,neque enim memini vnquam eas balſamo, & aromatis ſolere cõdiri,quaſi medicatum funus illis deberetur. Sed vlterius peto,cur item Molæ, quæ comburuntur, nihil damni fœminis afferunt? cur primus ſanguis menſtruus,quàm ille qui poſtmodum fluit,accuratius tractari debet? cur hoc ſi in nonnullis verum eſt,in pluribus tamen fallit? vultis horum omnium cauſam ex Seneca, *nemo noſtrum quid veri eſſet excuſſit, ſed metum alter alteri tradit:itaque res falſa, & inanis habet adhuc fidem.* De Aſtrorũ *influxu* verè illud dici poteſt, *Philoſophi certant, & adhuc ſub iudice lis eſt.* *Magnes* denique, & *Torpedo*, ferro, & virgæ piſcatorum admouentur,nec vltra certum determinatumque ſpatium virtutem ſuam diffundunt, ſecus quàm in vnguento armario fiat,quod neque ad ægrum pertingit, neque ſphæram actiuitatis ſuæ determinatam habet. Vnde ſi verũ fateri volumus,totum iſtud eſt *planorum, & impoſtorum* negotium, qui infinita alia æque fabuloſa in vulgus quotidie ſpargunt, ex quibus non video quid nobis aut præſidij ad vitam, aut adiumenti ad valetudinem, aut ornamenti ad ſcientiam poſſit accidere: quid vero ex illis damni in hæc omnia redundet, noſcunt ij, qui epiſt. 110.

populum tot inualeſcentibus in dies nouis alijs ſuperſtitionibus, detineri vident; dolentque nullum eſſe genus morbi, quod ſeu in homine, ſeu in brutis, abderitana eiuſmodi medicaſtrorũ, & vetularum plebecula, hoc vnguine ſanandum non recipiat. Quinimo vt nihil ad fabulam deeſſet, quàm omni ſtultitiæ apparatu moriones iſti in orbis theatrum inuehunt; quaſi Eremitæ, cuius mentionem faciunt Matthiolus, & Cardanus, ac medicorum æmulatione qui abſentes ſanant, milites etiam inuenti ſunt, qui referente Delrio iſtud ſe poteſtatis habere credũt, vt quemcumque volunt etiam ſi longiſſimè diſſitum, infallibili ictu traijciant, modo tamen globulis vtantur nefando ritu præparatis, & à quorum eiaculatione *Sagittariorum* ipſi ſeu *Baliſtariorum* nomen ſortiti ſunt. Cui ſimile eſt quod narrat Olaus Magnus in hiſtoria Septentrionali, nempe Lappones, & Finnos ex plumbo conficere *iacula* quædam *magica*, longitudine digiti, eaque per quæuis loca diſſita mittere in eos, de quibus vindictam ſumere expetunt, & hos quidem oborto ſtatim carcinomate, in crure, vel brachio intra triduum vehementiâ doloris emori. Atque ita nullus erit ineptiarum finis, & citius Cancer rectà ingredi diſcet, quàm nebulones iſti, & impoſtores à fabulis deſiſtant, quas tam facile in vulgus ſpargunt, quàm temere ab illo ſuſcipiuntur.

in Dioſcorid. li. 18. de ſubt.

5 Verum quia Goclenius, & ſui ſimiles, quicquid vſpiam fuit *ſigillorum*, & *characterum Aſtralium*, vt illos vocant ad iſtius vnguẽti vim, etſi neſcio prorſus qua conſecutione, ſtabiliendam afferũt, multique inſuper iiſdem, vel ſolis, vel incantationibus confuſis, & permixtis, ad morborum amuleta vtuntur, reliquum eſt vt fidem, quam antea dedi agendo de Achille rediuiuo, liberem: & quidem horum occaſione, miratus ſum ſæpius qui fieri potuerit, quod viri multa, ſingularique eruditione celebres, in eundem omnino cũ vili, & ignara plebecula errorem impegerint, de characterum eiuſmodi verborumque virtute. Nam præter ſuperius laudatas Platonis auctoritates, & multas inſuper præſtantiſſimorum hominum quas breuitatis ſtudio omittimus; dici vix ac ne cogitari quidem poteſt, quantum ipſa ſuperſtitio medicorum etiam calculis adiuta, incrementi acceperit; eo vſque vt multi hodie reperiãtur, qui cenſent *curationem Homericam* tribus alijs Therapeuticæ medicinæ inſtrumentis *Dietæ*, videlicet, *Chirurgiæ*, & *Pharmaciæ*, velut

Sigillorum itẽ & carminũ vanitas detecta multis rationibus.

velut quartum, & ſummopere neceſſarium annectendam eſſe. Hoc autem quin antiquis ſimiliter perſuaſum fuerit dubitari certe non poteſt, niſi ab ijs, qui in optimorum auctorum lectione parum ſunt verſati, Apuleius enim iſtud manifeſtè conuincit *veteres quidem*, inquit, *Medici etiam carmina remedia vulnerum norant*; & Ammianus Marcellinus poterat ne apertius de illis loqui quando dixit, *aut anile incantamentum ad leniendum adhibuiſſet dolorem, quod medicina quoque admittit auctoritas*. Sed ne calumnia hæc in medicos eſſe videatur, potius quàm vera narratio eorum, quæ multi iſtius ſcientiæ profeſſores committebant; animaduertendum eſt in primis quid Eunapius de Ionico præſtantiſſimo medico referat; quid Palladas in antiqua græcorum epigrammatum collectione, de ſuo teſtetur, à quo ſibi epialà febre, quæ ad pituitoſarum ſpeciem refertur, laboranti, datum *δίζυτον ἐν κεγρίῳ ἠπιάλῳ*, profuiſſe diuinà quadam, & præſentaneà vi aſſerit; illic enim *Dizythum* non pro duplici *Zytho*, ſeu *Cereuiſia*, vt voluit Eraſmus, ſed pro *amuleto* quodam ſumendum eſſe, Demetrius Chalcondyles; rectè, meà ſententià, docuit: videndum præterea quid de hac re in libris ſuis non effuderint Alexander Trallianus, Aetius, Marcellus Empiricus, Nicolaus Alexandrinus, ſeu Myrepſius, Cato & reliqui geoponicon ſcriptores tam Græci, quàm Latini, iteque Harpocratio Alexandrinus in libro de virtutibus naturalibus, Pſellus in admirabilibus lectionibus, quas propediem editurus eſt, communi literarum bono natus Leo Allatius, & Teucer Babylonius apud eundẽ; vt Cyranides, ſeu Cyranis, aut Kyranides ex lingua Barbara tranſlatus in Græcam ab Harpocratione ſupranominato; ac etiam Quintus Serenus Sammonicus cuius iſta ſunt

In apologia lib. I.

libro 16.

Gramine ſeu mauis ægro præſtare medelam,
Carmine ſeu potius, namque eſt res certa ſaluti
Carmen, ab occultis tribuens miracula rebus.

& demum Iulius Africanus, è quo locum hunc, quem mihi erudiſſimus idem Allatius communicauit, eo lubentius in medium proferam, quod ipſe aliquando concludi ex eo probabiliter cenſuerit, ſpeciem aliquam iſtius vnguenti armarij, quod nunc ab ineptis, & inſulſis hominibus iactatur, etiã tum apud antiquiores illos extitiſſe. locus igitur ille talis eſt ex ſexto libro de ceſtis *&*

vulnerato à ferro illud doloris remedium; erit ferrum, quod vulnus inflixit, inungere opus eſt, deinceps illud quaſi percutientes in vulnus adigere, ter Ta, Ta, *enunciantes, ſimulque ſuper illud latinum quoddam enunciatum proferentes, quod in appoſito pentagono legitur, recta ante coloratum, diſtinctumque, tanquam quod retro lineas habeat,* Alpha: *dolor itaque hac ratione quieſcet, vulnus medici curent infirmo contactum eorum non reſpuente.* Inter recentiores autem medicos, qui curationis remedia non penitus damnarunt, magni ſemper nominis habiti ſunt Petrus Aponenſis, Gentilis de Fulgineo, Nicolaus Florentinus, Gordonius, Valeſcus, Cardanus, Augerius Ferrerius, & alij qui tamen ſapientiores in hoc prioribus fuere, quod per ſe, & immediatè, verba illa, & characteres nihil omnino poſſe oſtenderunt: ſed mediatè tantum & per accidens, imaginationem ægri mouendo, quæ ſpe remedij, in quo plurimum confidit, ſubleuata, multumque lætitiæ, vel cupiditatis ex illo concipiẽs, ſpiritus propterea vehementer cõmouet, & reficit, atque recreat; à quibus poſtea totius corporis vigor inualeſcit, cor antea quidẽ metu cõſtrictum ſe diffundit, & dilatat, omniaque in ægri ſalutem conſpirant; contra quàm Antiqui cenſuerunt, qui verbis, & characteribus poteſtatem omnem tribuebant. Quare vt de *ſigillis* primum atque *annulis* vario linearum, & figurarum ductu exaratis dicam, quorum in compoſitione ſuperſtitioſi homines, fuerunt ab antiquiſſima temporum memoria, ſemper occupati; magnam illis auctoritatem acceſſiſſe puto à famoſo illo *Gygis* Lydorum Regis annulo, quem deſcribens Plato, licet de vi eius magica nullam mentionem faciat, Philoſtratus tamen gemmam, quæ in eius pala includebatur, è capite Draconis cuiuſdam Indici erutam fuiſſe refert; & Cælius Rhodiginus multis declarat, aut omnia quæ de illo dicuntur pro fabulis habenda eſſe, quod ego libentiſſime amplector, cùm Iuſtinus, & Herodotus nullà factà iſtius annuli mentione, Gygis & Candaules hiſtoriam referant; aut ritus omnes magicos in eo cælando, & elaborando obſeruatos fuiſſe, propter virtutem quam habebat, vt qui gemmam introrsũ ad corpus obuerteret, licet in medio foro eſſet à nemine tamen conſpiceretur. Huic vero non minus antiquitate, quàm virtute proximũ faciunt hiſtorici, annulum *Moſis*, quem Vincentius Bellouacenſis, & Antoninus ex Rabbinorum nugis referunt

2.de legib.

lib. 3 cap. 25.

ab

ab eo rationibus aſtronomicis fabrefactum fuiſſe, vt cum illi ex Aethiopia diſcedendum eſſet, ſui obliuionem induceret Regi, ac eius filiæ Thaibi, quã in vxorem duxerat, atque ita ſenſim eiuſmodi annulorũ & characterum vſus innaluit, ad quæcumque auctoribus ſuis in mentem venerant, conſequenda. Vnde *Iarcham* ferunt ſapientum Indorum qui vulgo *Brachmanes* dicebantur Regem; tam ſcitè tamque affabre ſeptem ſibi annulos compegiſſe, ad retardandam ſenectutem, vt Apollonium Thyanæum dono acceptos, ſingulis diebus ſingulos iuxta dierum nomina eos diſtinguentem geſtaſſe, & eorundem munere cõſpicuum ſeruaſſe iuuentæ nitorem, memoriæ proditum ſit. Sic P*ſylli* in Hiſpania, M*arſi* in maiori Græcia ſeu Calabria, *Ophiogenes* in Africa, φυσικοὺς ϗ φαρμακίτας δακτυλίους, ſed præſertim aduerſus ſerpentum venena diuendebant, vt oſtendit Scaliger: & *Eudamus* etiam apud Ariſtophanem alios faciebat, quorum virtus eſſet admirabilis aduerſus faſcinationes, morbos, & id genus mala, à quibus nemo vnquam ſatis tutus eſſe poteſt; quomodo etiam Eudoxia Imperatrix cùm parturiens ægrotaret, voluit ſibi magicas literas vtero ſuper poni vt mortuum fœtum eijcere poſſet, ſicut à Cedreno notatum eſt. Verum vtcumque hæc ſigilla apud antiquos in frequentiſſimo vſu fuerint, neſcio tamen quomodo fatali rerum viciſſitudine paulo ante maiorum noſtrorum tempora, eo vſque euiluerant, vt nulla penitus illorum extaret memoria, niſi apud *Arnaldum de Villanouà*, qui vt erat homo multum deditus Rabbinorum & Alchimiſtarum deliramentis, ita nonnullorum ſigillorum compoſitionem in ſua medicinæ practica docuit; & ipſo iuniorem, ac ſaniorem mente Ioannem Gerſonum Pariſienſis Academiæ Theologum, qui imaginem damnat, certis exaratam characteribus, ex vi & proprietate cœleſtis influxus, qua *medicus* quidam *Monſpelienſis* in ſuis curationibus vtebatur. Sed non diu paſſi ſunt homines omnium ineptiſſimi, nos damnatis illis ceremonijs & vigilantium ſomnijs liberos viuere; abbas ſi quidem *Thritemius* cum inſtar Rogerij Baconis, aut Alberti Magni, naturalis magiæ peritus haberi vellet, præter cætera quæ in hanc rem fecit, ſigillorum artem partim ex Aſtronomiæ Arabicæ figuris, quas Petrus Aponenſis in Aula maiori palatij publici Patauini depingi curauerat, partim etiam ex auctorum fragmentis & proprio

ad Manil.

prio ingenio commentus eſt: eamque vt plus auctoritatis illi conciliaret ſub nominibus fictitijs quorũdam ſapientum vt *Hermetis*, *Iabelis*, *Chaelis*, *Salomonis* & ſimilium, quorum appellatio nullibi quàm apud ciniflones, & agyrtas vnquam audita fuit diuulgandam cenſuit: ſpe ratus nõ defuturos ſtatim qui partum hunc velut rubentem adhuc, & ad columnam expoſitum ſuſciperent, & certè minimè eum ſua feſellit opinio, inuẽtus eſt, ſi quidẽ paulo poſt *Camillus* quidam *Leonardus Piſaurienſis*, qui cum de gemmis & lapidibus ſpeculum quoddam ederet, diuinitus oblatum ſibi putauit tractatum illum, quo de hominum ſalute & commodis bene mereri poſſet, integra eius in opus ſuum translatione; quemadmodũ poſtea eundem etiam conuaſauit *Ludouicus Dulcis* cũ opus vulgari idiomate de eadem materia componeret; & certatim multi hoc ſœculo idem fecerunt vt *Goclenius*, *Longinus* & alij quos nominare parum refert; quandoquidem præter hos qui librum integrum deſcripſerunt, inueniũtur præterea infiniti, qui decerptis ex eo varijs hinc & inde ſententijs, ſuis in compoſitionibus quotidie abutantur. Et nihilominus ſi omnes ſacramẽto adigas vt liberè profiteãtur, num ex tot ſigillis & annulis, cuiusdam vnquam non dicam vires probarint, ſed fabricam attentarint, neminem illorum adeo impudentem fore exiſtimo, vt id à ſe factum dicere audeat: nempe non ſcribunt ſed tranſcribunt, furantur nõ componunt, congerunt non digerunt, & modo centonem aliquem ex varijs ſcrutis & veteramentis conſutum ſingulis nundinis ad emporium Franco furtenſe transmittant, parum ſolliciti ſunt an vera ſint vel falſa, probata an incerta, ſolida aut futilia, quæcumque in ipſo dixerint, ſed curant tantum vt pulchra ſint, & rara, lectoremque ſuum illecebris quibusdam & nouis pollicitationibus attrahere, atque demulcere poſſint, quia vt inquiunt

Horatius. *Ficta voluptatis cauſà ſunt proxima veris*.

Niſi forſan aliquis crediderit, eiusmodi nugarum auidos ſectatores, & ſcriptores, non tam peccare malitià quàm nimia bonitate naturæ, & ſtudiorum continuatione, quibus, dum ad ea tantum quæ recta ſunt, & honeſta informantur, nec in aliorum hominum fraudes, & verſutias inquirunt, facile ſibi perſuadent, nihil quicquam ab alijs, quod non exploratum ſit proferri: maximè cum typis illud committitur: & quemadmodum natura ipſa magis in dies

dies numen ſuum explicat,ita impium eſſe mirificas eius actiones non ſuſpicere & admirari. Qua in re planè cum illis conſentio, Deumque precor enixè, vt bonam hanc mentem quàm diutiſſime in illis conſeruet; modo tamen de ijs loquātur naturæ operationibus, quæ apud bonos omnes & ſapientes, qui nec falli nec fallere norunt conſtantiſſimæ veritatis eſſe deprænhenduntur:hoc vero tantum abeſt vt de characteribus & ſigillis dici poſſit, quod præter experientiam quæ omnino illis contraria eſt,vt fuſius poſtea oſtendetur, agendo de opinione medicorum: rationes quoque philoſophicæ, & doctiſſimorum virorum auctoritates; quæcumque de horum virtute feruntur euidentiſſimæ vanitatis eſſe argumenta, conuincunt. Quis enim ſanus vnquam putauit,multa quæ à cœlis, & ſtellis, corporibus inferioribus naturaliter tantummodo, & ex neceſſitate connexionis ſuperiorum lationum cum ſubiectis rebus, imprimuntur;eadem etiam ex noſtro arbitrio, & artificio in illas deriuari: pingat quis quantum volet in cryſtallo, aut Achate figuram Martis, ferrum addat calcitrapæ ſucco oblitum, ad ſeptentrionem conuertatur, & nihil cæremoniarum omittat, quæ neceſſariæ ſunt ad ſigillum aliquod efficaciſſimum parandum; omnibuſque tandem ritè peractis, Achate ſuo, vel chryſtallo, loco magnetis vtatur in dirigenda naue, cito credo in ſyrtes, & ſcopulos impinget: ignem iterum in ligno ſculpat, an propterea abſque ipſo, vis nulla vrendi illi fuiſſet. Si materia per ſe efficax eſt ad illud quo hanc trahis,& applicas,tam facile ſuas vires exeret ſine verbis aut figuris, quàm unquam illas depromet,ſi ad illud inepta ſit,etiam ſi tota characteribus deformetur.Quid enim in illis iuuare poſſunt *compoſitio, ordo, figura,* quæ communi philoſophorum conſenſu nullius actionis principia ſunt?quid *Artifex* cuius idea à qua proueniunt,in alienis corporibus nihil quicquam poteſt? Quid *Aſtra* quorum influxus nondum municipio donatus eſt in rerum natura: nec imagines conſtellationum aut Planetarum tales ſunt, quales primi Aſtrologi illas ad libitum finxere, cùm *Saturni* ſtellam inſtar ſenis promiſsà barbà,& falce altera manu armati,aut conſtellationem quæ polo vicinior eſt,piloſæ ac immani *Vrſæ* ritu depingendas curarunt: ſecus enim deſcribi potuiſſent, id ſi eis ita viſum fuiſſet. Atque huius rei fidem faciunt tum fabuloſæ earum explicationes

quas

Digitized by Google

In ſphæra Procl. in ſphęra italic.

quas Ioannes Stoflerinus, & Alexander Piccolomineus copioſè ſunt proſecuti; tum etiam variæ earum deſcriptiones, nam Ptolomæus Hipparchi imagines immutauit, & conſtellationẽ quam plerique *vulturem cadentem* appellant, ipſe Aſtrologorum princeps *lyram* eſſe voluit, nec deſunt etiã qui pro *Aquila marina* eandem vſurpent. Sic C*aſſiopeia* prout variè à varijs pingitur, ita & appellatur admodum diuerse, Iuuenali enim *mollis cathedra* dicitur, Græcis quibuſdam *ἡ γυνὴ τοῦ θρόνου mulier ſedis*, alijs θρόνος ſimpliciter ſiue *Cathedra*, Syneſio *ἀμφικέφαλος κάθεδρα*, Hebræis & Arabibus *Canis*, vel *Cerua*. Et *Ara* conſtellatio illa auſtralis, quonam denique modo éxſculpi in ſigillis debeat, equidẽ non video, quibuſdam enim Aſtrologis non Ara, ſed *thuribulum* eſt, nec modo thuribulum, ſed *ſacrarium, pharus, puteus, templum, focus, prunarum conceptaculum, ignitabulum, batillus*, tot enim nominibus illam vocari à diuerſis aſtronomis, auctor eſt Hugo Sempilius. Præterea Chaldæi ex *Libra*, & *Scorpione* vnam tantum imaginem fecerunt: Arabes vero ſigna humana alijs commutarunt, turpe, ac indecorum exiſtimantes hominum figuras inter tot animalia conſpici: quorum adhuc loco Hebræi *literarum elementa* cælo dederunt, & Abenezra Auctore aliter Perſæ, aliter Indi ſtellarum imagines, & aſteriſmos pinxerunt: nec deſunt etiam hodie qui profanas eiuſmodi figuras exoſi, Chriſtianæ pietati magis conuenientes alias, nec ſine quorundam applauſu induxerunt. Vnde quis non rideat pannuceos homines, quos *tegula ſola tuetur à pluuia*, nempe vt commodius cælo inuigilare poſſint; ex vulturis cæleſtis, aut alterius conſtellationis imagine in metallo deſcriptà, aureos quotidie montes ſibi & alijs promittere; cũ interim ipſi fame pereant, & cælo nuſquam propitio, virtutes eius in terras deducere nitantur, forſan quia loco vulturis, lyra ſculpendà erat, aut pro Ariete, Capra, & Vacca, pro Boue, vel Tauro, de hoc enim ſigno incertũ eſt adhuc inter Aſtrologos quid ſtatui debeat, quoniam vt inquit Ouidius *poſteriora latent*. Iam vero ſi ab iſtis ſeparatim nihil ſani, ac veri elicere potes, quid magis ab omnibus ſi inter ſe conueniant ſperandum? vulgatum eſt, vbi tres ad Sympoſium conueniunt, quorum nemo ſymbolam attulit, tam omnes tres ſimul, quàm ſingulos domi eſurire neceſſum eſſe; & ſanè non maiorem habet imprimendi vim illa ſtellarum congeries tota-

lib. 10. de Mathematic. diſcip.

que

que cœli, vt ab Ennio vocatur *ſignitenentis* pictura in metallis, quã Regis imago ære cælata, aut colore ducta, fictorē, pictoremue ſuũ ditare poteſt: non enim noua inſtituitur ibi mixtio qualitatum, nõ materiæ motibus varijs præparatæ, & conuenienti qualitatum temperie indutæ, noua ουσίωσις conficitur, applicatur ve forma; ſed corpori iam ſuà ante cõformato materià, & formà quibus exiſtit, & conſeruatur, ſuàque inſtructo conuenienti mixtione, arte ac commodatur noua, & accidentaria ſpecies, ad quam nihil aſtra, niſi qualitates quæ tunc ſunt in aere conferunt; imo tota illa fictitia ſpecies ocioſa eſt, & inefficax; aut ſi omnino talis aliqua vis ex cœlo defluit, cur illa non potius viuis, & vegetis corporibus animantium, aut illorum ipſorum qui tum ſigilla effingunt, quàm ſculptili ſcorpioni, aut conflatili vel cereæ, vel lapideæ imagunculæ inhæreſcit? Hac ergo ratione confiſi, ſemotis tantiſper alijs difficultatibus, influxum cœleſtem in characteres deriuari permittamus, tanta etiam facilitate, ac feſtinatione, quantà ſe *Velinus amnis* ad Interamnam per exciſas cautes in *Narem* præcipitat; quæram enim inſuper quomodo ipſi conficere tandem poſſint, vim ſic impreſſam, deinceps in lapide perſeuerare; cum remoto igne qui lapidem calefecit, aut ferrum candefecit, vtrumque ſtatim ad ſolitum frigus redire conſpiciatur. Profecto nugæ ſunt hæc, & arcana Platonicorum, Paracelſiſtarum, fumiuendulorum, impoſtorũ quibus non ſecus ac *Eluſinijs* myſterijs, & *Bonæ Matris* ſacris mulierculis tantum intereſſe fas ſit, vt pote veritati contrarijs, indigniſque virorum ſagaci mentis indagine præditorum; & maxime philoſophorum grauitate ac iudicio; cum eorum potius officium ſit ex communis omnium Magiſtri ſententià, an res aliqua ſit; priuſquàm quid ſit, aut quomodo ſit inquirere. At vero his nugis fretos homines multarum rerum cognitionem habuiſſe, his Alexandrum, Iulium Cæſarem, Annibalem, Tamerlanum, & reliquos duces ingentia feliciter bella confeciſſe, quis vidit vnquam, aut quis fando tantum accepit? niſi ab inepto Calliſthene, nec illo quidem Ariſtotelis nepote, ſed recenti, & ὑποβολιμαίῳ alio ſcriptore geſtorum Alexandri Magni, qui totus quantus ex fabulis meris, & horrendis conſutus eſt; nihilque frequentius crepat quàm *myſteria vana Necepſi*, vt vocatur à Paulino in carmine, quod ab eo conditum ſcribit Auſonius,

nius,cum Tranquilli hiſtoriam de Regibus in epitomen referret; forſan quia reſciuerat Calliſthenes, *Necepſum* hunc, aut Regem aut philoſophum Aegyptium, aſtrologiæ, quæ tunc vt ex Pſello & alijs patet, pro magia ſumebatur, fuiſſe peritiſſimum, vt certè eo nomine plurimum commendatur à Iulio Firmico, Plinio, Galeno, Euſebio, Teodoreto, D. Auguſtino, & alijs quandoquidem non hunc diuerſum eſſe exiſtimo ab *Anebunte*, ſiue *Anebone*, aut *Nectanebo*, & *Nectenabo* quibus appellationibus venit in Porphyrij, Procli, Calliſtenis iſtius, & iam antea dictorum auctorum monumentis; ac etiam in eruditiſſimi Lucæ Holſtenij diſſertatione, ita me Deus amet, accuratiſſima & variæ, ac reconditæ eruditionis pleniſſimà, de ſcriptis, & vita Porphyrij Philoſophi.

li. de Dæmonibus.

capite 9.

6.

Et auctoritate Galeni, ac medicorū aliorūque virorū principū qui fidem nūquā illis habuerāt atque his omnibis explicādis liber primus dicatus erat.

Cæterum quia aduerſarij ſtatim atque cum philoſophis congrediuntur, vident ſe paralogiſmos facere, centum annorum ſpatio in Anticyra puniendos; melius paulo ſecum agi putant in medicorum ſcholis, quorum vt inquiunt libri ſcatent experimentis, quæ de ſigillorum virtute, & facta quidem antiquitus ſunt à diuerſis, & nunc etiam fieri à multis obſeruantur. Quare ad diribitorium illud medicorum tribunal, litem hanc ſenſim pertrahunt; & Galeni qui princeps in eo meritò ſedet, fidem ac patrocinium implorant; quandoquidem ipſe, vt Alexander Trallianus atteſtatus eſt, librum de *Homerica curatione* olim ediderat, in quo phyltra omnia, characteres, amuleta, periapta, incantationeſque non laudabat modo, ſed proprio experimento in percuſſis à ſcorpione, veriſſima à ſe depræhenſa fuiſſe, quæcunque de ipſis vulgo ferebantur, confirmabat: quod ſi ita ſe habet, cùm inſuper aliorum medicorum, & ipſius Tralliani auctoritates, probè Galeni dictis conſentiant, ſignum profectò eſt, rem hanc non ita eſſe vanam, & deploratæ veritatis, quin præſtantiſſimos, & quibus maximè fidendum ſit, ob experimenta quæ de ſingulis rebus in arte ſua quotidie faciunt, aſſertores habuerit. Quare vt hæc quoque peccandi anſa bonis viris auferatur; operæ pretiū eſt in primis conſiderare, quæ nam de hac re Galeni fuerit ſententia; quando quidem vt Lucretius de Epicuro dicebat

Ille ſapit ſolus, reliqui velut vmbræ vagantur.

Quantam vero iniuriam illi faciat Trallianus, dignè ſatis explicari non poteſt, cùm ex Pſeudographo & infami libello cuiuſdam

nebu-

nebulonis, falsò eius nomine diuulgati, continuo infert, medicamenta hæc, quæ Galenus ipſemet aduerſus Archigenem diſputãs ἄλογα vocat, ab eo laudata, & vſurpata fuiſſe: veriſſimum quidem eſt Galenum alicubi recepiſſe compoſiturum ſe librũ, de ijs quæ virtute occultà totius ſubſtantiæ operantur, quem librum teſtatur inſuper agendo de popularibus morbis à ſe editum, abſolutumque fuiſſe, ſed quid *draconi marino, cantharidibus, magneti*, *purgantibus medicamentis* & ſimilibus alijs commune, cum *annulis, ſigillis, carminibus*, & id genus deliramentis, quæ ſi quis vnquam pleno ore irriſit, is meà quidem ſententià fuit Galenus; vt ex multis, quæ paſſim habet in libris de ſimplicium medicamentorum facultatibus, & de eorundem compoſitione κατὰ τόπους rem ipſam diligenter, non autem perfunctoriè, vt Trallianus fecit inquirentibus, liquidò conſtare poteſt. Tantum enim abeſt, vt quod Galeno affingit de Scorpij experimentis, verum ſit, quod contrarium è diametro concludendum eſt, ex decimo de ſimplicium facultatibus, vbi cùm de ſaliua ſermonem haberet, hiſtoriã inſuper narrat cuiuſdam, qui ter in *ſcorpium* deſpuens, & totidem vicibus carmina quædam obmurmurans, ipſum interfecit; quod ipſe cùm primùm quidem miraretur, tandem expertus eſt, ſaliuã hominis præcipue ſicci, & ieiuni, Scorpioni venenum eſſe præſentiſſimum, etiam ſine *verbis*, aut *incantatione*. Præterea eiuſdem operis libro nono, cùm aliquorum opinionem retuliſſet, qui laſpidem, in quo tamen delineatus eſſet, Draco cum radijs ſtomachum iuuare arbitrabantur, ſi ea ratione collo appenſus geſtaretur, vt os ventriculi exterius pertingeret; idem poſtea ſubiungit, torquem ſe ex iaſpide confectum cuidam è collo ſuſpendiſſe, & nihiloſecius *abſque ſculpturis, & characteribus profuiſſe, quàm ſi illos habuiſſet quos Nechepſos deſcripſerat*. Sed quid melius Trallianum inducere poterat, ſi meliori mente vſus fuiſſet, vt aliter ipſe de incantationibus, ac de Galeno quoque ſentiret? quam ea, quæ in eodem libro leguntur, de ſtercore lupino quod medicus quidam ad inteſtinorum cruciatus ſuſpendebat, ex vinculo confecto è lana, non quacumque ſed Ouis à lupo dilaniatæ, ſubiũgit enim poſtea Galenus *ſed hoc quidem obiter dictum eſt. ſiquis inuenietur qui ſic ſuſpenſis fidem adhibere dignabitur; dico autem ſic, nam ſubſtantia eſt quæ ſuſpenditur; non voces barbaræ, vt quidam præſti-*

2. de med. loc. lib.
2. ſimplic.
ſect. 6. commen. 5.

præſtigiatorum facere ſolent. Euge Galene triumphaſti hac libera confeſſione de malitia Traliani, de fraudibus agyrtarum, de erroribus populorum, & æternum decus ac gloriam ſectatoribus tuis aſſeruiſti. Vt non opus ſit amplius ea afferre, quæ contra Pamphilum & alios, de *ſacris horoſcoporum herbis* deſcriptis à Mercurio Triſmegiſto, & à Pythagora forſan ſub nominbus *coraceſiæ*, *calliciæ*, *corinthiæ*, aliarumque laudatis, tam ſapienter attuliſti: multoque minus optare cum eruditiſſimo Iulio Recalcho, *vt Phyſicam Ariſtotelis, non Platonis, arti medicæ ſubſtruxiſſes*; aut denique eos medicos laudare, qui te Duce impulſi, ſimulque vt ægrorum commodis, & veritati ipſi, quæ omnium rerum præſtantiſſima eſt, inſeruirent; bellum acre, & internecinum ſuperſtitioſis omnibus remedijs indixerũt. Quamquam facere non poſſum quin ex infinitis duos perquam tibi ſimiles ingenio, labore, auctoritate Duretum intelligo, & Varronem Germaniæ Cõradum Tigurinum, velut reliquorum interprætes in medium proferam, ne ſi neminem expreſsè deſignarim, calũnietur me aliquis, quaſi perfunctoriè, & oratorum more multos appellarim, quorum tamen nullus eſt, qui vel poſtulatus à Iudice reſpondere poſſit, ſic igitur prior ille: *reiicimus in curatione Anginæ periapta illa, ſeu amuleta, quæ non modo in hoc morbo, ſed & in aliis multis, cum ſolemnibus quibuſdam verbis, cum certo numero, cum exorciſmo, collo appenduntur: hæc enim omnia ſuperſtitioſa ſunt*. poſterior vero, vt ſtylo in omnibus ſuis operibus fuit laxiori, & ſoluto, ſic opinionem quam de periaptis, & amuletis habebat magis explicatè docuit: *video*, inquit *indoctiſſimos quoſque, & maximè ſuperſtitioſos homines; cum olim tum nunc lapidibus aliiſque apotropoeis amuletis, & rebus eiuſmodi, quarum ratio nulla fere conſtat, & experientia plerũque fallit, plurimum tribuiſſe. credulitas forte, & perſuaſio in nonnullis aliquid faciunt, nec mirum in paucis aliquando ſuccedere, quod in plurimis tentatur*: φύσις νούσων ἰητρὸς. Ita eſt natura leues morbos per ſe ſanat, in grauibus vero artis præſidio indiget, vnde qui ex circulatoribus pluſculum ſapiunt, neque ad morbos *acutiſſimos*, vt Apoplexiam, Tetanum, choleram morbum; neque ad *longos, & contumaces* amuletis vtuntur; ſed ad *febres* tantum *tertianas*, quæ intra ſeptimam acceſſionem magna ex parte deſinunt; nam ſiue tum, ſiue prius terminen-

Proem. lib. 6. de ſimplic fa cult.

lib. de ſimilar. corporũ natura.

in Hollerium.

epiſt. ad Cratonem pag. 4

nen-

Digitized by Google

nentur, id tribuunt amuleto; ſi vlterius perdurent, accuſant ægrotum quod in aliquo deliquerit. Alioqui quid iuris habere poſſunt *P & A*, quibus Marcus Seruilius Nouianus Senator magni nominis vti ſolebat ab morbos oculorum? Quid *Abracadabra* Q. Sereni, contra febres? quid hæc vox *duo*, vt Scorpio viſus caudam non vibret? quid *Pu Pu* Marcelli, ad paronychiam? quid eiuſdem *ſoc-non ſocnon* vicies & ſepties repetitum, vt ſanguis profluens comprimatur? Sanè vt Baſilides hæreticus, ſuos prophetas *Barchabam*, & *Barcbop* nominabat, vt ſola appellatione, vulgus in ſui admirationem pertraherent, ſic impoſtores iſti barbaris, & inſolentibus vocabulis abutuntur, vt qui ea non intelligunt, eo magis virtutem æſtimēt: quaſi verba *ſeſquipedalia*, aut quæ ſunt *ipſo pene tremenda ſono* plus efficacitatis obtineant contra humores, & prauos ſpiritus morborum progenitores? cùm tamen ipſa, vt etiam figuræ ad quantitatem ſpectent, non vero ad qualitatem, quæ ſola agendi vi, & facultate prædita eſt. At vero tam obuiæ ſunt ex Porticu rationes, quibus ceſſatione perpetuà voces damnatę ſunt, vt pudeat me toties actum agere, & crambem hanc recoquere quæ delicatis mors eſt. Quare illud potius D. Auguſtini, quod eleganter, & verè in medicorū honorem dictum eſt, penſitandū vnicuique relinquo; *ad hoc genus* inquit *pertinēt omnes ligatura, atque remedia, quæ medicorū quoque ſchola condemnat, ſiue in præcantionibus, ſiue in quibuſdam notis quas characteres vocant, ſiue in quibuſdā rebus ſuſpendendis, atque illigandis, vel etiā ſaltandis quodāmodo, non ad temperationem corporum ſed ad quaſdam ſignificationes, aut occultas, aut etiam manifeſtas, quæ mitiori nomine Phiſica vocant; vt non quaſi ſuperſtitiosè implicari, ſed natura prodeſſe videantur.* Non igitur medici remedia eiuſmodi probant, ſed alij ab ipſis, vt conſtat ex Arnulphi Lexouienſis expoſtulatione de monachis quibuſdam, qui ſanitatis remedia promittebant, *eis qui ſe incantatæ neſcio quibus carminibus aquæ, ſepties ſuſtinerent immergi*: atque eam ob rem, licet Apuleius in Apologia dixerit *nihil, quod ferendæ ſalutis gratià fit, criminoſum eſſe*; longè tamen ſecus Antonio Caracallæ viſum eſt, à quo damnati ſunt, *qui remedia quartanis tertianiſque collo annexa geſtarent*; longè etiā Vlpiano, Imperatoribus Chriſtianis, D. Auguſtino, & ipſi etiam Carolo Magno, à quibus atrociſſimæ pœnæ in talium facinorum reos, ſeu mauis φυλακτη-

2. de Doctrina Chriſtiana.

apologia 1.

Spartian. in eo.

εἰοις conſtitutæ ſunt; de quibus præterea multa, nec ea quidem obuia referunt Synodus vj. in Trullo Harmenopuli Epitome, & Nicetas Chartophylax, qui etiam ritum ab illis in pœnitentia, pro eiuſmodi criminum expiatione ſeruatum refert. Verum quia rigor ille quo *φυσικὰ περίαπτα* damnantur, non is amplius eſt, qui olim fuit, & vnicuique impune eſt, vſurpare *inſana hæc documenta, quæ noſtra credulitas excogitauit*, vt à Pomponio Læto rectiſſime appellantur; propterea, vt ego quoque mitius cum illis agam, quæram ab illis, quod Lucianus quondam à ſui temporis hominibus quærebat, *exiſtimatis incantationibus quibuſdam eiuſmodi mala ſedari, aut amuletis extrinſecus adhibitis malo intus deliteſcente?* & militibus conſulam, vt quoties veræ, ac germanæ curationis tædio laborarint, ad *militarem* herbam recurrant, quæ teſtimonio Plinij *vulnus ferro factum, nullum non intra dies quinque ſanat ex oleo impoſita*; aut ad *ſtratiotem*, quæ eundem effectum præſtare poteſt, ſi cum tantillo aceti illinatur, potius quàm ad inania hæc, & irrationalia impoſtorum ſomnia, quæ nec modum in ſe habent vllum, neque vllo modo intelligi poſſunt ab ingenio hominis, niſi diuagantis extra omnem humanum modum. Secus enim iſtud Ciceronis frequenter, nec ſine rubore à ſapientioribus audient, *hæc mihi iam crede ne anicula quidem exiſtimant*; aut ſi mitius cum illis agendum, & extra medicinam, in rebus ſcilicet alijs quæ verborum vi fieri creduntur, ſufficiet iſtud Senecæ, *rudis adhuc antiquitas credebat, & attrahi imbres cantibus, & repelli, quorum nihil poſſe fieri tam palam eſt, vt huius rei cauſa nullius Philoſophi ſchola intranda ſit*.

In philopſeude.

lib. 2. cap. 18.

2. de diuinat.

4 natural. c. 7.

FINIS LIBRI PRIMI.

G A-

GABRIELIS NAVDAEI
PARISINI.
SYNTAGMATIS
DE STVDIO MILITARI.
LIBER SECVNDVS.

De Ducis Officio.

HACTENVS igitur, Ludouice Comes, de militari diſciplina diximus, quantum opus erat, vt quæ noſtris temporibus conuulſa penitus, & labefactata contemnitur; præclaris munita ſanctionibus, & exercitiorum vſu confirmata, erigere ſe, atque componere ad antiquioris illius ſimilitudinem poſſet, quæ ex ignauis militibus fortes, ex intemperantibus moderatos, ex deſidioſis ſtrenuos, ex luxurioſis frugales, & ex libidinoſis continentes efficiebat. Quo in æquore ſulcando, ſi diutius forſan quàm tibi, aut alijs conueniens viſum fuerit, verſati ſumus; velim in primis hoc à me factum exiſtimes, quia non minoribus poterat obuiam iri, exerenti ſe in dies, ac in peius ruenti militum petulantiæ, quæ per inſanos conatus, eo licentiæ prouecta eſt, vt quemadmodum dicebat Petrus Bleſenſis, *qui minus ordines ſeruat, cuius os maiore verborum ſpurcitià polluitur, qui deteſtabilius iurat, qui minus Deum timet, qui miniſtros Dei vilificat, qui Eccleſiam non veretur, iſte hodie in cœtu militum fortior, & nominatior reputetur.* Acceſſit præterea quod non perinde ſe habet Imperium militare, ac regium, vt ſolà auctoritate nitatur, aut hominibus caſu potius, & fortunà, quàm conſulto

I. 1 *In ſecundo qui verſatur circa Ducis officiũ: præmiſſa breui inſinuatione dicendorum.*

epiſt. 96.

adueniat, ſed Ducem multa agere conuenit, multa pati, ſcire, coniectari, tentare, quorum niſi experimentum aliquando fecerit ex communi manipulariorum inſtituto, fruſtra, vel honeſtiorem aliquem gradum ambire, vel ſi obtineat rectè hunc ſuſtinere poſſe videbitur, notum enim illud Græci poetæ;

Ὅστις στρατηγεῖ μὴ στρατιώτης γενόμενος
Οὗτος ἑκατόμβην ἐξάγει τοῖς πολεμίοις

Ideſt, *qui exercitui imperat, & nunquam fuerit miles, is Hecatombem educit hoſtibus*: vnde cum neminem vnquam audiuerim, in ſupremum belli Ducem euaſiſſe, qui bellandi ſcientiam, & experientiam non habuerit, hæc vero non ſecus, ac reliquæ artes, abſque tyrocinio, quod gnauiter ex haurias, comparari non poſſit: liberius propterea ſum in iſtis peruagatus, de quibus niſi eo quo maxime decebat loco, plura dixiſſem, futurum erat, vt alio longè minus idoneo, de iiſdem agere coactus, rerum inter ſe penitus diuiſarum fines turbaſſe, aut virtutem ordinis, ſeu quam Horatius *Venerem* appellat, parum intellexiſſe arguerer. Quamobrem vt Architecti complanatà areà, dimenſo inſulæ ambitu, effoſſa ſcrobe, iactiſque in altum, & erectis fundamentis, palatium tandem inedificant, cuius gratià, hæc opera omnia prius illos abſoluere oportuit: ita poſtquam de his diximus, quæ abſolutè requiruntur ad vlterius progrediendum, hoc eſt de Tyronum *delectu*, & *diſciplina*, quæ duo militaribus officijs, dignitatibuſque viam ſternũt; conſequens eſt vt de ipſo Duce, atque Imperatore ſupremo dicturus, breuiter ea perſtringam, quæ præter communes illas diſpoſitiones, quibus iam antea cum cœteris militibus fuit informatus, in eo tanquam reliquis imperante, nec amplius priuatum, ſed publicum munus ſuſtinente, requiruntur: neminem quippe cæteris hominibus præeſſe conuenit, qui ſubditis ſuis non ſit aliqua in re præſtantior, cum ex vulgari, receptaque hominum inter ſe conſuetudine, par in parem non habeat Imperium, nec ſit admirationi vna arbor cum reliquæ omnes in eandem altitudinem conſurgunt: quare ſi Dux nihil plus in ſe virtutis quàm gregarius miles habuerit, non erit etiam, cur potior illi cultus, & obſeruantià exhibeatur, cùm *illa ſit*, vt inquit Cicero, *per quã homines aliqua dignitate antecedentes, cultu quodam, & honore dignamur*. Hoc autẽ dum facio, Ludouice Comes, videor mihi videre te, multo quàm antea

de inuent.

antea

antea impenſius fauentem huic meæ diſſertationi, quæ te ſenſim eo deduxit, vt ſuperatà iam rerum per quam difficilium, ac moleſtarum lectione, & quarum exercitia dudum etiam in caſtris ſuſtinuiſti; earum nunc tractatio periucunda ſeſe offerat, quæ minus in ſe laboris habent, ac moleſtiæ, honoris vero tantũ vt eius adipiſcendi causà, leuius eſſe videatur, quicquid in prioribus illis exantlandum erat. Nimirum haud diſſimilis eſt in imperio, atque in re familiari augenda ratio, ſunt enim in vtroque negotio prima quæque difficilia, & ardua, quæ vbi quis ſuperauerit, reliqua ei omnia in procliui eſſe conſueuerunt: vt quod Horatius de Marcello; hoc idem de militibus dicere liceat, quorum fama *creſcit, occulto, velut arbor æuo*: nec aliud eſt inter vitæ munia, & officia, cui ſeſe largius gloria, honoſque indulgeant, pro præmio meritorum. Quibus de cauſis contingere plerumque exiſtimarim, vt etiamſi inuiti, & recuſantes, ad hanc laborioſiſſimam vitæ rationem multi ſe conferant, tantam nihilominus in ea re progreſſu temporis voluptatem ſentiunt, ex continua dignitatum acceſſione, vt periculum ſit, ne vnqnam iſtud officium relinquere velint, quod tamen ob tædium, & laborem, antea tantopere refugiebant: Tibi vero Ludouice Comes, vt nunquam graue fuit Tyrocinium ſubire, ob laborem qui cæteros à præclaris incœptis deterrere plerumque ſolet; ſic neque te inuitauit, vt diutius in eo perſeuerares, quæ reliquos ad iſtud impellere ſolet prœmiorum conſideratio: cum nihil ſit tam aſperum, vel difficile, quod tua innatà virtute abſque alio ſtimulo ſuperare non poſſis, & nulla militaris digni as tam auguſta ſit, vel ſublimis, quæ non à te potius, tuiſque maioribus ornamentum aliquod non ſuſcipiat. Sed aliud ſcio vehementer te ad vtrumque impellit, atque inflammat; eſt enim tibi grauis aduerſaria conſtituta, & parata incredibilis quædam expectatio, quam tu facillimè vinces, ſi hoc ſtatueris apud te, quarum laudum gloriam adamaris, quibus artibus eæ laudes cõparantur, in ijs eſſe elaborandum: non alias vero ambire potes, quàm eas, quæ propriæ ſemper fuerunt auguſtiſſimæ tuę familiæ; aut alijs artibus illas parare, quàm bellorum adminiſtrationibus, quibus ita maiores tui inclaruerunt per vniuerſam Italiam, vt ſi in horum exempla reſpexeris, mihi proculdubio ceſſandum ſit, cùm nihil huc quod non in illis multo facilius, ac illuſtrius inuenias,

Digitized by Google

poſſim afferre;verum tamẽ inſtas ſupra modũ,vt per reliquorum etiam, qui Imperatores toto orbe celeberrimi fuerunt, vitia virtuteſque,& optimorum quoque auctorum præceptiones diſcurrendo, opus iſtud eadem prorſus ratione abſoluam, qua & illud iam ad vmbilicum perduxi.

2. Pareo igitur lubens, ſed priuſquam de Imperatore dicendo vlterius progrediar, obex quidam amoliendus eſt ex voce illa tam *Imperatoris* quàm *Ducis*; accidit enim,cùm vtraque non vnius officij ac dignitatis nomen ſit, vt qui proprietati verborum inſeruire ſtudent, nulla de re frequentius querantur, quàm qui priſcis ſcriptoribus in promptu,& tanquam ex quotidiano loquendi vſu facillimi erant modi loquendi, eos ob factam rerum fermè omniũ hiſce temporibus mutationem, ſeruari amplius non poſſe; quod Blondus Flauius non alio quam earum vocum exemplo, de quibus nunc agitur, demonſtrandum ſibi putauit: *vt enim* inquit, *pauca de multis dicam, eum qui omnibus in bello præeſt, ſiue proprium, ſiue alienum mercenarius adminiſtrat exercitum appellaturus, ſi more vetuſto Imperatorem dixero, in æquiuocum incido illius, quem Cæſaris loco habemus, & vt Capitaneum dicens ipſum ab alijs cohortum Ductoribus, Vrbium, & Caſtellorum præſidio Præfectis, qui eo nunc appellantur nomine ſeparem, addi generalem neceſſitas coget. ſi item dixero eum* Ducem, *dubium facio an quempiam intelligi velim è multis, quos habet ætas noſtra* Prouinciarum Vrbiumque Principes. & eadem forſan ratione Lipſius,non obſcurè Bembum inſimulat affectatæ cuiuſdam imitatiunculæ, fractique, & languidi prauæ eloquentiæ ſtudij, eo quod res multum à priſcis immutatas, vetuſtis tamen nominibus appellet,ac inter cætera Duces,& Prefectos militiæ nominet *Reges, & Imperatores*: quaſi non minori flagitio iſtud commiſerit quàm cum prudentem illum Senatum Venetum ad Iulium Pontificem Maximum ſcripſiſſe refert, *vti fidat Diis immortalibus quorum vicem gerit in terris*, aut cum *Deos ſuperos, maneſque homini placare*, pro eo quod eſt peccata morituris remittere vſurpauit. Quare vt vocibus illis tam liberè quàm antiqui omnes fecerunt, deinceps vti poſſimus; ſciendum eſt illas non modo Latinis,ſed penes Græcos etiam, nunquam non dubià ſignificatione fuiſſe vſurpatas;nam licet ςρατηγὸς eum græce ſignificet qui *militibus præeſt*, atque vt Suetonij voce vtar, qui *duca-*

Explicantur voces græcæ & Latinæ quibus Dux appellari propriè debet.

i. 1. decad. 3.

ducatum habet, quia στρατὸς *exercitus*, eſt & ἄγω *duco*: nihilominus tamen στρατηγοὶ dicebantur etiam in municipijs *ciuiles*, & *vrbani Magiſtratus*; vnde Poſidonius apud Athenæum, loquens de libro 5. Athenione, qui bello Mithidatico Athenienſem Rempublicam occupauit, dicit eum fuiſſe στρατηγὸν ἐπὶ τῶν ὅπλων *ſtrategum ſuper arma*, vt hac additione diſtingueretur ab alijs, qui ius in præfecturis vrbanis dicebant; & quorum exemplo, etiam num hodie 5 vrbis Meſſanæ gubernator appellatur *Stradigo*, aut quemadmodum vulgaris Italorum eloquentiæ princeps Boccacius enunciauit *ſtadico*, quaſi στρατηγὸς. fabula 40. Neque vox latina *ſtrategus* eiuſdem variationis immunis eſt, niſi Plautum cùm in Sticho dicit *ſtrategum te facio huic conuiuio* non propriè locutum, ſed eleganti metaphorà vſum dicamus, vt eum deſignaret qui vulgo *magiſter conuiuij*, Varroni *modimperator*, Horatio *arbiter*, Plauto ipſimet alibi *dictator*, & Græcis συμποσίαρχος dicebatur. Sic diuinæ litteræ ἀρχιμάγειρον pro *copiarum præfecto* vſurpant; μαγειρεύειν quippe interpræte Diuo Hieronymo in libro Hebraicarum traditionum in Geneſim *occidere* eſt: fecit nihilominus ambiguitas vocis huius *occiſores*, vt dictio illa ἀρχιμάγειρος qua vſi ſunt ſeptuaginta interprætes in hiſtoria Ioſeph, non vno modo, ſed trifariam latinè redderetur: etenim *occiſores*, vel homines in bellis necant, quemadmodum militibus vſu venit, & ab hac ſignificatione vulgatus interpræs *Magiſtrũ militum* reddidit: vel ſunt publicæ iuſtitiæ adminiſtri qui morte facinoroſos plectunt, quam interpræationem ſecuti ſunt Hebræi omnes: vel tandem de lanijs & coquis curam macelli inſtruendi habentibus vox illa intelligi poteſt, cui expoſitioni Philo, Ioſephus, D. Ambroſius & patres alij nonnulli ſubſcribunt. Ibid: Ioſeph lib. 2. antiquit lib de Ioſeph Porro quod ad latinas voces ſpectat, duas tantum habemus, quæ ſola, & abſque alterius additamento, munus iſtud de quo dicere hoc in libro inſtituimus, commodè ſatis exprimere poſſent, *Ducis* nimirum & *Imperatoris*: ſed hæ rurſus in tot alias ſignificationes diſtrahuntur, vt niſi materia res ipſas per ſe denotet, circuitione verborum ſæpius vti neceſſe ſit. Quis enim ignorat, præter varias acceptiones iſtius vocis *Dux* quas Blondus aſſignat, innumeras adhuc alias reperiri apud auctores latinos? & Ciceronem Romanæ facundiæ parentem, non modo dixiſſe *claſſis aut exercitus Ducem*, ſed præterea ſententiæ in ſenatu ferendæ

Digitized by Google

principem, & impietatis ſuaſorem, viarumque præmonſtratorē etiam in cœlum, *Duces* appellaſſe. Eodemque modo *Imperatoris* nomen quod olim copiarum præfecti re bene geſta, atque vt inquit Appianus *decem millibus hominum occiſis*, ſumma cum honoris teſtificatione conſequebantur; eo nunc anguſtiarum redactum eſt, vt ſi abſolutè proferatur, ſummum Germanici Imperij moderatorem deſignet, eique tantum principi competat, quem Tertullianus rectè ſuo tempore appellare potuit, *hominem à Deo ſecundum, ſolo Deo minorem, & hoc nomine omnibus maiorem*. Sed nunquid propterea minus latinè ſcire videbitur, qui præſenti tempore ijſdem vocibus vtetur, ſi copiarum duces aut militiæ præfectos deſignare velit? nihil equidem minus; imo vero ſapiēter hi, & priſco Romanorum more facere mihi videbuntur, qui eadem libertate & copià dicendi qua Romani varijs de rebus ijſdem verbis loquuti ſunt, ſic voces has *Ducis* & *Imperatoris* ſuum in ſenſum ſpontè cadentes, nec adeo ſcrupuloſè penſitatas vſurpabunt. Quamquam ſi anxiè inquirere in illas vellent, non poſſent tamen abſque iniuria dubitare, quin is proprie & latinè loquendo *Imperator* dici debeat, ad quem rei militaris ſumma pertinet, vnde & nomen illi inditum eſt, teſte Quintiliano, *quod exercitui quæ facto opus ſunt imperat*: atque vt Ennius ſcriptor antiquiſſimus illius æui, quo iam tum ex infantia, lingua Latina adoleuit, illud ſuis in carminibus occupauerat, vt ex iſtis patet

d' capul.

Inſeque Muſa manu Romanorum induperator,
Quod quiſque in bello geſſit cum Rege Philippo.

ſic Tullius eo conſtantiſſimè ſemper vſus eſt, vt illum ſignificaret, cui belli gerendi cura, ſummo cum imperio demandata fuerat: & ab imperatoriæ ſeu militaris ſcientiæ partibus, ipſum imperatorem hoc modo definiuit: *nam ſi fortè quæreretur quæ eſſet ars imperatoris, conſtituendum putarem principio, quis eſſet imperator, qui cum eſſet conſtitutus adminiſtrator quidem belli gerendi, tum adiungeremus de exercitu, de caſtris, de ſignorum collationibus, de oppidorum oppugnationibus, de commeatu, de inſidijs faciendis atque vitandis, de reliquis rebus, quæ eſſent propriæ belli adminiſtrandi: quarum qui eſſent animo, & ſcientià compotes, eos eſſe imperatores dicerem, vtererque exemplis Africanorum, & Maximorum: Epaminondam, & Annibalem atque eius generis homines nominarem:*

1. de Orat:

Digitized by Google

rem: ex quo patet euidentiſſime quid Tullius de hac Imperatoris voce cenſuerit, illamque vſurpatam ab omni memoria fuiſſe, pro eo, cui comitijs curiatis ſumma auctoritas belli in prouincia aliqua adminiſtrandi concedebatur, *Imperium* enim Romani appellabant exercitum cogendi, gerendique belli poteſtatem, ſine qua nihil eorum à magiſtratibus fieri potuit, vt ex Tullij oratione quinta in M. Antonium patet, *demus* inquit *imperium Cæſari, ſine quo res militaris adminiſtrari non poteſt, teneri exercitus, bellum geri non poteſt:* hincque Camillus apud Liuium, comitijs curiatis rem militarem contineri dixit, nempe quia ſimul atque Senatus, prouincias Conſulibus decreuerat, populo curiatim in forum conuocato, lex de Imperio illis permittendo ferebatur, de qua Tullius propterea dixit *Conſuli ſi legem curiatam non habet, attingere rem militarem non licet.* Quod vero iijdem imperatores à populo delecti, alijque duces, modo decem hoſtium millia iuſto prælio fudiſſent, eodem in caſtris nomine à militibus ſalutabantur, iſtud ex gaudio, & impetu victoris exercitus fiebat, non lege aliqua, quæ veram, & legitimam dignitatem ſignificaret, vnde Tyberius id quoque Blæſo tribuit vt à legionibus Imperator ſalutaretur; & Cicero ita de ſe ſcribit *magnum numerum hoſtium cecidimus, caſtella munitiſſima cepimus, incendimus, Imperatores appellati ſumus;* priſco ſcilicet erga duces honore, qui bene geſta Republica, hanc quoque, inter alias victoris exercitus gratulationes, appellationem referebant; quæ poſtea ſiue ab vſu illo caſtrẽſi, ſiue ex Imperio quod populus Romanus copiarum præfectis lege illa curiata concedebat, cæteris poſtea ducibus, velut in cõmunem titulum ceſſit, quo ſcriptores paſſim in eorum munere deſignando vterentur. Neque enim aliter loquutus eſt Velleius Paterculus qui Caſſium, & Brutum *imperatores* paſſim appellat; non aliter Seneca qui *imperatorem ſpiritum vitalem eſſe* dicit *quem tot millia trahunt*; non aliter Quintilianus, Liuius, Curtius, & vno verbo omnes auctores, quicumque diſertiſſimi vnquam exiſtimati ſunt. Quamobrem ſi Iulius Cæſar vſurpata perpetuà dictaturà, quæ cæteris in libera Republica, ad ſex tantummodo mẽſes permitti conſueuerat, nomen *imperatoris* cum principatu tyrannicè retinuit, quia illud in caſtris ſciebat eſſe militibus gratiſſimum; & omnes ab eo in eadem dignitate ſucceſſores, ne *Regis* titu-

libro 5.

agraria. 2.

Tacitus lib. 3. annal.

libro 2.

titulum ominoſum alioqui & ſummopere populo exoſum renouarent, Imperatores dici voluerunt: an idcirco exauctoranda ſtatim erit prior illa, & vera eius vocis ſignificatio? equidem tantum abeſt vt iſtud cenſeam, quod nulla alia vox mihi occurrat, æque ſincera, & bene latina, vel quà confidenti us vti mallem, in deſignando ſupremo bellorum adminiſtratore; niſi me tædium aliquando lectori parere exiſtimarem, ſi eà tantùm appellatione contentus, reliquas quæ non minus ſermonem ornare, variare autem multo plus poſſunt, ſuperſtitioſe nimis, ac ieiunè contemnerem.

3 *Oſtenditurque eum informari poſſe ...rum exemplis magnorũ virorum.*

Quare vt hac verborum libertate quam mihi dari poſtulo, filum orationis proſequar, redeo ad illud quod antea poſtulabas, Ludouice Comes, nimirum vt præter domeſtica laudum incentiua, externis quoque præclariſſimorum virorum exemplis tecũ agerem, quo ſimilis ipſorum eſſe quandoque poſſis, & in ſpectatum bello, fortiſſimumque ducem euadere. Hoc vero lubentius faciam, quod exempla ex vetere memoria, & monimentis, ac literis plena dignitatis, plena antiquitatis, *hæc plurimũ ſolent*, vt inquit Cicero *& auctoritatis habere ad probãdum, & iucunditatis ad audiendum*: & hac ratione Claudianus Honorium ſuum ad illa crebrò euoluenda his verſibus impellit, adhortaturque

...de 4. conſulatu.

Interea Muſis animus dum mollior inſtet.
Et quæ mox imitere legas, nec deſinat vnquam
Tecum Graia loqui tecum Romana vetuſtas
Antiquos euolue Duces

pro Seſtio.

ac ipſemet Tullius cum Romanos ad antiquæ frugalitatis, & modeſtiæ carceres reducere vellet, non tam iſtud præceptis, quàm exemplorum breui & expedita ratione putauit ſibi eſſe faciendũ; *imitemur*, inquit, *noſtros Brutos, Camillos, Halas, Curios, Fabricios, Maximos, Decios, Scipiones, Lentulos, & Aemilios, quos in Deorum immortalium cœtu, ac numero repono*: quinimo Barbaras gentes *Corallos*, non lituo, tubàue, aut tympano in conflictu vſos eſſe, ad animos militum excitandos, ſed fortium virorum laudibus, commemorat Valerius Flaccus his verſibus.

libro 6.

Prœlia nec rauco curant incendere cornu,
Indigenas, ſed rite Duces, & priſca ſuorum
Facta canunt, veterumque viris hortamina laudes.

quod

quod & multo ante Horatius ſcripſit à *Tyrtæo* factum fuiſſe, Ad Piſones.

Tyrtæusque mares animos in Martia bella
Verſibus exacuit.

vnde quid de eo Poeta ſentiret, interrogatus quõdam non Cleomenes vt Britãnicus perperàm aſſeruit, ſed vetus Leonidas ſi Plutarcho credimus, ita reſpondiſſe fertur, bonum eum ſibi ad iuuenum animos incitandos videri: cum lectis illius carminibus, quaſi furore aliquo correpti, nulla pericula timentes, in pugnã ruerent: & eundẽ, propterea hunc in modum alloquũtur tàm Athenienſis hoſpes quàm Gnoſius apud Platonẽ. *O Tyrtae diuiniſſime Poeta, ſapiens enim nobis, probuſq; eſſe videris Clinias Gnoſius, & ego admodũ tibi aſſentiri videmur.* Nec alia ratione *Bardi* Gallorum Sacerdotes *fortia*, vt inquit Ammianus, *virorum illuſtrium facta* heroicis compoſita verſibus, cum dulcibus lyræ modulis cantitarunt; quũquam Lucanus magis expreſsè determinat quoſnam illuſtres viros celebrarent, dum inquit lib. 1. de leg. libro 25. libro. 1.

Vos quoque qui fortes animas belloque peremptas
Laudibus in longum vates demittitis æuum
Plurima ſecuri fudiſtis carmina Bardi.

nempe dum aliquid clementer, ſtrenuè, fortiter, ambitiosè, ſapiẽter factum aut legimus, aut audimus, tanto ſtudio incendimur non modo in geſtis rebus, ſed etiam in fictis, vt eos ſæpe quos nunquã vidimus diligamus, nihilque prius, aut antiquius nobis ſit, quam totius vitæ noſtræ rationem ad eorum, quos tantopere miramur imitationem componere, vnde prudenter Valerius Flaccus *Iphiclum* ſuis Argonautis comitem eſſe voluit, nõn iam operum in partem,

monitus; ſed tradat vt acres,
Magnorumque viros qui laudibus vrat auorum

euenit enim fermẽ ſemper, in bellatorũm animis cum illi rectè quidem ad decus, & præclaras actiones compoſiti ſunt, quod in auaris fieri ſolet, qui nunquam ſe cum tenuioribus conferunt, ne cum alios à ſe viderint iam copijs ſuperatos, rei exaggerendæ, & amplificandæ modum faciant, ſed cum ditioribus, vt ita ſemper congerere pergant, eodem ferme modo quo in ludis Olympicis Horat. Satyr. 1. libro 1.

Cum carceribus miſſos rapit vngula currus
Inſtat equis auriga ſuis vincentibus, illum

Præ-

Præteritum temnens extremos inter euntem.

Quamobrem ſolebant antiqui ſpolia ex deuictis hoſtibus ſuſpendere in poſtibus ædium, non tam propriæ gloriæ monumenta, 7.Aeneid. quam vt eſſent poſteris incitamenta virtutum.

Multaque præterea, inquit Virgilius *ſacris in poſtibus ar-*
Captiui pendent currus, curuæque ſecures, *(ma,*
Et criſtæ capitum, & portarum ingentia clauſtra
Spiculaque, clypeique, ereptaque roſtra carinis.

Nec modo ſpolia in atrijs defigebant antiquiores Romani, ſed ea quoque maiorum ſuorum imaginibus, quorum preclara in Rempublicam extitere merita honeſtari, decorarique voluerunt; vnde vidiſſes in illis *veterum decora alta parentum,* fumoſas imagines, & *ſtantes in curribus Aemilianos,* de quibus dicebat Plinius non ſine quadam indignatione *apud maiores in atriis imagines hæ erant* lib.35.cap.2. *quæ ſpectarentur, non ſigna externorum artificum, nec æra, aut marmora*: damnat nempe luxum ſui temporis, qui vt transmarinas tabulas, & ſigna, Græcorumque opera in columnarum interſtitijs ſolius impenſæ gratia ſtatueret, virtutis antiquæ decora illa, & exempla ab hominum oculis ſuſtulerat. Certè quantam vim hęc ipſa in hominum animos obtineant, ſuo exemplo docuit Leonardus Aretinus ſcriptor non ita vulgaris, & plebeius, quin renaſcentes literæ, quas mirum in modum fouit, & promouit, multum ei debeant; ſic enim ille in hiſtoria ſui temporis, *ego quoque licet puer, ab alia manu exulum captus, in caſtellum Quaratæ abductus ſum, & quia puer eram, non cum alijs captiuis, ſed honeſtiore quodam carcere, cubiculo aſſeruabar, erat in eo cubiculo picta Franciſci Petrarchæ imago quam ego quotidie aſpiciens, incredibili ardore ſtudio-* lib.2. de vita ſua. *rum eius incendebar*. Nec alia mens erat Epheſiorum quorum legem fuiſſe ſcribit Antoninus Imperator, quæ iuberet συνεχῶς μεμνῆσθαι τῶν παλαιῶν τινὸς τῶν ἀρετῇ χρωμένων, ideſt, *recordari quotidie alicuius veterum qui honeſtè vixiſſet.*

4. Tam fictorum à Poetis. Atque his de cauſis factum exiſtimo, vt *Homeri* fictiones de bello Græcorum in Troianos, quæ præclarè in ſe imaginem referunt priſci illius temporis, quod *mythicon* nominatum fuit à Varrone, eo quod multa in eo fabuloſa referuntur, tandiu apud omnes in exiſtimatione fuerint, & Alexandri etiam animum adeo gloriæ, & laudis cupidum reddiderint, vt quod de nemine alio

vnquam

vnquam auditum eſt, illud de Alexandro Satyricus dixerit

Vnus Pelleo iuueni non ſufficit orbis.

nec alio pariter referendum eſt, quod ſtatim ab imperio *Ludouici Pij*, & *Caroli Calui*, quo tempore fabulatores noſtri, multa de Rotolando, & duodecim Franciæ Paribus, alijsque Paladinis, ſeu [illegible], hoc eſt, *bellicoſis viris* ſpargere primùm in vulgus cœperunt; cùm omnia de priori illo finxiſſent ſupra eorum fidem, quæ poſſunt humanitus in fortiſſimo bellatore deſiderari: horum poſtea libri, non per Europam modo, ſed inter remotiſſimas Aſiæ gentes, & penitus à nobis diſſitas, huius Herois famam, non minori quàm apud nos celebritate diffuderint; eodem prorſus modo, quo Dio Chryſoſtomus refert, Indorum populos, & alias quaſdam barbaras nationes, ſeu admiratione Homeri ductas, ex quo tam multa ſparſa per orbem audiuerant, ſeu dulcedine eius carminum commotas, ſeu etiam optimarum rerum expoſitione impulſas, ſcripta eius in ſuam linguam tranſtuliſſe. Quod equidem ne de *Rotolando* gratis dixiſſe videar, Busbequium laudo teſtem maxime idoneum, qui ſe ad Suleimani portam, oratoris vices pro Imperatore ſuſtinente, Dadianum *Colchorum* Regem Conſtantinopolim veniſſe ſcribit, à quo dum multa rogaret de patrijs moribus, & inſtitutis, illud inter cætera accepit, quod otioſi illius regionis homines, in longam perticam ſiue aſſerem fides intendunt, eaſque baculo ad numeros percutiunt, ad quem ſtrepitum cantant ſuas amicas, & laudes fortium virorum, multa etiam *Rolandi* noſtri facta commemoratione, de quo, inquit Busbequius, multa narrant prodigioſa magis, & ridicula, quàm noſtri talium fabularum architecti vnquam protulerint. Eſt autem Colchorum regio ad Phaſim fluuium in ſinu maris Euxini, haud procul à monte Caucaſo, in quam vnde famoſum illud *Rolandi* nomen delatum fuerit, non facile conijcio, niſi forſan quis transmare illud cum Gothofrido Bullionio, migraſſe aſſeruerit. Iam vero cum idem etiam de *Arthuro Britannico* exiſtimandum ſit, quem Ioannes Lelandus in eius vita, per vniuerſam Europam notiſſimum fuiſſe refert, famà rerum geſtarum ſeu cõmentitià, vt ille & prudentes viri exiſtimant; ſeu verà quemadmodum Stephanus Forcatulus Merlini Caledonij ſomminijs trãſuerſum aliquoties actus, perperam opinari viſus eſt: & nulla ferme-

Oratione 53.

in epiſt. de reb. turc.

me natio non ſibi proprios quoſdam heroas finxerit, mirabilibus & penè ἀδόξοις facinoribus illuſtres, quales inter Gothos fuiſſe refert Iornandes, *Etheſpamaram, Hanalam, Fridigernum, Vuidiculam*, & alios, quorum etiam facta modulationibus, cythariſque canebant; multaque haud abſimilia narret Saxo Grammaticus de *Starchatero* gigante, & heroe inter Danos fortiſſimo, qui tria vixit ſœcula, & aliquando pro virgine chara

cap. 5. de reb. Getic.

Vno ſeptenos necuit certamine fratres.

Signum eſt profectò, talibus virtutum exemplis, mirum in modum homines delectari, & quid ni dixerim ad virtutem etiam, & præclara quæque facinora incitari; quum non ſecus atque lectio turpitudinum, irritamentum eſt iuuenibus, in eandem turpitudinem; ſic iuſtitiæ, fortitudinis, magnanimitatis, cæterarumque virtutum inſpectio, quæ in eiuſmodi libris tanquam in ſpeculo fit, eoſdem inflammare poſſit ad virtutis, per ſe difficilis, & arduæ callem tanto promptius, & ardentius ſuperandum. Maximè cùm nulla ſit cuiuſque facti tam honeſta ratio, quæ ex ſeipſa ſi exemplo careat, ſe ſatis probare, ſuumque ius obtinere poſſit; & iuuenes vehementer affici certiſſimum ſit, earum hiſtoriarum narratione, quæ in eorum animos quàm altiſſimè ſe dimittunt, peculiari quadam fabularum venuſtate & præſtantiâ. Vnde Aloyſius Pulcius nobilis Poëta Florentinus, cui Lucretia Tornabona ſumptus neceſſarios ſuppeditabat, cùm grati in eam animi ſignũ aliquod edere vellet, nullum accommodatius cenſuit, quàm *Morgantis* fabuloſi herois vires admirandas, hetruſco, ac immortali carmine celebrare, quo filios eius Laurentium, ac Iulianum Mediceos delectæ iuuentutis principes, oblectare iucundiſſimis narrationibus poſſet, eoſdemque ſimul informare, de iis rebus quæ generoſos ſolent, ac magnanimos homines efficere. Certè Ferdinandũ Piſcariæ Marchionem, aiunt, ſua in adoleſcentia, multum vt iſtius ſic *Boiardi*, *Arioſti*, & reliquorum poetarum fictis, perſonatiſque Heroibus euoluendis delectatum fuiſſe, quorum facinora ſic memoriter tenebat, vt in æqualiũ cœtu, ſuſpenſos omnes detineret, mirâ eorum, & ſuauiſſimâ narratione. Sed addunt inſuper, tanto illum gloriæ æſtro, ex hac lectione percitum fuiſſe vt ab eo tempore, ſemper ad ſummam belli gloriam aſpirarit, nec prius quieuerit, quàm ipſam eſſet aſſecutus; ſcilicet Poetæ il-

li

ſi dum tales fabulas componunt, multaque illis ad varietatem, & delectationem intermiſcent de *Hippogriſo Aſtolphi, de pomarijs Orianeis, de inſulis fugientibus, & mobilibus oppidis*, licet in ficto verſentur argumento, nihilominus ijs mirificè iuuenum animos excitant, & ardore quodam accendunt imitandi illos Heroas quorum res geſtæ quo magis abſurdæ, & portentoſæ ſunt, eo facilius puerorũ animis illabuntur, altiusque defixæ in ipſis hærent.

5. *Quam eorum qui tales re vera fuerunt addita præſtātiſſimorũ aliquot enumeratione.*

Hoc vero etſi longè præſtantiori modo fieri poſſet, propoſitis in exemplum fortiſſimis illis Romanorum, aut Barbarorum Ducibus, qui gloriæ, & nominis ſui immenſitate, non minus quàm fictitij illi Heroes, orbem vniuerſum morantur adhuc, & detinent, vtilitate vero tantum illos ſuperant, quantum & veritate; attamen cùm horum hiſtoriæ propter varios euentus, orationes, diſcurſus, parecbaſes, & conquiſitos operosè ſtyli, vel ſententiarum flores, non cuiuis ætati, vel hominum generi conueniant; inde eſt, quod ſicut prouectiores, & lõgo rerum vſu edocti, veris narrationibus magis delectantur, ita rudes, & commentitiæ, adoleſcentes magis detineant, de quibus, quoniam hic ſermonem non inſtituimus, qui iam ætate prouectos, & tyrocinio ſuo defunctos milites, ad Ducis officium hoc ſecundo libro informandos, ſuſcepimus, propterea ad veriores illas nobis reuertendum eſt, & in his ſedato animo inquirendum, qui nam ex tot Ducibus, quos noſtra, vel antiquorum ætas tulit, in omni genere virtutum præſtantiſſimos, illis ad imitandum proponendi ſint; noſtra inquam tempeſtate, non antiqua modo; quoniam valde ſtultum eſſet exiſtimare, quod veluti fuit

Vltimus Herοum Cleomenes Aſtypalenſis

quem tamen Euſebius, ſed malè Diomedem appellat; ita Iulius Cæſar poſtremus Ducum extiterit, quaſi poſt eius, & Romanorũ ætatem, intermortua forent ſemina virtutum, & natura eieciſſet nos in hæc ſæcula, tanquam in ſentinam aliorum. Nimis equidem pertinaciter ſibi ipſis iraſcuntur, qui tam ſiniſtrè de temporibus ſuis iudicant, cum non degenerarit in hominibus martius calor, nec defectæ ſint terræ, quæ Lacedemones, quæ Athenienſes, quæ Marſos, quæ Samnites, quæ Pelignos, quæ ipſos Romanos progenuere: atque vt hi ſuos olim *Camillos, Publicolas, Curios, Fabricios, Coruinos, Manlios, Decios, Flaminios, Maximos, Scyllas, Marios,*

ſub finem lib 5.

Marios, Scipiones, Marcellos, Lucullos, Pompeios, Cæſares, Brutos, Caſſios habuerunt: ita nos infinitis gloriari poſſumus, quos inter ſatis habebo referre *Caſtrucios, Gattamelatas, Nouellos, Scanderbechos, Sfortias, Braccios, Piccininos, Carmagnolas, Baleonos, Vitellios, Aucutos, Baiardos, Feltrios, Gonzagas, Boucciealdos, Colionos, Lautrechios, Hũniadas, Coruinos, Bullionios, Monlucios, Foſſeios, Leuas, Bentiuolos, Colũnas, Vrſinos, Triuultios, Liuianos, Nauarros, Petilianos, Conſaluos, Daualos, Farneſios, Toledos, Mẽdozas, Guiſios, Spinolas, Buquoios Tylios, Thoiracios*, & quid opus eſt cæteros receſere, quorum longior catalogus eſſet, quàm eorum in Iliade, qui ad bellum Troianũ acceſſiſſe referuntur. Vt non amplius de numero, ſed de præſtantia tantum, cum antiquis certandum ſit, quibus in hoc pares iterum eſſe poſſumus. Quod ſi minus noſtri, nec illi ſimiliter, ad iſtius artis perfectionem, ſummamque & vltimam laudem peruenere: quum alijs, in gerendis rebus expeditus vigor alijs matura conſilia, alijs ſinceræ fidei nitidior fama, pleriſque vero fortuna ipſa quæ iam ab antiquiſſimis vſque temporibus, ſibi bellorum euentus reſeruauit; ſinguliſque aut hæc, aut alia ad perfectionem defuerint. Et *Achilli*, quod exempli gratià profero, ſæuitia in Hectoris cadauer, libido, & contumacia in Agamenonem, velut non abſolutæ in eo militaris virtutis argumenta obiecta fuerint: quemadmodum *Aiaci* Deorum contemptus, & audacia pugnandi inconſulta: *Alcibiadi* nequitia, fraus, calamitateſque maximæ ciuibus ſuis illatæ: *Alexandro* ſuperbia, vanitas ſtirpis ementitæ, poculorum certamen, & tot præſtantium amicorum iniuſta cædes: *Annibali* inhumana crudelitas, perfidia plusquam Punica, nihil ſancti, nullus Deorum metus, nullum iusiurandum, nulla Religio. Notum eſt præterea, quantum *Iulij Cæſaris* claritudo, proſtitutà Nicomedi pudicitià, temeritate, ſtupris, ſacrilegijs, & nefarià patriæ libertatis oppreſſione obſcurata fuerit: quantum gloriæ detractum iuit *Pompeio*, ex viritim diſtributa pecunia pro Afranij conſulatu, conuicijs cum Lucullo, fugà in Aegyptum, cæteriſque erroribus quos in Cæſarem pugnans commiſit: quantum denique nocuerit *Antonio* Cleopatræ amor, Auunculi proditio, Ciceronis cædes; quantum *Lucullo* delitiæ, & luxus detrimenti attulerint; quantum *Sylla*, & *Mario* priuatæ inimicitiæ, & ciuium promiſcuæ cædes odij concitarint, &

inter-

interrogatus aliquando Peſcenius Niger apud Spartianũ quid de Scipionibus ſentiret, dixiſſe fertur *felices illos magis fuiſſe quã fortes, idque probare domeſticam vitam, & iuuentutem, quæ in vtroque nimis ſpecioſa domi fuiſſet.* Scilicet non homini, ea naturæ perfectio, & virtutum ſublimitas, in his vitæ anguſtijs ſperanda eſt, cui nihil deſit, nihil admiſtum ſit erroris, nihil tenebrarum offundatur; id enim Dei vnius proprium, diuinus Plato veriſſimè ſtatuit. Atque vt nec expectandus is eſt orator, qualem ſcriptis ſuis informat Cicero; nec is ſapiens, quem ſuis diſputationibus adumbrant Stoici; dum *eam ſapientiam interpretantur, quam adhuc mortalis nemo eſt conſecutus*; ſic perfectum imperatorem, quem oculis & cogitatione requirimus, neque nos vidiſſe, neque in poſterum viſuros eſſe fatemur: humana enim omnia ex actu, & potentia ſunt admiſta, vt docent metaphyſici, beneque omnino cum his agitur, qui in paucioribus offendunt, quandoquidem in nullis nõ opis eſt noſtræ, *viuitur enim* quemadmodum inquit Tullius *non cum perfectis hominibus pleneque ſapientibus, ſed cũ ijs in quibus præclare agitur, ſi ſunt ſimulacra virtutis*. Quare eo tandem deuenit controuerſia, vt cùm nulli ad ſignum recta collimarint, inquirendum tantum nobis relinquatur, quis ab illo minus aberrarit; qua in queſtione, non faciam quod ambitioſi, & morum ſui ſœculi plus iuſto amantes ſolent, qui nulla in re antiquiores, ætatis ſuæ hominibus præſtantiores fuiſſe concedunt, omniaque prioribus illis detrahunt, quæ ſuis ſibi perſuaſerint, haud mediocri ornamẽto eſſe futura; ſed cùm per labantis diſciplinæ difficultates, noſtræ, ſuperioriſque tempeſtatis ducibus, ærumnoſo quodam labore eluctandum fuerit, ita vt nulli ſit dubium, quin innatæ eorum virtuti, ad maximum proculdubio bellicæ laudis incrementum contendenti, eæ plurimum offecerint; his de cauſis conſentaneum eſſe arbitror, vt Romanos, & nonullos qui apud barbaras gentes, militaris diſciplinæ ſemper obſeruantiſſimi fuerunt, multo quàm noſtros, longius, in ijs artibus, quæ ab illa dependent, prouectos eſſe, non inuitus concedam. Quanquam hic penitus conſiſtendum ſit: nec anxiè, quemadmodum Scipio ab Annibale fecit, quærendum, quis nam illorũ ſit cœteris hac in diſciplina præferendus, cũ Annibal ipſe *Alexandrum magnum*, poſtea *Pyrrhum, ſeque* ipſum tandem tertio loco nominarit; & alij in primo loco ſtatuant

officior. 1.

Ff *Maio-*

maiorem Africanum vt Antonius Bellendenus; alij *Annibalem* vt Aldus, Ancaranus, Canonherius: nonnulli *Cæſarem* vt Floridus Montanus, Ceccarellus; hi vero *Pompeium magnum*; illi *Marcellum* velut pluribus & iuſtis voluminibus oſtenderunt duo Franciſci Floridus,& Bocchius. Neque tantum inter doctos de hac re, ſed apud imperitum etiam vulgus,adhuc dubitatur:quod ideo fieri conijcio quia ex veteri ſententia, *vt quiſque eſt affectus, ita de rebus iudicat*, euenitque propterea,vt qui lentus eſt naturà, & ſedatus *Fabium Maximũ* laudet;qui celerer & promptus *Marcellum*, qui placabilis & remiſſus *Cæſarem*: qui vafer, & aſtutus *Sertorium*: qui ſæuus & audax *Annibalem*: qui cruentus *Syllam*; qui caſtus, & religioſus *Africanum*: qui ſplendidus *Pompeium* atque ita vnuſquiſque eos præſertim cæteris anteferat, quibus cum arcano quodam conſenſionum, & maioris propenſionis vinculo,magis illi quam cum cæteris conuenit. Quare vt me tandem ab eiuſmodi difficultatibus expediam, non tam litem dirimendo, cuius me haud ſatis idoneum iudicem eſſe noui, quàm ex antiqua formula pronunciando *non liquet*; tum etiam ne reliquis iniurius eſſe videar, ſi vnum tãtum aliquem ex illis,ad imitandum propoſuero,faciam quod Auguſtus, qui Caium nepotem in Armeniam mittens, comprecabatur illi à dijs *Pompei beneuolentiam, Alexandri audaciam, ſuam ipſius fortunam*, aut quod Sidonius,cui in Panegirico Maioriani,

Sylla acie, Genio Fabius, pietate Metellus,
Appius eloquio, vi Fuluius, arte Camillus.

alijque duces à varijs dotibus commendantur:& futuroDuci conſulam,vt ſingulas illorum omnium virtutes,in vnum componat, abſolutumque imperatorem, detractis ingentibus vitijs effingat animo, quem ſibi continuo ſpectandum, imitandumque proponat; aut potius vt ſeparatim animaduertat, qui nam in ſingulis præſtantiori modo excelluerunt,vt quoties illi opus erit in ijſdem verſari, continuo in aliquem conuertere ſe poſſit, ex antiquioribus,vel noſtris ducibus, qui maximo omnium conſenſu,ſummam ex illis laudem,approbationemque fuerit conſecutus; ita enim Claudianus Honorio ſuo faciendum perſuadet, de 4 conſ.

Libertas quæſita placet, mirabere Brutum:
Perfidiam damnas, Metij ſatiabere pœnis,

Triſte

Triſte rigor nimius, Torquati deſpue mores:
Mors impenſa bonum, Decios venerare ruentes:
Vel ſolus quid fortis agat, te ponte ſoluto
Oppoſitus Cocles, *Mutij te flamma docebit;*
Quid mora perficiat, Fabius: quid rebus in arctis
Dux gerat, oſtendat Gallorum *ſtrage Camillus.*

Enimuero ſi quis præſtantiſſimi alicuius ducis imaginem, veris proprijſque delineatam coloribus requirat, is intueri quidem poſſet in *Cyrum*, quem omni genere virtutum exornatum fuiſſe non dubium eſt, ſi indubia ſint, quæ de eo memoriæ à Xenophonte prodita ſunt; verum quoniam potior apud me eſt Procopij ſententia hæc, *optimum quidem Cyrum Perſarum Regem fuiſſe ferunt, de quo auditu ſanè multa cognouimus; an vero eiuſmodi fuerit* Cyrus *ille qualis à Xenophonte* Athenienſi *inſtituitur, ſcire non poſſum, nam fortaſſis alicubi ſcriptoris dexteritas, orationis viribus exornata, rebus ipſis potuit eſſe ornamento*; & ea tantum quæ ſunt in vſu vitaque communi, non autem quæ finguntur, aut optantur, ſpectare mihi in animum induxi, ne ſi ad viuum imperatoris virtutes reſecuero, quemadmodum illi qui de iſtis ſubtilius differunt, fortaſſe quidem verè, ſed ad communem vtilitatem parum, dixiſſe videar. Eam ob rem nolo hic diſcedere ab eorum exemplis, qui quantum ab homine ſperari poteſt, in optimi Ducis officio, tantum & ipſi præſtiterunt; quemadmodum Annibalem vnum in paucis feciſſe videmus, cui, vt inquit Liuius, *plurimum audaciæ ad pericula capeſſenda, plurimum conſilii inter ipſa pericula erat, nullo labore aut corpus fatigari, aut animus vinci poterat: caloris, ac frigoris patientia par, cibi potioniſque deſiderio naturali, non voluptate modus finitus; vigiliarum ſomnique nec diu, nec noctu diſcriminata tempora; id quod gerendis rebus ſupereſſet quieti datum, ea neque molli ſtrato, neque ſilentio accerſita; multi ſæpe militari ſagulo opertum humi iacentem, inter cuſtodias ſtationeſque militum conſpexerunt: veſtitus nihil inter æquales excellens, arma atque equi conſpiciebantur: equitum peditumque idem longè primus erat, princeps prælium inibat vltimus confecto prælio excedebat*; in Alpibus autem cùm caput inter nubila conderet, & vtroque pede in glacie, atque niuibus, vbi nemo militum conſiſtere poterat, non minus ipſe hæreret, quid tamen non præſtitit deſiderio inuadendi italiam, ſtimulatus; iter

præfatione de ædific. Iuſtiniani.

decad. 3. li. 1.

cæteris monſtraſſe, ſubinde hærentibus aut feſſis porrexiſſe manum, omnium incommodis prouidentiâ ſubueniſſe, hæc, quæ per ſe maxima ſunt, ſi cætera tamen referri poſſent, vix enumeratione digna viderentur. Quod ſi præter has virtutes, quæ plus habent ex milite, reliquas alius deſideret, quæ in conſummato Imperatore requirũtur; quæ nam amabo ſunt illæ, quarum ſe *Cæſar* non abundè, aut ad miraculum vſque compotem reddiderit? quis enim ipſo à prima ſtatim ætate per totam vitam, omnibus militiæ muneribus glorioſè perfuncto, aut plures, aut meliores artes in adminiſtrandis, conficiendique bellis ſecum attulit? quis maiorem ſpiritus militaris vim, ardoremque cõcepit? quis promptam, expeditamque in conſulendo, & agendo induſtriam ſæpius exibuit? quonam in alio denique ſingularis moderati animi altitudo, eximia ſolidaque prudentia, incredibilis auctoritas, & inuſitatus mirificarum virtutum omnium concurſus, æque ac in ipſo enituerunt? quibus ſi experientiam iungas quam quinquagies
Lucanus. ſignis collatis dimicando ſibi comparauit

impellens quiquid ſibi ſumma petenti
Obſtaret, gaudensque viam feciſſe ruinâ.

neminem arbitror alium, quem potiori iure dux noſter ſequi, ac imitari poſſit, inter antiquos omnes inueniet: etenim licet ſe *aquilā* cognominari noluerit vt Pyrrhus; nec *Accipitrem*, vt Antiochus; nec *Neptunum* vt Clytus; nec *Iouem* vt Clearchus Heraclidæ tyrannus, nec *Liberum patrem* vt Marcus Antonius triumuir; multoque minus quicquã eiuſmodi fecerit, quod vanis, & vulgaribus ingenijs in vſu eſt, cùm aliquid ſua expectatione maius abſoluerint, plura tamen ipſe bella confecit, quàm cæteri ſuſceperint genere maxima, contentione laborioſiſſima, exitu difficillima, complexione partium implicatiſſima, locorum ratione, & domeſtica & externa, ac demum temporis diuturnitate longiſſima, vt ſi quis vnquam fuit πτεριμυδής ἐν πολέμοις vt Suidæ verbis vtar id eſt *qui rei militari aſſiduam operam nauarit*, is procul dubio fuerit primus ille, & fortiſſimus Romanorum Imperator. Verum tamen quoniam labentia demum ſæcula, & erecta conſtitutaque alia imperia, tum etiam hominum ingenio artes inuentæ, & excultæ, magnam omnino in bellicis actionibus varietatem attulerunt: ita vt multa olim ex vſu fuerint, quæ nunc obſoleta iacent,

cent,

cent, & contempta; non abs re fuerit ducem, qui res ex more qui nunc inualuit gerere, atque adminiſtrare volet, in multos prætereà duces reſpicere, qui per hæc & ſuperiora tempora, inſignibus maximarum virtutum ornamentis, vel clariſſimos antiquorum triumphos æquaſſe videntur: quales ſuos vnaquæque natio iactat, & laudibus præ cæteris euehit, vt Galli *Monmoranium ſeniorem*, *Guiſios*, *Monlucium*: Itali diuerſos quos & alibi retuli, & poſtea etiam ex mente & oratione Auguſtini Niphi, quæ præclarè meã confirmat, commodius repræſentabo, cùm ſcilicet agendum mihi erit de Tyrocinio, quod ipſi duces ſub præſtantioribus alijs ponere in prima ætate debent; Hiſpani denique *Conſaluo* ſuo ob excellentiam meritorũ, appellationem *magni Capitanei* fecerunt, quem titulum libẽter etiam cũ cæteris illi defero, ſi tamen hunc abſque Traiani Boccalini offenſione retinere poſſit. Atque vt recentis memoriæ Ducem aliquem proferam, neminem certè video ex tot alijs, quos præſens ætas, omni laudum genere illuſtres florere conſpicata eſt, cui non facili negotio obſtruere poſſit *Ambroſius Spinola* Hiſpanæ militiæ Imperator, ob egregia facinora quæ bello deſignauit, tanta ſemper maturi iudicij, & eorum quæ in bellis ſumma cum ratione fieri debent, experientià; vt quemadmodum propter inſignem in *expugnandis vrbibus virtutem* πολιορκητὴς merito poſt Demetrium Antigoni filium dictus eſt; ſic nulla alia laus, quæ maximis imperatoribus debetur, iure ei denegari potuiſſet, ſi Fortuna non ei ſemper occaſiones præripuiſſet, manus cum hoſte, in aperto campo conferendi. lib. de armor. & liter. compar.

Cæterum preter exempla, quæ in optimo Duce efformando plurimum valent, maxima eſt etiam ad idem efficiendum præceptorũ neceſſitas, quoniam licet quæ ab alijs ſtrenuè, fortiterque facta vel videmus vel audimus, multum quidem ea poſſint ad confirmandum animum, vt præclarè ſe gerat in arduis, & quæ ab alijs ſumma cum laude facta fuerunt, eadem ſibi imitanda proponat: nihilominus tam variæ ſunt bellorum rationes, totque in illis quotidie præter ſpem, & conſilium accidunt, vt niſi aliunde dux quàm ab exemplis, & obſeruatione iuuetur, incredibile ſit, quanto illi tempore, & quàm varià lectione opus erit, vt de ſingulis difficultatibus quæ in dies occurrũt, tutò ſapienterque decernere poſſit. Deinde vero quia plerumque contingit, vt exempla quorum 6. *Tum etiam præceptis optimorum auctorum quæ nonnunquã exẽpla in duce requiruntur.*

rum ratio non ſatis conſtat, eos in errorem inducant, qui rerum agendarum conſilio veràque cognitione deſtituti, ſolis illis innituntur. Inde factum eſt, vt præceptis quibuſdam, certiſque & generalibus regulis breuiter ſtatuatur, quibus tandem rebus imperatoria hæc dignitas indigeat, ad ſui perfectionẽ, & ornamentũ.

7. *Ob ſummam eius neceſſitatem in bellorum adminiſtratione.* Quamquam ſi verum fateri velimus, ea res vix vnquam ſatis accuratè, diligenterque, vel experientiâ monſtrari, vel libris edoceri poſſit: cum ea ſit Ducum conditio, vt veriſſimè magnus Hiſtoricus dixerit in vita Scipionis, *tanti eſſe exercitum, quanti Imperatorem, vere proditum eſt;* idemque hoc ipſum alibi Coriolani exemplo demonſtrarit, qui ex Romano exule Volſcorum Dux factus, belli fortunam ita commutauit, *vt facile appareret Ducibus validiorem, quàm exercitu, rem Romanam eſſe*; ſed quid apertius in rem noſtram, quàm cùm de Manlio inquit, vt *facile conuenerit inter Romanos, Latinoſque, vtrius partis L. Manlius Dux fuiſſet, eius futuram haud dubiè victoriam*. Quapropter merito Palamedes cùm ab amicis argueretur, quod ſolus ad bellum Troianum acceſſiſſet, illos viciſſim grauiter increpuit, quaſi non pluris ſua auctoritas, & peritia, quàm decem millia gregariorum militum æſtimanda eſſet: quod idem ſignificare voluit Gobrias notiſſimo illo dicto *de Ceruorum, & Leonum exercitu*, indeque Caius Fabricius, etſi Cornelium Rufinum hominem furacem, & auarum odio haberet, tamen quia bellicis artibus nobilis, & rerum multo vſu exercitatus erat, ſumma ope annixus eſt, vt in petitione conſulatus reliquos, cõpetitores ſuperaret, quoniam illi omnes imbelles erãt, minuſque apti, quibus ſalus publica, armis, & auctoritate tutanda cõmitteretur. Nimirum quia ſine Duce prudẽti, & experto, nihil aliud eſt exercitus, quàm vaſta bellua ſine capite; corpus, ſine anima; & remigum ordo ſine gubernatore; quo ſenſu dicebat

1. de clemen. etiam Seneca. *Imperator ſpiritus vitalis eſt, quem tot millia trahunt, vinculum eſt; per quod ipſa cohæret multitudo, nihil omnino futura, niſi onus, & præda, ſi mens illa imperii ſubtrahatur*; nimirum quia,

Auſonius.

Vt medium, ſi quis vellat de fornice ſaxum
Incumbunt cui cuncta ſimul, deuexa ſequentur.
Cætera.

ſic in Ducis conſilio, & authoritate, poſita eſt virtus omnis militum: ac proinde quando Iulius Cæſar in Hiſpaniam contra Petre-

tercium, & Afranium Pompei legatos proficiſcebatur, *vado* inquiebat ille, *ad exercitum ſine Duce*, quaſi Pompeium arguere vellet, quod in exercitu non adeſſet, aut quod minus aptos reliquiſſet, qui vices ſuas ſuſtinerent; parique iure Cyclopi excæcato, eundem ex fide veteris prouerbij aſſimilare potuiſſet; quemadmodum referente Plutarcho, Demades, ſiue is potius Leoſthenes fuerit, dicebat, poſtquam Magnus Alexander veneno fuerat è viuis ſublatus, eius copias bellandi artibus, & ſtrenuitate longè præcipuas, Cyclopi excæcato videri conſimiles; quoniam robore peritiàque præcellerent, ſed Imperatore, qui electiſſimum exercitum ductaret, forent orbatæ. Nec certè aliter de Carthaginenſibus cenſuit Xantippus Lacedemonius, *vir*, vt inquit Polybius, *rei militaris peritiſſimus, & in bello non mediocriter exercitus*, cùm post ingentem, & luctuoſum conflictum cum Romanis, publicè, Carthagini dixit, *minime hanc à Romanis cladem acceperunt Carthaginenſes; verum ipſi à ſeipſis ob ſuorum* Ducum *imperitiam*. Vnde libro 1.
totius belli ſummam ipſe poſtea recipiẽs, cunctos, quaſi ſoſpitem Deum conſpexiſſent, incredibili lætitia affecit, *vbi vero eductis ex vrbe copiis, per ordinem cuncta diſpoſuit: tanta inter ipſum, atque ſuperiores Duces, qui rei militaris rudes, atque imperiti fuerant, differentia apparuit: vt mox omnis multitudo clamore indicauerit nihil ſe magis quàm prælium cupere; adeo nihil mali pati ſe poſſe exiſtimabant Duce Xantippo*; Quemadmodum idem etiam Locrenſibus de *Aiace* perſuaſum fuit, quem tanti ſemper fecerunt, ſicut Photius ex Conone refert, vt in acie inſtructa, & ad dimicandum parata, locum ſemper illi vacuum relinquerent, quaſi eo in ordine, ac prælio conſiſteret, ex quo contigit, vt cum Autoleon Crotoniates, per vacuam illam partem in hoſtes erumpere niteretur, à ſpectro vulneratus ſit in femore, nec prius ſanitatem receperit, quàm Aiacis manes, precibus, votiſque placaſſet. Ex quibus inferre conſequenter poſſumus, non aliter geri fœliciter bellum poſſe, quàm ſi eius gerendi cura, optimo Duci demandetur, in quo nec ſciẽtia rei militaris, nec virtus vlla, nec felicitas deſideretur: ita etiam Pauſanias cuidam percunctanti, quomodo Thraces debellari poſſent, εἰ τὸν ἄριστον στρατηγὸν καταστησαίμεθα, *ſi optimum*, inquit, *Imperatorẽ delegerimus*. Sed adeo difficilis eſt hic delectus, vt mirari ſe diceret *Philippus* Macedo, quod Athenienſes ſingu-

lis annis nouos Belli Duces eligerent, cùm ipſe in tota vita, nonniſi vnum bonum Parmenionem inueniſſe ſe diceret; propterea-que Veneti, qui peritiſſimos ſemper conducunt, nec in ſingulos tantum annos, vt Athenienſes, ſed diutiſſimè bellorum illos adminiſtrationi præficiunt, etſi in mediocri imperio, haud magnis adhuc vectigalibus, nec proprio milite nitantur; maximas tamen inuaſiones ſuſtinuerunt conſtanter, & intulerunt animosè, quoties illis ferro cum vicinis, aut potentioribus alijs populis experiundum fuit.

8. *Quare proponuntur variæ cõditionesque in eo a diverſis auctoribus deſiderantur.*

Atque vt ex caſu, qui aliquando in eorum Republica contigit, eas recenſere conditiones aggrediar, quas varij auctores in copiarum, & exercituum præfecto, neceſſarias eſſe contendunt; fuit aliquando tempus cum ipſi *Gentilem Leoniſſam* huic officio præficerent, ægrè iſtud, moleſtèque admodum ferente *Bartholomæo Coleono*, fortiſſimo, & promptiſſimo Duce, qui Veneti imperij fortunam agnoſcens, omnem ſuam induſtriam, & experientiam, eius incrementis pridem antea deuouerat; vnde *Gentili* ſubeſſe continuo recuſauit, nec quicquam omnino, niſi quantum ex iure teneretur, ſe ei conceſſurum aſſeruit. Quamobrem vocatus ab eo in conſilium *Cæpola*, qui tunc in Antenoræo Lycæo, magnâ ſui nominis commendatione, Iuſtiniani reſcripta interpræatabatur; vt erat ille ingenio per ſæculi ſui barbariem vaſtiſſimè diffuſo, aſſuetoque omnia ſine iudicio complecti, quadraginta ſex concluſiones edidit, de virtutibus, & cautionibus, vt inquit ille: in optimo Duce neceſſarijs, in quibus ſic ineptè prorſus intemperanterque ſe geſſit, vt poſtquam omnia per ſaturam conieciſſe videri voluit, illud inſuper obtineat, quod nihil omnino dixiſſe cenſendus eſt, & magno illo conatu, ne quidem hilum profeciſſe; quoniam parum inter ſe differre exiſtimo, ſi quis omnes omnium aliarum artium virtutes Imperatori neceſſarias eſſe oſtenderit, etſi quis nullas, vt paulo infra agendo de ſcientia Imperatoris, tam manifeſtè me demonſtraturum recipio, quod iſtud nemini dubium, aut obſcurum eſſe poterit. Verum non multo ſapientius de eadem re pronunciauit *Onoſander* in ſtrategico, vbi ſi minus extra ſubiectum diuagatur, & arctius ſe in militaris diſciplinæ gyro continet, plura tamen in Imperatore deſiderat, quàm ex ipſius rei natura in eo reperiri poſſint, vel debeant, cùm eligendum eum proponit

capite 1.

non

non certa quadam gente familiáue oriundum, vt ſacerdotem; nec amplis facultatibus locupletem, vt Gymnaſiarcham; ſed caſtum, temperantem, ſobrium, frugi, laborioſum, intelligentem, minimè auarum, nec iuniorem, nec item ſeniorem, etſi forte contigerit filiorum parentē, dicendi peritum, ac demum gloriâ illuſtrem; quid enim attulerunt damni, vel *Ioſepho* proſapia ſacerdotalis, vel *Lucullo* diuitiæ, vel *Alexandro* iuuentus, vel *Hannibali* vita celebs, aut *Pompeio, Catoni, Beliſario* ſenectus, quominus poſſent inter præſtantiſſimos Imperatores cenſeri? alio igitur modo *Xenophon* rem omnem explicare ſuſcepit, ex ſimilitudine; qua boni Ducis, & boni Oeconomi officia, pene inter ſe ſimilia eſſe, probare conatus eſt. ſcilicet *reddere primum ſubditos ad obtemperandum faciles, malos pœnâ, bonos præmiis afficere: præſentem ſubſtantiam cuſtodire, munia omnia ſtrenuè, & diligenter obire, prætereaque decertare quando opus eſt*: ſed nimis ille vagatur in ijs quæ paci iuxta, belloque communia ſunt: etſi non ignorem eiuſdem eſſe Imperatoris, vtrumque munus curare, vt Ilioneus de *Aenea* teſtatus eſt in his verſibus.

Rex erat Aeneas nobis, quo iuſtior alter,
Nec pietate fuit, nec bello maior & armis.

& Saluſtius de Iugurtha, quem bonum pacis, bellique artibus fuiſſè dicit; ſed illa tamen potius vera ſunt de Imperatore populorum, quàm de exercituum præfecto, cuius dum columbæ militum in galeis nidificant, & Iani fores occluſæ ſunt, nulla ſit apud alios auctoritas. Quare non magis huc pertinent ſeptem illa capita innocentiæ chriſtianæ, quæ à *Ferrando diacono*, in libello parænetico, ſeu mauis ad monitorio ad Reginum ducem, hoc ordine explicantur, *Imperator ſe in omnibus diuino auxilio muniat, vt vitam ſuam ita componat, quod militibus ſpeculi inſtar eſſe poſſit, ad quod reſpicientes propriam componant; vt diligat Rempublicam, memineritque in omnibus ſe eſſe Chriſtianum; nec humanis diuina præponat; aut iuſtitiam præter modum colat; vel demum præeſſe magis appetat quàm prodeſſe*; quoniam etſi præcepta hæc ſanctiſſima ſint; & Duci Chriſtiano, temporumque integritati, in quibus auctor ille, ſub Anaſtaſio Imperatore, circa annū à partu Virginis quingenteſimum florebat, maximè conuenientia, at verſantur tantum circa virtutes morales; præter quas multæ aliæ intellectuales requiruntur, quibus ſi Dux caruerit, non magis officio ſuo fungi

gi poteſt, quàm miles hoſtem aggredi, qui conuenientibus armis deſtituatur. Iiſdem etiam de cauſis, non probantur mihi, tria illa, quæ in Duce, ſupramodum laudabat *Ageſilaus*, nempe *erga publicos hoſtes audaciam; erga ſubditos beneuolentiam; & circa temporum opportunitates rationem*, vt nec *Archilocus* Iambographus, nec *Iſocrates* ſufficientibus illum, aut proprijs coloribus depinxiſſe mihi videntur, cùm ille relatus à Dione Chryſoſtomo, de eo hunc

n Tarſica iore. in modum locutus eſt

Non diligo magnum Ducem,
Stupido nec animo præditum,
Nec gloriantem pendulâ
Cæſarie, & ad naſum vndique:
Magis, ſed incurnum probo,
Tutoque qui ponit gradum,
Et qui piloſus mente ſit;
Conducat vt quid cogitet.

Hic vero ad exornandum præſtantiſſimis laudibus Cononem Ducem Athenienſium ſpectatæ virtutis, & audaciæ; earum argumenta repetit *ex eius diligentia, fide, & experientia*, quod tamen ab eo tanta reliquorum auctorum comprobatione factum eſt, vt Euſtathius eadem poſtea virtutum recenſione vſus fuerit, cùm oſtendere vellet, ex contrarijs illarum vitijs, Agamemnona ijs ab Achille conuitijs affectum fuiſſe, quibus nulla in Ducem aliquem dici, ſed ne cogitari quidem grauiora poſſunt, dum hunc, Iliade prima appellauit *merobibum, faciem canis habentem, cor autem cerui*: quoniam vt inquit ille græcum Homeri verſum exponens, qui talis eſt, Οἰνοβαρὲς, κυνὸς ὄμματ' ἔχων κραδίην δ' ἐλάφοιο, ex ebrietate oritur *negligentia*; ex relatione vero, & ſimilitudine humani vultus cum canino rictu, ſignificatur *perfidia, & infidelitas*, ac demum ex timore, homo depræhenditur eſſe *multarum rerum rudis, & inexpertus*; ſicque tria vitia in Agamemnone fuiſſe ſignificantur, tribus illis virtutibus ex diametro oppoſita, quæ ſub exemplo Cononis, in omni Duce, præclariſſimarum inſtar haberi voluerat Iſocrates. Nec minus item aberrant à ſcopo vel M. A. *Petilius* qui varias artes, virtuteſque, & *memoriam* potiſſimum in Duce laudat; vel Franciſcus *Patricius*, qui *militarem prudentiam, ſummam animi fortitudinem, fidemque erga* Principem, *cuius auſpicijs*

lib.9.cap 56.

in paral. militar.

&

& ſtipendijs militatur, tanquam ſummas, & longè omnium præſtantiſſimas virtutes, quas Dux aliquis habere poſſit, commendat. Etſi enim *prudentia* maximo vſui eſſe ſoleat, in militum delectu, ordinum diſpoſitione, ſtratagematum inuentione; *fortitudo* vero ſtimulos, vel ignauiſſimis Ducibus addat, ſuis vt militibus iter in hoſtium cuneos aperiant; & *fides* demum perpetua atque inuiolabilis, ipſos in præclaris conaribus perſeuerare faciat, quibus nihil ab bellum vtilius c gitari poteſt: omnes tamẽ hæ, & quæ ſupra ab Iſocrate, Ageſilao, alijſque aſſignatæ fuerunt conditiones, diminutæ ſunt, nec omnia ſuo ambitu complectuntur, quæ in exercituum Ductore, mutuo præclariſſimar um inter ſe virtutum nexu, conſentire debent. Quare plures alij, ſatius habuerunt, non illa certo numero definire, vt *Beliſarius Aquiuiuus* Neritinorum Dux, qui mea quidem ſententia, de illis perquam appoſitè dixit; quanquam non adeo fusè, vt *Landinus*, qui ex Aeneide virgiliana collectis hinc & inde virtutibus, ſuum Ducem, quaſi muſiuo opere teſſellatum exhibuit: aut ita diſtinctè quemadmodum poſtea fecit *Franciſcus Bacconus* magni Angliæ ſigilli cuſtos, qui pro acerrimo illo, quo in ſuis operibus vtebatur iudicio, ita appoſitè, diligenterque perſonam Imperatoris ſub *Fabulà Perſei* repræſentauit, vt ſi Tullium demas, ex cuius poſtea graphide, veram Ducis imaginem exprimere conſtitui, nullus eo vnquam maiori fœlicitate ingenij, & ſapientiæ commendatione, hoc ipſum opus abſoluerit: ita vt malè omnino de hoc ſyntagmate merear, niſi ad eorum illuſtrationem, de quibus in ipſo dicere ſuſcepi, præclaram hanc, & omnibus modis hic maximè conuenientem, fabularum quæ de Perſeo, conficta ſunt à Poetis, explicationem attulerim. Ait igitur Perſeum licet terras, quæ Orientem verſus ſitæ ſunt incoleret, longinquam tamen expeditionem, vſque ad extrema Occidentis minimè detrectaſſe, vt Meduſam, quæ ſola è Gorgonibus mortalis erat, & diro ſuo aſpectu homines in ſaxa conuertebat, maximarumque in extremis Iberiæ partibus, cauſa erat calamitatum, obtruncaret; ex quibus *tria* ipſe colligit ab optimo Duce, cùm primùm bella ſuſcipit, obſeruanda; nimirum *vt non adeo ſollicitus ſit de vicinis populis in ordinem cogendis, quàm de propagando per remotas partes imperio*, cùm Romani quo tempore Occidentem verſus, vix vltra Liguriam penetrarant; Orientis Prouincias

Lib. de ſapien. veter.

vſque

vſque ad montem Taurum armis, & imperio ſubegerint: nec vicinitas, quæ in patrimonio amplificando plurimi facienda eſt, vt hoc verſu Horatius indicat

O ſi angulus iſte
Paruulus accedat: qui nunc denormat agellum:

eadem, in imperio proferendo conſideranda; maximè ſi belli conficiendi facilitas, & occaſio, vtilitaſque certa ſe ſe offerant, quæ iure quidem vicinitatis loco eſſe poſſunt. Secundō curæ illi debere eſſe contendit, *vt bellū non niſi iuſta & honeſta de cauſa ſuſcipiat*, qualis vt plurimū eſſe ſolet Tyrannidis debellatio, ſub qua populus ſuccumbit, & proſternitur ſine animis, & vigore, tanquam ſub aſpectu Meduſæ: demum vero prudenter addit *vaſtas aut infinitas ſpes, non eſſe animo concipiendas*, quales Pyrrho in Italiam mouenti Cyneas exprobauit; ſed bellum eius conditionis eſſe debere, quod inſtar Meduſæ, quæ mortalis erat, ita pariter confici, & ad exitum perduci poſſit. Hac igitur occaſione prouocatus Perſeus, quo ad illam paratior accederet, arma ſua à tribus Dijs mutuatus eſt, talares nempe alas à Mercurio, quæ *celeritatem* denotant: à Plutone galeam, quæ *conſilia tenebris ſilentij inuoluenda, & occultanda* ſignificat: ac demum ſcutum à Pallade, & ſpeculum, *duplicis prudentiæ* hieroglyphico, cuius vna inſtar ſcuti adhibenda eſt *caſibus aduerſis propulſandis*, altera vero tanquam ſpeculum, in quo *motus hoſtium, vires, & conſilia* ſe prodant. Grææ autem illæ ſemper canæ, & vno tantum dente, oculoque viciſſim vtentes, ad quas poſtea diuertit, *proditiones* ſunt, & *ſeditiones*, bellorum ſcilicet ſorores, vt illæ Gorgonum: quarum conſcij, vno dente mordere, vnoque, & eodem oculo videre dicuntur; quoniam omnes ea referunt, quæ per manus factioſorum diſperſa, ab vno ad alterum peruenere; oportetque Ducem inſtar Perſei oculum hunc, & dentem à Græis mutuo accipere, quò vtatur, illo quidem ad *exploranda*, quæ ab hoſtibus, vel factioſis committuntur; hoc vero ad *rumores ſerendos, inuidiam conflandam, & animos hominum in ſui fauorem ſollicitandos*. Denique his omnibus inſtructus Perſeus Meduſam dormientem inuenit, eamque ceruice reflexa, & in ſpeculum Palladis intuens, confecit, quoniam prudens Imperator, fere ſemper *hoſtem aſſequitur imparatum*, & in ipſo cōflictu, atque inſtante periculo *prudenter de omnibus cauet*, quæ ad victo-

victoriam faciunt; ex qua *famà* poſtmodum ingens vbique ſe diffundit, volatque per ora virum; velut Pegaſo alato illo equo delata, qui ex fuſo Meduſæ ſanguine confeſtim in hac pugna exiliuit. Atque hoc modo ſummus ille vir Franciſcus Bacconus, de præſtantiſſimo belli duce, ex huius fabulæ inuolucris philoſophatus eſt, quæ nemo, opinor, melius vnquam potuiſſet in hanc rem explicare.

9 Sequitur ergo vt quæcumque tum ab hoc homine prudenter, cùm ab alijs eruditè, ſed nondum tamen adeo diſtinctè, vel accuratè de præſtantiſſimi ducis officio dicta ſunt, quin vel ordine clarius exponi, vel aliarum virtutum acceſſione, illuſtrari poſſint, vnius Marci Tullij ſententià, velut γνωμολόγος, & ab oraculo veniens, in proprio ſtatu, & genuino imperatoriæ dignitatis ſplendore, conſtituere aggrediar: ſimulque vt ex opinione maximi illius viri, qui nulla de re non ſapientiſſimè ſemper locutus eſt, filum nectam, quo deinceps tanquam Ariadneo, ad iſtius operis finem, per neceſſarias virtutum diſtributiones, peruenire, meque ipſum ex aliorum auctorum pluſquam labyrintheis amfractibus explicare poſſim. Quamuis autem non ſemel, aut vnò tantum in loco, ſummus hic orator, virtutes illas expreſſerit, ſed prout rerum ipſarum, & dicendi occaſio tulit; alias vt in Philippicis; Imperatores appellandos eſſe dixerit *quorum virtute, & conſilij fœlicitate, maximis periculis ſeruitutis, atque interitus liberati ſumus*; alias etiam vt in oratione pro Rege Deiotaro, eum nõ poſſe exercitum continere aſſeruerit, *qui ſeipſum non continet, qui fortis, iuſtus, ſeuerus, grauis, magnanimus, largus, beneficus, liberalis, & manſuetus non ſit*; in oratione tamen pro lege Manilia, vbi ex officio de ijs rebus agere debebat, ita mentem ſuam aperuit, vt clarius omnino atque diſtinctius non poſſet; *in ſummo* inquit *imperatore quatuor has virtutes ineſſe debent, ſcientia rei militaris, virtus, auctoritas, fœlicitas*. Ex quibus vides iam Ludouice Comes, etſi nihil ad iſtius loci illuſtrationem attulerim, quæ tibi ad implendum gnauiter munus iſtud imperatoriæ dignitatis, neceſſaria futura ſint, verum tamen omnia proſequar, ſi non eodem ordine quo Tullius, at ſaltem non ita diuerſo; quique vt ſyntheticus ſummopere ob facilitatem à philoſophis commendatus, & à me propterea haſtenus obſeruatus, maiorem adhuc lucem, & facilitatem tractationi

Quibus tamẽ præferuntur quatuor alia propoſita à M. Tullio ſcilicet ſcientia virtus felicitas, & auctoritas.

tioni afferat; atque adeo nomenclatoris vice fungar, tibique omnia plenè recenſebo, vt ſingulorum enumeratione, ſi quod fortaſſe nunc etiam tibi deeſſe cognoueris, generoſo niſu quantum in te ſitum eſt, contendas, hoc ipſum tandem adipiſci.

II.

1 Quod igitur ad ſcientiam attinet hæc vel poteſt eſſe vniuerſalis diuerſarũ rerum quam multi laudãt.

Primum ergo quod in Duce Tullius poſtulat *ſcientia* eſt, nam hæc, vt virtus, & fortuna, non ſecus ad auctoritatem referuntur, quàm partes & humores ad corporis compoſitionem, aut ipſorũ ametria, vel ſymetria ad ſanitatem; quia auctoritas ducum, qua bellorum vniuerſa ratio præcipuè conſtat, non ſimplex aut nuda virtus eſt, ſed dignitas quædam in homine, ex reliquarum virtutum connexione, compoſita, quæ vt in militia, hic in qualibet alia arte ad eius perfectã cognitionem requiruntur. Vnde ſicut medicum aliquem magnæ auctoritatis eſſe dicimus, cùm medicas leges apprimè callet, honeſtè, ſollerterque ſe in artis operibus gerit, & feliciter in multorum curatione, maximè vero principum, & illuſtrium virorum verſatus fuit; ita eandem prorſus duci auctoritatem adeſſe coniectandum eſt, cùm ſcientiæ militaris præcepta tenet, virtutes reliquas colit, quæ ad armorum tractationem pertinent, & Fortunæ, ſuæ in diuerſis occaſionibus, experimentũ aliquod inſigne dedit; his enim veluti gradibus, poſtquam ſemel ad auctoritatis ſoliũ conſcendit, parum refert, num cæteras conditiones magis particulares, & determinatas habeat, quæ non tam per ſe ad auctoritatem homini conciliandam requiruntur, quàm adminicula ſunt trium iſtarum, quæ verè, & propriè hanc in Imperatore conſtituunt. Iam vero etſi Tullius *ſcientiam rei militaris*, non autem aliarum artium cognitionem, Imperatori neceſſariam eſſe dixerit, non deſunt tamen infiniti ſcriptores, tam ineptè, & extra omnem rationis ductum, de rebus etiam obuijs, & manifeſtis ſentientes, vt quemadmodum Eupompus Sicionius dicebat, nullum euadere poſſe in egregium *pictorem*, qui non item optimus eſſet vates, & Geometra, & Arithmeticus; ita hi nullum fieri poſſe egregium ducem arbitrentur, qui non æque *Muſarum, ac Martis ſtudijs* animum applicuerit. Quaſi vero inquiũt, aut ars vlla ſine ope alterius probè intelligi, aut doctrina aliqua poſſit, ſine linguarum, & totius orbis diſciplinarum, quæ mirificè quodam interſe vinculo coniunctæ ſunt, auxilio notitiaque comprænhendi. Et apud veteres quidem, quantà diligentià, ac propemodum

modum

modum religione, hæc ipſa bonarum artium ſocietas,& cognatio exculta ſit, ex eo, vel maxime intelligi poteſt,quod neminem vna excellere arte, qui non omnes aliquo modo attigiſſet, arbitrati ſunt,adeo vt non philoſophis ſolum cognita oportere eſſe omnia, ſed ne artifices quidem humiliores, ſine *philoſophia*; ideſt abſque vniuerſa quadam omnium diſciplinarum compræhenſione,recte ſuo in munere verſari poſſe exiſtimarent. Vnde ſicut Tullius de oratore aliquando dixit, *ac meâ quidem ſententia, nemo poterit eſſe omni laude cumulatus orator, niſi erit omnium rerum magnarum, atque artium ſcientiam conſecutus*: & Vitruuius idem ferme cenſuit de architecto, qui vt inquit ille *non debet nec poteſt eſſe grammaticus,vt fuit Ariſtarchus, ſed non amuſos; nec pictor vt Apelles, ſed graphidos non imperitus; nec Plaſtes vt Myron, aut Polycletus, ſed rationis plaſticæ non ignarus: nec demum medicus vt Hippocrates, ſed non aniatrologicus, nec in ſingulis doctrinis ſingulariter excellens, ſed in his non imperitus*: ita Socrates libro quinto de iuſto, hunc in modum,de publicæ rerum adminiſtrationi præpoſitis hominibus, arbitratus eſt, *niſi philoſophi ciuitatibus dominentur, vel ſi qui nunc reges, potenteſque dicuntur, legitimè ſatis que philoſophentur: in idem que ciuilis potentia, & philoſophia concurrant: neque quod nunc ſit, à diuerſis hæc tractentur ingenijs, non erit ciuitati, vel vti mea fert opinio, hominum generi vlla malorum requies*. Et vero iſtud Socratis effatum,confirmatum poſtea fuit à Cicerone, quum alibi tum in epiſtola ad Quintum fratrem, vbi *hanc coniunctionem*, inquit, *poteſtatis, & ſapientiæ, ſaluti cenſuit ciuitatibus eſſe poſſe, princeps ingenii, & doctrinæ Plato*: eandemque ſententiam,Antonino philoſopho imperatori familiarem admodum fuiſſe,auctor eſt Iulius Capitolinus, nimirum quia virtutes illæ morales, quæ vna cum naturalibus,philoſophiæ pomerio continentur, nobiliori quodam concentu, atque harmonià, cùm regnorum adminiſtratione conuenientes, perfectos eos omnes redderent, qui aut plenè ijs imbuti ſunt, aut operam ſedulo nauant, quo poſſint illas in dies conſequi. Hoc autem ſi de Regibus certum eſt,quid ni etiam de exercituum Præfectis veriſſimum erit? quorum fortitudo, & ſtrenuitas, non debet à prudentia & rerum cognitione ſeparari. Vt minimè quidem illas diuiſerunt antiqui illi populi bellaces, & certis viciſſitudinibus rerum,imperiorumque potiti, apud quos

proœm.lib.de orator.

lib. 1. cap. 1.

nullus

Digitized by Google

nullus inſigniter doctus extitit, qui nō eſſet miles, nec vllus miles ſtrenuus fuit, qui non viciſim literatus haberetur; vt merito Sidonius Aruogaſtim laudans, parem antiquis eum eſſe dixerit *linguâ manuque*; notumque eſt illud Catonis in originibus *pleraque Gallia duas res induſtrioſiſſimè perſequitur, rem militarem, & arguté loqui*. Et amabo quos duces habuit Romana Reſpublica, niſi *doctos ſenatores*? quos Græcia, niſi *Philoſophos, Oratores, Poetas*? quos Galli, niſi *Druidas, & Bardos*? quos Perſæ, niſi *Magos*? quos Hebræi, niſi *iudices, aut ſacerdotes*? è quorum numero ſe ad militiam delectum fuiſſe Auctor eſt Ioſephus in vita propria. Atque his de cauſis, probabile eſt, ſcientiſſimum veri Apollinem, cùm de *Palladio* conſultus reſpondit, breui ſecuturum ciuitatis exitium, extra cuius mœnia illud deferretur, non tam hoc oraculum protuliſſe de ſimulacro lapideo, aut ligneo, quàm de varia ſcientia, oculos, & haſtam, hoc eſt brachia, ac mentem in hominibus mouente; præſertim cum Minerua, quæ hoc ipſo idolo repræſentabatur, habita ſit Dea *armorum, & literarum*; ſymbolumque extiterit viri ſagacis, qui conatus ſuos eleganti temperie motus, & quietis, belli, & pacis opportunè diſtinguit. Indeque priſci Sapientes tam Græci, quàm Latini, vt perfectam hanc *Hermathenam* colerent, tali armorum literarumque viciſſitudine, & gratiſſima actionum conuerſione, plurimum ſemper in vita delectati ſunt; vt *Socrates, & Plato*, qui multis prœlijs meruerunt: *Alcibiades*, qui alternis vicibus pugnabat, & ſtudebat, eodemque Socrate vtebatur Duce in aciebus, & Doctore in Lyceo: *Xenophon*, qui ex eiuſdem Socratis Academia, nuſquam deterior factus, ad ſui, ſuorumque ſalutem procurandam, in expeditione Cyri, eo interempto, copias Græcorum ſibi commiſſas, ex media Barbarorum acie, incolumes in patriam reduxit; vt non fruſtra Antonius eodem loci oppreſſus, exclamarit, *ò decem millia Xenophontis! Epaminondas*, etiam quem ante, nullum memorabile bellum Thebani geſſerunt, nec poſtea victorijs, ſed cladibus inſignes fuere; quis ille vir, aut quantus extitit? & tamen vt inquit Iuſtinus, literarum in eo ſtudium & philoſophiæ doctrina tanta fuit, vt mirabile videretur, vnde hæc inſignis militiæ peritia, homini inter literatos nato, aduenisset. Sed quid de clariſſimo *Pericle*, qui glorioſè quinquies triumphauit, exiſtimandum eſt? quid de *Annibale*, qui apud *Ticinum*

Lib. 2. apud Cariſium.

nam P. Cornelium Scipionem; apud *Trebiam* Titum Sempronium; apud *Cannas* Romanorum exercitus fudit,& internecione penitus deleuit? nonne hic græcas literas eruditus à Soſilo Lacedemonio, hiſtoriam hoc ſermone eleganter conſcripſit: ille vero Anaxioni in philoſophia diſcenda operam dedit, & inter Oratores adeo inclaruit, vt qui eo hac in arte ſuperior fuerit, habuerint Græci ferme nullum. Romani vero Duces, quorum dextræ ſolebant non minus ſtylum tractare, quàm gladium, propterea non lituis tantum,ſed & literis inſuper,& doctrinis æque ac armis, aſſueſcebant: nec quemquam illis temporibus magnam potentiã, abſque ſumma eloquentia conſecutum fuiſſe,teſtimonio eſſe poſſent *Lentuli,Craſſi,Metelli*,& infiniti alij, quorum exempla, & nomina laudare prõptum eſſet,niſi delectu quodã preclariſſimorum & valde illuſtrium habito, reliqua omnia confuſionis,& tædij vitandi gratià,prætermitti meritò poſſent. *Scipio* igitur,quod Velleius Paterculus non indignum hiſtorica commẽdatione iudicauit, *tam elegans liberalium ſtudiorum, omniſque doctrinæ, & auctor, & admirator fuit, vt* Polybiũ,P*anætiumque præcellentes ingenio viros, domi,militiaque ſecum habuerit, neque enim quiſquam hoc Scipione elegantius interualla negotiorum otio diſpunxit. ſemperque aut belli, aut pacis ſeruiuit artibus: ſemper inter arma,& ſtudia verſatus, aut corpus periculis, aut animum diſciplinis exercuit.* Nec remiſſior fuit hac in re *Iulii Cæſaris* diligentia, qui adhuc puer, à prædonibus captus, in medio mari carmina pangebat, & ætate demum provectior gloriæ ſibi duxit euocare ex vltimis terrarũ finibus Chaldæos, ad cognoſcendum Solis motum; diſputare cum Aegyptio Sacerdote, de incrementis Nili; & eadem manu qua res magnas gerebat, commentarios rerum ſuarum ita diligẽter conſcribere, vt nihilà quoquam tam putetur accuratè perſcriptum,quod non illorum puriſſimà elegentià ſuperetur: nec vlla vnquam negotiorum mole præpeditus fuit,quominus

media inter prælia ſemper,
Stellarum, cælique plagis, ſuperiſque vacaret.

vt eam ob cauſam, haud dubie in heroicis Gabrielis Simeonis ſymbolis depingatur,globo mundi inſidens, tenenſque ſiniſtrà librum,dextrà vero gladium, cum lemmate in medio *ex vtroque Cæſar.* Sed iuuat præterea inſigne exemplum commemorare, quod

Aemil. I . . bus.

libro 1.

quod M*arcus* Marci Ciceronis oratoris filius edidit, dum ſub Pompeio militum cohorti præfectus meruit; tum vero etiam Gratippum Philoſophum Athenis audiuit: ſed & illud *Bruti* non minori commendatione dignum eſt, qui in medio ardore belli ciuilis, paulo ante quã pugnatum eſt in campis Pharſalicis, cùm in caſtris Pompei eſſet, librorũ Polybij epitomen fecit. Atque eodem ferme modo, qui noſtris temporibus bello inclaruerunt Duces, proculdubio certum eſt, illos non minus *Muſis* quàm *Marti* addictos vixiſſe, & vtriſque tam fœlici euentu litaſſe, vt mediâ etiam in barbarie natos, moribus incultos, religione impios, tale ſtudiũ ad ingentis gloriæ meſſem, proſperosque rerum ſuarum euentus prouexit; vt *Baiazetem*, & *Mahometem* vtrumque ſui nominis ſecundum, quibus ſicut nulli apud Turcas, noſtris vel aliorum populorum calamitatibus inſigniores fuerunt Imperatores; ſic nulli apud eoſdem, ab imperio condito, eruditiores extiterunt, aut magis ſtudiorum oblectamentis dediti; neque vnquam inter Chriſtianos fama conticeſcet de præclaris facinoribus *Caroli magni*, qui Sigeberto teſte, *non ſolùm patriâ linguâ ſed etiam peregrinis linguis eruditus, barbara, & antiquiſſima carmina quibus veterum Regum bella, & actus canebantur, ſcripſit, & memoriæ mandauit*; atque vt cætera, quæ de ſtudijs eiuſdem referuntur prætermittam, non ſecus ac multa, quæ de *Carolo quinto*, non Doctore quidem, ſed doctorum hominum fautore acerrimo, eiuſque æmulo *Franciſco primo*, cum in additamento meo ad hiſtoriam Ludouici XI. tùm & alibi paſſim leguntur; certè negari non poteſt *Matthia Coruino*, *Federico Feltrio*, *Bellaio Langeio*, alijſque Ducibus omni virtutum, & bellicæ præſertim fortitudinis laude, meritoque conſpicuis, adeo literarum ſtudia cordi fuiſſe, nihil vt præclarius in vita duxerint, quàm ipſis eadem cura, quâ & armorum tractationi incumbere. Verum quid attinet tot Heroas nominare, qui vtiliſſimam hanc operationum animi, & corporis concordiam mutuo literarum, & armorum fœdere ſancitam, obſeruarunt; cùm illorum antiquiſſimus Hercules, ab Archiloco deſcribatur.

In chronico ad annũ 794.

cap. vltimo.

Gradiui iuxta per atrocia bella miniſter,

Dulciaque edoctus munera Pieridum.

quod Alexis Poeta Comicus magis diſtinctè ſignificare volens, in ea fabula cui à *Lino* titulum fecit, hũc incidit in anachroniſmũ, qui ride-

apud Athenæum.

rideri merito à pueris debeat; inducit enim Linum, *Herculi*, quẽ doctrinà informabat præcipientem, vt è multis libris, qui præſentes erant, vnum aliquem caperet ac ſeponeret, qui ſibi forte fortuna veniret ad manus, ſiue is foret Orpheus, ſiue Heſiodus; ſiue Cherilus, Homerus, aut Epicharmus; quorum tamen Poetarum nullus adhuc natus erat, omnesque fuerunt Lino, & Hercule longa ætate poſteriores. Sed quod hic mendoſè ſcriptis protulit, Romani, quorum animis ardor ille literarum Herculis exemplo ingeneratus fuerat, id ipſum præclaris monumentis in poſterorum memoriam tranſmiſerunt, ſiquidem vt Eumenius Rhetor in panegyrico notauit *Aedem Herculis Muſarum, in Circo Flaminio, Fuluius ille Nobilior ex pecunia cenſoria fecit, non id modo ſecutus, quod ipſe literis, & ſumma Poetæ amicitia duceretur, ſed quod in Græcia cùm eſſet Imperator, acceperat Herculem muſagetem eſſe comitem, ducemque Muſarum. idemque primus nouem ſigna, hoc eſt omnium Camœnarum, ex Ambracienſi oppido translata, ſub tutela fortiſſimi numinis conſecrauit*. Et ſanè cùm parua ſint foris arma, niſi conſilium ſit domi, imperitè Herculi, vel Palladi, veteres illi ſapientes conceſſiſſent *arma*, niſi & *conſilium* addidiſſent, quod ex Muſarũ, & ſapientiæ fonte deriuatur: quippe literis ornatus quaſi Ianus alter, oculos habet etiam à tergo, & multo facilius præſentia videt, certiuſque proſpicit futura, quàm reliqui Duces, quorum mens non imbuta philoſophiæ documentis, non mathematicas demonſtrationes edocta, non linguarum varietatem callens, nec aliorum Ducum exemplis cõfirmata, quæ ab hiſtoriarum lectione petuntur; quid aliud poteſt, cùm exercituum gubernaculis præficitur, quàm ieiunos conatus, & elangues, atque abortiuos fœtus producere? *bellator* vt dicebat Caſſiodorus *in literis inuenit vnde virtute animi roboretur*, & quemadmodum cenſet Vegetius *non quemquam magis decet, vel meliora ſcire, vel plura quam Principem, cuius doctrina omnibus poteſt prodeſſe ſubiectis*; hiſque de cauſis ſapienter Philippus Alexandrum filium admonuit, vt ſtudia bonarum artium complecteretur, ne multa committeret quæ eum feciſſe ſœpius penituit. Atque hæc ſunt, quæ pro Imperatorum doctrina ab ignaris rerum ciuilium hominibus, & è ludo pædagorum nouiter dimiſſis afferuntur, quorum in confirmationem multa addunt de Præfectis exercituum, qui vel Philoſophis

pro reſtaur. ſchol.

libro 1.

Digitized by Google

vſi ſunt, cùm in conſilio, tum in ordinum diſpoſitione, vel eruditorum libros aſſiduè triuerunt, aut ipſimet Philoſophi, & eruditi fuere, quibus in nugis miror valde grauiſſimorum quorundam ſcriptorum vt Pontani, & Patricij, plus æquo induſtriã deſudaſſe.

2. *Ego vero penitus & multis reprobo nõmedo quia duci minime neceſſaria.* capite primo

Sed quàm parum ſapienter, aut appoſitè hæc omnia ab iſtis proferantur, quàmque tibicinibus inualidis hæc opinio paſſim recepta, & ab omnibus commendata nitatur, illud eſt quod in præſentia mihi demonſtrandum aſſumo: vt non ſecus ac in additamento meo ad hiſtoriam Ludouici XI. quænam Regibus, & Principibus ſcientia conueniret, aduerſus multorum errores oſtendi, qui ipſos per omnium orbem diuagari volebant: ita hic quænam propriè, & abſolutè *ſcientia militaris* appellari debeat, veriſſimis rationibus concludam. Ac in primis Proclus è Platonis Academia Philoſophus valde inſignis, qui libellum elegantem, & arida pumice diligenter expolitum de virtutibus edidit, cùm in ipſo ex mente Socratis tria ciuium genera diſtinxiſſet, primumque *Magiſtratuum* eſſe dixiſſet, alterum *militum*, tertium *diuitum*; idem mox capitibus decimo ſexto, & vigeſimo primo, virtutes morales per eadem genera ſic diſtribuit, vt imperanti ſolum, & Reipublicæ conſulenti, ſeu mauis magiſtratui *prudentiam* tribuat, cuius partes ſunt prouidere in omni actione, quid boni, quidue mali inſit; tum etiam *ſcientiam, & Poetarum lectionem*, vt quid ſentiendum ſit de ſupremis, deque cœleſtibus, & humana felicitate ſtatuat. Auxiliarium autem, & militum generi, qui viuunt in armis, & in horum exercitijs curiſque pro Reipublicæ defenſione continuo verſantur *fortitudinem* aſſignet, quoniam hac virtute præditi, quod ex ipſorum officio eſt, pericula intrepide ſuſtinent, & aduerſarios impigrè adoriuntur, nec illos terrorum maximus vrget lethi metus; præcepta autem, & vitæ fines, ab his qui ſupremum gerunt magiſtratum petere debent, & ſe, horum imperio ſubmittere. Ei denique generi quod ciuium eſt opulentorum, & neceſſaria reliquis ad victum ſubminiſtrantium, *temperantiam* concedat, ne rerum, & bonorum copià audaciam concipiat, & quantum ſibi ſatis ſit ad fœlicitatem adeſſe putans, vſurpet ſibi imperium, defectionemque à magiſtratibus faciat. Omnibus autem ita proprias virtutes ſequẽtibus, magiſtratu *prudentiam, & ſcientiam*: milite *fortitudinem*: opulento *temperan-*

rantiam; velut ex mutua diuerſarum fidium concordia, iuſtitiæ harmoniam conſurgere ſcribit, qua perfectiſſimè ciuitates omnes,& regna gubernantur. Atque ita habetur iam ex Procli viri ſapientiſſimi opinione, eos in publicam iuſtitiam peccare, qui diſtinctarum artium fines, & terminos ita confundunt, & perturbant,vt miles exempli gratia,quæ ad principes tantum aut magiſtratus ſpectant, ſibi aſſumat. Quid vero Marcus Tullius iuris ſi quis vnquam extitit conſultiſſimus de eadem recenſet? profectò cũ de diuerſis cuiuſque hominis officijs diſſerit; prudẽter ait *gemina eſſe Reipublicæ tempora pacis,& belli,omnibus in primis cõſiderãda, & obſeruanda*; *quod pro mutatione horum, mutata quoque velificatione,armis vel legibus incumbendum ſit*, vbi vides rurſus illum diuerſa conſtituere militum ,& literatorum officia, ſi quidem leges, prout illas ſupra accepit Proclus, & ſtudia, & prudentiam, & reliqua quę ad humanitatẽ ſpectant,ſuo ambitu cõplectuntur.

Conſequens igitur eſt, vt rationibus ex ipſius militiæ natura depromptis, quãtum illi cæterarũ artium ſtudia aduerſentur, patefaciam; ducto primum initio,ab ipſius ſcientiæ militaris conſtitutione, & vera ratione: quoniam certum eſt omnino, vt poſtea etiam demonſtrabimus, illam ſuis legibus,& præceptis conſtare, quæ ſeu lectione ſeu obſeruatione addiſcantur, non tamen in infinitum procedunt: ſed quemadmodũ omnes aliæ artes, & ſcientiæ,quoſdam terminos habent, quos vltra citraque qui vagantur, immane quantum ab earum perfectione, & vera cognitione deflectant; ſic illa ſui ambitus determinatione, & propria quadam circumſcriptione definitur, intra quam qui ſe continere non poſſunt, eas officij neglecti pœnas luunt, quod *ardelionibus* ſtatim annumerantur, quibus idem prorſus,quod vitam in peregrinatione agentibus,vſu venit, vt multa habeant domicilia, paucas vero amicitias; & cùm multa ſcire velint, iſtud præterea obtinent, quod ne ea quidem quæ neceſſaria ſunt, ſcire videantur. Etenim ſicut dicebat Seneca *eum nullibi eſſe qui vbique eſt*, ita non leuis eſt ſuſpicio,Imperatorem qui tot artes & diſciplinas addiſcere cupit, raro in *militari* quæ eius propria eſt, tantum temporis conſumere, vt rebus agendis, vel obſeruandis quæ maximè ad illam conducunt,ſatis eſſe poſſit; ac propterea in *ardelionatum* vt diximus incurrit, quem grauiſſimi ſtudiorum cenſores,& magi-

3. *Seditiam noxia quia nihil illi cũ armis commune eſt.*

Digitized by Google

ſtri velut omnium artium perniciem, & virtuti aduerſum, ſemper condemnarunt. Et eadem ratione Ariſtoteles poſt Platonem, eos qui ſe varijs artibus bene laudabiliterque exercendis, pares eſſe putant, intra vnius artis fines neceſſario eſſe cohercendos; ac ſolis peritis, & vnicam modo artem profitentibus, credendum fidendumque cenſet; tum quia vſus aſſiduus vni rei deditus, præcellere in ea facit artificem: tum etiam quod ſicut opera naturæ, non ad varios vſus, tanquam *gladius delphicus* accommodantur, ita nullus, dum naturalibus tantum inſtrumentis vtitur, eſt ad omnia idoneus munera; vt de Cleone refert Plutarchus, quod minus aptus erat ad ductandas copias, de *Philopoemene* quod claſſem regere neſciebat, & de *Annibale* quod minimè omnium valebat eloquentià caſtrenſi: vnde quid de illis ſperandum fuiſſet, ſi non iſta modo facere, quæ propius ad artem militarem pertinebant, ſed de rebus arduis philoſophari, ſidera obſeruare, cubum duplicare, & ſimilia præſtare voluiſſent quæ toto cœlo ab arte militari ſunt diſtincta: & de quibus illud Taciti veriſſimè dici poteſt *ducis vnius mens tanta molis non eſt capax*. His que rationibus abundè iam me confeciſſe arbitror, diſciplinarum cognitionem, non inutilem modo, ſed noxiam quoque eſſe armorum tractationi.

4. *Diſſentitque plane ab animo militari.* Sequamur nunc idem confirmare, per qualitates animi militaris diſcurrendo, quæ ſeu ab *imaginatione* pendeant, vt voluit Huartus; ſeu in *iudicio* præſertim ſpectentur, vt nuperus Huarti maſtix Guibelerus aſſerit, certum eſt tamen has omnes, ad humanam ſapientiam referri, quæ in diſſimulatione verſatili, ac læui ingenio, prompta imaginatione, multa exercitatione, fraudibus, techhis, mendacijs conſiſtit, quibus & ſcientijs, neſcio profecto quomodo bene conuenire poſſit: cum hæ in naturali cura honeſtatis, & æqui bonique fundentur, indigeãtque ingenio profundo, tenaci memoria, multiplici ſtudio, iugi contemplatione, labore, tarditate, & veritatis potiſſimum amore; quæ diſcrepantia conditionum plerumque efficit, vt nemo vnquam in eodem genere, vtriuſque laudis gloriam aſſequatur. & hac de cauſa præclare monuit facundiſsimus quidam Poëta. (lib. 3. de contemptu mort.)

Sed neque ſecretos ſapientum inſiſtere calles:
Præcipiam, decet arma rudis conſtantia recti.
Nec crebri monitus, ſed honeſti cultus & æqui.

Exem-

Exemplo incumbent maiorum, & fortibus auſis.
Diſcitur exemplo melius Mauortia virtus.

5. Præterea ſi verum eſt quod ab Ariſtotele dicitur in libris politicorum, homines robuſtos & animoſos minus ingenio valere ad rerum adminiſtrationem; atque ita comparatum eſſe, vt quo quiſque corpore ſit robuſtior, eo mente ſit tardiori, & ingenio hebetiore, ita vt valentiſsimus quiſque à ſapientia longiſsimè ab eſſe ſoleat, forſan quod in firma membrorum compage, & multa pinguedine, mentis fulgor hebetatur: qui autem ſunt imbecilliores, hi ſint & ingenio acriore, & mente puriore, & conſilio prudentiore, & induſtriâ maiore; in infirmiſsimiſque ac miſerrimis corporibus maxima ſœpe præſtantiſſimaque ingenia incluſa lateant; vt Herodicus apud Platonem exemplo eſſe poteſt, cui vis animi eximia, valetudo corporis parum firma fuit: & ipſemet Plato ea ſe opinione imbutum eſſe proprio periculo declarauit, cùm locum Athenis valde inſalubrem, & peſtilentibus auris diuexatũ, ſibi ad habitandum delegit, quo in minus firmo, nec ita bene cõſtituto corpore, vegetiore ad ſcientias, & contemplationes animo vteretur; quod totum poſtea, ex euidenti diſcrimine populorum qui ad auſtrum, vel ſeptentrionem vergunt, ſibi veluti datâ operâ probandum ſumpſit, auctor ille Gallus, à quo eruditiſſimi libri de Republica, ſuperiori ſœculo in lucem editi prodierunt. Hoc in quam ſi vt dixi verum eſt, qui precor fieri poterit, vt in habitu illo corporis valido & lacertoſo, in hac firma membrorum compagine, & ad quoſuis labores perferendos apta diſpoſitione, in viris qui Martem non in manibus tantum gerunt, ſed oculis ipſis, & tota naturæ propenſione repræſentant, talis animus eſſe poſſit, qui vel literarum apices conſequi vt *Claudius*; vel Rhetoricæ tropos diſtinguere, vt *Caligula*; vel tricas & argumenta nectere, vt *Nero*; vel Deorum arcana ſcrutari vt *Iulianus*; aut denique varijs ſe ac difficilioribus ſtudijs applicare valeat, quamadmodum *Iuba, ſtudiorum claritate*, vt inquit Plinius, *memorabilior quàm regno*; nempe quia eius commentarij, creberrimè varijs auctoribus laudati reperiuntur, vt Seruio ad Aeneidem quintam, Philoſtrato in vita Apollonij, Solino capite trigeſimo quarto, Plutarcho in Cæſare, Ammiano Marcellino libro vigeſimo ſecundo hiſtoriæ, & Feſto Auieno in ora maritima his verſibus

Et corpore quod in literatis infirmũ eſt.

3. de Repub.

Digitized by Google

Octauiano principi acceptiſſimus,
Et literarum ſemper in ſtudio Iuba.

res autem bello geſtas vt nullæ fuerunt, ſic nemo ſcriptis commendauit: vnde quemadmodum ille, quem ſæpius antea laudaui, cultiſſimus vates, recentiſſimè præcepit.

Nec mihi Stagiræ veteris, triſtiſque Cleanthæ,
Cum Patriæ res poſcit opem, peruoluere Tyro
Incipiat placita, primaſque inquirere cauſas
Et rerum ſeries.

6. *Tum etiam moribus qui in illis placidi & molles armiſque prorſus contrarij.* Iam vero quoniam ex hac militari animorum temperie, facilis eſt tranſitus ad mores, qui illam conſequuntur, quantum, Deus bone, hi à ſtudioſorum inclinationibus diſcrepant! quàmque parum hac ratione milites inter & literatos conuenit! Literæ enim quietis alumnæ, ocijque comites, non deſiderant modo, ſed quærunt animos à perturbationibus vacuos, & rerum quæ ad victum, cultumque pertinent copià affluentes: vmbraculis gaudent, & ſimulatque increbuit ſuſpicio tumultus, illico conticeſcunt; Armorum vero vſus paratur labore & tolerantia, in Sole & puluere, in caſtris & acie, inter clangores tubarum acutos, cornuum raucas modulationes, & confragoſos ictus tormentorum, per excurſiones, prælia, ſtrages, incendia, direptiones; ac literæ ex optimarum rerum ſcientia, & illuſtrium exemplorum cognitione ſuppeditant hominibus tantum ſapientiæ, vt plerumque ſedula illa prouidentia timorem coniunctum habeat: arma vero excitant audaciam, temeritatem, leges, & iura violant, fas in armis habent, illudque tantum quod facere non poſſunt, nefas exiſtimant; præterea Duces nō debent ita eſſe remiſſi, & faciles, vt quiduis cuilibet indulgeant; nec etiam ita otio dediti, vt corporis robur & vigor animi relaxetur, ſed duris, & aſperis moribus rectius effinguntur; literæ autem tales eſſe ſtudioſos non permittunt, quoniam vt inquit ille

ingenuas didiciſſe fideliter artes
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

& Sidonius Apollinaris ingenuè fatetur, ſe ad pangendum carmen ſæpius inuitatum fuiſſe.

In paneg. Auiti Aug. Soceri.

docili quo priſca Maronis
Carmine, molliret Scythicos ſibi pagina mores.

nec

nec dubium eſt ſanè, cùm omnia motu excitentur, quiete verò marceſcant, quin animus literarum ſtudijs deditus, multum de pristino ſuo calore, & impetu, continua hac ceſſatione, & ingrata bellatori quiete remittat, vt bene, prudenterque opinatus eſt Gothus ille, qui tempore Claudij, captis Athenis, imminentem librorum ingenti pyræ, quæ medio in foro comburi debebat, hoc ſapienti conſilio cladem auertit, quod dum homines Græci ſuâ naturâ leues, & ſcientiarum auidi, tot voluminibus euoluendis incumberent, minus interim ad bella idonei fierent; ipſi vero Gothi, & Barbari quantum litteras oderint præ armorum ſtudio, teſtis eſt Fulgentius in mythologicis *non paues*, inquit, *muſicum receptare dogma Penatibus tuis, cum Barbarorum morem auſcultauerim, ita literarios mercatus penitus abdicare, vt hos qui primis elementorum figuris, vel proprium deſcripſerint nomen, caſſata inquiſitione in carnificinam raptarent*. Ideoque armorum, non literarum inſtrumento filios ſibi adſciſcebant, adoptabantque, vt meminit Caſſiodorus in epiſtolis; & quemadmodum refert Iornandes, Imperator *Zeno* Regem Gothorum Theodoricum, in arma ſibi filiũ adoptauit, quod equidem adeo ſolemne fuit apud illos, vt A*mala-ſuntâ* ſapientiſſimâ Gothorum Reginâ, hoc potiſſimum inter curas, & ſeria habente, vt filius ſuus Atalaricus omnibus honeſtis, & humanioribus præſertim literis informaretur, proceres Regni conſilium hoc minimè probarent, aſſerentes apud Procopium, *nec rectè ſibi Regem, nec decenter erudiri ſi quidem literæ, & ſeniorum inſtitutiones longo interuallo à fortitudine, & à magnanimitate abeſſe: ex hisque illum effeminari potius, & ad timiditatem traduci, neceſſarium vero fore qui res maximas ſit audẽter, & ſtrenue aggreſſurus, ex hisque gloriam habiturus; vt ſit præceptoris formidine liber, & armis ſtudeat*. Nimirum hi non tam ex Ariſtotelis, aut Platonis, vel Iuſtiniani ſcholis, & libris, quàm ex venatorum, palæſtritarumque & eiuſmodi hominum exercitationibus didicerant, corpus frequẽti motu robuſtum fieri, animumque qualem bellatores habere conuenit, ferociorẽ euadere; & eorum exaduerſo mentem, qui ſe literis dediderunt, ita liberalis iſtius ocij dulcedine capi, ſenſimque irretiri ſtudiorum blandimentis, vix vnquam vt aliud efficere poſſint quàm ſuis meditationibus indormire, aut ad ſummum ſi hoſtes ingruant Antiochum imitari, quem Cato apud Athenienſes

libro 1.

lib. 4. ep. 1. & 8. ep. 19.

lib. 1. de bell. gothor.

ſes

ſes dicebat *epiſtolis bellum gerere*, calamoque, & atramento militare, alioqui ſi in apertum campum deſcendunt, quis ſtatim illud, quod Demochares ſiue is fuerit Crates lepidè fertur dixiſſe, veriſſimum eſſe ex confuſione, rerum omniumque quæ ſtatim conſequitur, non depræhendat; *ſicuti ex thymbra lanceam nemo concinnarit, ita nec de Socrate inculpatũ militem?* quis item ῥιψάσπιδας eſſe quotquot literatorum ſunt, non intelligat? cùm ipſius *Demoſthenis* feſtiua reſponſione

αἴνηρ ὁ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται

vir fugiens rurſus redintegrabit prœlium, quà ſegniorem ſuam operam in pugna Cheronea, imo fugam cui ſe abiecto clypeo commiſerat, mollire ſuos apud ciues, & amicos conatus eſt; tum vero etiam ex multorum libera timiditatis ſuæ profeſſione, vt *Archilochi* poetæ, qui in prœlio aduerſus Saios Thraciæ populos, nõ modo eadem ratione, qua Demoſthenes, expediuit ſalutem ſuam, ſed notum quoque id poſteris, ſuo ipſius præconio eſſe voluit, nonnullis verſibus relatis à Plutarcho, & latinè ita à Xilandro redditis.

de inſtit. Lac.

Nunc aliquis Saium noſtra ſeſe aſpide iactat,
Sub vepre quam reliqui inuitus integram.
Illa quidem valeat, nunc ipſe à clade ſuperſtes
Emam ſuo non deteriorem tempore.

ſed Alcæus quem etiam apud inferos canentem pugnas, & exactos tyrannos mirantur vmbræ, non ita fuit prodigus animæ, vt non fugere aliquando maluerit, quàm mori; qui & ipſe ne hoc neſciremus, verſibus id ſuis mandauit, vt auctor eſt Herodotus in Terpſichore, eorumque exemplo Horatius, vt *vineta*, quod inquit alibi, *ſua ipſemet cæderet*, idem de ſe profeſſus eſt in oda ad Pompeium Varum

lib. 2. Ode 7.

Tecum Philippos, & celerem fugam
Senſi, relictà non bene parmulà:
Cum fracta virtus, & minaces
Turpe ſolum tetigere mento

ita vt videatur ἡ φιλοψυχία literatorum omniũ quaſi morbus eſſe quidam familiaris; quo ſi non laboraſſe M. Tullium dixerim, negari tamen non poteſt, quin ipſe valde timidus fuerit, nam aggreſſus ſummà confidentià Milonis cauſam, vt primum adſtare Põ-

peium,

peium, & circumquaque fulgere arma depræhendit, velut ipſe nudis pedibus anguem calcaſſet, hæſit, & obmutuit fermè. Sed quod turpius, & indignius videri poſſet, in ſua etiam cauſa mirum eſt quàm timidum ſe, ac pauidum præſtiterit, ſicuti cum à Claudio in iudicium vocatus eſt, quod Lentulum, & Cethegum ſocios, participeſque Catilinæ, ante ſententiam à Senatu prolatam ſupplicio affeciſſet, tunc enim vt Appianus Alexandrinus refert, *non vili modo, & ſordida veſte indutus, ſed ſquallidus, & plorabundus familiares amicos, atque ignotos ſupplex adiit, obſecrans atque obteſtans omnes, vt riſum magis quàm commiſerationem de ſe concitaret* & cùm Proconſul Ciliciam obtinuit, quid obſecro dignum in ea prouincia commemoratione geſſit? latrones quoſdam ex *Amano* monte in fugam egit: de reliquis vero ipſum audire præſtat ad Atticum ſcribentem, *Saturnalibus mane ſe mihi Pindentiſſæ dediderunt ſeptimo, & quinquageſimo die poſtquam oppugnare eos cæpimus, qui malum, iſti Pindentiſſæ qui ſunt: inquies, nomen audiui nũquam, quid ego faciam? non potui Ciliciam, Aetoliam, aut Macedoniam reddere;* adeo nempe verum eſt, quod dixit Homerus. li. 5 epiſt. 20. Iliade 13.

Aliis autem tribuit Deus bellica opera.
Aliis autem in pectoribus bonam poſuit mentem.

atque his de cauſis ſæpiſſime contingit, vt quæ nationes arma diutiſſime coluerant, poſtquàm literas amplecti cœperunt, hæ animi vim, ac robur amiſerint, vel quod ocio & inertià langueret ſenſim, remitteretque ſe earum virtus antiqua, & priſcus ille vigor mollitie frangeretur; vel quod ij, qui in rerum diuinarum & humanarum contemplatione verſantur, non modo à cæde & ſanguine abhorreant, ſed etiam quod antea dicebamus, barbariem & feritatem deponant, iuxta illud Menandri

ἅπαντας ἡ παίδευσις ἡμέρους ποιεῖ
Omnes eruditio manſuefacit.

quemadmodum *Græcis* primùm, deinde *Latinis*, poſt etiam *Arabibus* in Hiſpania, & alijs populis vſu veniſſe conſtat, vt proinde Ludouicus Regius qui ſubuerſionis, ac interitus Regnorum cauſas penitiſſimè rimatus eſt, inter præcipuas merito ponat, genus illud intemperantiæ quæ in literis committitur, dum omnes velut effractis Parnaſſi valuis, in Muſarum adyta, abſque delectu, aut diſcrimine perrumpunt, deſertis interim ſordidis, & mechanicis arti-

artibus, ſine quibus liberales, tanquam vinum ſua fæce deſtitutum, diu quidem florem ſuæ dignitatis retinere non poſſunt.

7. *Vnde ſcientiarũ profeſſores exacti ſæpe, & damnati à bellicoſis gentibus fuerunt.*

Quare vt hoc ſciendi deſiderium, quod artis militaris ignorationem paulatim inducit, *Græci* ſuo malo ſapientiores facti reprimerent: non ſemel literarum profeſſores finibus ſuis expulerunt, qua de re Alexis Comicus, lepidiſſimo carmine gratias illis retulit, hũc in ſenſũ *multa bona dent* Dij *Demetrio & Legislatoribus, quod eos qui dicẽdi, vt aiunt, facultates tradunt iuuenibus, ad Coruos abire, iuſſerint ex Attica*. Hinc etiam in hiſtoricis commentarijs ſcribit Cariſtius, à *Lyſimacho* exactos toto regno fuiſſe Philoſophos; quod præterea *Antiochum, & Meſſenios* feciſſe veterum monimentis proditum eſt. Sed quid Meſſenios dico? cum relata ſint in *Romanis annalibus* edicta varia, contra Philoſophos, tum vero, & Senatus conſulta cõtra Rhetores, quibus cautum erat, ne in vrbe eiuſmodi homines agerent, qui ad otium magis, & animi quietẽ, quàm ad arma populũ excitarent. Sed eos quoque homines improbatos primum à Romanis comperio, qui poeticæ facultati incumberent, adeo vt Marcus Cicero ſcribat datum fuiſſe vitio *M. Nobiliori* à Catone, quod is Quintum Ennium Poetam cum conſul foret, in Etholiam prouinciam duxiſſet; niſi forſan Ennium famà non ſatis honeſtà fuiſſe quis exiſtimet, non ob Poeticæ ſtudium, aut ſi propter illud, tum vero etiam quia carmine librum ſcripſerat de piſcibus, alijſque eſculentis, vt ex Apuleio

in Apolog.

patet, cuius locum mire diuexatum à criticis, qui pro *ades phagitica* ἰχθυφαγικὰ legunt; nec dum ſanatum à Caſaubono, dum Ennij libro titulum fuiſſe dicit *Edeſba*, vel P*hagica*, ac proinde in textu Apulei legendum *Q. Ennius Edeſtis aut Phagicis quæ verſibus ſcripſit*, ego non tanta vi contortuplicando Ennij verba, & quid ni mentem etiam; hunc in modum legerem *Q. Ennius edens phagitica quæ verſibus ſcripſit, innumerabilia piſcium genera enumerat, quæ ſcilicet curioſè cognouerat, paucos verſus memini, eos dicam*; & paulo poſt *alios etiam multis verſibus decorauit, & vbi gentium quiſque eorum inueniatur oſtendit, qualiter aſſus aut iuſſulentus optime ſapiat*: ita vt verbum illud *edens* in Apulei contextu, perinde ſit atque *promulgans*, quomodo Tullius dixit in academicis, *nec ſe tenuit quin contra ſuum doctorem librum etiam ederet*. Verum ne litem de verbo faciam, quod ſupra dicebam de poeti-

ce Romanis vetuſtioribus inuiſa deque Ennio, cùm hoc, tum alio ſorſan nomine ab iſdem damnato, illud ipſum Cato qui *cenſorius* appellatus eſt, præclarè apud Agellium confirmat, dum inquit, *Romani equos carius quàm, coquos emebant, poeticæ artis honos non erat, ſiquis in ea re ſtudebat, aut ſe ſe ad conuiuia applicabat, graſſator vocabatur*, ex quo factum eſt, vt hoc ipſum Poetices ſtudium, anno tantum vrbis conditæ vigeſimo ſupra quadrigenteſimum in eam inuectum ſit, quo videlicet tempore, ſecundum bellum punicum à Romanis incœptum eſt, vt patet ex Licinij Portij carmine quod à Gellio quoque refertur. cap. 1. lib. 11.

Punico bello ſecundo Muſa pennato gradu
Intulit ſe ſe: bellicoſam in Romuli gentem feram.

8

Enim verò cùm nulla hactenus ratione, militaribus officijs literarum ſtudia ſuffragari certum ſit, forſan quod alius hæc non vtilia modo, ſed neceſſaria eſſe contendet, vt Ducem in ſumma vitiorum omnium licentiâ conſtitutum, præclaris ſuis documentis, ita ſubornare poſſint, quod iracundiam primum teneat, ſpernat voluptates, coherceat auaritiam, refrenet libidinem, & cæteras illas militiæ labes à ſe repellat, in quas Lucanus olim intuens, ita de militibus pronunciauit *Et meritò quidē cū neque ducum affectus & vitia reprimere poſſint.* lib. 10.

Nulla fides, pietaſque viris, qui caſtra ſequuntur,
Venaleſque manus, ibi fas vbi plurima merces.

At iſtud minimè vt arbitror Boetius concedet; penes quem Philoſophia affectuum potius excitandorum, quam ſedandorum vim Muſis ipſis tribuit, *quæ dolores eius non modo nullis fouerunt remediis ſed dulcibus inſuper aluerunt venenis*, quia vt idem ſubiungit *infructuoſis affectuum ſpicis, vberem fructibus rationis ſegetem necant*; nec item Seneca cuius in libris frequentiſſimum illud occurrit, *poſtquam docti prodierunt, boni eſſe deſierunt*. Et arguté quidem, dicebat Anaxippus *ſapere verbis Philoſophos, re autem videri prorſum ἀνοήτους*: Quo ſenſu non minus verè alius afferebat, nihil eſſe Philoſophis ἀφιλοσοφώτατον. Quin etiam non aliud exempla ſuadent, ſiquidem *Ptolemæus* Aegypti Rex ſecundus, grauis quidem, & doctrinis, ſi quis alius, imbutus erat; verum deliciarum emollitus contubernio, mox eatenus mente creditur excuſſus, vt ſe perpetuo victurum opinaretur, diceretque à ſe vno immortalitatem inuentam. *Mithridates* etiam vndeuiginti Regnorum Princeps, lib. de conſ. phil.

cum

cum quo annis quadraginta à victore terrarum populo bellatum eſt, ita vt Syllæ Cornelij fœlicitate. Luculli virtute, & magnitudine Pompei, velut ariete triplici vix tandem ſuperari potuerit, quē alium parem habuit, vel linguarum varietate, vel ſingulari ſtudio rerum cauſas, & arcana morborum remedia conquirendi? vis tamen ſcire quid dignum tanta eruditione præſtiterit: matrem, fratrem, tres filios, & totidem filias interfecit. Et apud omnes ferme in cōfeſſo eſt, quotquot ex Philoſophorum progreſſi ſcholis Reipublicæ, clauum arripuere, eum multo crudelius, auarius, immaniuſque exercuiſſe, quàm ij qui prorſus ignari fuerunt literarum: quid enim de *Pythagora* dicam? quid de illis ipſis *ſeptem ſapientibus* aliijſque qui maximarum rerum pondera ſubeuntes, imperio quoque vſi crudeliſſimè depræhenduntur? an non *Athenionis* nimio plus apud Atheniēſes crudelitas Mithridatico bello innotuit? an *Lyſiæ* tarſenſis tyranni ſcelus ignotum eſt, qui à patria in *Stephanophorū* id eſt Herculis ſacerdotem electus, arreptū ſemel imperium non abiecit, Tyrannum agens ex profeſſo? quantà vero feritate Athenienſis *Ariſton* Epicureorum innutritus ſcholis patriam oppreſſit? ſed quid pluribus opus eſt? nullus principum extitit qui minus haberet literarum quam *Traianus*: *Nerone* vero nullus fere Doctior erat: hic tamen ſceleribus, ille virtutibus parem habuit neminem; vt nihil æque in homine metuendum ſit, quàm multa rerum abditarum cognitio, cum auctoritate coniuncta. An igitur ad animi præſtantiam, aut fortitudinem hæc ſtudia conducent? nihil profecto minus, non eſt enim quod quiſquam ingenij præſtantiam interpretetur, quæ Grammaticorum tricas percallet, quæ peruicaciſſimo dialectico relatrare nouit, quę Rhetoricis præceptiunculis intabeſcit, quid enim ignarius, inutilius, ſtultius, eam ego præſtantiam volo, quæ maximas rerum inclinationes, & momenta ſuſtinere poſſit; qua quiſque pace, belloque ſi oportuerit, præſentiſſimo conſilio inſtruitur; in ſumma quæ ea ſemper præualeat ope, virtute, prudentià, fortitudine, vt non contemni, non decipi, non affici ignominià poſſit.

9 Reliquum eſt ergo vt ſtudia, quandoquidem nihil aliud poſſunt, vim ſaltem promoueant inſitam, & magis habiles, ac idoneos homines reddant, quo grauioribus ex negotijs, vt ſunt omnino bellorum viciſſitudines, facilius ſeſe explicare poſſint: atque hoc videtur

Neque aptiores illos reddere vt facilius ſe ex grauio-

detur quidem rationi eſſe conſentaneum, cùm Ariſtoteles tantum ab ignaris eruditos differre aſſeruerit, quantum *viui à mortuis* diſtant; Plato quantum *Medici ab ægris*; & Demades quantum *Dij ab hominibus*, ſcilicet quod ipſi tanquam Argus vndequaque oculati, rerum euentus elapſos, præſentesque in oculis habeant: conſiliarijs autem cum mutis tum viuentibus vtantur, & omnem omnium ſæculorum, & hominum ſapientiam, ſuo pectore incluſam gerant: vnde cùm abditas illas artes ex pectoris ſacrario depromunt, mirum eſt ni & facundè loqui, & ſapienter conſulere, & prouide de rebus ſtatuere, omniumque in ſe, tanquam ſi oracula ciuitatum eſſent, oculos, & mentem conuertere poſſint. At vereor maximè ne ita ſe res habeat, vt vulgo perſuaſum eſt, quia omnibus hoc vitium eſt literaris, quemadmodum in altero ſyntagmate de ſtudio liberali ad Illuſtriſſimũ fratrem tuum Comitem Fabritiũ, fuſius aliquando à me demonſtratum eſt, vt inter ſapiẽtiæ porticus, & extinctæ vetuſtatis rudera, perpetuo verſantes, foris inepti ſint, obrutique ſcholaſtico puluere, lucem, & publici cogreſſus arenam non ſuſtineant; aut ſi rebus, & negotijs intereſſe cogantur ſtulte ſe in illis, aut pueriliter, & inconſultè gerant; quamobrem Menedemus quidam Hæretrienſis iure dicebat, plurimos nauigare Athenas ſtudiorum gratiâ, qui primum eſſent *ſapientes*, deinde *Philoſophi*, id eſt ſapientiæ amantes, poſtea *Rhetores*, denique progreſſũ temporis euaderent *idiotæ*, & eadem de cauſa Thucididi viſum fuit, hebetiores quàm acutiores melius vt plurimum Rempublicam adminiſtrare, cùm his inſit à natura ſpirituũ claritas, & tenuitas, quæ ingenium quidem perſpicax, & vegetum efficiunt, ſed facilius tamen diſſolubile, minuſque aptum ad negotia, quàm vbi in craſſiori materia hoſpitatur; tunc enim homo firmius in cunctis pedem figit, & multa videt ſenſim gradiendo, quæ alios in tranſcurſu fugiunt; & quo res ipſas firmius appræhendat, cogitur præ tarditate ingenij, ipſas diutius repetere penſitareque diligentius; atque continuà meditatione plerumque facit quod cæteri non poſſunt, quamuis inſtructi, informatique ſint torrerum, & ſcientiarum adiumentis. Et certè præclàri illi viri, quos leges tuliſſe memoriæ proditum eſt, quales fuerunt *Minos*, *Lycurgus*, *Charondas*, & reliqui omnes *Nomothetæ*, multis ante ſæculis fuerunt, quàm *Philoſophi* extiterint: multisque iam, & infi-

ribus negotijs explicent.

infinitis pene ætatibus orbis terrarum, humanæque res erant cõſtitutæ, quam Philoſophorum diſputationes ad manus hominum perueniſſent. Vnde illud etiam ab omni memoria, Iuriſperitis imputatum fuit, quod licet ſanctiones omnes, & placita quibus Reſpublicæ adminiſtrantur, tãquam digitos, & vngues teneant, eorũque griphos, & ænigmata reliquis quoties opus eſt explicare conſueuerint, minus tamen apti illi ſunt, qui non modo populos regere, ſed ne quidem horum, quibus talis cura committitur conſiliarij, admonitoreſque eſſe poſſint, vt poſt Ariſtotelem in Ethicis, doctè probauit auctor examinis ingeniorum; & exemplis *Bartholi*, atque *Traiani Boccalini* confirmari poteſt, quorum ille Tudertinis, hic vero diuerſis populis quibus iuri dicũdo præfuerũt, ludibria & iocos ſui fecere. Nec vero in publicis conſultationibus de ſumma rerum, magis vel oculati ſunt, vel arguti: nam cùm Mantuæ tractaretur de Mediceis Florentiam reducendis, multiſque, & grauiſſimis difficultatibus compoſitis, nonnullæ tantum leues ſupereſſent, quæ vna maximè numeratà pecuniâ, facile poterant ſuperari; *Ioannes Victorius* Soderini frater ſcientià iuris & æqui, potius quàm his artibus inſtructus, quibus res magnæ geruntur, totam ſpem rei componendæ fœde corrupit; quum dubitanti auaroque animo, tenacius quàm oporteret pecunijs parcẽdum arbitraretur, nec externis, & militaribus ingenijs, propter lubricam eorum fidem vti cautus Iuris conſultus, vel datà pecuniâ confideret. Vnde cum nulla poſſit eſſe maior diuerſarum ſcientiarum, vt Aſtronomiæ, Phyſicæ, Ethicæ, ac eius generis ſimiliũ cum militari arte conuenientia; quàm eſt, legum interpretationis cum politica regnorum adminiſtratione: & experientià compertum ſit, damnoſam ſemper extitiſſe prioris illius diſciplinæ cognitionem, huic qui clauo publicæ gubernationis infixus & hærens, Dei munere in terris fungitur, ſingulorum commodis prouidendo, quis non idem prorſus ſentiat, de permixtione hac, & confuſione tot artium, & notionum in imperatore, præſertim cũ nullis rebus indigeat, ad iſtud officij cum decoro ſuſtinendum; quas non multo promptius & certius habere poſſit ex continua experientia, vſu rerum, functione munerum, lectione hiſtoriarum, variarum regionum peragratione, optimorum ducum exemplis, prudentum obſeruationibus, & fortium, ac ſapientum virorũ

Iouius in Leone, lib. 2.

con-

conuerſatione, quibus modis vlyſſem ſuum πολύτροπον repræſentat Homerus ad conſummatæ fortitudinis, & prudentiæ opinionem deueniſſe;

Quum domitor Troiæ multorum prouidus vrbes Horatius.
Et mores hominum inſpexit;

quàm ex Heronis, Pappi, Archimedis, Ariſtotelis & id genus auctorum lectione, quæ non ſolum ducibus non prodeſt, ſed multum præterea nocet veræ virtuti, & ſcientiæ militari acquirēdæ.

Ac proinde Phocion imperator, *Athenienſes*, belli magis cupidos quam peritos hortabatur, vt verborum copià qua præſtabāt, *Quare Lacedæmonij & antiqui Romani qui ab il-* cùm hoſtibus certarent, non armis quibus inferiores erant: ita etiam *Aſiani*, à quibus fluxit verborum vbertas, molliores ſemper *lis abſtinebant* fuerunt, ita vt Cato *mulierculas* illos appellare, & Cæſar omnino *victores & for-* contemnere ſoliti ſint; at Lacedæmonij cùm Aeliano teſte adeo *tunati fuerunt ſecus quam* literarum, ac philoſophiæ, reliquarumque diſciplinarum ignari *alijs accidit.* forent, vt aliunde accerſere medicos, alioſque viros peritos, cùm lib. 12. cap. 5. ijs opus eſſet, cogerentur: & Iſocrates in Panathenaico planè eos inſcitiæ nomine ſugillarit, quaſi prorſus ἄμουσοι & ἀναλφάβητοι fuerint, dum hunc in modum de ipſis loquitur *illi à communi inſtitutione, & philoſophia tam ſunt alieni, vt ne quidem literas diſcant*. Qua in re licet paulo iniquius egiſſe cum Lacedæmonijs videri poſſit, nempe quo Athenienſes ſuos magis extolleret; fatetur tamen Plutarchus in inſtitutis Laconum, quod *literas quantum vſus poſcebat diſcebant, ſed quantum ad reliquas diſciplinas attinet, eas vt, & pereginos eorum doctores expellebant* cuius rei cauſam Damaſcenus hanc affert, quod Λακεδαιμονίοις τέχνας μανθάνειν ἄλλας ἢ τὰς εἰς πόλεμον αἰσχρὸν ἐστίν Lacedæmonij *non ſatis honeſtum ducunt alijs operam nauare artibus, quàm ad res bellicas pertinentibus*. Vnde non eſt mirum, ſi præ omnibus populis, rei militaris peritià ſemper excelluiſſe feruntur; ita quidem vt Reges etiam Aegypti complures, & Crœſus Lydorum, ac Cyrus minor, & populi diuerſi vt Siculi, Thraces, Carthaginenſes pluresque alij, ſuppetias ab illis contra hoſtes ſœpius flagitarint; quin etiam inter Græcos ipſos tanta in exiſtimatione fuit illorū virtus, vt communibus Græciæ bellis, principatus ſemper penes eos eſſet ſummumque eis Imperium deferretur, vnde Xenophonti in Hel- libro 3. lenicis dicuntur πάσης τῆς ἑλλάδος προστάται, & cum ſingulas vrbes

H h pro-

Digitized by Google

propriæ dotes commendent Sparta potiſſimum armis excellere ferebatur, quemadmodum notauit Seneca qui *omnibus*, inquit, *ſua decora ſunt, Athenæ eloquentià inclytæ ſunt, Thebæ Sacris, Sparta armis*, qua de cauſa dicitur etiam Claudiano *armipotens Lacedæmon*; atque ita, palam eſt omnibus, Lacædemonios, cùm diſciplinarum, & literarum minus eſſent periti, res tamen præclaras domi, foriſque geſſiſſe, non ab ipſis quidem, ſed ab hoſtibus, & exteris decantatas, quod honorificentius illis viſum, nam vt dicebat Ouidius de Germanico Imperatore

lib. 4. eleg. *Sed dare materiam nobis, quam carmina maius.*

proœmio Catil. forſan quia vt inquit Saluſtius *haud quaquam par gloria ſequatur ſcriptorem, & auctorem rerum*; quin etiam *Gallorum* omnis nobilitas ante *Guillielmum Bellaium* rudis omnium literarum erat, qua tamen nulla vnquam acrius hoſtem aut inuaſit, aut ſuſtinuit; & *Germani* omnes Cæſaris ætate, noſtrà etiam *Turcæ*, & *Tartari* tam literas quàm literatos prorſus contemnunt, bellorum tantũ ſtudijs & militiæ laboribus dediti: in quibus ita fortiter ſe gerunt, vt reliquis nationibus tot ſcientiarum ſubſidio confirmatis, vel ſolo nomine terrorem incutiant, dum interim illos pro ſapientioribus inter ſe habent, quibus minus eſt cum humanitate & doctrina commercij. Turcæ enim communiter ferunt, reliquas nationes ſcriptam in libris habere ſapientiam, Tartaros vero libros ſuos deuoraſſe, ideoque in pectoribus eam habere reconditam, quàm promãt cum opus ſit. Sic Romulus, & qui ab eo æterni imperij fundamenta poſuerunt, armis non literis illa ſolidauere, vt propterea Varro in Bimargo dixerit, *Aui & Ataui noſtri cùm allium, ac cepe eorum verba olerent, tamen optime animati erant*, & Ouidius quaſi in eundem ſenſum

Non illi cœlo labentia ſigna tenebant
Sed ſua, quæ magnum perdere crimen erat.
Qui bene pugnabat Romanam nouerat artem.
Mittere qui poterat tela diſertus erat.

3. Faſtorum. ex aduerſo autem qui eiusdem imperij labentis fata ſollicitarunt, omnes plus literis quàm armis valuere: vnde Capitolinus de Galieno dicebat *longum eſt eius verſus orationeſque connectere, quibus ſuo tempore tam in poetas, quam in Rhetores emicuit: ſed aliud in imperatore quæritur, aliud in oratore vel Poeta flagitatur*, quod eodem

dem iure dici potuiſſet de *Phalari*, *Periandro*, *Dionyſio*, *Tiberio*, *Claudio Nerone*, *Caligula*, qui omnes non iuxta felices, atque eruditi fuerunt. Sed maiores adhuc pœnas eruditionis ſuæ dederunt *Theodoricus*, *Corcuthus*, *& Alphonſus*, qui regnis omnium florentiſſimis; *Fulgoſius*, *& Aquiuiuij Duces*, ac *Franciſcus Mirandulanus*, qui principatibus non ſpernendis exuti, ſpoliatique fuerunt, dum intempeſtiuæ huic, & inſanienti plerumque ſapientiæ, nimis quàm libenter ſeſe totos permittebãt. Quaſi vero Narſes Eunuchus ille, quo nemo peracuti, atque habilis ingenij vim, ſolertius ad conſilium flexit, nemo grauiſſimarum rerum negotia certius explicauit, nemo denique vtriuſque fortunæ impetum conſtantius, atque felicius ſuſtinuit; non aliter hæc omnia præſtare potuerit, quàm literarum præſidio fretus, qui nuſquam ſophiſtis operam dederat: aut non omnino præſtantis gloriæ famã inter optimos Duces, retuliſſent, *Sertorius*, *Braſidas*, *Viriatus*, *Carolus Quintus*, *Alphonſus Ateſtinus*, *Henricus Magnus*, *Baiardus*, *Monlucius*, *Sfortia*, *Coleonus*, *Carmagnola*, *Pizzarrus*, *Piccininus*, *Conſaluus Magnus*, *Piſcarius*, *Bironius*, & infiniti alij, quorum plerique ne literas quidem pingere norant; omnes vero ita ſe ab hac ſcientiarum ignoratione excuſare merito poterant, quod qua manu pilum, & enſem tenere didiciſſent, eadem ſtylum, & calamũ tractare nequiuerint. Quamquam quid alia excuſatione opus eſt, quàm ea quę fuit quondam *Marij* non iam ambitione in præceps ruentis, quod poſtea contigit, ſed vera adhuc via ad gloriam graſſantis, & hoc modo, quem expreſſit Saluſtius, ad populum contra ſui temporis equites literatos, perorantis. *quæ illi audire, & legere ſolent, eorum partem vidi, alia egomet geſſi; quæ illi literis, ea ego militando didici; nunc vos exiſtimate, dicta an facta pluris ſint.* Regibus igitur vitæ nõ ſcholæ diſcendum eſt, ſceptro non ferulæ; tantumque ex literis ſciendum, quantum Reipublicæ poſſunt impendere: quoniam etiam hic Syrenum ſcopuli ſunt, & Vlyſſe opus eſt, ne cum damno voluptas coniungatur. Ducibus autem, & exercituum præfectis, nihil vtilius futurum exiſtimo, quàm ſi præclariſſimi equitis Michaelis Marulli Tarchaniotę Biſantini, qui vtriuſque Palladis myſtes pari cum doctrina, fortitudine ſpectatiſſimus cluit, conſilium ſequantur, his verſibus, quos de Principum educatione ſcripſit, expreſſum.

in Iugurth.

Nam licet egregia eſt multis doctrina decori,
Malo tamen Curioſque rudes parcumque loquendi
Spartanum; malo hinnitus præponere equinos
Adſuetum citharæ, aut ſi quod vetus attulit ætas
Horridius, quàm Cæſareæ nitida agmina linguæ
Errantemque annum depranſa ad ſigna vocatum.

Quamobrem non dubitarem ego Cincinnatos *ab aratro* vocare; & Hoſtilios ab *agreſti tugurio*; vt à *mercatura* Tarquinios ſuperbos; à *famulatu* Seruios Tullios; ab *armentis* Cyros, Romulos, Viriatos, Tamerlanes; ab *officina* denique *ferraria* Marios, ſeu Mamurcos; cum hos omnes certum ſit prioris ſtatus conditionem, quæ per ſe vilis atque demiſſa videri poterat ſapienti poſtea conſilio, & fortibus auſis prouexiſſe in melius, præclariſſimumque virium animi, aut corporis decus in illam intuliſſe; ſecus profectò quàm in literatis Ducibus euenit, qui præclara ſtudia, ea nō aptè tractando, turpi plerumque ſucceſſu, fœdant, & corrūpunt.

11. *Demumque oſtenditur ex ſingulorū votis qui literas in duce requirunt perfectà illum encyclopadia ornari debere, quod oppido perquam abſurdum eſt.*

At vero ne tanquā Ixion monſtra finxiſſe videar, quæ poſtea vt alter Hercules debellarem: & argumentum quæſiuiſſe huic declamationi, contra vnius, aut alterius errorem, non aliter ac ſi illum omnes docti erraſſent, eſſetque præterea in vulgi ore tritior quàm cantilenæ de triuio. Age quandoquidem illud tantum reſtat, ſingulorum vota percurramus, & præter innumeros, qui *ſcientias omnes, & philoſophiam*, abſque accuratiori declaratione in Duce commendant: quid alij magis exquiſitè de rebus loquentes, in eodem deſiderent videamus. De *Grammatica* igitur, & *linguarum cognitione* omnes conueniunt, ſed hoc tamen diſcrimine, quod Puteanus, & alij cordatiores *latinam* tantùm, cæteri *peregrinas* ferme omnes exemplo Mithridatis, qui duas & viginti tum etiam Maximiliani Secundi, qui nouem callebat Imperatori futuro neceſſarias eſſe contendunt. *Eloquentiam* poſtea, & *Rhetoricam* adiungunt Onoſander, Niphus, Pacianus, & innumeri; illam nempe tractandorum animorum artem, quæ homines verbis, vel conciliandos, vel concitandos, vel in quamcumque partem impellendos ſuſcipit. Pro *Philoſophia* in genere totus eſt Patricius, in ſpecie vero Aegidius Columna, Puteanus, & Hopperus *Ethicam, Politicam, & Hiſtoricam* propo nunt, quarum iſtæ virtutis, illa prudentiæ præcepta continent; tum etiam *Phyſicam, & Matheſim* tan-

tanquam virtutum condimenta, quæ vano, & plebeio metu animos liberant, incolumitatique militum conſulunt,quia ab ignoratione rerum naturalium terror eſt, & à terrore clades, vt agendo de oſtentis, & prodigijs fuſius à me docebitur. Verum quoniã hæc vltima per ſe varia eſt, & multiplex, Oſorio maximè probatur *Arithmetica*, & nonnulli rationem hanc ab exemplo Luculli deſumũt, quod hic in bello contra Mithridatem,hoſtium numero cum cibariorum quæ habebant quantitate,collato, comperit, commeatum illis non ſupereſſe,niſi in diem tertium,aut quartum vnde, & à pugna abſtinuit, vt eos ſola fame debellaret: *Geometriam* etiam tum idem Puteanus, tum Onoſander, & Polybius laudant, nimirum ſine qua non caſtra propria locare, aut hoſtilium poſitionem, & ex ea aduerſariorum numerum depræhendere, non vrbes etiam munire, non tormenta dirigere, non commeatum partiri, annonam curare, & reliqua quæ bellorum propria ſunt facere liceat. Aegidio Romano & Puteano *Muſica* quoque videtur vtilis, ſaltem quantum illa opus eſt ad affectus frænandos, & vrbanæ ſocietatis honeſtatem. Nec ſi iam antea laudatos ſcriptores audiamus ſuus deerit locus *Geographiæ*, *Architectonicæ*, multoque minus *Aſtronomiæ*, cum ex Onoſandro, & Polybio, quorum poſtremus hic totus eſt in hac ſcientia Imperatori aſſerenda *debeat dux exercitus perſpicuè cognoſcere ſolſtitium æſtiuale, & æquinoctia, & intermedias dierum ac noctium tam auctiones quàm diminutiones; ſic enim dumtaxat ſecundum rationem commenſurare poteſt, quæ tam mari quàm terrà perficienda veniunt. Quin & ſingulos dierum ac noctium articulos ſcire neceſſe eſt, vt ſimul ſciatur etiam quando caſtra ſint erigenda, ac rurſus mouenda.* atque hæc in genere Polybius:magis vero determinatè Onoſander, *ad impreſſiones autem faciendas vrbeſque per proditionem noctu inuadendas, inerrantium per noctem ſupra terrã ſyderum Imperatori peritiam aliquam ineſſe oportet, aut ſæpenumero varias, & irritas ſtruet ille inſidias.* Quinimo Niphus Ducem pro nihilo habet qui *pingere* neſciat eo quod *pictura* in ſolidis,atque planis effingendis,in tacticis figuris, & Podiſmi ratione,in Ichnographica locorum deſcriptione,tũ etiam orthographica, & ſciographica, ſi ita caſus tulerit intelligenda planè neceſſaria eſt; vnde Paulus Aemilius deuicto Perſeo,rogatum miſit ab Athenien-

lib. 9.

capite 39.

ſibus, pro filio inſtituendo aliquem inſignem Philoſophum, qui iuxta etiam in picturæ arte eſſet exercitatus, eoque duplici nomine Methrodorum accepit, qui tunc inuentus eſt, vtramque illam artem apprime callere. Ac demum ne horum rationes in extremam tandem dementiam non deſinerent, inuentus eſt Vincentius quidam Caſtellanus qui ***iuris, & æqui, ac rerum quæ de Deo ſunt, & de morborum cauſis, & medelis ſcientiam***, his omnibus pro corollario addidit, cui ſuffragatus eſt Niphus in eo quod ad ***Theologiam*** ſpectat: de ***medicina*** vero profertur ab alijs Varronis exemplum, qui cum Corcyræ eſſet exercitus, ac claſſis & omnes domus repletæ eſſent ægrotis, & funeribus, ipſe immiſſo feneſtris nouis Aquilone, & obſtructis peſtilentibus, ianuaque permutatà, & cæteris quæ ab arte medica iubentur, obſeruatis, ſuos comites, ac familiam incolumes reduxit. Atque ita ſi his hominibus credatur, qui temere in chartam effundunt, quicquid illis in buccam venerit, nulla erit ars, nulla ſcientia, quam Imperator ſcire non debeat: ſed ò miſeros Duces, ſi præter tot exercitia, quibus, vt ſuperiori libro probatum eſt, ex militaris Tyrocinij ratione incumbere debent; tot illis præterea otioſorum hominum commenta addiſcenda ſunt, niſi ſtatim ab iſtis Phormionibus inconſultis, haberi velint Coloſſis ſimiles, qui foris heroicam ſpeciem præ ſe ferunt, intus autem pleni ſunt lapide, terra, plumbo. Verũ *Hippiam* potius iſti effingunt quam *Annibalem*, proptereaque de his quæ dicunt, non magis quàm de theatri nugis, aut ſcholæ cantilenis curandum eſt, nam eadem ferme Vitruuius de Architecto dixit, & Hippolitus Obicius de medico. cum tamen vtrique ſimiliter atque duci, nihil æque pernicioſum ſit, quàm ab ijs, quæ propria ſunt Artis diſcedere.

III. Proprium autem militaris diſciplinæ vocamus, id omne quod ad victoriam ex hoſtibus reportandam conducere poteſt, tam in milite, quàm in Imperatore; vnde cùm prioris officium ſit gnauiter ſui Ducis mandata exhaurire; alterius vero quæ fieri conuenit prudenter imperare, ſeq. itur, vt quemadmodum in milite, nihil præterquam delectum, & exercitationem, in ijs quæ ſui muneris ſunt, requiri, toto præcedenti libro probauimus; ſic in Duce nulla ſcientia vtilior ſit ea qua potiſſimum idoneus redditur, vt officium, quod in ſe recipit imperandi, prouidendique

1 Quamobrẽ illa tantum ſcientia duci neceſſaria eſt quæ propria eſt belli adminiſtrandi.

de

de ſingulis, rectè intelligat, vt enim cytharam non pulcherrimo, aut nobiliſſimo, ſed optimo fidicini, ita magiſtratũ peritiſſimo viro cõmitti oportet. nam quod inquit Xenophon, *aut magiſtratus appetendus non eſt, aut à Dijs petendũ, vt huic officio ſatisfieri à nobis poſſit.* Hæc autẽ ſcientia nõ ab Rhetore diſcitur, aut à Sceuola, vel Papiniano mutuatur, ſed ab ijs tantũ qui diutiſſimè in armis exercitati, cum ſumma laude fuerint, quique non dicendo, aut intelligendo magis quàm prudenter, ſtrenuè, audacterque agendo magnam in hac prouincia ſuſtinenda, & pro virili excolenda, famæ, virtutiſque opinionem ſint conſequuti. Quare rerum eiuſmodi peritia non eloquentia appellatur, aut iuris prudentia eſt, ſed *militaris ſcientia* propriè dici debet, cuius ignoratione militem, aut Ducem teneri, non minus turpe ducimus, quam ſi Patricius vir togatus ciuitatis ſuæ iura neſciret, aut artifices artium quas exercent rationem non tenerent. Huius vero præcepta omnia ſi in vniuerſum cõſiderentur, ad tria hæc capita redigi poſſunt *belli ſuſcipiendi, gerendi, finiendi*; cùm nihil omnino à Duce fiat, quod nõ aliquo horum comprævendatur, & ex illis ſi quoddam neglexerit, aut perperam adminiſtrarit, vix vnquam bonum euentum ſperare debeat; vt propterea de illis omnibus mihi in ſequentibus diſſerendum ſit, ſi prius tamen nonnulla de quibuſdam adminiculis dixerim, quæ multum conferre poſſunt, vt generalia hæc documenta facilius executioni demandentur;

Pleriqueigitur militari facundiâ Ducem excellere volũt, quia magnum illa decus affert imperatoriæ dignitati, & habet inſtante conflictu, antequam ſigna canant, commoditatis longè plurimũ ſiquidem vt fusè explicat Onoſander *vehementi cõcione erecti, excitatique in procinctu milites, ardua quæque, & formidoloſa deſpiciũt, & propoſitam in laudem, victoriamque acriter decertando conſpirãt.* quam ob cauſam, idem monet, ne vlla Reſpublica, aut exercitum ſine imperatore, aut imperatorem ſine eloquentia mittat, quippè linguâ vincendi ſunt prius milites noſtri, quàm hoſtes armis, vt intelligant *dulce, & decorum eſſe pro Patria mori*; glorioſum publica damna priuato ſuo periculo propulſare; laudabile, ciuium ſalutem ſuæ incolumitati anteponere; illudque *Iudæ Machabæi* exemplum commonſtrat, qui aduerſus Nicanorem arma expediens, milites ſuos *armauit* inquit ſcriptura, *non clypeo, aut haſtâ, ſed optimis*

Hipp.

2. *Et cuius adminicula duo cõſtituuntur nimirum eloquentia militaris qua mirè concitãtur militum animi.* capite 1.

2. Machab. 15.

mis ſermonibus; quid vero Dux ſuo tempore celeberrimus inde conſecutus ſit, paulo inferius declaratur, his verbis *exhortati milites Iudæ ſermonibus valde bonis, quibus extolli poſſet impetus, & animi iuuenum confortari, ſtatuerunt confligere, & dimicare fortiter, eo quod ciuitas ſancta, & templum periclitarentur*: eodemque ſpectant verba, quibus ad prælium alacriter capeſſendum, ſuos animare cõſueuerat, magnus ille magni orbis domitor Alexander: & orationes quas Conſules, & Dictatores habebãt; faceſque illæ verborũ quibus *Iulius Cæſar* inclinatas acies ſæpe ſolus reſtituit, & de
capite 55. quibus tam aperta ſunt verba hæc Suetonij *eloquẽtia militari: quare aut æquauit præſtantiſſimorum gloriam, aut exceſſit, poſt accuſationem Dolabellæ haud dubiè Principibus Patronis annumeratus eſt*, vt
1. elector. cap. 20. nihil opus ſit coniecturâ Lipſij, qui textum hunc probè ſanum, & nullius opis indigum prorſus euertit, dum ita legendum ſuadet *eloquentià militarique re*; quid enim militiæ cum roſtris, vt *eloquentià, militarique re*, Iulius Cæſar *principibus patronis annumerandus ſit*? ſed ita eſt criticorum mens, vt ſuos errores, proprios ſemper auctorum faciat; & quæ ſtatim non capit, tam doctè inuertat, vt à nullo alio poſtea capi & intelligi poſſint. Verum quidquid ſit de hac controuerſia, certè negari nõ poteſt, quin Iulius Cæſar facũdià illa ſua militari, multoties functus ſit munere optimi Imperatoris, qui antequam ſigna conferat, & in medio pugnandi ardore, ſuorum militum

Nunc prece, nunc dictis virtutem accendit amaris.

ſic enim *Tarchon* Virgilianus primum quidem ſuis blanditur,

Nomine quemque vocans, reficitque in prælià victor,

mox vero eoſdem obiurgat, & velut ſtimulis acrioribus pungit

Quo ferrum? quidue hæc geritis arma irrita dextris?

indeque Themiſtius in gratiarum actione ad Conſtantium cùm multa in laudem eloquentiæ militaris attuliſſet, deinde ſubiungit, *πολλὰ ἐξαιρεῖ λόγος ἃ μηδ' ὁ σίδηρος πολέμιος δ' ἐγίσιν ἄν*, *multa expugnat oratio, quæ vis hoſtilis aggredi non audeat*; imo vero dicere idem antea non veritus fuerat, quod *imperator ſolus etiam inermis ſine cuſpide, ſine machæra belligeratur Tribunali inſidens* vt omnino il-
Oratione de Rhetorica. lud Ariſtidis verum ſit *ὅσῳ κάλλιον φρόνησις ἀνδρίας, τοσούτῳ ῥητορικὴ τῆς πόλεμον εὐψυχίας*, *quanto pulchrior prudentia robore eſt, tanto Rhetorica magnanimitate in bello præſtat*. Falluntur tamen qui hanc

facun-

facundiam certis regulis, ac periodorum dimẽſionibus, tanquam forenſem definiunt, naturà enim plus valet atque impetu, qui in nonnullis breuem, & concitatam efficit orationem, in alijs molliter fluentem, & blandiuſculam, ſic vt ſponte milites ducat, non autem impellat præcipites, incõſideratoſque. Imo multi duces, ſeu quod vtriuſque facultate deſtituti eſſent, ſeu quod barbaras, & incultas nationes verborum vis ornatior minus commoueat, exemplis ſibi potius ad illas vtendum eſſe cenſuerunt; quemadmodum celeberrimi duces *Annibal, & Sertorius*; quorum hic euulſione pilorum caudæ equinæ, militibus ſuis perſuaſit, non poſſe vno aſſultu ſimul conglobatos hoſtes, ſed ſeparatim tantum atque a ſeſe inuicem disiunctos ſuperari: alter verò cùm captiuos quoſdam in arena, circunducto ad ſpectandum exercitu commiſiſſet, ea lege vt victor libertate donaretur, ita poſtmodum ſermonem ad milites ſuos conuertit *ſi quem animum in aliena ſortis exẽplo ante habuiſtis eundem mox in æſtimanda fortuna, habueritis, vicimus milites; neque enim ſpectaculũ modo illud, ſed quadam velut imago veſtræ conditionis erat; hic vincendum aut moriendum eſt, vbi primum hoſti occuriſtis*. Vnde ſi Dux naturà facundus ſit, & eloquens, magnaque verborum, & ſententiarum volubilitate trepidantibus ſuis animos addere poſit, ipſoſque vehementibus concitare ſtimulis, vt nullum periculum, nullam pugnæ genus, nullam omnino mortem reformident, iſtud inter preclaras eius virtutes referendum cenſeo nobile enim in duce ornamentũ exornata, & potens dictio eſt, ſiue in ſuadelam, & ſpem, ſiue in terrorem, & audaciam; ſi tamen illa delenificà oratione nõ ita præcellat, modo cæteris dotibus requiſitis abundè ſit inſtructus, non illam magnopere requiro, qui ſciam veriſſimum eſſe illud Taciti *viro militari auctoritas pro facundia eſt*; *&* *Marium haud* ita peroraſſe quemadmodum fingitur à Saluſtio, quoniam difficile eſt admodum, verba facere in ardore rerum gerendarum, tanto orationis lepore, tanta verborum lectiſſimorum elegantià, tanta ſententiarum grauitate, & ordinis peſpicuitate ornata, prout hiſtorici ſuos duces feciſſe narrant. Ex eoque rectè Plutarchus inquit *de Ephori Theopompi, & Anaximenis oratiunculis, & comprabenſionibus ſententiarum, quibus vtuntur in armandis, & in aciem educendis exercitibus, licet effari*

15. Annal.

Quis

Digitized by Google

Quis inter armatos locus ſit his ineptijs?

ſed in illis vtuntur veniâ quam habent, conciones eiuſmodi integras, atque directas, magis ex ingenio, & ad recreandum forſan lectoris animum, quàm ex veritate confingendi: cum tamen obliquæ, quales ſunt Polybij, honeſtiores longe ſint, & multo plus probentur virijs ſapiētibus, quandoquidem manifeſtum eſt, quid de obliqua oratione Trogus Pompeius ſenſerit, qui vt Iuſtinus in præcep. reip geren. refert, in Liuio, & Saluſtio, repræhendere ſolebat, quod conciones directas operi ſuo, inſerendo, hiſtoriæ modum exceſſiſſent. Et rectius feciſſe Virgilius exiſtimatur, cùm orationes tam ante pugnam, quàm in ipſa pugna, breuiter a ducibus habitas fingit, ſic enim *Aeneas*, ſic *Androgeus* quos funeſta nox Incendij Troiani ſocios illis dederat breuibus ſed acutis allocutionibus ad pugnam hortantur; ſic *alius* palantes hinc & inde diſſipatoſque milites his verbis confirmat, ruſuſque in prælium adducit:

Quos alios muros? quæ iam vltra mœnia habetis?
Numina nulla premunt, mortali vrgemur ab hoſte:
Mortales, totidem nobis animæque manuſque.
Fidite ne pedibus, ferro rumpenda per hoſtes.
Eſt via.

3 padia. Hoc denique modo Xenophon narrat *Cyrum* maiorem, cùm ante alios ſtaret, & vicinis iam hoſtibus, commotum animo oblitumque firmæ progreſſionis, currere cœpiſſe, & ſimul inclamaſſe τίς ἕψεται? τίς ἀγαθός? τίς πρῶτος ἄνδρα καταβαλεῖ. *quis ſequetur? quis bonus & ſtrenuus? quis primus virū proſternet*, quas voces ab ijs acceptas qui propinqui erant, reliquus poſtea exercitus clamore frequenter repetijt, ac totus geſtiens & confirmatus animo ſe ſe audacter in hoſtes intulit. Nec *Cæſar* vnquam vtilius ad milites perorauit, quàm ad Mundam in Hiſpania, contra Pompei filios pugnaturus, vbi nutantes copias primus omnium in aciem irruens, ſecum his verbis pertraxit; *hic milites, hic mihi vitæ finis* Frontinus libro 2 cap. 2. *vobis militiæ terminus*: & in alio prœlio, legionis Martiæ Aquiliferum ineundæ fugæ gratiâ iam conuerſum, vt in cōtrariam partem reduceret, non longa oratione vſus eſt, ſed faucibus eum Var. Max libro 3. cap. 2 aprehendens, dextramque in hoſtes tendens: *quorſum tu inquit abis? illic ſunt cum quibus dimicamus*. At quam diſſimilis Homerus, qui Heroas Græcos, non modo inter ſe, ſed cum hoſtibus lon-

longos ſermones miſcere facit, etiam in periculis, & cadentium gemitu, ſubitaque rerum omnium deſperatione; ſic enim *Diomedes* Troianas acies rumpens, & ſternens, occurrente Glauco repente mitis fit ex ſæuo, cognoſcendi etiam cupidus,& tanquam in ſcena comœdiam agens, dialogum cum hoſte centum & viginti verſuum inſtituit; ita *Sarpedon* à Patroclo interfectus, cùm in extremis eſſet Glaucum inclamat, & multis verſibus monet quid agendum ſit; ita denique Menalum, qui interemptum Patroclum clypeo protegebat *Euphorbus* alloquitur, *retrocede, mortuum relinque, ſine me iſtum ſpoliare, ne te feriam, & animam eripiã.* cui Menelaus reſpondet *ſed ego te recedere iubeo, antequam mali aliquid patiaris*; quis vero vnquam audiuit tales in media pugna ludos agi, & hoſtem hoſti parcere, ac conſilium etiam dare? profecto longè in iſtis quemadmodum antea dicebam prudentior,& melior Virgilius,qui ſuos bellatores breui ſemper, & expedita facundia loquentes inducit, nec lectorem vlla vnquam afficit ſatietate: Hæc vero Laconica facundia,non magno ſtudiorum apparatu indiget,neminemque arbitror tam inuità Mineruà natum eſſe, qui in hoc genere concionum,nõ maximè ſit eloquens, quoties periculum aliquod impendens, auctoritatem addet orationi; & quod mirificam vim habet ad perſuadendum, dux ipſe Cyri, & Iulij Cæſaris exemplo, quod alios facere volet, primus aggredietur.

Porro quoniam hic modus omnium frequentiſſimus, excitandi martium vigorem in militibus, & concitandi eos ad pugnam, reliquorum quorundam mihi in memoriam reducit,quibus præſtantiſſimi duces vſi ſunt, quo paratiores ad pugnandum ſuas copias haberent; nulluſque fortaſſe commodior locus ſe ſe offeret de iſtis dicendi: nolui committere, vt hæc officij mei pars deſiderari à te, Comes Ludouice, poſſet. Sed præter varia quæ Frontinus & Reuſuerus dudum ante me, de hac animorum concitatione dixerunt, ea pro corollario ſubiungam,quæ variæ lectionis operà, *Apis matinæ more, modoque* varios apud auctores obſeruare potui. Ac ſanè videtur mihi haud iniurià, multum adhoc efficiendum momenti obtinere *Muſica illa caſtrenſis* buccinatorum, cornicułariorum, aeneatorum, tympaniſtarum, quæ longè promptius milites quam *Xenophantus*, aut *Timotheus*, Alexandrum

[Margin: 3. *Vt etiam muſica caſtrenſi* — lib. 1. cap. 11. lib. 2. cap. 13.]

drum

drum orthio ſuo modo ad arma compellant, vt de *Miſeno Aeolide* Virgilius in his verſibus notauit

Aeneid. 6. *Miſenum Aeolidem, quo non præſtantior alter,*
Aere ciere viros, Martemque accendere cantu.

lib. 2. cap. 18. idemque etiam fuit Quintiliani ſenſus cùm inquit, *quid autem aliud in noſtris legionibus cornua, & tubæ faciunt? quorum concentus, quanto eſt vehementior, tanto Romana in bellis gloria cæteris præſtat*, & inſigne omnino eſt exemplum cuiuſdam *Herodoti Megarenſis*, lib. 4. cap. 11 quem Iulius Pollux, ſummopere ab expugnatore vrbium Demetrio, commendatum fuiſſe refert: quod hic cũm nullo molimine conſequi poſſet, vt machina quæ valde incommoda, & prægrandis erat, muris admoueretur, tunc ſanè Herodotus fortiſſimè ſua inflauit organa, tantoque milites animi robore compleuit, vt ſponte ad hanc machinam totis viribus impellendam, forti curſu, & impetu ferrentur. Scilicet vſque adeo omnis appetitus à cauſis excitatur externis, vt non homines modo, ſed equi, belluæque cæteræ, audito tubarum ſonitu, ſtrepituque armorum excandeſcere, & quodam animi furore impelli ac rapi videantur hinc enim bellicoſus Equus.

3. geo[r]gic. *Si qua ſonum procul arma dedere,*
Stare loco neſcit, micat auribus, & tremit artus,
Collectumque premens voluit ſub naribus ignem.

hinc Apum animulæ, & puncta illa ſi fas ita loqui materiæ, quæ plerumque ventis corpuſcula ſua permittũt, eo tamen ſenſu ducuntur, vt ſi ad pugnam diuiſis agmininibus prodierint, ſtatim id innoteſcat beneficio muſicæ caſtrenſis, aut alterius ſtridoris, qui illi non ſit admodum proportione diuerſus,

4. geo[r]gic. *Namque morantes*
Martius ille æris rauci canor increpat, & vox
Auditur fractos ſonitus imitata tubarum.

eam igitur ob cauſam cùm modi antiquæ muſicæ tres eſſent, ad quos cæteri omnes referrentur, *Phrygius* nempe qui hilaris erat, mollis, placidus, choræis, & læti animi affectibus exprimendis perquam idonæus: *Lydius* mœſtus, ac triſtis, quo propterea in funeribus vtebantur: ac *Dorius* grauis, & ſeuerus, qui in hominum animos prudentiam, caſtitatemque, & virtutem inducere credebatur, hunc poſtremum bellorum quoque vſibus deſtinatũ

eſſe

eſſe voluerunt, tanquam incitamentum fortitudinis, & audaciæ, ac in ſumma, nulla gens olim tam rudis, & barbara fuit, quæ vt Philelphus, & Alexander Neapolitanus longa exemplorum ſerie demonſtrarunt, non aliquo ære crepero, aut inſtrumento canoro, ad excitandos militum animos, terribilem initio pugnæ ſonitum ediderit: ſi tamen *Lacedæmonios* excipias, qui vt Auctor grauiſſimus hiſtoriæ Græcæ Thucydides retulit, non cornuum, tubarumue ſignis, ſed tibiarum modulis in cõflictu præcinebant, *non prorſus ex aliquo ritu religionum, neque rei diuinæ gratiâ, neque etiam vt excitarentur atque euibrarentur animi, quod cornua, & litui moliuntur. Sed contra vt moderatiores modulatioreſque fierent: quod tibicinis numeris temperatur, nihil adeo in principijs præliorum ad ſalutem, virtutemque aptius rati, quàm ſi permulcti ſonis mitioribus, non immodice ferocirent*; vt Agellius priuſquam Thucydis verba laudaret, in eorum, velut explicationem præmiſerat. Sicque nemini dubium eſſe poteſt diligenter in eius auctoris verba intuenti, quantum organa illa muſicæ caſtrenſis, animos militum inflammare poſſint; quandoquidem eo nonnunquã illos adigunt vt periculum ſit ne ſupra modum ferocientes, ſui iuxta muneris & humanitatis obliuiſcantur. Quanquam effectus ille partim etiã ab hominum diſpoſitione, natiuaque temperie dependet, quæ ſi pauperrima ſit caloris innati, minuſque ſpirituum fœcunda, nec tam bile, furoris & irarum concitatrice, quàm multa pituità abundet, quæ propter ſui frigiditatem vix accendi, & concitari poteſt, tunc pauorem citius ex audita tubà concipiet; tantumque ignauo timoris incutietur, vt illum è ſtatu mentis deijciat, & ad inhoneſta illa adigat, de quibus præſtat Iuuenalem audire.

lib. 1. conuiuior. in dieb. Genialib.

lib. 1. cap. 1 1

ſatyr. 14.

& trepido ſoluunt tibi cornua ventrem
Cum lituis audita.

atque vt hunc varium effectum muſicæ caſtrenſis, exemplo maxime conuenienti, & obuio declararet Virgilius; cum terrificum illud cornu, quod belli ſignum inter Latinos, & Teucros primum fuit, ingenti ſuo reboatu longè, latèque per campos exauditum fuiſſe retuliſſet; primùm quidem mulierculas hoc minaci, & inſolito murmure perterrefactas fuiſſe, mox vero ruſticos quibus animorum plus inerat, ad arma & furorem concitatos fingit, verſibus his oppidò ſanè elegantiſſimis

Aeneid. 7.

Ardua

Ardua tecta petit ſtabuli, & de culmine ſummo
Paſtorale canit ſignum, cornuque recuruo
Tartaream intendit vocem, qua protinus omne
Contremuit nemus, & ſylua intonuere profunda
Et trepidæ matres preſſere ad pectora natos.
Tum vero ad vocem celeres qua buccina ſignum
Dira dedit, raptis concurrunt vndique telis
Indomiti Agricolæ.

Cæterum vt molles & ignaui multo difficilius hanc muſicā ferunt quàm Seneca *Fabrum ſuum inquilinum, & Ferrarium Vicinum, aut hunc qui ad metam ſudantem tubas experitur & tibias*, ſic eadem maſculis & fortibus animis, tantū voluptatis affert, vt *Franciſcus Carmagnola* maximus ille ſuo tempore, & prudentiſſimus Imperator, dicere quandoque inter iocandum ſolitus eſſet, cæteros ſibi ſonos partim mulierum videri, partim Paſtorum, ſe vero omneſque fortes viros ex tuba ſola oblectationis plurimum capere; & quod hic de buccina dixit, non deſunt etiam hac tempeſtate, qui, auctà, prout credibile eſt, ad noui periculi inuentionem hominum audacià, illud idem de *fatali tormentorum carmine*, & muſica illa horribili, quæ *fiſtulis maioribus* in milites & mœnia diſploſis peragitur, ſibi vſurpandum putent: licet præcinentibus eiuſmodi tibijs, feralis admodum chorea ducatur, & ſaxa ipſa non aliter ſuis locis moueantur, quàm ſi *Thebanæ conditor arcis Amphion*, eadem, ſono teſtudinis, huc illucque pertraheret.

4. *Et clamore qui initio pugnæ editur aliys quomodis* 8. com de bell. gall.

Huic autem non inani ſed exitiali Muſicæ, ſuccedit alia magis adhuc incondita *clamoris* illius, quem in congreſſionibus præliorum fieri ſolitum, ſcriptores hiſtoriarum memorauere; eſt namque vt inquit Iulius Cæſar *quædam animi incitatio atque alacritas innata omnibus quæ pugnæ ſtudio incenditur, quam non reprimere ſed augere imperatores debent*; ex quo idem, Pompeium repræhendit, quod in pharſalico conflictu, ſuos in pugnam & ſilentes, & paſſu compoſito moderatoque adduxiſſet; cùm alioqui Romanis legionibus ſolemne eſſet, ex Agellio in atticis, vt gradu clementi & ſilētio vterentur, cum ad hoſtem irent in conſpectu longiquo procul diſtantem, quum vero prope ad manus ventum eſſet, tum continuo ardentiſſimum clamorem tollerent, vt & impetu hoſtis propulſaretur, & inſolita hac vociferatione percuſſus terreretur; cui incom-

lib 1. cap. 11.

incommodo vt obuiã iret Ioſephus,milites ſuos admonuit,aut verius monuiſſe fingit, vt nõ niſi obturatis auribus in prælių deſcenderent; & idcirco à Germanis *affectatur præcipue aſperitas ſoni, & fractũ murmur,obiectis ad os ſcutis,quo plenior,& grauior vox repercuſſa intumeſcat.* Atque ita certũ eſt,non modo confirmandis ſuorum animis, ſed hoſtium etiam perterrefaciendis, clamorẽ hunc valde eſſe idoneum:quemadmodũ præterea innotuit,memorabili ſucceſſu obſidionis *Guinti* ignobilis in Pannonia oppidi,quod varijs artibus & machinis ab Hebraimo Baſſa tentatum,ita demũ ad anguſtias redactum fuit, vt Turcæ nudatis, ex ſuperiori aggere ligneo, ſuis defenſoribus muris, per diſruptum cuniculum in vrbem ſubirent; ſed cum propius nihil eſſet, quàm vt in murum peruaderent, tantus ſublatus eſt clamor cum eiulatu, ab imbelli puellarum, & fœminarum multitudine, vt obſtupefacti non minus quàm territi Turcæ,omnem impetum repreſſerint,ſtrepitum hunc eſſe exiſtimantes, erumpentis ex arce præſidij, eoque modo vt pugnæ, ſic obſidioni finis eſt impoſitus. Iam vero quod clamor, ijs militibus qui ipſum edunt, ſit etiam ſummopere conducibilis, notius illud eſt ex Reuſnero & alijs, quàm vt multis hoc ipſum probare, operæ pretium videri poſſit: cùm præterea Alexander in genialibus valdè diligens fuerit, vt ſingulorum populorum ritus,& inſtituta,circa hunc clamorem colligeret; cuius vt frequentiſſima eſt apud Homerũ mentio,ſic & in Virgilio,qui Romanorum in eo conſuetudinem,æque libenter expreſſit, ac Homerum imitatus eſt,apud quem nullum ferme prœlium abſque hoc ſtrepitu, & clamore incondito committitur, vt exempli gratia videre eſt Aeneide nona, vbi

Tacit. lib. de morib. Ger.

Hæc tantum Aſcanius, Theucri clamore ſequuntur,
Lætitiaque fremunt, animoſque ad ſydera tollunt.

& rurſus ibidem

At tuba terribilem ſonitum procul ære canoro
Increpuit, ſequitur clamor, cœlumque remugit.

Philoſophis vero hunc clamoris effectum referre ad ſuas cauſas volentibus,non minimum certe laborandum eſt in earum diſquiſitione, cùm illæ non ita facile ſe prodant, vt ſtatim conijci poſſit, vtrum vox illa concitatior à timore vel audacia proueniat; quoniam vt inquit Solinus *timor eſt vocis incitamentum, quam non ſolum*

lum acuit, ſed etiam ſi nunquam fuerit extorquet, vt in filio Crœſi, & Batto quodam per deſertas lybiæ ſolitudines à feris territo, experientià comprobatum eſt: veruntamen ſi quæ priori libro de voce diximus, ea vera ſunt, rationi magis conſentaneũ eſt arbitrari, clamorem hunc *ſecuritatis, & audaciæ* ſignum eſſe certiſſimum, prouenireque ab interiori calore robuſto, & copioſo, qui ſi parcior, aut debilior eſſet, tantum abeſt, vt eo ſegniores, ac meticuloſi effecti homines vociferari hunc in modum auderent, quod ne quidem præ formidine periculi prorumpere in vocem aliquam poſſent, vt Androgæo contigit cum imprudens in hoſtes delatus

Aeneid 2. *Obſtupuit, retroque pedem cum voce repreſſit.*

& Aeneæ cum aſpectu Mercurij

obmutuit amens,

Aeneid. 4. *Arrectæque horrore comæ, & vox faucibus hæſit.*

His duobus modis animandi milites, confirmandæque eorum audaciæ, ſcriptores politici multos alios addunt, vt *æmulationem* tam ipſius ducis, quàm commilitonum, interdum quoque mulierum, & Brutorum: *aſpectum* ducis infantis, Regis, liberorum, item coniugum, & amicorum; præterea hoſtium *contemptum*; *promiſſionem* auxilij diuini, & victoriæ conſequendæ: *gaudium* victoriæ adeptæ; *ſpem* præmiorum; *perſuaſionem* auxiliorum nouorum, vel proditionis, aut defectionis hoſtium; ac etiam *deſperationem, metumque* oppreſſionis, mortis, vulnerum, direptionis, damni, infamiæ; & *ablatam* denique fugæ, ac ſalutis niſi ex victoria *occaſionem*: quorum vnum aut alterum Sidonius eleganter expreſſit in panegirico Anthemij nobiliſſima hac antitheſi

Tunc vincit miles cum ſe putat eſſe iuuandum,
Hic vicit poſtquam ſe comperit eſſe deſertum.

ſed de omnibus in genere, tam copioſè quidem dictum eſt ab ijs auctoribus, qui conſilia politica, & militaria ſcriptis tradiderunt, vt neque ſpicilegio, neque racemationi locus eſſe poſſit, ſi de ſingulis dicere velim.

5. *Sed eo præſertim qui ab animalium pugna inter ſe deſumitur*

Quamobrem ne ex aliorum lacinijs fimbrias attexere videar huic meæ orationi, prætermiſſis cæteris modum hunc illuſtrare tantummodo pergam, quem ipſi quidem proponunt, ab exemplo quorundam animalium, quæ nulla honeſta de cauſa, atrociter tamen inter ſe pugnant, vnde poſtea concludunt, tanto magis incitari

citari debere homines, vt laceſſiti iniurijs, aut ſumma quadam, & ineuitabili neceſſitate adducti, cum hoſtibus audaciſſimè congrediantur. Qua tamen in re probanda nihil afferunt præter hiſtoriã ab Aeliano acceptam de pugna *Gallorum Gallinaceorum* quæ Themiſtoclis militibus incitamento fuit ad virtutem; quaſi hic locus humilior ſit, quàm vt pluribus illuſtrari debeat, aut ita remotus à communi literatorum eruditione, vt variæ lectionis floſculi, difficile in eum congeri ex Philologiæ viridario poſſint; contra certè quam ipſe ſentio, cui non vulgaria occurrunt, quæ nec minimum huic pugnæ ornamenti, nec tibi, Ludouice Comes, parum oblectamenti allatura confido. Nam præter multa, quæ de *Taurorum* inter ſe *Arietumque* colliſione, memorata ſunt à ſcriptoribus idoneis; iuuat inſuper obſeruare raucos *Ceruorum* mugitus, cùm Septembri, non Martio vt animalia reliqua, pruriunt, efferanturque catulitione, & orgaſmo: tunc enim quemadmodum in *San Germanis*, & *Fontane Blæis* Regum noſtrorum ſeceſſibus amœniſſimis, frequenter accidit, varia Ceruorum agmina diuerſis, longinquiſque nemoribus & fluminibus tranſnatis, illuc confluunt, vt de amore totis viribus experiantur: & ſanè tam crebri aliquoties, tamque validi ſunt cornuum ictus, vt latè vicinis pagis exaudiantur; adſtantque, quod vix credas, fœminæ omnes, & expectant, cuius victoris prædæ erunt; ac ſi quæ iunioribus Ceruis ſe mancipent, furtimque ſaltibus obſcuris ſe eripiant, dux gregis ſeniorque Ceruus, campo relicto fugitiuos ſequitur, nec abſiſtit donec repertos ad agmen reducat; ſicque in catulitione ferociunt eiuſmodi animalia, vt irruant in obuios impetu magno, nec quemquam etiam armatum aggredi reformident.

Quod vero *aues* non minus animosè prœlia inter ſe committant, multarum, ac præſertim *rapacium* exemplis probari poſſet, quoniam his bellum internecinum ac perpetuum eſt, cum mitioribus, quas ſibi in prædam quærunt: ſed domeſticarum certamina, quod oculis ipſis quotidie vſurpentur, magis forſan apta ſunt quæ militum animos confirmare poſſint; vnde Themiſtocles cũ ciuium exercitum aduerſus Barbaros educeret, & in Gallos Gallinaceos pugnantes incidiſſet, non illos oſcitanter vidit, ſed toto exercitu conſiſtere iuſſo, ita demum ad milites locutus eſt: *at hi, neque pro* Patria, *neque pro diis familiaribus pugnant, neque vero pro* 6. *Vbi ſelecta quędam de Gallorũ Gallinaceorũ, & Coturnicũ certamine.*

auitis monumentis periculum ſubeunt, neque pro gloria, neque pro libertate, neque pro liberis, ſed ne alter ab altero ſuperetur, aut alter alteri cedat; quibus verbis excitati Athenienſes, victoriam facile ex
lib. 2. var. hiſtor. cap. 28. Perſis retulerunt, & quod addit Aelianus; vt iſtius rei memoriam æterno aliquo monumento ad poſteros tranſmitterent, legẽ hanc tulerunt allatam inter Atticas à Samuele Petito, & doctiſſimè, vt ſui moris eſt, explicatã ἀλεκτρυόνας ἀγωνίζεσθαι δημοσίᾳ ἐν τῷ θεάτρῳ μιᾶς ἡμέρας τοῦ ἔτους *Galli Gallinacei publice committũtor in theatro, vno quotannis die*, quanquã videtur mihi, non rectè ab Aeliano huius legis originem aſſignatam fuiſſe, miror que illud in mentem non
Dia'og. de exercitationib. veniſſe doctiſſimo Petito, cùm ex Luciano quem ipſe laudat in commentarijs, multo etiam ante Solonis tempora, locum huic legi Athenienſes feciſſe, Solon ipſemet apertè confirmet, *& quidnam dicturus eſſes ſi apud nos, & Cotburnices, & Gallos Gallinaceos compugnantes videres, ac harum rerum ſpectandarum, & adornandarum ſtudium non mediocre? rideres videlicet hunc maximè, ſi reſciſceres lege à maioribus lata illud nos facere; omnibusque iuuenibus, vt interſint imperatũ eſſe, vt ſpectent volucres roſtris inter ſe pugnantes vſque ad extremam defectionem virium*. Atque ne lex iſta, lata ſine ratione videretur, eius demum cauſam ſubdit, *atqui neque hoc inſtitutum riſu quidem dignum eſt, irrepit enim ſenſim in animos iuuenum impetus, ad fortiter ſubeunda, & contemnenda pericula ne gallis ignauiores minuſque ſtrenui appareant, neque defeſſi vulnera, aut labores, aut aliam difficultatem ferre recuſent*. Hæc igitur cum ita ſint, neceſſe eſt aut Aelianum decipi, qui legem poſt *Themiſtoclis* victoriam in Perſas latam refert, vel Lucianum anachroniſmi reum ſiſti, cùm *Solonem* hoc modo loquentem inducit, etſi hoc potiſſimum Luciano ſuffragatur, quod omnes ferme ſcriptores, eius pugnæ, & commiſſionis *Gallorum*, atque etiam *Cotburnicum*, velut rei, quæ penes diuerſos populos ab antiquiſſima ſemper memoria vſurpata fuit, meminiſſe depræhenduntur; etenim Plato multa habet in ſeptimo de legibus, de cura, quà circa illas aues opus erat, vt inculpata valetudine, & optima corporis habitudine fruerentur: & in Dialogo de amicitia Socratem ita loquentem inducit *quare amicum bonum habere malim, quam præclariſſi-*
5. de Reipub. *mam cotburnicem, aut gallum*, & idem Socrates alibi ad Glauconem inquit. *O Glauco video equidem tuis in ædibus, & venaticos*

canes

canes & generoſas aues frequentes. Quinimo Iulius Pollux vbi nu- lib. 9. cap. 6.
miſmatum rationem inquirit, & varias figuras affert, quibus olim ſignabantur, *Mitylenæi* ait, *Sapho monetæ ſuæ inſcripſerunt: Homerum Chij; Aſis puerum* Delphino *vectum*, *Dardanis Gallinaceorum pugnam, Aſpendij Luctatores Rhegini leporem, Cephalenij equum, Thaſij Perſam, Argiui murem*; ſed inter cætera notari debent verba hæc Δαρδανὶς δ᾽ ἀλεκτρυόνων μάχην certè ea de cauſa Gallus Gal- lib. 2. Cyn.
linaceus μαχητὴς dicitur Oppiano, & Pindaro ἐνδομάχης quaſi
domi pugnans, Ariſtophani vero Ἄρεος νεοττὸς, ideſt *Martis Pullus*, Olymp. Od. 12.
quod antiquitas Gallum veluti auem omnium pugnaciſſimam Marti ſacrauerit, quemadmodum ex Auſonio patet in Gripho Ternarij.

ter clara inſtantis Eoi
Signa canit ſerus depranſo Marte *ſatelles*.

Ex Latinis autem, mentionem eiuſmodi pugnæ faciunt, Lucilius Poeta Satyricus apud Nonium Marcellum.

cum victor ſe Gallus *honeſtè*
Suſtulit in digitos, primoreſque erigit vngues.

Tum etiam Plinius, Columella, & alij Geoponici varijs locis, at- li. 10. cap. 21.
que Ouidius, non tamen de Gallis, ſed de Cothurnicibus loquens in hoc verſu.

Ecce Cothurnices inter ſua prælia viuunt.

niſi forſan legendum ſit *inter ſua prandia*, quemadmodum criti- in elogia de obitu pſit.
corum ſenatui placere ſcio, quoniam Plinius, Solinus, Lucretius, & omnes ferme antiqui aſſerunt, *Cothurnices cibos habere gratiſſimos ſemina venenorum*. Præterea D. Auguſtinus tam graphicè Gallorum pugnam expreſſit in libris de ordine, vt eius verba nullo modo hic mihi omittenda eſſe duxerim, inquit igitur, *cum ecce ante fores aduertimus Gallos Gallinaceos ineuntes pugnam nimis acrem*; paulo poſt vero hanc ipſam pugnam ita deſcribit; *vt in ipſis Gallis erat videre intenta proiectaque capita, inflatas comas, vehementes ictus, cautiſſimas euitationes, & in omni motu animalium rationis expertium nihil non decorum; quippe alia ratione deſuper omnia moderante: poſtremo legem ipſam victoris, ſuperbum cantum, & membra in vnum quaſi orbem collecta, velut in faſtum dominationis*, & rurſus. *Signum autem victi elatas à ceruice pennulas, & in voce, atque motu deforme totum, & eo ipſo naturæ legibus neſcio quo-*

modo concinnum, & pulchrum; quæ verba videtur mihi Angelus Politianus, ne ſolutæ orationi quicquam in hoc certamine eleganter deſcribendo, vincta concederet, ita ſuis verſibus fœliciter in Ruſtico. expreſſiſſe

Adde gregem Cortis, criſtatarumque volucrum
Induperatores, laterum qui ſydera pulſu
Explaudunt, vigilique citant Titana *canore.*
Et Regnum ſibi Marte *parant, quippe obuia roſtris*
Roſtra ferunt, crebriſque acuunt aſſultibus iras.
Igneſcunt animis, & calcem calce repulſant
Infeſto, aduerſumque affligunt pectore pectus;
Victor ouans palmam cantu teſtatur, & hoſti
Inſultans victo, pauidum pede calcat iniquo
Ille ſilet, latebras que petit, dominumque ſuperbum.
Ferre gemit, comes it merito plebs cætera Regi.

quanquam illud idem præſtiterat antea Phile ſapiens libro de proprietatibus animaliũ. Et nequis morem hunc apud Europæos Tom. 1. tantum obtinuiſſe exiſtimet, referunt Hollandorum nauigationes *Iauanos* ſolitos aues eiuſmodi frequentiſſimè inter ſe committere, pedibuſque Gallorum nouaculas acutiſſimas addere, quo cruentius deprælientur: ex quibus, licet de Gethæ, & Auguſti victoribus Gallis, nihil hic dixerim, ſatis patere arbitror, quàm vbique gentium, pugna hæc antiquiſſimo, & frequentiſſimo vſu recepta fuerit. Quomodo vero, & quibus pactis, conditionibus fieret, ſic explicat Petitus, vt aues prius à Laniſtis edoctæ, in tabula quadam ſeu pegmate quadrangulari, committerentur; quoniã vt habet auctor etymologici ex Rhetorico lexico ἡ τηλία πῆγμα τετράγωνον ἐφ' οὗ ἀλεκτρυόνες συμβάλλον) *Telia* ſiue tabula *pegma quadrangulare, ſuper quo Galli Gallinacei committuntur.* vi- in amb. ctorem autem Gallum victus ſequebatur, vt patet ex Ariſtophanis ſcholiaſte aſſerente naturale hoc eſſe in commiſſionibus Gallorum Gallinaceorum, vt victi victores ſequantur: & confirmatur à Theocrito in Dioſcoris, vbi cùm paſtor dixiſſet *tuus ego, tu vero meus vocabere, ſi prævaleam:* alter reſpondet

ὀρνίθων φοινικολόφων τοιοίδε κυδοιμοὶ
auium rubras criſtas habentium talia ſunt prœlia:

7. Sed mihi tandem è diuerticulo in viam redeundum eſt poſt hunc

Quibus ſubnectitur alterum adminiculũ ſcientia militaris ſcilicet matheſis & quæ illa aut qualis in duce neceſſaria.

hunc prolixum ſermonem,quem ab eloquentia ducis,in reliquos modos qui militibus audaciam conciliant, eo me ſenſim pertrahente materiâ, non inuitus extendi; & reliquus ille tandem abſoluendus eſt,qui ad alterum adminiculum pertinet ſcientiæ militaris, quale *Mathematicas* eſſe dicunt, ac *Numerorum* præſertim *ſcientiam*, cuius beneficio iuga militum partiri,phalanges in quadratam ſeriem componere,aut longius protendere , vel duplicare: tum etiam caſtra metari,& ſingulis militibus ex podyſmo ſpatium in ipſis deſignare poſſit. *Manganariâ* prætcrea ducem indigere volunt, parte ſcilicet illa mechanicæ diſciplinæ, per quam pondera immania, vt in altum tolluntur: & *Organopœtice* quæ bellis accommoda inſtrumenta fabricat, qualia erant olim arietes, turres ambulatoriæ, helepoles, ſalæ ſambucæ, tolenones omneſque machinæ ad capienda oppida excogitatæ, quarum nunc vices ſubeunt fulminalium diuerſa genera. Præterea multũ etiam vtilitatis habet *Architectonice militaris*, quæ vel ciuitates proprias contra hoſtes munit, vel externas vallo, atque operibus cingit, & vtrobique Archimedem, aut Demetrium in duce perito repræſentat. *Geographia* denique, ac *Hydrographia* neceſſitatem ex eo probant, quod ijs Imperator in cognitionem veniat prouinciarum quas inuadere debet; earumque portuum, fluminium, oſtiorum, vectigalium, arcium, viriumque & armorum, quibus illæ vel ſe defendere, vel alios offendere poſſunt. Quæ omnia ſi quis à me cum reliquis ſcientijs repudiari exiſtimat, næ profecto is longè omnium iniquiſſimè mentem meam interpræetatur, qui potius optare ſoleo, vt duces horum cognitione non leuiter imbuantur; vt equidem fieri vix aliter poteſt, ſi abſoluto inculpatè tyrocinio, per inferiores militiæ gradus, ad ſupremum hunc peruenerint: quoniam *propædeumata* hæc *mathematica* eiuſmodi ſunt, vt vſu ipſo, & aſſiduitate agendi, & obſeruatione eorũ quæ fiunt à peritis, longe facilius quàm præceptis diſcãtur, quippe hoc modo *Petrus Nauarrus*, qui Romæ Ioanni Arragonio Cardinali, à pedibus ſeruiebat, admirabilium poſtea operum machinator, & artifex excindendis ab imo arcibus euaſit; & cum apud omnes in confeſſo ſit, *Turcas* nihil minus vnquam cordi habuiſſe, quàm mathematicas & architetonicen militarem, nihilominus expulſi anno octogeſimo ſupra milleſimum, & quadrigen-

teſimum totâ Salentinorum orâ, Hydrunti quo ſub Achomate Mahometis Imperatoris iuſſu venerant, *tanta arte extructa propugnacula, reliquerunt, vt ab illis*, verba ſunt Belcarij Pequilionis, *Itali primum muniendarum vrbium rationem, & ab Italis cæteri chriſtiani didiciſſe videantur*: adeo nempe verum eſt quod, vt præclarè Tullius inquit, *omnes tacito quodam ſenſu, ſine vlla arte, aut ratione, quæ ſunt in artibus, ac rationibus recta, & praua diiudicant*. At enim quia vt ipſemet Cicero prius monuerat, *quæ bona ſunt, fieri meliora poſſunt doctrinâ, & quæ non optima, aliquo modo a cui tamen, & corrigi poſſunt*: ea propter ſummopere laudo, vt nobilium adoleſcentum more, qui imbui mathematicarum rudimentis ſolent; & imitatione Pyrrhi, Miltiadis, Epaminondæ, Alexandri, Phocionis, Philopoemenis, & aliorum, qui à Mathematicorum radio, & puluere profecti in caſtra, magnam ſibi gloriam rei militaris, hac vnâ ſcientia compararunt; laudo inquam, vt horum omnium exemplo, generalis exercituum præfectus, quicquid à Mathematicis opportunè cadet in rem ſuam, habeat in numerato, aut ſaltem, eo vſque pedem in illis figat, quod alios qui de ipſis ex profeſſo diſſeruerunt, probè intelligere, ac nonnulla etiam ex ſeipſo quæ ſunt magis obuia, & facilia præſtare poſſit.

lib. 3. com. rer. gall. — *3. de Orator.* — *1. de Orator.*

8. *Qui licet probè in illa verſatus ſit peritos tamen caſtrenſium operum deſignatores, & armorũ magiſtros ſecum habere debet.*

In reliquis enim difficilioribus, non ſibi fidere, ſed *peritos caſtrenſium operum deſignatores* vocare in conſilium debet, eorumque prudentiæ, & eruditioni, quæ per ſe tutò explicare non poſſet, committere. Eodemque modo cæteris in occaſionibus, ſeu acies ordinanda erit, ſeu in hoſtes irrumpendum, aut aliud quod grauioris momenti ſit, tentandum: nihil tutius aut honeſtius facere poteſt, quàm eorum vti conſilio, qui peritiſſimi rerum bellicarum habentur. Sic enim *Annibal* petiturus Italiam, Lacedæmonium doctorem quæſiuit armorum, cuius monitis tot conſules, tantaſque legiones, inferior ipſe numero ac viribus, profligauit: & *Marcus Tullius* cùm in Ciliciam proficiſci cogitaret, literis ſuis enixè à Quinto Thermo contendit, vt illi Marcum Anneium Legatum, primo quoque tempore remittat, quid ita? *nam eius inquit operâ, conſilio, ſcientiâ rei militaris, vel maxime intelligo me, & Rempublicam adiuuari poſſe*. Vnde ſicut laudatur *Cato*, quod priuſquam magiſtratum petierit, omne ius eius, & munus cognoſcere voluit; nec puduit *Pompeium* Conſulem, de ſenatu

lib. 13. ep. 57.

ſenatu habendo, Varronem conſulere, & vt ea de re librum ſibi conſcriberet rogare; ita maximè conuenit, vt dux exercitus, penes ſe rei militaris expertos homines habeat, quorum conſilijs non minus certè quàm propriâ experientiâ, in rebus dubijs vtatur; & ſcientiam hanc militarem, familiaribus colloquijs addiſcat, atque ita paulatim audaciam, fortitudinemque ſuam confirmet; quoniã vt Plato innuit *οἱ ἐπιςήμονες τῶν μὴ ἐπιςαμένων θαῤῥαλεώτεροι* in protagora quo ferme ſenſu Vegetius poſtea dixit *ſcientia rei bellicæ dimicandi nutrit audaciam, nemo enim facere metuit, quod ſe bene didiciſſe confidit*. Hanc vero ſcientiam Lacedæmonios primum inueniſſe, idem Vegetius auctor eſt; *primi namque experimenta pugnarum de euentibus colligentes, artem præliorum ſcripſiſſe firmantur*; eo vſque vt Iulius Pollux confidenter dixerit *Lacedæmoniorum autem diſciplina militaris & officium propria ſunt*. Hi enim ſiue ab Aegyptijs, vt Steuuechius contendit ex Plutarcho, optima quæque præcepta acceperint; ſeu illa ex proprijs obſeruationibus & ingenio efformarint, vt certe de galea conſtat, quæ eorum, inuentum fuiſſe dicitur à Plinio, omnem profectò rem militarem; ad diſciplinam, ſtudiumque peritiæ reuocarunt, ac magiſtros armorum, quos *τακτικοὺς* dicebant, habuerunt, à quibus iuuentus ipſa vſum varietatemque pugnandi edocta, nihil poſtea in bello, præter fugam, aut inhoneſtas alias actiones reformidaret. Et ſanè *Romani* horum veſtigijs inſiſtentes, Martij operis præcepta, & vſu retinuerunt, & eorum quæ apud ſingulas nationes optima erant, imitatione auctiora longè fecerunt: nam à Pœnis & Siculis *naualem ſcientiam* acceperũt, à Pyrrho autem Rege Epyrotarum optimã *metandi rationem*, vt teſtatur Frontinus; & cùm antea cæſim dumtaxat Scytharum more ferirent, poſtea etiam *punctim* ab Hiſpanis, vt eſt apud Polybium, ictus vibrare ſunt edocti; multaque ab ipſis Græcis, & Lacedæmonijs ad ipſos manaſſe, teſtes mihi ſunt Marcus Tullius in prima Tuſculana, & in epiſtola prima ad quintum fratrem, & ipſe adeo Vegetius iſtud apertè fatetur, de ſubſidijs loquens, quæ poſt aciem collocantur, *hoc enim* inquit *primi Lacones inuenerunt, imitati ſunt Carthaginenſes, Romani vero poſtea vbique ſeruauerunt*; vt mirum videri non debeat, ſi populos omnes rerum à ſe geſtarũ gloria ſuperarint, cùm certiſſimæ diſciplinæ regulã, ad præclariſſimas naturæ dotes adiunxiſſent. Re-

Vegetius lib. 3. prœmio.

lib. 1. cap. 10

lib. 7. cap. 56.

lib. 1. cap. 17

Digitized by Google

ctè enim hominum ingenia, agrorum naturæ ſimilia eſſe quis dixerit, qui ſi feraces ſunt & vberes, coli tamen debent, & exerceri, ne loco fructuum ſuauiſſimorum tribulos, & herbas ferant, quandoque mortiferas: ſi vero ſteriles, & ſabuloſi exiſtant curà ingenti opus eſt, aſſiduoque labore, vt aliquid inde proueniat, quod vtile ſit, & comodum vitæ humanæ vſibus. Tunc igitur optimus, & firmiſſimus virtutis habitus generatur, quoties ſtudium cum natura congruit, & officium quod inde procedit, conſtantius editur, ac perfectius, non ſolum ob adiumenta naturæ, quæ ad aliquas virtutes ſic natis hominibus plerumque ſuppetunt, ſed etiam propter maiorem voluptatem, quam ſuggerit præclara hæc rationis, & ſtudij cum natura conſenſio. Atque ita valdè quidem probabiliter concludere poſſumus, ſcientiam rei militaris, quam paulo ante dicebam in *bello ſuſcipiendo, gerendo, & finiendo* conſiſtere, Imperatori omnino eſſe neceſſariam; eius vero adminicula, quæ tam ab eloquentià caſtrenſi, quàm mathematicis diſciplinis mutuari debere ſupra demonſtratum eſt, non ea lege requiri in eodem, vt abſque ipſis, ſuo officio defungi rectè nō poſſit, dūmodo tamen reliquas dotes habeat, quarum collectione in duce effingendo, vſus eſt non infrequenter Marcus Tullius, vt multis in locis, tum vero præſertim in oratione pro Manilia.

IV. Porro quibus modis hanc ſcientiam addiſcere imperator facillimè poſſit, conſequens eſt vt videamus; neque enim ſi Patricius *octo* diuerſos recenſet, & nonnulli *plures alios* addunt, propterea tot illos eſſe arbitrandum eſt; cùm omnes tam ab illis adducti, quàm qui à cæteris excogitari poſſent, rectius, mea quidem opinione, ad hæc duo capita reuocari poſſint *experientiæ, & lectionis*: de quibus ſi quis à me quærat, cui nam potiori iure fidendum ſit, haud dubiè primas experientiæ concedam, quia hæc melius omnia docet, quàm vox ipſa, aut librorum copia, etiam ſi continuà lectione terantur. Vnde quod Ariſtoteles de medicis dixerat, illos magis experiētià fieri, quā aut ſtudio, aut erudita librorum medicorum lectione οὐ γὰρ φαίνονται ἰατρικοὶ ἐκ τῶν συγγραμμάτων γίνεσθαι illud idē de imperatoribus, & oratoribus, Cicero non minus vere quā elegāter dixit, *nec imperatores, nec oratores quāuis artis præcepta perceperunt, quicquam magna laude dignum, ſine vſu, & exercitatione*

1 Hæc autē ſcientia duobus tantum modis comparari poteſt ſcilicet experientia.

lib. 10. ethic. cap. vltimo.

tione conſequi poſſint: eſt enim in omni diſciplina, infirma artis præceptio, abſque ſumma aſſiduitate exercitationis, propterea que Lucanus *Pompeium* cum *Cæſare* componens, ita illius famam ab ætate iam vſque prouecta, & longa ceſſatione imminuit libro 1.

Nec coiere pares, alter vergentibus annis
In ſenium, longoque togæ tranquillior vſu,
Dedidicit iam pace ducem.

& ſanè idem ipſe *Iulius Cæſar*, & *Marius*, ac *Annibal*, *Metellus*, & quicunque vnquam inter antiquos duces præſtantiſſimi fuerunt non in vmbra ſed in campo: non audiendo, ſed videndo, non legendo tantum, ſed militando, artem quam profitebantur didicerant, omneſque idcirco in ea exercitatiſſimi fuerunt, quod nullũ belli genus eſſet, in quo eos Fortuna, per varios euentus non exercuerit. Quanti vero experientia in duce facienda ſit, vel hoc vnum ſatis indicat, quod ſi quis vnquam Romanorum, ante conſularem ætatis annum, ex varia gente, & diſſimili bellorum genere, non ſemel triumpharit, is profectò fuit *Pompeius*, quem tamen vna cum *Metello* à Senatu in Hiſpaniam miſſum, ita contemnebat Sertorius, ita ferocitatem exultantis iuuenis, ſed vt ipſe ſibi perſuaſerat, bellorum rudis & inexperti, flocci pendebat, vt multoties auditus fuerit in hæc verba prorumpere, *ſi annoſa hæc Vulpes*, Metellum autem innuebat, *abſiſteret, virgis puerum hunc Romam remitterem*; nimirum fortiſſimus dux Metelli experientiam, magis quam Pompei audaciam reformidabat, quaſi in hoc cum *Taſſo Hermioneo* conueniret, qui interrogatus ab amicis, de eo quod ſapientiſſimum eſſe arbitraretur, πεῖραν hoc eſt *vſum* ſeu *experientiam* reſpondit. Et merito quidem, cùm illa vt inquit Manilius artium magiſtra eſſe dicatur

Per varios vſus artem experientia fecit
Exemplo monſtante viam,

vnde ſi quis in eam diligẽter à teneris incubuerit, ei nihil amplius difficile, aut arduum eſſe poteſt; quemadmodum *Vlyſſis* exemplo declarat Homerus cùm in Iliade, tum etiam in Odyſſea: in quibus nulli æque Dij fauent ac ipſi, quem per tot errores Minerua tam diu comitatur, quem tot etiam periculis præter ſpem eripit; nullius quoque Græcorum opera, vel conſilio vtilior, vel euentu felicior ante Troiam extitit, vt ſi quis dignus vindice nodus occur-

rat,

rat, ſi quæ difficultas Deũ ex machina poſtulet, vnus ſtatim Vlyſſes in ſcena compareat, qui mirabilis ſagacitate ingenij, quæ reliquorum conatus deluſerant, per ſe ſtatim expediat; & tamen Homerus non hunc audacem vocat, nam in hac re *Aiacem* illi præponit; non fortem, vel celerem, quia hæc *Achilli* ab eo tribuuntur; non opulentum, quod *Priamo* melius conuenit; nec potentem quia *Agamemnoni* eum ſubijcit; verum prudentem, & multa tolerantem, ac *expertum*; qualem omnino decet eum eſſe, qui fortis, & ſapiens futurus eſt. Quam ergo laudem Auſonius in nobili ad nepotem protreptico *ſibi* tribuit

Nec rudis hoc auus admoneo, ſed mille docendo
Ingenia expertus;

quam *Metello* alteri exercitus Romanorum ductori, concedebat Sertorius, alteri propter ætatem denegabat; hanc tota animi propenſione conſectandam eſſe Imperatori, ſi ad verum, & conſtantis militaris ſcientiæ decus peruenire velit, tam clarum eſt, vt nemini cuiquam dubium eſſe poſſit. Nam & in ruſticatione, & in mercatura, & in ciuili facultate, ac cæteris artibus, ne dum in militari, rarus niſi per exercitatos ſolet eſſe profectus; & etiam ſi nulla alia eiuſce rei ratio ſubeſſet, ſed ab euentu rerum, & principum exemplis, tota eius confirmatio penderet; quis amabo Rex tam inconſultus vnquam fuit, aut quænam Reſpublica adeo ſuis in rebus cæcutire depræhenſa eſt? vt non hunc potius Ducem eligerent, cui longa rerum geſtarum experientia, & probata in mille periculis fortitudo, digniſſimæ commendationis elogium conciliarint, quàm ſtudioſum aliquem, qui toto vitæ ſuæ curriculo, nihil aliud dignum laude præſtiterit, quàm Polybij, & aliorum libros euoluere, vt veteris militiæ cum noua comparationem inſtituat; aut Phalangis Macedonicæ, vel alterius ordinationis, bellicæue motionis, & machinationis rationes intelligat; quas occupationes ſic damnabat *Triuultius* apud Guicciardinum, vt illas etiam irrideret, aſſereretque militum armis, & expertorum Ducũ conſilio bella geri, in acie pugnando, non figuris, quæ ab hominibus rei bellicæ imperitis in charta notantur, vel digito, ſeu virga in puluere deſcribuntur: quod iſtud non magis Duci honeſtũ, aut profuturum cenſeret, quàm Galenus parum medico conuenire arbitratus eſt, ſi membrorũ inter ſe connexiones, venarumque

libro 9.

3 dè comp. medic. 3. c. 2

que & neruorum diſtributiones ſorneretur tãtummodò in charta depictas, aut Gubernatori ſi, quod idem inquit, *ex libro, talis fieri vellet*. Quæ cùm eadem mens eſſet maximorum Principum Caroli Quinti, Ferdinandi Catholici Aragoniæ, & Caſtellæ Regis, Franciſci Primi, Henrici magni, ac Turcarum etiam Imperatoris, & Venetorum, quid mirum ſi hi, quorum ſingularis fuit in maximis rebus adminiſtrandis prudentia; nunquam ſuis exercitibus præficere voluerint eiuſmodi Duces literatos? ſed illos tantum, qui ſcientiam rei militaris per experimenta didiciſſent, & in quibus nec virtus vlla, quæ maximos Imperatores decet, nec fælicitas, ſine qua virtus ipſa, & ſciẽtia fruſtra ſunt, deſiderarẽtur.

Experientia igitur, ex omnium conſenſu, certiſſimum iter aperit ad ſcientiam militarem, ſed nihilominus tamen *lectio* minime deſpicienda eſt, pro qua ſic præfractè à multis pugnatur, quod experientià longe hanc vtiliorem eſſe iudicent, quoniã vt monet Seneca *tardum eſt, & varium quod vſus docet*, promptius autem eſt plurima legere, quàm pauciſſima experiri; præſertim cum ad experiendum vita hominis breuis ſit, ad legendum autem tempus exiguum ſufficiat, modo intellectus, ac memoria ſine quibus lectio vel inutilis, vel caduca eſt, oculis ſuffragentur; vnde factum inquiunt, vt boni Duces viciſſim legerent, & experirentur, lectionemque experientià, & experientiam lectione confirmarent; vt Romani omnes, qui cæteris pro exemplo ſunt, præter vnum Marium feciſſe dicuntur. Imo vero *Lucullus* vt auctores ſunt Plutarchus, & Cicero, etſi Romà profectus eſſet rei militaris penitus rudis, & ignarus, tamen quia totũ iter in Aſiam, partim in percunctãdo à peritis, partim rebus geſtis legendis conſumpſerat, tantus imperator euaſit, vt Mithrades Regum ab Alexandro maximus, eũ maiorem Ducem, quàm, quemquam eorum quos vnquam legiſſet, aut vidiſſet, à ſe cognitum confiteretur. Quin etiam ipſemet Cicero in his, quæ ad Papirium Petum ſcripſit, non ita forſan εἰρωνικῶς loquutus eſt, quin aliquid veritatis eiuſmodi ſuis ſalibus admiſcuerit, *ſummum me Ducem litteræ tuæ reddiderẽ; planè neſciebam te tam peritum eſſe rei militaris. Pyrrhi te libros, & Cineæ video lectitaſſe. itaque obtemperare cogito præceptis tuis*: paulo poſt vero addit *Κύρου παιδείαν quam contriueram legendo, totã in hoc imperio explicaui*. Neque ſanè alienum à ratione videri poteſt, tantum

2. *Et qua huic à nonnullis malo præfertur lectione.*

epiſt. 121.

in Lucullo

4 academic. quæſt.

ep. 25. lib. 9.

ex vna lectione emolumenti in Ducem redundare; quandoquidem ſi admirandas putamus eſſe ſenum ſententias, ipſosque prudentiores iudicamus, eo quod multa eos didiſſe neceſſe eſt, quare & illorum dicta libenter audimus; quanto magis antiquorum libri, in quibus multorum ſæculorum res continentur, ſapientiora ſubminiſtrare conſilia, maioremque vim, & copiam exemplorum præbere, quæ Dux in ſua commoda conuertat, exiſtimandi ſunt: hi enim non res quæ vni tantum perſonæ contigerunt, vt experientia, ſed plurimos, ac diuerſos euentus, in infinita hominum multitudine, & longiſſima hominum ſerie animaduerſos, vno velut inſtanti, ob oculos ponunt: tantique hanc rationem fecit Ioannes Boterus non obſcurus auctor politicarum diſſertationũ, vt ea potiſſimum innixus, lectionem rerum militarium, experientiæ quæ de iiſdem habetur, præferendam eſſe docuerit. Sed pace ſua dixerim, videtur mihi in hoc, conſuetudinis reliquorum auctorum obliuiſci non potuiſſe, quæ prorſus talis eſt, vt parum de veritate ſolliciti, ſingula quæque ad ipſius artis, quam profitentur, dignitatem, ridentibus ac plerumque etiam indignantibus cæteris, quibus ſolida mens eſt, pertrahant; cùm interim non ſecus in militia, ac in cæteris artibus contingat, in quibus frequẽs vſus magiſtrorum omnium præceptis obſtruit, & ea plerumque rerũ ignaris, ſed exercitatis ſuppeditat, quæ ſi doctioribus illis cõmittas, idem erit prorſus ac ſi nauem aurigæ, vel currum Fuloni regendum tradideris. Accedant precor *rei ruſticæ* ſcriptores Palladius, Varro, Columella, Creſcentius, qui tam acute, ſubtiliterque de cultura frugum, de occatione, & repaſtinatione agrorum tractarunt, & ſtiuam manibus illorum admoue, vt ſulcos æquales ducant, & glebas inuertant, diſperéam ni illud quod in prouerbio eſt, ſtatim videas, *Aratrum* nempe *ante Boues*. Iube aliquem iſtorum, qui de *ſcribenda hiſtoria*, tam eleganter quotidie, magnaque iudicij, & doctrinæ commendatione leges in vulgus edunt, Patriciũ verbi gratia, Benium, Myliũ, auctorẽ methodi, Foxium, Kekermanium, Bernartium, Viperanum, Balduinũ, aut ex reliquis, qui propemodum infiniti ſunt, quos voles alios, iube inquam, quæ cæteris præcepta tradiderunt, eadem ipſos in præclara quadam hiſtoria obſeruare, & oppido videbis trepidare homines, titubareque, nec minus hærere attonitos, quam aues im-

pli-

plicitas viſco, aut ad lucem veſpertiliones, vt magna planè ſit eruditiſſimi Maſcardi in ſcribendo facilitas, mirumque prorſus, & felix ingenium, cui vni tam rectè ac eleganter, vtroque illo in munere verſari conceſſum fuit. Præterea Iulium Cæſarem Scaligerum adi, quo nemo melius vnquā *de vi, & ornatu poetices* egit, ac elegiam ab ipſo roga quæ venuſtatem Tibulli, aut epigramma quod Martialis acumen præ ſe ferat; opperiri credo te oportebit Kalendas Græcas priuſquàm ab eius muſa quicquam eiuſmodi obtinere poſſis. Denique *Medicum* voca, qui nullius adhuc venas explorarit, neminem ægrum tractarit, etiamſi doctrinà non ſit inferior Hippocrate, turbari tamen ipſum videbis, & ita quandoque propriæ ſuæ artis obliuiſci, vt quid facto opus ſit nullatenus videat; ac proinde interrogatus Democedes Crotonienſis quiſnam verus eſſet, & qui omne punctum ferret medicus *is* reſpondit *qui ingreſſus ad ægrum animo non turbetur*: nimirum quia difficile eſt, & pluſquam quotidiani operis, ex tempore, & in oculi ictu apud ægrum, de eius morbi cauſis, indicationibus, & remedijs conſtituere, itaut abſque longo vſu, & quotidiana ferme exercitatione, iſtud qui promptè efficiat, vix inter medicos reperiatur adeo verum eſt quod dicebat Ouidius

Solus & artifices qui facit vſus erit!

Hæc autem ſi in reliquis artibus ita ſe habent, quid de *militia* ſtatuendum eſt, quæ vna omnium præter repentinos caſus, & rerum de quibus agitur præſtantiam, non hæſitantes, ſed obfirmatos Duces requirit; quibus nihil nouum, aut inuſitatum accidat: *nihil* mentem, animumque conturbet, aut iudicium ex præſidio deijciat, ſed potius qui omnia viderint, tentarint, atque etiam experti ſint, quæcunque cæteris terrorem poſſent incutere; quod equidem quomodo ſola lectione obtineri poſſit, nullus planè video. Quare eius tantum vſus commendandus eſt, quatenus opitulari experientiæ ſolet, & efficere, vt Imperator *experientià* ſimul & *ratione*, tanquam vtroque crure innixus, firmius pedem figat in lubrico, ſæpiuſque fallente bellicarum rerum veſtigio.

Neque tamen hac datà licentià, continuo Duci in omnis generis libros, tanquam in viridantes hortos temerè diuertendum erit 3. *Hiſtoricorum* ſed delectus eorum habendus eſt, ex quibus nullo labore, non magna etiam lectione, profutura multa diſcet. Iam vero, ſi vllæ

ſint

ſunt eiuſmodi literæ, certè hiſtoria eſt, quæ vna ijs, qui in rebus agendis verſantur, potiſſimum conuenit, nam poeſim, & eloquẽtiam, arduaſque ſcientiarum quæſtiones, quanquam ingenium admittat, negotia tamen excludunt; hiſtoria vero, nec eſſe ipſa ſine negotijs potuit, & honeſtum in primis eſt, ac vtile, hanc apud eos habitare, qui rebus tractandis præficiuntur; res enim gerere, prouincias & regna adminiſtrare, nemo ſine prudentia poteſt, prudentia vero ex vſu, vſus autem ab exemplis, & oritur, & confirmatur. Quamobrem Dux noſter hiſtoricorum præſertim lectioni incumbet, tam eorum in quibus haberi poſſint ex vera, & nuda relatione, omnia quæ magnis exiguiſque tyronum, ac veteranorum copijs prudenter, deſperatione, audacià, caſu, aperto Marte, aut ex inſidijs geſta ſunt, quàm aliorum qui conſcij, participesque ſecretorum, quo conſilio, qua mente, quaue ratione, quidque adminiſtratum fuerit, exponunt; nihilque eorum prætermittunt, quæ ad mores, quæ ad vitam, quæue ad ciuilem prudentiam informandam conducunt. Vnde res *Aegyptiorum*, quæ antiquiſſimæ; *Perſarum*, quæ opulentiſſimæ; *Græcorum*, quæ variæ; *Romanorum*, quæ merito putantur fuiſſe maximæ, eo animo percurret, vt ſingula diligenter aduertat, quæ ad periti Ducis informationem faciunt: ſed non ipſis contentus *Athenienſium* præterea conuentibus, *Lacedæmoniorum* decretis, *Romanorum* Senatui, & Principum omnium conſilijs frequens intererit, vt ſecretas cogitationes, & *imperiorum arcana*, quæ in earum gentium hiſtorijs, tanquam in occulto quodam adyto concluſa iacent, expiſcari poſſit; atque ex illis habitum quendam ſibi efformare, militaris eius prudentiæ, & ſapientiæ, quæ in deliberationibus de bellorum cauſis, initijs, progreſſu, atque exitu, maximè omnium difficillimis, & grauiſſimis elucere debent, ita enim fiet, vt præclaris iſtis dotibus, experientia ſubminiſtrante eam aptitudinem, quæ ad agendum requiritur, nihil in Duce, quis aut deſideret, aut repræhendat.

4. *Quorum aliquos ſibi familiares reddere oportet.*

Cæterum cum hiſtoria generalis ſi, hoc modo, quem diximus euoluatur, infinitam habeat vtilitatem, facilitatem maximam, & incredibilem etiam oblectationem; excogitarunt inſuper magni Duces aliam rationem, eiuſdem aut maioris vtilitatis, ex particulari, & *Biographorum* præſertim libris percipiendæ; cùm videlicet

cet

cet ipſorum aliquem ſibi crebro euoluendum proponũt, qui Ducis illius vitam ſcriptis conſignarit, cuius rerum geſtarum admiratione maximè capiuntur, ita ut poſtea totos ſe ad eius imitationem componant, & nulla re poſſint, quàm eius lectione ſuauius demulceri. Sic enim *Alexandrum* narrant, adeo captum, delectatumque fuiſſe Iliade Homerica, quam rei militaris viaticum, & librum Regum appellare conſueuerat, vt ipſam non modo interdiu ſumma cum voluptate, vel in ipſo armorum ſtrepitu legeret, ſed noctu etiam, ea pro ceruicali, tanquam ſuauioris ſomni conciliatrice vteretur: ex quo notat Victorius eum propterea à nonnullis φιλόμηρον fuiſſe nuncupatũ. Quanquam non leuis apud multos ſuſpicio ſit, cùm nullius antiqui ſcriptoris auctoritate ſententiam hanc ſuam confirmet, *Caſſandro* Macedoniæ Regi, vt Athæneus & Cariſtius contendunt, eiuſmodi potius epithetum conuenire, quàm Alexandro. Sed facit omnino Dio Chryſoſtomus, vt non Oratione 11 perperam iſtud à Victorio dictum fuiſſe exiſtimem; etenim vt illa prætermittam, quæ multis apud illum reſpondet Alexander, ſciſcitanti Patri Philippo, cur huic vni Poetæ incumbens, alios quamuis ſapientes negligebat, certè vel hæc ſola, quantà in Homerum Alexandri propenſio fuerit ſatis declarant, *Homeri autem poeſim ſolam video ingenuam eſſe, & magnificam, & vero regiam: cui animum aduertere decet eum virum, qui maximè quidem imperaturus ſit omnibus, qui vbique ſunt hominibus; ſin minus, quomodo tamen non abſurdum fuerit, quod Rex equo quidem nõ niſi optimo vti velit; Poetarum autem, vel infimis adhærere quaſi otioſo illi eſſe liceat? hoc ſcias velim ò Pater me non ſolum Poetam, ſed etiam aliud carmen, quam Homeri heroicum audientem dolore affici*; ſed vtrilibet tãdem iſtorum epithetum iſtud aſſignandum ſit, parum equidem refert, poſtquam nihil impedit, quin ſimilis eſſe potuerit amborum in hunc vatem affectus. Quibus cum eadem plane ſentiebat Spartanorum Rex *Cleomedes*, dum Heſiodi Poema, valde conueniens eſſe dicebat ruſticis hominibus, propter documenta quæ complectitur agriculturæ ſummopere neceſſaria; Homeri vero Iliadem nobilibus, ac ſtrenuis, ob egregia fortiſſimorum Ducum exempla, quibus vndequaque referta eſt. *Philopoemen* vero Achæorum Dux, eiuſdem Vatis opera legebat, vt audacior fieret, ſicut Philoſophorum libros, vt virtuoſior, & Alexandri

Magni

Magni geſta, quæcunque ab hiſtoricis memoriæ commendata fuerant, vt in ſua arte peritior euaderet; atque ita in diuerſis au-ctoribus quæſiuit, quæ in vno ſolo ſe inuenturum deſperabat. Sed non adeo moroſus fuit *Scipio Africanus*, cui Cyri pædia, non tam ad hiſtoriæ fidem, quàm ad effigiem iuſti imperatoris à Xenophonte expreſſa, omnes imperialium virtutum, ac laudum cumulos attulit; non ſecus atque Polybij ſcripta, frequenti lectione trita à *Marco Bruto*, famam eidem ſummi Imperatoris conciliauere. Sed quodnam exemplũ illuſtrius afferri poſſet, eo quod inter recentis memoriæ hiſtoricos, de *Selymo* Turcarum Principe narratur; cuius maiores cum auerſum ſemper animum habuiſſent, ab annalium, rerumque per orbem geſtarum lectione; primus ipſe commentarios Cæſaris reddi Arabicè curauit, ac eius imitatione, breui magnam Aſiæ minoris, & Africæ partem, imperio maiorum adiunxit. Atque vt ab exteris Principibus ad noſtros tranſeamus, quid *Carolũ Quintum* Imperatorem ad tantã gloriam extulit, niſi frequens lectio hiſtoriarũ Thucydidis, & ſuſcepta cum Ludouico eius nominis vndecimo Gallorum Rege, quem Philippus Cominæus tàm ſcitè ad viuum expreſſit æmulatio? quis denique *Alphonſo Aragonio* Hiſpaniarum Regi ſapientiſſimo, potentiſſimoque, facem tot in expeditiones prætulit, niſi Romanæ cõditor hiſtoriæ Liuius, quem vnũ ſibi præ cæteris vnicè conſulendũ elegerat? Ecce igitur quomodo iſtis in exemplum præ euntibus, reliqui Duces optimum aliquem, & qui vltimum ſuæ virtutis in hoc genere experimentum ediderit, ſibi ad imitandum proponere debent, cuius non modo æmulatione ſtimulos concipiant, ſed ductu atque indicatione, tanquam ab *Hodio*, vel *Hegemonio*, cæteriſque vialibus Dijs deſignatum iter ingrediantur, quod ducit ad gloriam.

5. *Tum auctorum de re militari.* Enimuero priuſquam eiuſmodi libros euoluant, oportet eos ſedulo legiſſe, quæ tum ab antiquis, cùm etiam à nuperis ſcriptoribus tradita ſunt de militari diſciplina, ſeu varijs rebus, quæ ad eius illuſtrationem non parum conducere poſſunt; & quorum in recenſione, cùm potior ſit eorum numerus, qui hoc aut ſuperiori ſæculo, in iſtud argumenti incubuerunt, quibuſdam forſan videri poſſet, nos eorum laboribus facili negocio carere potuiſſe, niſi temporum iniuria perniciem antiquioribus cunctis intuliſſet, nũ-

quam

quam amplius ex tam acerbo, & luctuoſo, reliquorum quoque in omni genere ſcientiæ voluminum naufragio, emerſuris: ſed ita mihi perpetuo bene ſit, vt iſti in errore grauiſſimo verſantur: mutata ſiquidem tempora, diuerſos mores intulerunt, variamque & penitus à Græcorum vel Romanorum conſuetudine diſtinctam belli gerendi rationem. Vnde quemadmodum nunc maximè omnium ridiculus haberetur, qui neglectis fulminalibus machinis, arcium noſtrarum propugnacula, ſubruere impacto ariete vellet, ita non minus peccaret, qui Heronem, vel Athenæum, qui de machinis ſcripſerunt, ſibi tantummodo conſulendos arbitraretur, neglectis interim recentioribus, qui de his, quæ apud omnes ſunt in vſu, pulcherrimos commentarios edidere: omnibus ergo opus eſt, tam vetuſtis ob ipſorum præſtantiam, & virtutem ſingularem, quæ rebus etiam difficillimis lucem, ac ſplendorem attulerunt; quàm nouis ob rerum explicationem, quàm fruſtra ab alijs requiras, qui antequam illæ, aut inuentæ, aut vſu receptæ forent vixere.

Atque vt illorum ſeriem ordine quam fieri poteſt commodiori proponam, illos primum recenſebo qui hominum incuriâ, temporum lapſu, Barbarorum inuaſionibus, Principum edictis, magnis recurrentibuſque per ignem, aut eluuiones, orbis flagellis, cæteriſque eiuſmodi calamitatibus, perierunt, de quibus opportunior mihi locus erit copioſè dicendi, in *Barberino*, ſeu triplici dialogo de librorũ interitu: mox qui adhuc in Bibliothecis ſitu puluereque obſiti, ac velut ſepulti deliteſcunt: deinde vetuſtiores omnes qui typorum beneficio in aſpectum communemque omnium vtilitatem, quotidie producuntur, ac demum ex recentioribus eos, qui publicæ cõmendationis teſtimonio, cùm ob doctrinæ præſtantiam, tum ob materiæ difficultatem, vel neceſſitatem iſtud conſecuti ſunt, vt à nobis reticeri in hoc cenſu, abſque flagitio non poſſint. Sed priuſquam huic operi me accingam non abſurdum forſan erit, eas rationes in medium proferre, quas amicorum meorum nonnullis reddendas putaui, vehementer à me efflagitantibus, vt oblata tam commoda occaſione de libris militaribus dicendi, *Bibliographiam polemicam* adornarem, quæ non ſecus ac *politica*, quam ſuperioribus annis optimo meo, & lectiſſimo amico Domino Gaffarello dicatam, Bibliopola Venetijs

6. *Qui omnes recenſentur.*

Kk Typis

typis ſuis edendam curarunt, omnes ſcriptores polemicos ventilaret, excuteretque acri cenſurà adhibità, & prolato de ſingulorũ virtutibus ac vitijs, prout mihi conuenientius videretur, æquiſſimo iudicio; & ſanè potuiſſem nõ difficulter in hoc conſilium deuenire, ſi omnes libros de quibus mihi ſermo inſtituendus eſt, vt politicos antea feci, lectione triuiſſem aſſidua; aut ſaltem Romæ, apud Illuſtriſſimum Equitem Caſſianum à Puteo, cuius honeſtà, & liberali propenſione in literas, mirum quantus hic melioribus ſtudijs honos, atque incrementum accedat, quique me, vt ſolet etiam cæteros, perbenignè, ac amanter complexus eſt, videre illos, atque euoluere in inſtructiſſima ſua Bibliotheca potuiſſem. Verum quia præter paucos, qui mihi in iſtud opus incumbenti, ad manus fuerunt, cæteros omnes, aut tuburcinatim tantum, & magna feſtinatione percurri, aut titulorum modo tenus, vt nuperos ferme omnes cognitos habui: elucubrandumque mihi in hac Ciuitate Reatina hoc opus fuit, vbi non ita densè veterum literarum ſeges eſſloreſcit, vt etiam ſi multum inquiſitè, multumque ſollicitè priuatorum omnium pluteos, & Bibliothecas excuſſi, quicquam tamen, quod operæ pretium eſſet, reperire in ea potuerim; idcirco malui à ferendo de cunctis iudicio temperare, quàm inſcitià, aut temeritate mea, officere cuiusquam ſcriptis atque dignitati; ſatiſque mihi viſum eſt, Ludouice Comes, ſi candide hic, & bona fide tecum agam, cùm accuratè, & exquiſitè vt opus quidem eſſet, non poſſim.

Quod igitur multi, ac propemodum infiniti ſcriptores, rem
7. *Antiqui deperditi.* militarem, etiam tum cùm rudi, & incondito modo fieret, ſcriptis ſuis illuſtrare conati ſint, equidem dubitari non poteſt, poſtquam Aelianus celeberrimus ille ſophiſta, qui initio libri ſui de aciebus inſtituendis, tot ſcriptores recenſet, quorum in hac tradenda ſcientia non minimùm labor innotuerat, ita demum finem in illis facit, *ſed vt omnes commemorem, quos videre ac legere contigit ineptum arbitror*, nempe quoniam, vt inquit Vegetius,
libri 1. c. 8. *Lacedæmonij quidem, & Athenienſes alijque Græcorum, in libros retulere complura quæ Tactica vocãtur*, atque, vt etiam libro ſecundo aſſerit, *idem fecere complures*. Vnde æſtimari merito poteſt, quàm iniqua ſemper, & reluctante fortunà literati vſi ſint, quorum monumenta ſic intereunt in dies, obliteranturque, ne multorum

qui-

quidem nomine ſeruato; vt Patricius cùm omni ope, & induſtriâ in eorum diſquiſitionem, ac veluti detenebrationem incubuiſſet, quinquaginta tantũ inuenerit, ex antiquis illis, quorum ad nos nomen peruenit, omniũ vero ferme ſcripta deſiderãtur. Nam ſi recte calculum pono cùm ex ipſis qui à Patricio recẽſetur, tum vero ex alijs, quorum mẽtionem factam apud alios auctores fuiſſe, animadeuerti, penitus interciderunt omnes hi ſequentes *Thales Gnoſius* Poeta. Rhapſodus, qui Pæana ſcripſit, & hoc tantum nomine laudatus fuit à Suida; *Tyrteus* elegiographus, & tibicen, qui ab eodem auctore, fertur ſcripſiſſe libros de Republica, & admonitiones verſibus, & carminum claſſicorum libros quinque, quorum fragmenta quædam, leguntur adhuc apud Stobæum, in ſermonibus de bello & de audacia; nec inutilia ſunt ad eius cognitionem, quæ de eo habet Franciſcus Floridus in varijs. *Anacharſis Scytha* qui vt memoriæ à Laertio conſignatum fuit, de his, quæ Scytharum, atque Græcorum ad vitæ frugalitatem, & res bellicas, legitima ſunt, ſcripſit, verſibus octingentis. *Democritus* qui ab eodem Diogene, militaria, & armorum dimicationes explicaſſe dicitur; tum & nomine multum huic affinis *Damocritus* quẽ Suidas refert, libros duos de aciebus bellicis ſcripſiſſe. *Clearchus* Solenſis peripateticus apud Athenæum paſſim laudatus, qui tot eius monumenta adducit in teſtimonij fidem, vt mirum ſit, in ipſis non reperiri tactica, quæ tamen Aelianus ab eo ſcripta fuiſſe dicit. *Demetrius* P*halereus* tanquam ſcriptor tacticus nominatur à Polybio, in fragmentis publicatis primùm latinè tantum à Raphaele Cyllenio, & poſtea Græcè etiam à Caſaubono. P*yrrhus* Epirota, eiuſque filius A*lexander*, & qui à conſilio ipſis erat C*yneas*, laudati omnes fuere ab Aeliano, & ſi Alexandrum excipias, etiam à Cicerone, his verbis ad Papyrium Pætum ſcribente, P*yrrhi te libros, ac* C*ynea video lectigaſſe*; & vero commendantur inſuper prioris ſcripta de aciebus inſtruendis, à Plutarcho; & Aeliano teſte Cyneas Aeneæ poliorcetica in compendium redegit. *Euangelus* refertur quoque ab Aeliano inter πολεμικὰ ſcriptores eiuſque Tactica, plurimi fecit dux inſignis Philopœmenes, qui vt ex Plutarcho habetur, inter aliorum ſcriptorũ lectiones *in* E*uangeli tacticis maximum & indefeſſum ſtudium ponebat.* Stoicus præterea P*oſſidonius* artem, vt inquit Aelianus, ta-

capite 1.

ex 10. libro

epiſt. 15. lib 9

cticam ſcripſerat, quem auctorem, qui eundem fuiſſe arbitrabitur, cum eo quem Athenæus refert cum Scipione vixiſſe, & Suidas Polybij hiſtoriam libris LII. continuaſſe, is meo quidem iudicio, non errabit. *Stratocles*, & *Hermias* ambo de tactica Homeri ætate vſurpata, libros ſcripſerant, laudatos ab Aeliano; Quod idem poſtea *Frontinus* vir conſularis, feciſſe dicitur nō quidem in libris ſtratagematū, qui vulgo editi circumferūtur, abſque vllius imperatoris nomine, quod ipſis ab auctore præfixum fuerit,
cap.3.lib.2. cùm tamen Vegetius dicat, Frontinū D. Traiano, *ob eiuſmodi comprobatū induſtriam*: & ſanè quicumque vt inquit Steuuechius ipſius auctoris præfationē in Stratagemata vigilans legerit, fateatur oportet; alios à Frontino libros ſcriptos fuiſſe, quorum nunc vt multorum aliorum iacturâ multamur. Sequuntur in Aeliano *Pauſanias* de quo nihil hic habeo quod dicā, ſiue meâ culpâ, qui non eos auctores legi, à quibus laudatur, ſiue ipſius iniqua ſorte qui apud paucos admodum nomen obtinuit. Quemadmodum etiam contigit *Eupolemo*, *Brioni*, ſeu *Bitoni*, (niſi potius ille *Biton* fuerit cuius fragmēta quædam habentur edita) & *Harpocrationi*, ac *Iphicrati*, qui omnes referuntur ab Aeliano inter τακτικοὺς. Præterea deſideratur adhuc, opus illud magnum *Aeneæ* tactici, tantopere celebratum ab Aeliano, & Polybio, de ijs quæ ad imperatoriam artem pertinent; quandoquidem commentarius poliorceticus editus à Caſaubono, minima pars eſt operum celeberrimi ipſius auctoris, qui libros alios ſcripſerat de toleranda obſidione, de bellorum apparatibus, de re caſtrenſi, de rerum euentibus, & nonnullos ſimiles, quorū ne quidem tituli, in conuerſione illa temporum, quæ cuncta vel abſorbet, vel immutat, perennare potuerunt. Sic *Aelianus* idem fatum expertus eſt, in ijs quæ ſe
cap.1.tactici. dicturum promiſerat, de pugna nauali inſtituenda, cùm alioqui in libro edito, de terreſtri tantummodo diſſeruerit; & quid ni etiam Iulius Pollux, quem aliquid tacticum ſcripſiſſe, ſatis indicant verba
cap.10. ba ex eius Onomaſtici libro primo *iam autem de hiſce nominibus non exactè, nec propriè loquor, nam hæc & tempore, & ſermone indigent longiore, cùm vobis tacticum, aut ſtrategicum librum componam cùm & de Pleſio, & tranſuerſo oblongo, & de inclinatione in frontem & caudam, & in ſcutum, & in haſtam, & de partibus, & ducibus, & motionibus, & operis ſingulatim cuncta explicabo*. Nec ſi quis hodie plu-

Digitized by Google

pluteos omnes Bibliothecarũ excutiat, propterea inueniet in illis Ἑρμόλυτον τακτικὸν quem citat Euſtathius ad Iliadem ι, ille ſi quidem quibus in oris verſetur nobis ignotũ eſt. Vt nuſquàm etiam appa-parent *Macri* militarium βιβλία δύο: *Tarruteni Paterni* βιβλία τέσσαρα; *Menandi* militarium βιβλία τέσσαρα; & *Pauli* liber ſingularis de pœnis militum, quorum omnium mentio habetur in indice Iuriſconſultorum Pandectis Piſanis præfixo. Quin etiam perierunt libri *Philonis mechanici* de portubus faciendis, de armamentario quod fecerat in pyreo portu, de literis clam mittendis, & multi alij qui magnam affinitatem videntur habuiſſe, cùm Aeneæ iam enumeratis: & vbinam ſunt *Heliodorus Periegetes*, laudatus Harpocrationi in voce νίκη; ac *Polemon* Straboni quoque, & Athenæo commendàtus, qui de Cecropia, ſeu Athenarum arce ſingulares libros ediderant? vbi *Theognidis* elegia, ſcripta in eorum gratiam, qui ex obſidione Syracuſana euaſerant? vbi *Antimachus*, *Menelaus Aegius*, & tot *ſcriptores* qui bellũ Thebanum; *tot* ab Athenæo, Aeliano, & Suida relati, qui Troianum, *tot* laudati à Iacobo Mazzonio in Apologia pro Dante, & Franciſco Patricio in decadibus poeticis, qui quorundam Regum, aut Heroum facinora bellica decantarunt? cum nulla ſit ratio, cur ipſe Patricius *Homerum* potius quàm *Marſum*, aut *Charum*, quorum hic Ouidio teſte Herculis, alter vero Amazonum vt inquit Martialis res geſtas carmine expreſſit, alioſque eiuſmodi poetas, inter rei militaris ſcriptores recenſeat. Sed vbi *trecenti hiſtorici* pugnæ vnius Maratoniæ? vbi *Simon Athenienſis* quem Suidas extollit, ob mirabilem librum quem ediderat de internoſcendis equis, & de quo intelligendum exiſtimo Clementem Alexandrinum, cùm inquit, *ſi quis Simoni ſtuduerit fiet eques*? vbi *Sarmenes* qui primus teſte Plinio de equitatu ſcripſit? ac denique vbi architecti illi qui quemadmodum poſtea Vitruuius fecit, multa etiam variæ machinationis bellicæ præcepta tradiderãt *Agatarchum* dico, *Demetrium*, *Anaxagoram*, *Cteſiphontem*, *Metagenem*, *Ichinum*, *Carpionem*, *Hermogenem*, *Argelium*, & *Satyrum*; horum certè omnium iactura, leuior forſan videri poſſet, ni & Latini ferme omnes eadẽ quoque tempeſtate abrepti fuiſſent. Nam præter tot volumina de *Iure Feciali*, quorum vix ad nos fama peruenit; præter L. *Cinnij*, libros ſex de re militari, quos citat Agellius, & *Cornelij Celſi* de

libro 9.
libro 11.
libro 3.
capite 60.
lib. de pont
eleg. vlt.
libro 1.
lib. 34. cap. 8.
lib. 16. cap. 4.

eadem re opus, cuius mētio facta reperitur à Vegetio, & Raphaele Volaterrano in Antropologia; ceciderunt quoque *Varronis*, *Plinij*, *Alimenti*, *Frontonis*, ſi tamen alius ſit à Frontino, de quo ſupra ex occaſione dicebamus, lucubrationes tacticæ; cecidit, & *Tullius* nam qui hodie ſub eius nomine libellus circumfertur, eum Angelus Decembrius pertinaciter contendit, indignum eſſe tanti hominis grauitate, & eloquentià, *plenumque ineptijs, & præſentis aui vulgaritati, quàm veterum dignitati conuenire magis*, Nobiſque carendum eſt *Augusti*, *Traiani*, *Hadrianique* conſtitutionibus; nam *Catonis Cenſorij* libros de re militari, de Tribunis militũ, de præda militibus diuidenda, quorum teſtimonijs frequenter vtuntur Seruius, Nonus, Agellius, Sextus Pompeius, & alij, quid attinet commemorare; quando nec videre eos aut reperire licet.

lib. 1. cap. 8. libro 14. parte 10. lib. 2. de re liter.

8. Ab hoc vero luctuoſo, & multum infelici naufragio, non horũ modo librorũ qui ſupra enumerati ſunt, ſed multorum quoque, quorum ne quidem nomina ad nos peruenerunt; ſuperſunt hodie, & qua integri, qua magna parte mutili, diuulſique in partes, cum blattis ac tineis Bibliothecarum luctantur; *Daimaci* commentaria obſidionalia, quæ ex Creta Venetias aduecta, Magius ſe vidiſſe teſtatur in miſcellaneis. *Dionyſij Longini*, aut *Longiani* tactica multi laudant, & extare ferunt, ſed vbi nam locorum, neminem hactenus vidi qui diceret. *Nicephori* Imperatoris de euentibus bellicis & excurſione opera, ſeruantur in Eminentiſſimi Principis Franciſci Barberini inſtructiſſima, & in inclyta Sereniſſimi vtriuſque Bauariæ Ducis Bibliotheca, Viennæ Auſtriæ, & in Farneſiana, Vaticana, & Palatina, nec dubium eſt etiam quin Pariſijs in Regia, & Mediolani in Ambroſiana, cui multum commodi atque decoris ex Pinelliana acceſſit; quamquam non æquè in illis omnibus, codices integri reperiantur, cùm Barberinus octo capita tantum contineat, Bauaricus quatuordecim, cum lacunis non paucis, & aliqui etiam viginti polliceantur. *Apollodori* poliorceticon optimus, vt exiſtimo, omnium codex habetur in Bibliotheca Regia, vnde paſſim laudatur à doctiſſimis Rigaltio, & Caſaubono; Vaticana etiam nonnullos ſuppeditat cum figuris; nec Pinelliana eo quondam auctore caruit, qui forſan nunc Mediolani certius inuenietur. Extat etiam in Chriſtianiſſimi

Manu ſcripti in Bibliothecis latentes Græci-Arabes, Latini, vulgares.
lib. 2. cap. 8.

Regis.

Regis Bibliotheca liber eximius *Philonis Biſantini* cognomento *Mechanici*: in quo ex relatione Caſauboni, de fabrica turrium, murorum, & aliarum munitionum primò agitur; deinde toleran- dæ obſidionis dantur præcepta; poſtremò tentandæ oppugna- tionis rationes docentur, quæ omnia continentur pariter in di- uerſibus codicibus Vaticanæ, cuius indicem polemicum ingratus omnino ſim, ni me debere fatear, viro præcellentis, & accuratæ eruditionis famà, ſupra meum, aut cuiuſquam alterius præconiũ notiſſimo Lucæ Holſtenio; Cæterum qui de hoc Philone, cuius Hero Alexandrinus meminit, & quem annum circa, ab vrbe con- dita, ſexcenteſimum primũ, vixiſſe ferũt, plura ſcire volet, nec trita quidem ea, aut è vulgo ſcriptorum lecta; huic adeundus erit, & conſulendus vir inſignis literaturæ Leo Allatius, in Diatriba de Philonibus, quam velut appendicem primo volumini miſcella- neorum ſuorum, Pariſios edendam tranſmiſit. *Athenæi* non illius quidem qui Deipnoſophiſton ſermones, altero à ſalute humano generi reſtituta ſæculo, collegit, ſed mathematici cuiuſdam anti- quioris, fragmenta duo, græco ſermone expreſſa, habentur apud Vitruuium ſub finem operis de architectura: præter quæ cir- cumferuntur etiam mechanica haud mediocri volumine, quod inter iſtius generis calamo exaratos codices, ſi mea non me fallit obſeruatio, frequentiſſimum eſt, certè vidi illum Pariſijs etiam in priuatorum muſeo, vidi Vrbini in prægrandi codice cum varijs auctoribus tacticis, quorum mihi tunc temporis nomina ſigilla- tim inquirere, non vacabat; ſed imperialis, Farneſiana, Pinelliana Vaticana; & vno verbo Bibliothecæ fermè omnes, quarum no- men inter literatos non obſcurum eſt, hunc auctorem habent; vt ſi quis propterea eius edendi curam recipere in ſe vellet, non niſi feliciter laborem hunc ſibi ceſſurum arbitrari poſſit. Imo *Epima- chi* helepolis ſiue *capiurbs* quæ ex Athenæi magno opere videtur excerpta fuiſſe, in iiſdem Bibliothecis, & vaticana præſertim repe- ritur, Græca, necnon Latina quoque, quanquã poſterior hæc non Epimacho alteriue auctori tribuitur. *Pappi, Bitonis, Cteſibij, Dia- dis* veteres quædã ſchediæ περὶ πολεμικῶν ὀργάνων, magno olim vſui fuerunt eruditiſſimo Turnebo, ad medicinam faciendam deplo- ratis Vitruuij locis, ex libro vltimo, qui totus eſt de machinis bellicis, vt ipſe libro ſecundo aduerſariorum teſtatus eſt; ſed Ri-

in notis ad Aeneam.

lib. 10. capitibus 18. & 20.

capite 4.

galtius poſtea integras quorundam inſtrumentorum deſcriptione, ex melioribus eorundem auctorum fragmentis, ad Onoſandri ſui illuſtrationem protulit; vtinamque cætera eodem modo quæ ad Onoſandrum minime pertinent, attuliſſet; ac *Bitonis*, præſertim opus ad Attalum de conſtructione bellicorum inſtrumentorum, & catapelticorum, non magno labore integrum edi poſſet, ex codicibus vaticanis, tum Regijs, & qui ex Pinelliana, Farneſiana alijſque Bibliothecis haberi non ita difficulter poſſunt. *Heronum* autem vt diuerſa opera, ſic non vna quoque nomenclatura fuit, nam alium inuenio *Alexandrinum* fuiſſe, & Cteſibij diſcipulum, qui eodem fermè tempore cum Philone Biſantino vixit; at eo ipſo *Iunior alter* fuit cognomento, *Mechanicus*, cuius meminit Heliodorus in opticis, videturque mihi eo tempore floruiſſe, quo primùm Agareni, qui & Saraceni dicuntur, Imperio Romano moleſti eſſe cœperunt, vnde vt eorum conatibus, facilius obſiſti poſſet, Hero noſter, quãdoquidem & ille, chriſtianus erat, librum ſuum de machinis bellicis edidit; ſed præter hos, *tertium* inuenio, commendatum à Marino Neapolitano in vita Procli, qui mathematicus etiam fuit, quanquam vt ætate à duobus illis, ſic religione, ab hoc vltimo potiſſimum diuerſus; ſinguli vero cũ pluſcula opera mechanica ediderint, quæ nondum plane apud doctos conſtat, cuinam illorum tribuenda ſint; non mihi tantum aſſumã, vt de ea lite pronunciare velim, ſed Allatij mei diatribam opperiar, aut in Salmaſij decretis, qui propediem illuſtratos antiquæ militiæ ſcriptores græcos editurus eſt, tanquã à quibus prouocare non licet acquieſcam, multoque minus in M. SS. codices qui ſub eorum nomine de varijs rebus mathematicis, & bellicis circumferuntur inquiram; cùm nulla ſit bibliotheca paulo inſtructior, quæ non multa opera, ſub eiuſmodi Heronum nomine in pluteis aſſeruet, vt indices librorum percurrenti, nihil frequentius occurrat. *Iulij Affricani* opus magnum de Ceſtis nullibi gentium comparet, ſed qui eius partem faciebant libri quintus, & ſextus de bellico apparatu, cum Romæ in Vaticana, Palatina, Barberina, Farneſiana, tum Monacis Pariſijs, atque alibi ſeruantur, bono vt literatorum omnium, ſic eius auctoris fato, cui niſi ab obſeruationibus quibuſdam ſuperſtitioſis, non aliam poſſis notam inurere, magnus quippe vir fuit, & in varijs doctrinis, ac tem-

temporum præſertim ratione apprime verſatus, quemadmodum ex eius chronico patet, abſque quo fuiſſet, nec Euſebij forſan, nec Hieronymi, aut alterius ſcriptoris chriſtiani quicquam, quod laudabile in eo ſcribẽdi genere eſſet, haberetur. Sed præter opus illud de bellico apparatu, quod Caſaubonus videtur quodammodo innuere, tranſcriptum fuiſſe ex libris Aeneæ Tactici ſcriptoris antiquiſſimi ſanè, & probatiſſimi; quodque in Bauarica non duobus libris, ſed capitibus LXXIX. diſtinguitur; Doctiſſimus Rigaltius aliud quoddã volumen, cui titulus eſt παρεκβολαὶ ἐκ τῶν στρατηγικῶν παρατάξεων ſiue *monita de ijs quæ facieda ſunt in ordinatione exercituum*, eidẽ etiam Iulio Africano attribuit, quod ſi ita eſt, gaudeo repertũ tãdem fuiſſe, nomen iſtius *Anonymi* ſcriptoris, qui ſub eodem, aut parũ diuerſo titulo, & in Barberina, & in quibuſdam alijs Italorum Bibliothecis latet inglorius. *Leonis Imperatoris* conſtitutiones quædam, & fragmenta etiam ex Naumachicis extant in Palatina, quæ Vaticanæ non ita pridem adiuncta fuit, ſed non puto quicquam in illis diuerſum eſſe, ab eiuſdem Imperatoris tacticis, quæ Meurſius in lucem protulit; nam, & in illis decima nona conſtitutio, tota de nauali prælio eſt. Quamobrem pluris nunc facienda ſunt *Baſilij patricij* Naumachica, quæ ex Regio & Palatino codice forſan integra proferri in lucem poſſent, nam Pinnellianus, mancus erat in fine. *Mauricij* ſtrategicorum libri duodecim, paſſim quoque aſſeruantur in Bibliothecis, atque vt puto omnium integerrimi in Ambroſiana, cum varijs alijs auctoribus tacticis, qui quondam Vincentij Pinelli fuerunt; & Romæ in Vaticana, aut Altempſiana, ex optimo codice Peruſino, quem difficile eſt ſcire in vtram vis translatus fuerit; nec dubito præterea eoſdem Pariſijs extare in Bibliotheca Regia, & Tholoſæ in collectione eiuſmodi auctorum militarium, quam habet penes ſe illius vrbis Archiepiſcopus dominus à Sancto Armando, variorum, & optimæ notæ librorum conquiſitione meritò celebratus. ſed eiuſdem Mauricij reperiuntur duo alia exemplaria Romæ in Eminentiſſimi, ac munificentiſſimi verèque librorũ, & literarũ literatorumque amantiſſimi Principis F. Barberini Bibliotheca, vnũ quidẽ antiquiſſimo charactere exaratum, ſed primo, & ſecundo libro mutilum; aliud vero minus probatæ ſcripturæ, ſed integrum; vtrique vero ad nectitur, neſcio

in gloſsario.

ſcio an eiuſdem, aut alterius auctoris, de pedeſtri agmine tractatus viginti quatuor capitibus conſtans; & ibidem reperiuntur etiam duo alij *Anonymi* ſcriptores Græci, quorum primus eſt de oſidione, quomodo ſcilicet eam ſuſtinere imperator aut ſoluere debeat; qui vna cum præcedenti, reperitur etiam in Vaticana, atque alibi paſſim; *alter* vero excerpta ex varijs conſtitutionibus continet, qualis eſſe debeat copiarum præfectus, multaque habet curioſæ, & elegantis doctrinæ, ſua per capita diſtributæ. Vnde venit mihi ſœpius in mentem dubitare, vtrum hic idem cum *Anonymo* illo ſit, doctis omnibus notiſſimo, quē Rigaltius eundem forſan eſſe cum Iuliano arbitratus eſt; & cuius cùm LXIX. capita eſſe deberent, vndecim tantum priora cùm duodecimi parte, in Gallia reperiuntur, & Mediolani quidem in Ambroſiana octaui pars poſterior, cum tredecim alijs ſequentibus capitulis, vſque ad vigeſimum primum. Quin etiam cùm reſciuerim à Flaminio Catellano, Vrbini in publica Bibliotheca, librum eſſe cuiuſdam *Anonymi* Latinè redditum à Ioanne Sophiano, non minus adhuc animi pendeo, quid de illo tandem ſtatuendum ſit, maximè cum in indice librorum Beſſarionis, relatū viderim *Nicolai* cuiuſdam *Sophiani* librum, eidem cardinali dicatum de rebus bellicis, qui forſan non erit à priori illo diuerſus; vnde cùm ex tot ambagibus expedire me facile non poſſim, neque etiam alios magis in illis inuoluam, frigida quadam, aut inani coniectura, quæ haud vnquam niſi ab ipſorum librorum inſpectione, fieri rectè poſſit. Porro his auctoribus, qui principum loco haberi poſſunt, adduntur à nonnullis *Theophili Philoſophi* de præſagitionibus bellicis ex cæleſtium thematum inſpectione, opus mutilum & imperfectum, ſaltem vt

Chiliade. 2. hiſtor. 35. in codice vaticano habetur. *Anthemij* auctoris à Tzetze laudati, de admirabilibus machinis argumenta mathematica, quæ ex codicibus vaticano, & Altempſiano exſcribi nullo negotio poſſent, ſi ea non potius aliarum artium machinis quàm militaribus explicandis dicata forent. *Anomymus* ſœpiſſime à doctiſſimo Rigaltio laudatus περὶ καταστάσεως ἀπλίκτου idest *de ordine & collocatione caſtrorum* ſiue tentoriorū. *Nicephori Blemmida* libellus de officio imperatoris, quem ſe inter miſcellanea editurum recepit Leo Allatius. *Militaria* monita diuerſa abſque alio titulo, vel

vel auctore, quibus nihil eſt in Bibliothecis frequentius: ac denique *Naumachica*, & *Strategica* varia, quæ velut Hippoliti mēbra huc illucque diſperſa iacent, & Aeſculapiū ſuum in Salmaſio expectant, qui Græca hæc omnia, ſuis quæque auctoribus reſtituat, probet, excutiat, damnet, & obelo ac aſteriſmo, prout illi omnium acutiſſimo cenſori videbitur, notet. Sequuntur vero eiuſmodi codices græcos, *Arabici* quidam nuper ab eruditiſſimo Golio ex oriente in Ollandiam delati, ſcilicet *Heronis mechanici Barulcus* ſeu de trahendis oneribus libri tres, græce perditi, arabice ſuperſtites. *Ars ſagittaria* metricè deſcripta, & commentarijs illuſtrata. *Abi Herten* de ſpeculis comburentibus, de quorum vſu in bello, nobis poſtea dicendum erit, tractando de machinis mirabilibus. Et *Anonymus* de rebus bellicis, totaque Pyrothecnia. Atque hi ſunt auctores, præcipuè apud criticos, & antiquæ literaturæ ſtudioſos omnes, commendati; nam ex latinis paucos in Bibliothecis reperio, qui ætatem tulerint, quos non item priuatorū plutei, iam antea editos, varijſque correctionibus, & notis illuſtratos, typorum beneficio ſeruent; qui vero tanti non fuerunt, vt ab aliquo velut altones è colomna leuarentur, hi ſunt *Anonymus* quidam peruetuſtus, & omnino non pœnitendæ lectionis de re nauali, quem doctrinæ & probitatis conteſtatæ medicus D. Ioannes Rhodius, mihi aliquando Patauij, vbi ſuauiſſimè cum illo, memini me longos conſumere Soles, ſimul cum pluribus alijs M SS codicibus diligenter à ſe conquiſitis oſtēdit. *Leonardi Aretini* ſcriptoris minime inter plebeios habendi, Dialogi duo de militia & eius ortu, qui optime curati, & tractati extant Vrbini, in Bibliotheca quæ quondā ducum fuit, tū etiam in diuerſis Vaticanæ codicibus. Reperiuntur quoque in eadem Vrbinatium Bibliotheca, fratris *Angeli Tertoni* diſſertatio de rebus ad vtramuis terræ mariſque militiam ſpectantibus; & tractatus de re bellica ſpirituali per comparationem tēporalis, editus à fratre *Bartholomæo* ordinis fratrum Heremitarum Sancti Auguſtini, & Epiſcopo Vrbinate, quem eundem eſſe puto cum eo, qui ex libris Sancti Auguſtini, opus ſingulari ſtudio, ſecundum Alphabeti ordinem collegit, *mille loquium* Auguſtini vulgo appellatum; Porro liber eius de re bellica, reperitur etiam M S in Angelicà D. Auguſtini Bibliotheca, ſed tertia parte mutilus, quæ eſt de bello nauali, tribus

autem

autem primis capitibus operis ſui, comparationem illam militiæ ſpiritualis cum temporali, inſtituit, verum in reliquo opere de temporali tantum loquitur, eodem ferme modo quo de illa tractarunt Aegidius Romanus, & alij eiuſdem ſortis auctores editi: Iſtis neſcio an recentiores adhuc ſint *Marcellus Marcheſius* Epiſcopus Signinus, qui de modo pugnandi cõtra Turcas præſertim, libros quinque compoſuit in Vaticana aſſeruatos. Et *Lampi Buragi* Strategicon aduerſus eoſdem populos, ad Nicolaũ Quintum, de quo auctore mentionem fieri video, in indice M.S. codicium Beſſarionis Cardinalis. Sic etiam penes Eminentiſſimum tuum Patruũ liber ingens aſſeruatur, cuius compẽdium, paucis ab hinc annis, Lutetiæ patrio, eodemque ſermone, & titulo, qui maioris illius operis erat, editum fuit *Roſeti* ſcilicet ſeu *arboris bellicorum ſtratagematum*; eſt vero liber hic admodum vtilis, militiæ quæ in Galliâ ſub Carolo V; & VI. ante ducẽtos annos per varias machinarum, & ordinum rationes obtinuit, ob oculos ponendæ. Quemadmodum ex *alio* qui penes eundẽ, abſque auctoris nomine, cuſtoditur, equitum, & modus equitandi, qui tunc temporis in vſu erat, gallico veteri idiomate conſcriptus haberi poteſt. Denique iſtis ominibus ſuccenturiari debent *Blachas* quidam nobilis, & Poeta ex eorum claſsè, qui quondam in noſtra Prouincia celebres fuerunt, ſi quidem vt in eius vita refert Michael Noſtradamus, librum vulgari lingua ſcripſit, de modo belli rectè ad miniſtrandi, ſiue ex titulo quem ipſi auctor præfixit *la maniera de ben Guerreiar*. Itemque liber *Hieronimi Magij* de technis militaribus, quem à ſe compoſitum fuiſſe teſtatur; & alter quem de diuerſarum machinarum, terreſtrium perinde ac naualium ratione, additis etiam figuris, ſe aliquando editurum pollicitus fuerat Dominicus Cyllenius, in præfatione librorum ſuorum de vetere, & recentiore ſcientià militari: nec non commentarius *Angeli Monoſini* ad titulum authenticorũ de armis; quem ipſe in libro floris Italicæ linguæ vbi vocẽ *ἀνεῳν* explicat, & forſan etiam in dictionario ſuo, quod vulgo *de la Cruſca* dicitur, factum à ſe, commemorat. Tum *Henrici* illius *Cornelij* qui malè poſt modum ob artes magicas audijt, Pyrotechnia, cuius frequenter in epiſtolis meminit; *Iulij Cæſaris Scaligeri* opus integrum de re equeſtri, quod ſibi furto ablatum fuiſſe conqueritur. *Maximilanique Geizdorfferi*,

copia-

copiarum quas ex Germana Veneti conſcribunt ductoris promptiſſimi, ars militaris recentior, per tabulas eo modo digeſta, quo Ramus, & Zuingerus Philoſophiæ, ac Vvecherus etiam medicinæ partes omnes per certas, & accuratas diuiſiones complexi ſunt. Et *Vincentij Marineri* Hiſpani Eclogæ militares quindecim, verſibus Latinis conſcriptæ, deliteſcẽteſque inter varias eius compoſitiones, quas nuper in programmate quodam edito recẽſuit, puto vt miraculum ſui faciat, adeo ſunt prægrandes, & numeroſæ. Ac denique *Abra de Raconis* præfectus expenſis ſubducendis, quæ mandante Franciſco primo, centum maioribus tormentis fundendis in armamentario Pariſino, & omnis generis ſuppellectile inſtruendis, deſtinatæ fuerant: hic ſi quidem omnium optimè, & magis etiam diſtinctè, quàm quiſquam alius vnquam fecerit, rationem inijt rerum omnium, quæ maioribus illis machinis æreis, non modo flandis, ſed inſtruendis omni apparatu neceſſario hominum, inſtrumentorumque, tam in campalibus, quàm obſidionalibus prælijs neceſſariæ ſunt; ita vt ſi eius liber M. S. quem D. Renatus Moræus ſua in inſtructiſſima Bibliotheca reperiri, nuperis ad me literis ſignificauit, Solem aliquando liberiorem, typorum beneficio aſpiciat; magna ſpes me habeat, non minimum inde ad Principes omnes, & tormẽtorum præfectos vtilitatis acceſſurum; quantum enim ex ſingulorum capitum indice conſequi poſſum, præclara ſunt omnino quæ in ipſis habet & vtinam publica quoque eſſent. Porro vt hactenus enumerati codices numeroſi ſint, ſi tamen addi poſſe ipſis infinitos dixerim, non equidem mentiar, ſed Bibliothecas ad id veteres excutere oporteret, & cœnobiorum clauſtra, potentiorumque limina ſubire; tum etiam indices euoluere Memmianæ, Puteanorum, Barrocianæ, Peyreſcianæ, Pinellianæ Bodleuianæ, & reliquarum eiuſmodi Bibliothecarum, quæ exaratis calamo voluminibus; ſi cum alijs priuatorum conferantur, nullas potiores habent, ac ne pares quidem mea vtique ſententià. At vero iſtud facere, hominis eſſet, aut in maxima hominum, & amicorum frequentia viuentis, aut liberè per Europam diuagantis, non eius qui in hoc amœniſſimo ſeceſu vallis Reatinæ, tanquam in hortis Orianeis ſedet, vnde non poſſit exire ſuo modo, aut amicorum ope, conſilijſque iuuari.

Typis

9\. *Tum editi antiqui omnes.* Typis autem demandati ſunt, omniumque manibus teruntur quotidie Græci ſequentes, *Homerus* & *Plato* ſi quidem illos vt antea dixi, Patricius ſcriptoribus de militia acceſſet: *Xenophontis* diuerſa opera: *Aenea* quē multi ſed perperā pro Cinea, ab Aeliano, & Cicerone, laudato habent, tactica ſeu de inſtruendis aciebus vna cū Polybio Caſauboni vtraque lingua edita, & doctiſſimis notis illuſtrata ab eodē viro, de hoc antiquo ſcriptore, vt de multis alijs meritiſſimo. *Aeliani* etiā Tactica græcè primū quidē prodierūt Venetijs, curà Frāciſci Robortelli, & Geſneri, cū additis quibuſdā fragmētis, vt puto, ex Leone, & Mauricio; ac poſtea latinè cum Vegetio Petri Scriuerij, & Godeſchalci Steuuechij, ſed tamen ex verſione Theodori Gazæ, quæ prius, & ipſa edita fuerat Coloniæ; deinde excuſſa fuerunt Gallicè etiam cum Frontino, & Modeſto lingua noſtra vernacula explicatis; ac rurſus cum Polybij compendio militiæ Romanæ, ex interpræratione Ludouici de Machault; demumque Græcolatinè in editione Batauа Sixti Arcerij, qui notas ſuas adiecit vberes, varias, vno verbo optimas; rurſusque eiuſdem auctoris excerpta quædam de re militari veterum, & nominibus præfectorum habentur in illa farragine librorum, quæ acceſſit Lexico Græcolatino Tuſani, editionis Venetæ anni MDLV. nam in Conſtantini, & Budæi poſteriore, non item apparet; & varij etiam codices ſeruantur tum Græci, in Vaticana, & Vrbini, tum & Latini paſſim, ex quibus ſi quid adhuc nouà criticorum diligentià opus eſt, in eo auctore expoliendo, præſtari ea ab ijs commodè poſſit. *Leonis Imperatoris* libri xx. prodierunt tandem Grecè Lugduni Batauorum, operà Ioannis Meurſij, viri in Muſarū ſtudijs indefeſſi, qui notas adiecit cùm ante haberetur tantum latina interpræratio Ioannis Chеei Londinenſis, & Philippi Pigafetæ vulgaris Italica cum notis non prorſus contemnendis; omnes vero illæ conſtitutiones tacticæ, magna parte ſuccum ſuum traxerunt, ex Onoſandri Strategico, cuius tamen auctoris nomen, ingrato ſilentio, bellus ille homo ſemper obruit, itaut illius nullibi meminerit, niſi ſemel, cùm eius carpere vellet ſententiam; dignumque illud inſuper obſeruatione mihi videtur, quod huius, & Mauricij Imperatoris plerumque eadem, aut parum diuerſa ſunt verba; vt quemadmodum Galenum ex Paulo, aut Aetio, ſic non difficile ſit alterum eius-

eiuſmodi auctorum ex alio correctiorem facere. *Conſtantini* Porphyrogenetæ Tactica, primus ex Bibliotheca Palatina Meurſius protulit, & Græcè tantum edidit vna cum alijs opuſculis, latinè tamen redditis à Bonauentura Vulcanio, nempe de Thematibus, ſeu agminibus militaribus per Orientale Imperium diſtributis, & de adminiſtrando imperio, quę ſi quis accuratè legat, is non malè meo iudicio tempus collocaſſe videbitur. *Orbicij*, ſeu *Vrbicii* ſcriptiuncula ingenioſa ſanè, & oppido vtilis, in qua docetur quomodo Romani Barbarorum equeſtres copias debellare ſecurè poſſint, ex veteri primùm, ac minuto fragmento, quod etiam num reperitur in lexico grçco Tuſani, olim edita, auctior demum prodijt ab eruditiſſimo Rigaltio, & melior adhuc reddi proculdubio poſſet, ex Ambroſiano codice, quem olim viſum in Bibliotheca Pinelliana Franciſco Pithæo fuiſſe, nullus dubito, cùm Ambroſianus hic ab iiſdem verbis incipiat, quæ Pithœus retulit apud Rigaltium, & alijs quam in exemplari edito finiatur. Verùm quid hic Orbicium dico auctorem fuiſſe eius ingenioſi commenti, cùm Salmaſius ex antiquo epigrammate græco, quod primus ipſe ex veteri memoria erutum protulit, luce meridiana clarius oſtendat, Tactica hæc *Hadriani* imperatoris fuiſſe, non autem Orbicij, qui ea tantum cum diu latuiſſent, ſub Anaſtaſio tandem reperta, protulit, vt ex eodem epigrammate conſtat, quod hic propterea inſerendum putaui, ex interpretatione latina Ioannis Argoli, iuuenis in tantum laudandi, in quantum ſumma modeſtia, & felix ad omne munus literarium propenſio, qua græcè iuxtà, ac latinè, & vincta ſolutaque oratione, multa quotidie cudit, & componit, intelligi in eo, atque laudari poſſunt; ſic igitur ille non libero, ſed græcis phraſibus, & pene verbis adſtricto carmine

In Librum de re militari Orbicij ex-Conſulis, erat vero liber opus Hadriani Cæſaris.

Vtere Lector. Opus plenum me fortibus auſis,
Quod quondam Hadrianus mediis circumtulit armis,
Obliuioſa diu velarat inertia nocte;
Fortis Anaſtaſii ſed deinde reſurgere in æuo

Con-

Contigit ad lucem, vt rurſus ſtudio arma iuuarem.
Noui ego ſanguinei Martis fera iura docere.
Noui etiam lecto veluti me perdere gentes
Heſperias potes, exitiales & Saracenos
Et genus implacidum, gaudenſque iugalibus Vnnos
Atque fuga celeres ſaxoſa per auia Iſauros.
Omnia Anaſtaſio ſub Principe perficere eſt fas,
Quem mage Traiano rutilantem protulit ortus.

Heronis Cteſibij diſcipuli belopoeca ſiue teli factiua Bernardinus Baldus Vrbinas interpretatione, & notis, atque figuris illuſtrauit, maximo prorſus, ſed non minus feliciſſimo labore. Sic *Polyæni* Rhetoris antiqui ex Macedonia, Stratagematum libros octo, vnus Caſaubonus græcè & latinè publici iuris fecit; vt *Onoſandri* Strategicum Rigaltius, in quo fruſtra prius deſudarant Nicolaus ſaguntinus, & Ioachimus Camerarius vir alioqui non vulgariter eruditus; eundem vero commentarijs politicis illuſtrauit Ioannes à Cokier, & Franciſcus Cocoius, quem eundem eſſe cum Fabio Cotta Romano, multis adducor vt credam, Italis ſuis proprio idiomate legendum obtulit, quemadmodum etiam fecit Blaſius Vigenenarius gallico. *Polybius* elegantiſſimæ ſuæ diſſertationis de militia, & caſtrametatione Romanorũ plures interpretes habuit, ac inter alios Ianum Laſcarim; commentatores vero tantum duos, nempe Iuſtum Lipſium, & Franciſcum Patricium qui in hoc auctore præluſit, antequam de militaribus paralellis cogitaret; nec inutilis eſt *eiuſdem auctoris* collatio armaturæ ordiniſque, quo in iuſtruendo exercitu, Romani atque Macedones vſi ſunt, prout ille reperitur in fragmentis libri decimi octaui; licet enim breuis admodum ſit, rem tamen de qua inſtituitur optimè adimpleuit. His denique auctoribus addendas pro coronide cenſeo, *CXLI. leges militares Rhodiorum*, quas cum naualibus, & georgicis editas, memini me apud clariſſimos, & integerrimos fratres Puteanos, qui me pridem ſuà amicitià augendum, & cohoneſtandum cenſuerunt, non ſemel in eorum locupletiſſima Bibliotheca euoluiſſe. Inter Latinos autem primipilus eſſe ſolet *Flauius Vegetius Renatus*, licet in libris quinque de re militari, qui tanti ab omnibus fieri conſueuerunt, nihil, vt inquit vir magnus, habeat meri, ſed ſui, ac ſuperioris æui inſtituta ple-

Digitized by Google

rumque confundat; nec vni Polybio, in ijs quæ de militia Romana breuiſſime ſcripſit, vlla ex parte ſit conferendus: ſed cuiuſmodi tandem ſit, magni tamen à nobis fieri debet, *propter mille annos*, quemadmodum Iuuenalis de Homero dixit; & legendus eſt præſertim ex recognitione Petri Scriuerij, cum notis; explicationibuſque eruditiſſimis Godeſchalci Steuuechij, & Franciſci Modij, quò ille ornatior tibi videri, atque vtilior etiam eſſe poſſit; nam reliquæ editiones, quæ diuerſæ fuerunt, huic collatæ ſordent; etſi poſterior hæc melior in quibuſdã reddi poſſit, iſtud profecto ſperandum eſt, ex duplici codice Peyreſciano, vtroque vetuſtiſſimo, & notis eiuſmodi in principio, & fine exornato, quæ ſuffragium ferre Volaterrano aduerſus Scriuerium, pro dignitate illa *comitis Conſtantinopolitani*; & tempus quo auctor ille vixit, multum etiã Steuuechio incertum, determinare poſſint. Vegetij autem Epitomator *Modeſtus* adeo infeliciter hoc in munere verſatus eſt, vt ſe nihil vnquam putidius vidiſſe Modius aſſeueret, quare nec admodum anxiè de illo inquirendum eſt. Porro iſtis ambobus accuratior cenſetur *Frontinus* in ſolertibus Ducum factis, & dictis, ſiue ſtratagematum collectione, exarata dictione facili, & ordinatiſſima temporum ſerie, quanquam ab alijs ſcriptoribus nonnumquam diſcrepet in rerum geſtarum narratione, dubium errore an conſilio, & lutulentus aliquando fluat, ſi delicatiorum aures conſulamus; quod vero ſe libros alios de militia conſcripſiſſe, in præfatione ſtratagematon, non obſcurè ſubindicat, res eſt quam ſupra leuiter attigi, & quæ tam ſolidè à Voſſio, & Steuuechio probata fuit, vt nihil hic ab ipſis diuerſum ſentiam. Extant præterea *Iulii Hygini* ſeu vt alijs placet *Hegeni*, quem cognomento Gromaticum vocant, liber de munitionibus caſtrorum vt legitur in catalogo M.SS. veterum Scipionis Tetti; & *Ruffi* leges militares; ac *Anonymi* cuiuſdã liber de rebus bellicis, aut potius de nũmis, & machinis, ſcriptus ad Theodoſium, qui libri omnes ſimul editi prodierunt, cũ Vegetio editionis Batauæ, quã accurauit Petrus Scriuerius: Cæterum præter hos conſulendi ſunt etiam *Pollio Vitruuius*, eo maximè libro, quo de machinationibus antiquis diſſerit, hoc eſt vltimo totius operis; & *Iulius Pollux* capitibus decimo, & vndecimo libri primi; tum auctor *notitiæ vtriuſque Imperii*, quem prius è cœnobijs protulit Gelenius, auxère vero, &

præfat. in not. ad veg.

de hiſtor. latin.

ad Vegetium lib. 2. cap. 3.

Ll locu-

locupletauere Pancirolus, & alij, quibuſdam notis, & tractatibus varijs, ac inter alios anonymo illo de machinis, quem editum fuiſſe cum Vegetio Scriuerij, dictum eſt. Ac tandem, omnes illi qui de rebus ad bellum, aut pacem ſpectātibus orationes habuerunt, vt *Themiſtius* Philoſophus, & Rhetor, qui orationes duas ſcripſit ad Valentem Auguſtum, de ijs qui bello capti erant, clementer tractandis, & de pacis formandæ ratione, quæ ſunt ordine quarta, & quinta, inter publicatas à GeorgioRemo. *Maximus Tyrius* in diſſertationibus contrarijs, vtrum milites, vel Agricolæ ſint Reipublicæ vtiliores. *Dio Chryſoſtomus* oratione vigeſima ſecunda de pace, & bello: *Iſocrates* oratione de pace; *Andocides* in exhortatione pro pace cum Lacedemonijs facienda; *Lesbonactes* in ſermone de bello Corinthiorum, & in alio ad Lacedemonios habito, vt rem fortiter contra Athenienſes in bello gerant. Quibus omnibus accedunt Philologi ſcriptores antiqui *Stobeus*, & *Agellius*, qui multa paſſim de militia referunt; Necnon *Ammianus Marcellinus* miles Græcus ſub Valente, & hiſtoricus, vel eo tantum nomine inter Tacticos numerandus, quod velut ex indice peculiari rerum militarium patet, quem Lindembrogius bene de hoc auctore meritus, ſub eius finem adiunxit, multa quæ ad bellorum, & machinarum rationes ſpectant, non futili plerumque cenſurà, inter ſcribendum, vſurpata ab eo, atque explicata fuiſſe conſpicuum eſt. Neque aliter iudicandum cenſeo de *Iuuenalis* ſatyra vltima, quæ tota eſt de militum priuilegijs, & præmijs ad Gallum, quoniam etſi Angelus Decembrius, eam expungere è reliquarum numero, & Iuuenali ſubtrahere conetur; potior tamen eſt vnius Seruij auctoritas, qui ad illud Aeneid. 11. *ſi omnes vno ordine habetis Achiuos*, ita hanc Iuuenali vendicat, & aſſerit, *vno ordine*, inquit, *vno reatu, & eſt de antiqua tractum ſcientia: quia in ordine dicebantur cauſæ, propter multitudinem, vel tumultum feſtinantium, quum erat annus litium*, Iuuenalis

ib. 1. par. 10.

Expectandus erit qui lites incboet annus.

Harpocrationis denique *Suidæ*, & *Iſidori* Onomaſtica, ne reliquos enumerādo, longior euadā in auctorū cenſu, multū huius antiquæ militiæ illuſtrationi cōferre poſſunt; Quemadmodū etiam incredibile eſt qantū ei ornamēti accedat, ex ingenti illa *Columna marmorea*, quæ poſt bellū Dacicum feliciter cū Decebalo Rege confectū,

Tra-

Digitized by Google

Traiano Imperatori à ſenatu dicata fuit, & etiam num hodie pedum CXL in altitudinem eminens, erecta conſpicitur; cochlide intus, extra vero mirabili adeo artificio cælata, vt figuræ omnes tum ſummæ, tum imæ, magnitudinis eiuſdē oculo videātur; quare non poſſum quin eius ectypa, tabulis æneis graphice per Franciſcū Villamenā delineata, ita vt ſingulæ chartæ ſimul cōpaginatæ, volumen haud pœnitēdum efficiant, inter libros reponam, qui ad iſtius generis doctrinam prorſus attinent; ſi quidem in his tabulis, quæ particulatim ad rerum geſtarum veritatem, inſculpta præſeferunt antiqua ferme omnia Romanorum monumenta, ac bellica præſertim; vno quaſi intuitu obſeruari poſſunt, naues, pontes, turres, munitiones, pugnæ, caſtra, captiui, captiuorumque ac militum arma, veſtes, totuſque pugnatorum habitus, & quiquid vſquam in exercitibus Romanorum vſurpatum fuit.

10. *Ac recentiores qui ſcripſerunt de militia antiquorum in ſe tantummodo ſpectata.*

Inter recentiores vero, quorum numerus eſt propemodum infinitus, alij eruditionem tantum conſectati ſunt, in explicanda militari veterum diſciplina; alij vtilitatem etiam, ac vſum, in exponenda, & nouis conſilijs, aut inuentis adornanda ea, cuius nunc more, inſtitutoque, bella inter homines geruntur. Ac priores quidem vel militiam Gallis antiquioribus vſurpatam deſcripſerunt; vt *Petrus Ramus* in libello de moribus veterum Gallorum; vel Germanis vt *Reinardus ſenior* Comes Solmenſis; vel Græcis, quorum inſtituta militaria colligunt, & explicant. *Samuel Petitus* libro octauo legum Atticarum; *Nicolaus Cragius* libri tertij de Republica Lacedemoniorum tabula duodecima; & quarti, capite tertio *Meurſius* libro de Cecropia ſeu arce Athenarum; *Kyriacus Stroza* in primo libro ex duobus, quos addidit octo politicorum ab Ariſtotele relictis; *Iacobus Faber* Stapulēſis qui in Hecatomia, leges Socratis, & Platonis de militia retulit, & accuratiſſimus *Rigaltius*, cuius Gloſſarium tacticum, totum poſtea in ſuum tranſtulit *Meurſius*. Vel denique Romanis, & hi rurſus aut abſolutè de ea tractarunt, aut comparatè ad eam quæ in præſentia apud nos obtinet, ita vt coniunctim de vtraque dicerent. Priori igitur modo videri poſſunt ſermonem de militia Romanorum inſtituiſſe *Iuſtus Lipſius*, tam in quinque libris de militia Romana, quàm in totidem poliorceticon; *Franciſcus Patritius* in expoſitione militiæ Romanæ, ex Polybio, Dionyſio Halicar-

naſſeo, & T. Liuio Italorum idiomate proprio conſcripta; *Ioannes Antonius Valtrinus* Societatis Ieſu presbyter, ſeptem libris de re militari veterum Romanorum, quos operæpretium ſit diligenter euoluere. *Henricus Sauiles* Anglus, qui de ſe ipſo iſtud Cornelij Galli vſurpare merito poſſet

Nec minor eſt nobis per pauca volumina famæ,
Quam quos nulla ſatis Bibliotheca capit.

eſt enim breuis, terſus, & accuratè doctus. *Albericus Gentilis* in erudito opere de militia Romana; *Petrus Ramus* enarrator militiæ Iulij Cæſaris, in libello huic tantam rei deſtinato; *Antonii Auguſtini*, & *Lalii Taurelli* epiſtolæ amæbeæ de militia ex caſu, ad Iuſtiniani nouellam liij. & lxxxxvij. necnon *prioris* libellus alter de excuſationibus ad Modeſtinum, vbi de militari ætate, magis quã per tranſennam diſſerit; *Petrus Abaunza* I. C. Hiſpanus, qui nuperrimè prælectiones philologicas edidit, ad titulum decimum quintum de ſagittarijs; ex libro quinto decretalium; *Franciſcus Contarenus* in cõmentario de militari ſtipendio Romanorũ, quem contra Lipſium ſcripſit, & pro mantiſſa adiecit libro ſuo de frumentaria largitione; *Sixti Arcerii* illuſtriũ aliquot præliorũ è veteribus deſcriptiones, cum acierum iconiſmis ære expreſſis, quãuis liber hic, nõ minus ad Grecos quã Romanos pertineat; *Iulius Cæſar Bulengerus* in Imperatore, & alibi paſſim; *Alfonſus Ciacconus* in hiſtoria vtriuſque belli Dacici, ex ſimulachris quæ in columna Traiani Romæ viſuntur, collecta; *Guillelmus Caulius* in libro Gallico de caſtra metatione, & diſciplina militari Romana; *Gabriel Simeon* de tribus campi partibus; *Iulius Ferrettus* in antiqua illuſtrata & inſtaurata militia terreſtri. *Robertus Valturius* qui Sigiſmundo Malateſtæ Ariminenſium principi, militaris diſciplinę præcepta, è Grecorum, Latinorumque hiſtorijs præſcripſit, explicatis etiam delineatiſque rudiori picturà, veterum machinarũ artificijs; *Volaterranus* libro trigeſimo Philologiæ; *Roſinus* antiquitatum Romanarum libro decimo, & ex conſequenti, qui hunc auctorem varijs collectionibus auctiorem fecit *Dempſterus*; *Maphæus Vegius* eleganti opuſculo; *Iacobus Pontanus* in poſteriori parte tertij voluminis progymnaſmatum; *Marius Grapaldus* libello notiſſimo de partibus ædium; *Iulius Barbaranus* in promptuario; *Leonardus Fortius* qui vulgari Græcorũ metro libellum

de

de militia edidit, variorum inſtrumentorum figuris adornatum, quæ omnino eadem viſuntur in libro italico, cuius titulus eſt *Vallo, libro apartenente a Cauallieri*; vt difficile ſit conijcere, vter ab alio fuerit deſcriptus, ſed prioris tamen ob linguam, maior eſt apud Criticos auctoritas; vnde Rigaltio, & Meurſio, frequenter laudatus inuenitur; *Cœlij Rhodigini* admirandæ non minus quàm antiquæ lectiones, plurimũ etiam huic negotio conducunt; vt *Ioachimi Camerarii* liber de diſciplina equeſtri; *Petri Fabri* agoniſtica ſeu athletica; *Mercurialis* ars gymnaſtica; *Lipsij* ſaturnales ſermones de gladiatoribus; ac denique *Alexander Neapolitanus* in genialibus; *Barnabas Briſſonius* ampliſſimi ſenatus Pariſienſis præſes, libro quarto formularum, qui totus de militaribus eſt; *Iuſtus Rycquius* de Capitolio; & *Vvolfangus Lazius* quiiingenti illo volumine commentariorum Reipublicæ Romanæ, nihil aliud antiquius habuiſſe videtur, quam vt militiam Romanam explicaret, adeo totus in illa eſt, libris quarto, quinto, ſexto, & tribus alijs ſequentibus; ſed audio prætera Claudium Salmaſium campum hunc ſibi repaſtinandum aſſumpſiſſe, in quo pro ea immenſitate doctrinæ, qua diſciplinas omnes illuſtrat, non dubito quin multa promere, ac velut ex adytis penitiſſimæ antiquitatis, & fauiſſis capitolinis eruere poſſit, quæ fruſtra hactenus ab alijs tentata, ab alijs ne tentata quidem fuerunt.

II. *Tum de veteri, & noua inter ſe collatis.* Comparatè vero de vtraque militia, tam recenti, quàm antiqua, primus qui benè ac eruditè ſcripſerit, fuit *Patricius* in Paralellis, vnde, & hoc elogium tulit, à perquam idoneo iudice maximo Scaligero *Franciſcus Patricius ſolus videtur digitum ad fontes intendiſſe, quem ad verbum alij qui hoc ſtudium tractarunt quum ſequantur, tamen eius nomen ne ſemel quidem memorarunt.* (epiſt. 119. ad Calaub.) Sequutus eſt ipſum nouiſſimè *Hermanus Hugo*, qui de militia equeſtri antiqua & noua opus edidit, non minus doctrinà varium, quàm ſtylo elegans, & figuris omnium quas viderim accuratiſſimè delineatis, exornatum; ſimile quid etiam conatus fuerat *Dominicus Cyllenius*, ſed tam infra laudem conſtitit, in ſordido puluere quorundam exemplorum, & apophthegmatum, quàm audacter modeſtiæ repagula perfregerat, vt magnificum operi ſuo titulum inſcriberet; & idem quoque *auctor Florentinus politicæ damnatæ* ſibi propoſuiſſe videtur, cùm animum ad ſeptem illos

libros de arte militari conſcribendos appulit, quos poſtea latinè vertit, & edidit Ianus Morellius, vt Teutonicè Heroldus ab Hœchſteten. E noſtratibus vero Gallis quamuis diuerſi hanc Spartã ſibi excolendam ſumpſ rint, videtur tamen illos omnes, longo poſt ſe interuallo reliquiſſe *Ludouicus Regius*, cùm in comparatione quam libro jx. de viciſſitudine rerum inſtituit, militiæ Romanæ cum moderna, tum vero potiſſimum in commentari js ſuis ad libros politicos Ariſtotelis & Platonis, in quibus maxima ſedati & maturi iudicij ſignificatione, multa habet, aliter, quàm vulgus politicorum ſoleat, diſcuſſa in hanc rem, & variè ſubtiliterque examinata. Quid plura *Alexander Sardus*, & *Polydorus Virgilius*, dum rerum omnium inuentores diligenter conquirunt, eos quoque enumerant, à quibus in vtraque militia, noui aliquid excogitatum eſt, & mihi nunc venit in mentem quarundam tabularum excuſarum Antuerpiæ, in quibus noua arte, cum aquis regalibus, & acerrimis, lineas in ære ducendi, expreſſa conſpiciuntur arma cuiuſuis generis, trophæa, & exuuiæ, ornamentaque arcium & templorum bellica, quæ idcirco titulum operi fecerunt *Panoplia* ſeu *Armamentarij*, & mirificè animum reficiunt, oblectantque, iucundiſſimà illa tot armorum, inſtrumentorumque, & machinarum, cùm veterum, tum nouarum varietate. Sed plura etiam in hanc rem habent *Aegidius Cardinalis Columna* parte vltima operis de Regimine Principum; *Ramus* in prooemio mathematico; *Gregorius Tholoſanus*, toto vndecimo libro Reipublicæ, qui eſt de militari cura, & libro vigeſimo quinto ſintaxeos admirabilis; *Adamus Contzen* libro decimo politicorum; *Antonius Zara* membro decimo quinto ſectionis ſecũdæ, anatomiæ ingeniorum M. A. *Petilius* I.C. Neapolitanus, exarchiæ, ſiue de exteriori principis munere libro nono, atque hi tres poſtremi ſcriptores, omnia complexi ſunt, quæ de bello, Duce, & milite, ex florilegijs, & locis communibus variorum autorum dici poſſunt, tam copioſè, vt ſi quis ἀκρίβειαν in illis deſideret, ſaltem laborem, & doctrinæ communis argumenta varia non poſſit. In eodem præterea argumento verſatus eſt *Carolus Scribanius* in Chriſtiano politico, ſed ſuo more, id eſt ſtylo eleganti, terſo, acuto, & micante inter acumina ſenſuum, & floſculos ſentẽtiarum, quas interdum etiam ex ſuo penu depromit: quemadmodum *Lipſius* ſemper ex alieno; ſed breuiori

uiori

uiori tamen flexu dictionis, & amœnitate maiori, quà rem per ſe moleſtam & difficilem e- poliuit in doctrina ciuili. *Hugo Sempilius* multa ſtrictim delibat in libris ſecundo, & quinto de mathematicis diſciplinis, vbi catalogum addit, auctorum qui de militari arte ſcripſerunt, ſed tam confusè, neglienterque concinnatum, vt eo non magis lector iuuari poſſit, quàm ſi editus nunquam fuiſſet. Audioque virum ſolidè eruditum *Ioannem Baptiſtam Donium*, in magno opere ſuo philologico, cui à rerum varietate pandectarum nomen eſſe voluit, titulum de militia feciſſe, in quo multa eruuntur de nouo vocabula, multa quæ in vſu erant, ad incudem reuocantur, & explicantur ſuo ac doctiorum modo. Sed hi omnes ex ingenio locuti ſunt; ab experientia vero librum recens editum vidi, qui cæteris omnibus facilè obſtruat, nempe imaginem perfecti Ducis, expreſſam ex Iulij Cæſaris commentarijs, à fortiſſimo, & ſapientiſſimo Duce *Errico Roano*, qui nunc in Tellina valle ſub Chriſtianiſſimo Rege caſtrorum præfectus, idem omnino facit quod quondam in Alpibus Taurinis *Guillelmus Bellaius Langæus* eodem munere defungens, fecerat, editis etiam tribus libris de re militari, quos poſtea Mambrinus Roſeus Italicà, & omnes ferme populi, ſuà linguà reddiderunt, ob ſummam eiuſmodi librorum, qui ab expertis, & celeberrimis noſtrà, & patrum memorià Ducibus, compoſiti fuerunt, vtilitatem; & à qua iſtud etiam honoris, & præmij retulerunt, vt merito beatiſſimi exiſtimentur; ſi quidē recte dicebat Plinius Iunior *beatos puto, quibus deorum munere datum eſt, aut facere ſcribenda, aut ſcribere legenda, beatiſſimos vero quibus vtrumque*. Porro iſtis omnibus magis, vt opinor, ad recentis militiæ placita deflectunt, R*uggerius de* L*oria*, qui de vera arte militari ex Cæſare diſſeruit; I*mperialis* C*inuſſus* de diſciplina militari antiqua, & noua; & A*chilles* T*arduccius*, qui vt priores illi hetruſco ſermone de machinis, & aciei, caſtrorumque diſpoſitione commentarios aliquot publicauit.

lib. 6 epiſt. 16

Verum cum ab iſtis deueniēdum mihi ſit ad innumeros ferme alios, qui de poſteriore hac, & noua militia dixerunt, abſque vlla antiquioris conſideratione, niſi quantum ea opus eſt, vt quomodo recens à priori illa dependeat, nō ignoretur; videor mihi nulla eos cōmodiori via, aut ordine referre poſſe, quàm ab ijs incipiēdo, qui vniuerſam artem ſcriptis ſuis abſoluerūt, vt mox per alios 12.

Ac demum de noſtra & eius partibus ſingulis eo ordine diſpoſiti quē nos in hoc ſyntagmate obſeruauimus

Digitized by Google

qui nonnullas eius partes ſigillatim attigerunt, eo ordine ſequar quo,& in hoc ſyntagmate conficiendo, nobis vtendum eſſe duximus. In eorum igitur claſſe,qui generatim de militia differuerunt plus doctrinâ academicâ, quàm rerum experientiâ commendantur *Gaſparis Facii, Richberi,& Montacuti* axiomata militaria. Diſcurſus Italici de bellorum ratione *Aeneæ Seruellini*, *Franciſci Fiamelli*, *Hieronymi* F*rachettæ*, *Fabÿ Fretzæ*,& *Antonÿ* C*iccarelli*. I*oannis Heroldi*, Acropolitæ ſtratagematum ſiue militaris ſolertiæ chiliades tres: A*nſelmi* S*trechelii* enchiridion ſtratagematicon *Beliſſarius Aquiuiuus* Neritinorũ Dux, & I*acobus* Comes puriliarũ qui auito excuſſi imperio, cùm ſe factis probare non poſſent militaris diſciplinæ peritos, iſtud calamo ſaltem oſtendere voluerunt. C*arnazani* Poetæ Hetruſci verſus, qui vtiliores ſunt linguæ vetuſtioris Italicæ, quã militiæ ſtudioſis: I*oannes* C*arnutenſis* de re militari: T*homas Filiarchus* de bello: L*aurus Gorgierius*;& *Hanapius* de victorijs diuerſorũ; *Nicolaus* V*ernuleius* de bello feliciter gerendo: *Hieremias* P*aduanus*; *Adamus* I*unghãs* omnes, vt mea fert opinio, aut declamatores ſunt, aut eiuſmodi, vt rerum ſummã in bello nõ faciãt. *Eliæ* R*euſneri* ſtratagematographia, ſiue theſaurus bellicus, multũ habet eruditæ lectionis, quemadmodũ etiam R*anzouii* cõmentarius bellicus, qui vtà copiarum Duce factus, dignus quidem eſt, qui à præfectis, & Imperatoribus legatur, non ſecus ac *Nuai* militis optimi, ſed non æque Catholici, diſcurſus militares; & quicunque alij non tam ab eruditis, quam multo bellorum vſu probatis hominibus elaborati fuerunt. Qua ratione pro optimis habentur. *Bernardini Mendozzæ* conſcripta hiſpano ſermone, ac poſtea etiam italico, militaris artis, tam maritimæ, quàm terreſtris inſtitutio; I*oannis* I*acobi* V*alhauſÿ*; *Bernardini Eſcalantes*, & *Flaminii à Cruce* opera omnia; Franciſci Mariæ Ducis Vrbinatis diſcurſus militares; fratris *Lelÿ Brancacii* equitis Hieroſolymitani, & A*ntonii* P*etrieræ* Cirhei, munera & officia militaria; P*raiſſaoi*, L*aprugnei* C*orboſoni* ſcriptorum noſtratium, & *Franciſci Ferretti* Anconitani, introductiones dilucidæ in artem militarẽ; *Fauſti à Bufalo*, & M*atthei Baccellini* cùm diſcurſus, tum aphoriſmi de varijs rebus, quæ neceſſariæ ſunt exercitui conſcribendo, ducendoque, & aciei formandæ, ac expugnandis arcibus, aut propugnandis; ac demum M*atthæi Sauorgnani* Comitis Bèlgraden-

ſis,

ſis, vtriuſque militiæ quæ terrà marique geritur ars perfecta ; &
Bartholomæi Pelliciarii monita bellica ; hæc enim opera non
otioſorum commentis, aut literatorum meditationibus ſimilia
ſunt, ſed veram rationem continent, eius quod in militia, iſtis tem-
poribus, rectius & frequentius vſurpatur. Quod non item aſſerere
poſſum de curſu bellico *Petri Mariæ Contareni*; de diſciplina mili-
tari *Franciſci Valdes Hiſpani*, *Georgii Viuiani Galli*, *Leonardi Fronſ-
bergii*, *&* *Lazari Schuuendi* Germanorum, *Hieronymi Ruſcelli* Ita-
li, & *Martini Egniluz*; aut de technis, & erroribus, euentibuſque
bellorum diuerſis *Bernardini Roccæ* Placentini ; cùm nec libros
eiuſmodi viderim , nec qui eos ſcripſerunt, tanti vnquam ab alijs
fieri meminerim, vt referri merito inter optim s debeant. Atque
hi ſunt Auctores, quos noui vniuerſam militarem diſciplinam
ſcriptis ſuis pertractaſſe; ſequuntur modo alij; quibus ſatis fuit par
tem aliquam eius illuſtrare , cùm reliquas forſan æque facilè non
poſſent; inter quos, primus locus iure debetur *Friderici Vuernſtre-
ri* libello Germanico de belli malis ; eiuſque ſententiæ euerſori
Thomæ Lineo Ruſcio, qui belli ſimul , & militiæ encomium conte-
xuit , editum in vaſta illa collectione diuerſorum auctorum , qui
materias infames, ſiue quis mauult dicere cum Agellio *inopinabi-
les* , aut cum Græcis ἀδόξους ϗ ἀτόπους ὑποθέσεις ingenij experge-
faciendi gratià , laudandas ſuſceperunt: hiſque Comites eſſe
poſſunt *Ioannes Baptiſta Pacianus* , *Scipio à Trigona*, *Franciſcus
Serdonatus* ; *Hieronymus Vrea* , *&* *Chaſſaneus*, qui præcellentiæ,
& honori militum, breuibus quibuſdam, ſed argutis libellis patro-
cinati ſunt; tum *Auguſtinus Niphus*, *Ioannes Lauterbachius*, *&* *Ale-
xander Taſſonus* qui tantà facundià perorarunt pro militibus in
literatos , vt ; *Ioannes Baptiſta Grinæus* haud iniurià ſub paradoxi
titulo libellum euulgarit, in quo horũ eleuare conatus eſt ſenten-
tiam . Nec ab illis etiam ſeiungi debẽt auctores qui de militum, &
equitum priuilegiis conſuli à Iuriſperitis ſolent , quales ſunt
Matthæus Burnius ; *Claudius Cotteraius* ; *Marcus Mantua Bena-
uidius* ; *Signorellus Omodeus*; *Chriſtophorus Lanfranchinus*; *Petrus
Calefatus* & id genus alij . Secundum vero locum ſibi hac ſerie
poſtulant *Ioannes Alphonſus* Florentinus, itemque *Dominicus Mo-
ra* Bononienſis, *&* *Ioannes Altonus* de milite; *Antonius Ruldanus*,
& *Franciſcus Scaphorus* de electione militum; *Simon Vallambertus*

de eorundem fortitudine & induſtria; *Ioannis Surgeni*, & *Bartholomei* Pelliciari informatio Tyrocinij militaris; *Franciſcus Scaphorus* de exercitijs, & *Franciſcus Fiamellus*, de militum interrogationibus. Tum P*etrus Montius* Mediolanenſis, *Alexander Braſſicanus*, *Camillus* Agrippa, *Saluator Faber*, *Bonauentura* P*iſtophilus Iacobus Geynus*, *Ioachimus Maior*, *Achilles Marozzus*, *Iacobus Graſſus*, *& Gerardus Thibautius*, qui omnes oplomachiæ, ſeu diuerſorum armorum, vt Sariſſæ, gladij, ſecu. is Helueticæ vulgo hallebardæ, & fiſtularum chalybearum minorum, tractationis modum, artemque docuerunt. Quanquam Montius, & Sardus vnà cum M*arco Antonio Pagano* Neapolitano, plus eruditionis, & grauitatis afferunt, nec figuras habent, quibus cæteri ferme omnes rem melius ob oculos poni arbitrati ſunt: vnde Gerardus Thibautius tot, exquiſite delineatas, in ſuum prægrande volumen coniecit, vt nō tam ab vſu, quem ex eo tyrones percipere poſſint, quàm à voluptate, & inſolita tabularum magnitudine, atque elegantia commendari debeat. Hisque annumerandus eſt Rogerius A*ſcanus* Anglus, qui patrio ſermone librum de arte ſagittandi conſcripſit, quem niſi, prout nunc ſunt tempora, fiſtulæ chalybeæ, baliſtarum loco ſucceſſiſſent, reliquis omnibus præferre nō dubitarem, Philippi Cominei ſententiam in hoc ſequutus, quæ

lib. 1. Hiſtor. talis eſt, *meo quidem iudicio, quum eſt dimicandum, nullum genus militum præſtat ſagittarijs*. Scripſerat idem P*iſtophilus* torneamentorum, & haſtiludiorum praxim, quam nondum mihi videre contigit, ſed quantum ex eius ophomachia conijcere poſſum, non is eſt, qui iaculum extra metam expediat. In equeſtris vero militiæ diſciplina, quatuor ſeu duces ſeu tribuni communiter proponuntur, quorum de ea re lucubrationes tanquam abſolutiſſimæ, omnium ſibi calculos & approbationem conciliarunt: ſcilicet *Georgius Baſta*, qui ſummus mandatorum curator in Belgico Regis exercitu, & Cæſarianarum deinde copiarum ductor ſummo cum imperio fuit; L*udouicus* M*elzus* pro Magiſtro equitum præfectus, milles gallicis Belgiciſque armis exercitatus; *Flaminius à Cruce*, quadraginta ſtipendiorum veteranus eques, inſubrum nobilitate clarus; & I*oannes Iacobus* V*valhauſius* miles item exploratæ virtutis & experientiæ, nec inter poſtremos ſcriptores habendus: qui quidem omnes, ijs laudibus digniſſimi videntur, quas.

quas elegãs ſcriptor *Ioannes Geneſius Sepulueda* in militiam equeſtrem cõtulit, editis tribus de eius honeſtate dialogis. At enim ne miles hac armorum ſcientiâ probè informatus, chriſtianè quod primùm quærendum eſt, vti ea in exercitu neſciat, iſtud in primis curare debet, ne ab humanitate, & pietate tranſuerſus agatur; ad idque conſultores vocare, *Ferrandi Diaconi* paræneticum de officio chriſtiani ducis; *Dionyſium Carthuſianum* de vita militari; *Thomam Boſium* Eugubinum de robore bellico; *Antoni*j *Poſſeuini* militem, & *Emundi Augeri*j Pædagogum armorum; *Franciſci Panigarolæ* clypæum, & *Petri Bacberij* ſpeculum militis chriſtiani, ac demum Bellatorem chriſtanum P. *Mathæi Bembi*; quorum omnium lectione, vt nihil de fortitudine, & audacia decreſcet, tum vero pietas maximopere confirmabitur, & plurimum ad omnem honeſtæ vitæ rationem accedet momenti. Tyronis inſtitutioni, proxima eſt quæ de Imperatore ſuſcipitur, cuius ideam *Petrus Lagnierius* ex Cicerone expreſſit; proprio vero Marte eundem virtutibus moralibus exornauit *Bartholomæus Cæpola*; & militaribus inſtruxerunt *Hieronymus Garrimbertus*, *Aſcanius Centorius*, *Fabricius Burlæus*, *Antoni*j duo *Serninus*, & *Brucciolus*; ac omnium optime *Georgius Baſta*, cuius poſtea librum de caſtrorum Præfecto in perbreuem ſummam contraxit *Hieronymus Sirtulus*: Exemplis vero idem facere tentarunt *Ioannes Boterus*, in vitis quorumdam recentium Imperatorum à ſe collectis; *Ioſephus Gratianus* in orationie de laudibus militaribus Dominici Cardinalis Capranicenſis; *Paulus Iouius*, *Vbertus Foglieta*, *Iulius Roſcius* in elogijs militaribus; & qui doctè, eleganterque quæſiuerunt, quiſnam antiquorum ducum cæteris præferendus eſſet, vt *Franciſcus Bocchius* prolixo diſcurſu italico, & alter *Franciſcus Floridus* tribus libris de Caij Iulij Cæſaris præſtantia, in publicum euulgatis: cùm non deſint infiniti alij, qui ex occaſione tractandi de varijs rebus, eandem quoque veluti per tranſennam attigerint, vt *Canonerius*, *Michael Montanus*, & cæteri qui iam antea à me enumerati ſunt. Sequebantur militaris ſcientiæ eius, quæ in Imperatore deſideratur, adiumenta duo, eloquentia ſcilicet, cui non minimum inſeruire poſſunt *Conciones militares* collectæ primum à *Remigio Florentino*, moxque iterum editæ à *Sanſouino*, & *Belleforeſto* noſtro; ac *Martini Leumi* peculiaris diſſertatio de

elo-

eloquentia Imperatoris: & Mathematicæ, præſertim quæ ad machinas, architecturam, & inſtruendæ ac ordinandæ aciei ſcientiã, quæ propria Tacticorum eſt ſpectant; Atque vt de ſingulis illis partibus ſeparatim dicam, de machinis primùm omnis generis ſcripſerunt *Franciſcus Fanantius*, *Iacobus Beſſonus* Gallus, *Branca* Venetus; *Salomon de Caux*, *Nicolaus Tartalea*, *Fauſtus Venantius*, & qui magnitudine libri, neſcio an item vtilitate, reliquos ſuperauit *Auguſtinus Ramelius*; quibus addendi ſunt *Bonaiuti Lorini* liber quintus, qui ferme totus eſt de manganaria; & *Petri Bertii* digeſtum nouum de aggeribus, & pontibus hactenus ad mare extructis, hiſtorica varietate lectu non indignum. In ſpecie vero de Bombardis, & muralibus tormentis, tota quæ Pyrotechniæ ratione, optimè ſi qui alij ſcriptores, & ex arte tractarunt *Didacus Vſanus* Bruxellis primum euulgatus, ac etiam poſtea Londini Anglicè redditus, multis partibus auctior; *Alexãder Capobiancus*, *Ludouicus Colladus*; *Ioannes Aſpier* cognomento *Anzelettus*; *Nicolaus Tartalea*, *Eugenius Gentilinus*, *Ioachimus Brechiel*, *Gabriel Buſca*, Daniel *Dauelourt* Scotus; & præclaris rationibus, ac inuentis, magnum in hac re operæpretium fecerunt *Riualtus à Flurenza* nobilis Gallus, & *Vannocius Biringuccius* Senenſis, in quorum libris nihil plebeium offendas, nihil quod poſteritatis memoriam promereri nõ debeat; quemadmodũ etiam in Apologo *Pandulphi Collenucii* de ratione impetus Bombardarum, & in epiſtola *Ioannis Langii* de pulueris nitrati legitima temperatione. Præter quos extitit quidam *Iulianus Boſſius* Romanus, qui hiſce poſtremis annis, Heroinæ ſapientiſſimæ, ac fortiſſimæ Iſabellæ Claræ Eugenię Hiſpaniarum infanti, libellum obtulerat, de modo craſſioris illius tubi manualis, quod vulgo Muſquetum dicunt, ita præparandi, vt non modo longius ſolito glandes impelleret, ſed ſemel atque iterum explodi poſſet, ad emittentis arbitrium, & ſolius lingulæ attractu, ita vt puluerem è laguncula rurſus in fiſtulam emetiri, & radio cogere, & foculum inſtruere, vncumque ſiue canem illum vere Cerbereum inflectere, non vltra neceſſe ſit: ſed conatus hic irritus, vt exiſtimo, ceſſit, & ouum fuit ſubuentaneum; ſaltem nihil hactenus viſum eſt, quod promiſſorem hunc, aliquid tanto hiatu dignum præſtitiſſe oſtendat. Architecturæ militaris quia maior eſt quam ciuilis, & vrbanæ difficultas, ſicut maior eſt hominum

minum in nocendo quàm in iuuando induſtriã, ea propter multorum hæc,ingenia diutiſſimè torſit,vt propugnandarum vrbium optimam quandam rationem excogitarent; quemadmodum ferme primus,ab vſurpatis in muros antiquæ ſtructuræ fulminabilibus pilis, facere aggreſſus eſt *Albertus Durerus*, qui vt cælo, & calamo valuit, ſic vtroque condendarum, & muniendarum arcium varios modos expreſſit. Hunc vero ſequuti ſunt *Hieronymus Magius*, *&* *Iacobus Caſtriotus* coniunctim editi Venetijs, *Hieronymus* item *Cataneus*, *Carolus Tettus*, *Antonius Lupicinus*, *Iacobus Lauterus*, *Franciſcus de Marchijs*, *Baptiſta à Valle* venafranus, *Iacobus Perettus*, *Aurelius Paſinus*, *Franciſcus Trellius*, *Iacobus Acontius*, *Ioannes Baptiſta Zanesius*, *Galaſſus Aloyſius*, *&* *Ioannes Baptiſta Zanchius*; quorum omnium gloriæ & induſtriæ plurimum obſtruunt recentiores multi, vt *Eques Tenſinus*, *Ioannes Euerardus* Barroduceus, *Samuel Maroloiſius*, *Paulus Vvredemanus*, *Petrus Sardus*, *Ioannes Scalanus*, qui propugnaculorum figuras tantum exhibuit, nulla addita explicatione; *Gabriel Buſca* Mediolanenſis, *Claudius Flamend*, *Alexander Baro Grotius Neouallius*; & qui præſertim ab expertis laudantur *Adrianus Metius*, *Bartholomæus Pitiſcus*, *Simeon Steuinus*, *Ioannes Baptiſta Porta*, *Bonaiutus Lorinus* nobilis Florentinus, & omnium nunc acceptiſſimus *Antonius de Villa* nobilis Gallus, cuius induſtriam non ſemel experta eſt Reſpublica Veneta,& etiam nunc eà,niſi patriæ ſuam operam commodare in his motibus maluerit, vtitur feliciſſime. Horum vero conſectanei ſunt *Laurentius Manorbius*, ac *Paulus Florianus*, tum & *Philippus Merlanus* qui vrbes obſidione cingendi, aut obſeſſas propugnandi,conuenientem his temporibus rationem tradiderunt; Ac demum,qui rationibus in vtramque partem adductis,quotidie ventilant,num præſtet vrbes vallo propugnaculiſque munire, aut loca nulla eſſe,alio quam militum obiectu,firmoque pectore tuta, ab hoſtium inuaſione; cuiuſmodi queſtione,cùm nulla frequentior inter politicorum diſceptationes,varioſque diſcurſus occurrat, memini tamen quorũdam aliorum, vt *Elioni*, *Trimundi*, *Conradi Theodorici*, *&* *Henrici Ranzouij* qui non malè operam à ſe impendi duxerunt, ſi hanc rurſum peculiaribus libellis excuterent. Vltimum denique quod à mathematicis dependet,eſt aciei in ſuas partes, & harũ in manipulos, &

iuga

iuga ordinandæ, ac ſeriatim inſtruendæ modus; nam ſiuè tota acies in duo cornua diſtribuatur vt Turcarum mos eſt; ſiue in trigonum quem cuneũ, aut caput porcinum vocant Ammianus, &
libro 11. Vegetius, ſit mutanda, vt ſolebant Hiſpani apud Liuium; ſiue in globum, tum in forficem, ſiue in ſerram ſit inſtructa; ſeu quod leuioris eſt operæ, certum ſpatium in acie, inter ſingulos homines in longum, aut in latum inter ſingulos ordines cuſtodiendum ſit; totum hoc vnius Geometriæ, cui etiam arithmetica plurimum inſeruit, miniſterium eſt. Et ſanè cùm *acies* vt inquit Vegetius,
lib. 3. cap. 34. *in publica pugna ſi ſapienter diſponatur, plurimum iuuet; ſi imperitè, quamuis optimi bellatores ſint mala ordinatione frangantur*; multaſque, ac inſignes Alexandri, & aliorum victorias, huic peritæ militum ordinationi, acceptas ferri debere, tam certum
libro 4. ſit ex Quinto Curtio, & Polybio, quàm quod certiſſimum
libro 2. eſſe poteſt; hinc eſt quod dux & tribuni quoties illis ab actione vacat, eorum libros euoluere non perfunctoriè debeant, qui de inſtruẽdis aciebus præcepta tradidere, quales ſunt *Fabius Gallus*, *Angelus Aſinitus*, *Franciſcus Fiammellus*, *Ioannes Matheus Cigogna*, *Camillus Agrippa*, *Zaccharias Legnerus*, qui ſolummodo de triangulari acie ſcripſit; *Cæſar Aeuolus*, à quo quindecim prœliorum diſpoſitiones exponuntur, omnes numeris, & menſuris arithmeticis, ac geometricis delineatæ; *Franciſcus Piccininus Spadinus*, qui arithmeticas tabulas in ordinem digeſſit, quarum beneficio viginti millia ſariſſariorum, in minora agmina diſtribui, & partiri facillime debent; ac demum *Marſilius Turlius*, *& Petrus Maria Contarenus*, qui modum edocuerunt, quo minores copiæ tueri ſe, non modo aduerſus maiores, ſed & illas etiam fundere ac profligare poſſint. Hos vero auctores qui de ſcientia & viribus bus imperatoris tractarunt, excipiunt alij qui res ad conſilia bellorumque cauſas, & leges, ac certas quaſdam obſeruationes pertinent, ſcriptis item ſuis conſignarunt, vt *Petri Chriſiti*, monita de conſilijs hoſtium explorandis; *Marci Antonij Lappi*, de proprijs occultandis; Theologorum aliquot, vt *Franciſci Victoriæ*, *Iodoci Clicthouæi*, *Ioannis ab indagine*, *Henrici Gorichemi*, *Vvilhelmi Matthæi*; & nonnullorum etiam Iuriſconſultorum *Ioannis* ſcilicet *Lupi*, *Franciſci Ariæ de Valderas* Hiſpani, *Ioannis de Lignano*, *Martini Laudenſis* meditationes de bellorum iure, qui omnes in vberrima

rima ſegete, meſſem non ita laudabilem fecerunt, quin locum adhuc reliquerint *Alberico Gentili*, *Chriſtophoro Beſoldo*, & huic *auctori præſtantiſſimo* operis non ita pridem euulgati de iure belli & pacis, cuius etſi nomen reticeo, doctrinam tamen ſuſpicio, & admiror, vt pote in qua nihil ſit expoſitum, nihil vulgatum, & triuiale ſeu verba, ſeu ſententiam ſpectes. Huc etiam referri debent *Ludouici Regij Libellus* de bellis propter religionum diſſidia exortis, *tum & diſcurſus Bentiuoli* cuiusdam academici Bononienſis, cur bella antiquis temporibus, eadem de cauſa, nulla fierent. *Vvaremundus Erembergius*, *Ioannes Boterus*, *ac Emericus Crucius de fœderibus*; & variæ illæ quæſtiones *Ioannis Franciſci Condo*, vtrũ liceat Imperatori noctu pugnare; *Bartholomæi Riccii*, an melius Rex abſens per alium, an magis ipſe præſens bellum ſuum gerat; *Gabrielis Purnii* de hoſte inſidijs fallendo; tum etiam *Orlandi à Vallibus* de iiſdem cum ab hoſtibus ſtruuntur vitandis; & conſilia *Antonii Parminii* de modo cognoſcendi exploratores; *Antonii Franciſci Nigritii* de aquis, an veneno ſint infectæ, cognoſcendis; *Laurentii Abomi* de arte tranſeundi flumina, & *Sebaſtiani Nigri* de transfugis, exploratoribus, cura militum, & bellorum prognoſticis. Quibus omnibus pro corollario tam prolixæ recenſionis, addendos puto eos auctores, qui cum in litibus, & priuilegijs, totaque ea iuriſprudentiæ parte, quæ ad milites ſpectat, tum in eorumdem incolumitate ſeruanda, profligandaque aduerſa valetudine, ſumma cum ingenij ſui laude verſati ſunt; *Arnaldum de Villanoua* intelligo, & ipſo quanquam minus celebres, longe tamen vtilitate, & doctrina præſtantiores *Antonium Seneburgenſem Marcum Antonium*, ſeu *Mentonium Zirlium* Gandauenſem, *Thobiæ Coberii* obſeruationes Caſtrenſes, *Rumetum* de morbis caſtrenſibus, *Mindererum* de medicina militari, qui germanicè tantum editus eſt; *Fabritii Hildani* ciſtam, & *Iſaiæ Leporei* hortulum Chirurgiæ militaris; atque, niſi potius is ad morales affectus ſpectet, *Thomam Garilopam*, quorum præclaræ extant lucubrationes de regimine caſtra ſequentium, & conſeruanda militum ſanitate. Quod ipſorũ conſilium, non minimum quoque promouere poteſt *Σιτοπονιαμαγχία* *Ioachimii Struppii*, & *Iacobii Syluii* libelli aliquot de parco, & duro victu, quia ambo iſti Scriptores multa habent præcauendis ijs affectibus, quos fames, & fœda edulia inducunt;

ducunt; ſicut & *Ranzouius* ijs, qui ab itinere, alijſque incommodis pullulant, non mediocriter conducentia. Cæteros vero qui de vulneribus ſclopetorum curandis, ſcripſerunt, nec dinumerare mihi otium eſt, nec ſi liceret iſtud facere vellem; quia valde inconueniens eſſet, quæ medicorum ſunt, huc transferre, tanquam ſi ad Duces, aut milites pertinerent; nec ſi aliquos auctores militaris chirurgiæ antea recēſui, velim propterea quis exiſtimet, Ducū à me potius habitam fuiſſe rationem, quàm medicorum caſtrenſium, qui plerunque horum auctorum penuriâ, quos nequidem de nomine cognitos habent, multa in milites peccant, & in tota vulnerum curatione, cæco regunt veſtigia filo. In Iuriſconſultorū autem claſſe, *quidam* ferme euiluerunt vt ſenſu plerumque inepti, & dictione Barbari, continenturque maxima parte in vaſta illa collectione tractatuum iuris; quidam vero in pretio apud om-
tomo 16. nes habentur ſeu præſtāti laude ingenij vt *Balthaſar Aiala*, iuridicus Belgicorum exercituum quæſtor, *Tiberius Decianus*, *Petrus Pappus*, *Bernardinus Rocca*, *Petrinus Bellus*, *Franciſcus Antonius*: ſeu facillimæ, caſuum qui paſſim inter milites occurrunt reſponſionis, ac reſolutionis vt vocant, noſtris maximè temporibus accommodatæ, gratiâ, vt *Guillielmus Iolitus*, qui ius militare vſurpatū in Frācia, *Georgius Obrecthus*, qui in Germania; *Petrus Caballus*, qui Hetruſcum Magni Ducis; & *Tullius Criſpoltus* Reatinus optimi nominis, & famæ Iuriſconſultus, qui Romanum, ſeu quod in Pontificijs exercitibus ſeruatur, ſapientibus hercle reſponſis, & explicationibus facillimis illuſtrarunt. Verum quo loco tandem habebitur Naumachia, ſi de ea tam altum hic ſilentium ſit, vt ne quidem eius auctores in reliquorum cenſum veniant, an pugna leuior erit quæ in mari, quàm quæ in terra committitur? aut hæ ita penitus inter ſe diuerſæ ſunt, vt bene illis in hoc volumine ſimul conuenire non poſſit? profecto nihil iſtorum in cauſa fuit, vt calamum ab ea temperarem, imo potius, quia loco tantum differunt, & periculo, quod longe in mari præſentius eſt, eam ob rem nihil mihi neceſſe putaui, molem iſtius voluminis, quæ multum iam, ac præter ſpem excreuit, diſtincta illa claſſis, & naualium prœliorum tractatione, quaſi fartu quodam materiæ augere in immenſum: arbitrorque meo officio factum eſſe ſatis, ſi velut in tranſcurſu ſubindicem, *Iulium Pollucem* ex antiquis; & ex nuperis

ſcriptoribus *Lilium Gregorium Giraldum*, *Lazarum Baifium*, *Cælium Calcagninum*, *Stephanum Doletum*; tum etiam *Leonem Albertum* peculiaribus doctiſſimiſque libellis; & *Lazium* in commentarijs Reipublicæ Romanæ, omnem fere eruditionem eſſe complexos, quæ de nauibus afferri in medium, ex penitiſſima antiquitate poteſt. Ipſarum vero vſum in prœlijs, qui hac tempeſtate apud omnes obtinet, tam aptè explicatum fuiſſe à *Bernardino Mendozza*, *Marco Sauorgnano*, *Henrico Ranzouio*, *Pantero Pantera*, *Bartholomæo Creſcentio*, *Garcia de Ceppedes*, alijſque minoris famæ ſcriptoribus, vt ſi *Popelinerii* noſtri Archithalaſſum, & deſcriptam à *Nicolao Aubiero* integram Triremim illis addideris, quę de naualibus prælijs lectione quæruntur, ea percipi ſatis commodè atque intelligi ab omnibus poſſint. Quamobrem ſupereſt tantũmmodo, vt de Turcarum militia, quæ nobis formidoloſa nonnunquam imminet, ea quæ commodius alibi proponere non poterã, iſtic à me referantur, quẽadmodum medicis vſuuenit, vt explicationẽ de venenis, eorũque remedijs, peculiari tractatione ea ſœpe velut in mantiſſam reiecta abſoluant: De eorum igitur militari diſciplina *Paulus Iouius* libellum elegantem conſcripſit, Hetruſco tamen ſermone, quia vt opinor ad Carolum Quintum, ſed eũdem tamen latine poſtea *Franciſcus Niger* reddidit; huncque ſequuti ſunt *Augerius Busbequius*, & *Breeuius*, qui ambo diutiſſimè legati hic Regis Chriſtianiſſimi, alter Imperatoris apud Turcarum Imperatorem fuerunt: magis vero determinatè, quibus illi in bello ſtratagematis vtantur, quibuſque militaribus præceptis, explicarunt *Melchior Saiterus*, & *Ioannes Schnotemberchius* I. C. Quibus vtiliores cenſeri debent *Lazarus Soranzus*, *Ioannes Boterus*, *Achilles Tarduccius*, & *Nuæus*, qui valde probabilibus conſilijs docuerunt, qua tandem arte immanis illius Tyranni potentia, ſi non debellari penitus, ſaltẽ reprimi, & ſuos intra fines coherceri poſſit.

Habes igitur ex iſtis Comes Ludouice, quibus cum in hoc tuo ſeceſſu, de rebus quarum ſtudio impensè delectaris, confabulari 13.
poſſis; & quibus ex libris Bibliothecam inſtruas, quæ tibi per reliquum vitæ tuæ tempus, non minimum ſit cùm oblectatione, tum etiam vtilitate profutura. Ac in primis illos auctores tibi commendo, qui non ex ingenio tantum, aut aliorum imitatione ſcribunt, quo frequentius hoc tempore propemodum eſt nihil; ſed

Ex quibus laudantur præſertim à ducibus compoſiti,

Mm qui

qui rerum quas cetæros docere volunt, periculum fecerint per exprimenta, & maxima pars eorum fuerint quæ poſtea in commentarios retulere: vt enim in ludis circenſibus, ipſi equorum agitatores, qui praſinæ erant venetæque factionis, equorum impetum, & aurigariorum peritiam, longè melius ſpectatoribus ipſis procul à meta ſedētibus conſiderabant; ſic in armorum tractatione, credibile eſt, acutius omnino illos cernere, & maiori confidentia de rebus omnibus loqui, & ſcribere, qui rebus inter ſunt agendis, quàm reliquos homines muſæi ſui limen nunquam egreſſos, vt res illas de quibus ſcribunt, propius intuerentur, atque cognoſcerent. Et ſanè quod olim dicebat Xenophanes, ſapientem eum eſſe oportere, qui ſapientem explorare cupit; eodem pene modo dicere poſſumus, Regem oportere eſſe illum, qui Regni, & ducem belli, qui militaris ſcientiæ præcepta alijs præſcribere velit: hac enim opinione ductus Xenophon, *Cambiſem* patrem inducit, Cyro filio regia præſcribentem documenta; & apud Oneſicritum philoſophum, & hiſtoricum Aeginenſem, Alexander Macedo nouæ militiæ præcepta à patre *Philippo* accipit. Sed heus dices quis modus tandem erit lectioni, ſi tot auctores euoluendi ſunt? aut quodnam tempus reliquum fiet actioni, ſi eiuſmodi ſpeculationibus Duci perpetuo incumbendum eſt? at vero, Ludouicè Comes, non adeo ſum immemori, vel inconſtanti animo, vt eius quod antea dixi, plus ſcilicet experientiæ quam lectioni in rebus bellicis fidendum eſſe, vel non meminerim, vel aliter atque dictum fuit inuertendum, explicandumque putem; Imperatori ſi quidem experto, veriſſimum eſt vnum aut alterum ſcriptorem ſatis eſſe, quem otij fallendi, aut honeſtæ, & eruditæ voluptatis causà ſecum habeat; inexercitato vero pluribus illi opus eſſe, ſi militaris peritiæ gloriam conſequi, ſola lectione velit. Quare ſi cut hoc ſyntagma non ad te modo qui rectum experientiæ tramitem ingreſſus es, peruenturum eſſe confido, ſed ad plures alios qui forſan honeſtiſſimis de cauſis præpediuntur, ne ita eundem ſubire poſſint, quin librorum ſubſidijs indigeant; propterea oportuit me, hoc tam diffuſo indice, eorundem quoque neceſſitati, & commodis inſeruire.

Laertius lib. 9. cap. 2.

14. Verum ne militaris inſtitutio quæ per ſe difficilima eſt, faſtidium ſui vitioſamque offenſionem in animis excitet, ſi per experimen-

rimenta laborioſa, vel moroſas obſcuraſque lectiones, nuſquam intermiſſa animi contentione, addiſcenda ſit; ecce quomodo inter animi laxationes, & vrbanioris vitæ condimenta, huic etiam ſtudere poſſis. *Et laudatur pro remiſſione à ſtudij aut negotijs Latrunculorum ludus.*

Te ſi forte iuuat ſtudiorum pondere feſſum,
Non languere tamen, luſuſque mouere per artem.
Callidiore modo, tabulà variatur apertà
Calculus, & vitreo peraguntur milite bella,
Vt niueus nigros nunc, & niger alliget albos,
Mille modis acies tua dimicat, ille petentem
Dum fugit ipſe rapit, longo venit ille receſſu
Qui ſtetit in ſpeculis. hic ſe committere rixæ
Audet, & in prædam venientem decipit hoſtem.

Nempe ludum hunc vides ſcitiſſimis verſibus à Lucano expreſſum, quem nunc vulgo *ſcaporum*, & corruptè *ſcaccorum*, ab elegantia cuiuſque ſegmenti plerique dicunt; non inuentum quidem à *Procis* Penelopes, aut P*alamede* quemadmodum volunt Pauſanias in Corinthiacis, Philoſtratus, Suidas, Gregorius Nazianzenus, & Caſſiodorus, qui idcirco *calculos* P*alamediacos* indigitat; horum enim tempore certum eſt Græcorum bellis, nõdum vſurpatos fuiſſe Elephantes; ſed vel à C*hilone* vno ex ſeptem ſapientibus, vt cenſet Seneca; vel ab A*ttalo* A*ſiatico*, vt *ea ratione doceret motum exercitus*, quemadmodum aſſerit Ioannes Sariſberienſis in opere de nugis curialium; vel à Pyrrho epirota, qui, vt erat ſtratagematum periti ſſimus, ita etiam ex Donati Grammatici obſeruatione in Terentij Eunuchum, *primus quemadmodum ea diſciplina traderetur per calculos oſtendit in tabula*. Quanquam mallem ego in hac ſententiarum, & opinionum diuerſitate, nulli ipſorum adhærere, ſed ita exiſtimare de huius ludi inuentione, vt ab antiquo, quiſquis tandem ille fuerit, vaferrimo duce excogitatus ſit, qui calculorum vni, Reginæ tribuit appellationem, Semiramidis forſan recordatione, quam naturà, præter ſequioris ſexus conſuetudinem, pugnaci fuiſſe, conſentiens eſt hiſtoricorum omnium ſententia; maximè cum Tzetzes addat, eandem excogitato quodam ſtratagemate, quo ſe Elephantes in pugnam ducere ſimulabat, Taurobatem Indorũ Regem debellaſſe. Enim uero etſi non ita conſtet, de occaſione quam habuit iſtius luc

ad Piſones. *lib. 8. ep 31* *lib. 2 de Ira cap. 14.* *lib. 1. cap. 5.*

Mm 2 au-

auctor, vt illum excogitaret; nihilominus tamen de eius intentione dubitari non poteſt, quæ proculdubio non alia fuit, niſi vt his ſedecim ſcrupis gemina vtrimque acie directis, in quibus duo sũt Reges inuicem contendentes, duæ Reginæ, quatuor equites, ſedecim pedites, quatuor ſatellites, totidem centuriones, quos omnes diuerſis inter ſe motibus agitari, contendere, prædari, inſidiari continua quidem obſeruatione ſatis exploratum eſt, non inquam alia eius intentio fuit, niſi vt hoc ſcaporum ludo, qui magis quàm cæteri Martium quiddam præ ſeferre depræhenditur, bellicarum actionum, motionum, ordinationumque imaginem nobis ob oculos, & inter manus ac digitos ipſos poneret, vt ipſis, etiam ludentes aſſueſcerent exercituum præfecti, nouaque, & gratiſſima ſtudendi ratione, inter ludicra diſcerent, quæ mox in ſerijs eſſent facturi. Quod equidem ne quis à me parum conſideratè dictum exiſtimet, vadem in primis tradere poſſem Donatum, & Sariſberienſem ac omnes illos, qui id ſui fecerunt inſtituti, vt operoſius de hoc ludo dicerent, inter quos Hieronymus vida, vnus ferme qui ſuperiori ſœculo, raræ felicitatis ingenium ad Poeticam attulit, luculento carmine, ita ſimilitudinem hanc expreſſit in ſcacchia ludo, ſub initium

Ludimus effigiem belli, ſimulataque veris
Prælia, buxo acies fictas, & ludicra regna.
Vt gemini inter ſe Reges, albuſque nigerque
Pro laude oppoſiti certent, bicoloribus armis.

& Sidonius eadem de cauſa dixit *putes illum, & in calculis arma tractare*. Sed habetur præterea in promptu exemplum Mauritij Naſſouij, qui vt in eius oratione funebri, vir doctorum omnium iudicio, eloquentiſſimus retulit, equitem cum pedite vniuerſo, fuſili formatos opere, pro ſchacchia habebat, quos & variare, & pro loco, aut aggreſſione hoſtium diſponere, ac mutare pueros ſuos honoratos, remittendo animo docebat, ita vt ex tempore cõſulti, primos ſœpe equitum præfectos, ac Tribunos in ruborem dederint. Vnde ſicut imperator, dum animum ſuum ad ſtudia militaria intẽdit, nullis rebus poteſt, aut honeſtius, aut vtilius laboris ſui rationem ponere, quàm ſi experientiæ, vel optimorum auctorum lectioni operã ſuam impẽdat, ita dũ hunc remittere aliquantum cupit, laxamentum melius excogitare nullum poteſt, aut

quod

quod magis virum grauem, & militarem deceat, quàm vt inquit Martialis.

Ingenioſorum ſi ludat bella latronum.

quippe, etſi laudatè poſſet vel *ſagittarum cuſpides* acuere, vt Scytharum Regibus mos erat, quoties à negotijs grauioribus feriabantur; vel *naues manibus proprijs fabricare*, quemadmodum Vlyſſem feciſſe retulit Homerus; vel *tormenta muralia* inuſitatæ magnitudinis, & temperaturæ conflare, quod Alphonſo Ateſtino Ferrariæ Duci, ſummopere fuiſſe in delicijs aſſerit Iouius; aut in *Sphæriſterio*, pilæ vacare, quemadmodum ſolebat Caſtruccius Caſtracanus, quodque in ratione ſanitatis à Galeno cõmendatum venit: hęc omnia tamen inferiora ſunt ſummorũ virorũ grauitate, & corporis laborem mutant, non imminuunt: ſolus vero ſcaporum ludus, qui prœliorum ſimilitudinem in quiete repræſentat, dignus eſt Imperatoris maieſtate, in quo ſi militum loco ſcrupos eſſe voluerit, omnia ſtatim bellorum ſint ſimilia. Odyſſ. 5. in eius vi.

Ancipites ſubit ille moras, ſimiliſque ligato Lucanus.
Obligat ipſe duos, hic ad maiora mouetur,
Vt citus, & fractà prorumpat in agmina mandrà,
Clauſaque deiecto populetur mœnia vallo.

Atque vt hic cenſetur eſſe militũ, ac ducũ valde proprius; & illud omnino verũ eſt, quod inquit ex Xenophõte Eunapius in prooemio ad Sophiſtarum vitas, τὸ παίγνιον τῆς ἀρετῆς ἄξιον λόγου, *virtutem etiam, quæ in ludicris apparet, memoratu dignam eſſe*. ſic reliqua duo ludorum genera, quæ maximo in vſu penes antiquos fuerãt, vt ex Bulengero, & Cœlio Calcagnino patet *talorum* videlicet & *teſſerarũ*, adeo viros fortes dedecẽt, vt prorſus ſint infra ipſorũ dignitatis meritum. T*alis* enim ludere Athenis in Mineruæ tẽplo, molles tantum, & fractos otio, effœminatoſque homines obſeruat Iulius Pollux in onomaſtico; quemadmodũ in Roſtris idem ſubbaſilicanos feciſſe, notum eſt ex Plauto, & alijs auctoribus, ideoque Homerus Mineruã, cùm Mentæ Taphiorum Regis perſonã ſuſtineret, ad Telemachum in Ithacam veniſſe ait, vbi *Procos illos* ſponſos Penelopes, nebuloneſque, vt ab Horatio vocantur, talis ludentes inuenit. Et quo magis illos antiqui deprimerent, ſymbolum in his ſummæ inconſtantiæ, ac leuitatis eſſe voluerunt; vnde *Arſacides* Parthorum Rex, cùm bis elapſum Demetrium, libro 9. 1. Odyſſ. Iuſtin. lib. 38.

Fratrem Antiochi Syriorum Regis, recepiſſet, eum talis aureis puerilem leuitatem exprobrans, donauit. *Teſſerarum* vero luſus frequentia, & aſſiduitas effecit, vt licet alea in vniuerſum, ad ludos omnes fortuitos, & plenos diſcriminis referatur, ſignatè tamen, ac priuatim ad teſſeras pertineat, vt præter Cœlium Calcagninum in diatriba de ludis, feſtiuè quoque confirmat Ammianus Marcellinus hunc in modum de aleatoribus ſcribens, *quidam ex his aleatorum vocabulum declinãtes, ideoque cupientes ſe appellari teſſerarios, inter quos tantum differt, quãtum inter fures, & latrones*. Certè hic ludus non modo Xenophani diſplicuit, qui ab Hermionio prouocatus vt vellet vnà *συγκυβεύειν* id eſt *teſſeris ludere*, pro excuſatione reſpondit *ſe timidum, ac diffidentem eſſe, ad ea quæ forent turpia*; ſed legum præterea cùm noſtrarum vt notum eſt, tum & antiquiorum ſanctione, interdictus fuit, ita vt Horatius dixerit, *ſeu mauis vetita legibus alea*, & Saturnalibus tãtum, quo tempore per ſummam licentiam, nihil in vrbe, quod inſolens eſſet, non concesſum fuit, ijs ludere permitteretur, hoc eſt enim quod inquit Martialis

libro 18.

Nec timet Aedilem moto ſpectare fritillo,
Quum videat gelidos iam propè verna lacus.

Ex quibus planè conficitur, Ducem cùm illi à bellorum neceſſitatibus, ab animi cultu, à ſtudijs pietatis, à conſilijs arcanis, tẽporis aliquid ſupereſt, quo ſe per ludos honeſtiores reficere velit, nullo quàm latrunculorum conuenientiori vti poſſe; vtpote quem Cardanus inter ludos omnes, ſubtiliſſimæ eſſe inuentionis contendit, & Lucanus ita ad prœliorum imaginem confictum docet, vt *vitreo peragantur milite bella*; nec ſi Iacobus Magnæ Britanniæ Rex, vſum eius, filio penitus interdixit, quod animum non magis quàm ſeria occupatum detineat, minimè tamen iſtud obeſſe debet Ducum oblectationi, quam ab illo percipiunt; ſiquidem vt Duces exercituum ad omnia negotia, longè ſunt fortiori & propriori animo, quàm teneri Regum pueri, & pappare minutum aſſueti, ſic omnia illorũ exercitia, longè quàm horum validiori motu atque contentione animi indigent, vt quieti cũ labore cõueniat, & quies in opere, labor in quiete grata viciſſitudine reperiantur.

De ſubtil. lib 14.

in Regio munere.

V. Tot igitur modis & adiumentis, cùm ſcientia militaris comparari poſſit, videndum eſt in ſequentibus, quænam ſint præcipuæ illius

illius partes, vt de ſingulis dicendo, nihil omnino prætermittam eorum quę attinere ad ſtudium,& officium Ducis videri poſſunt. Has autem paulo ſupra monebam ad tria ſumma capita referri, nimirum ad ea quæ *ante prœlium*; quæ *in prœlio*; & quæ *poſt prœliū* gerenda ſunt, ſeu quis victor, ſiue victus euaſerit; lubet enim in hac generali diuiſione multa quæ ſub ſingulis eius partibus compræhenduntur,explicabunturque poſtea ſuis quæque locis, vno velut intuitu ſpectāda proponere. Sed priuſquam de omnibus ad dicendum aggrediar, monitum te velim, Comes Ludouice, me non hic officium Ducis meditari, qui per ſe, ſuaque auctoritate, & proprijs ſumptibus, ac expenſis, proprijſque item iniurijs prouocatus bellum gerat, quemamdmodum Reges, aut cæteri Principes qui ſui iuris ſunt, facere ſolent, cùm ſuoſmet exercitus ducunt, omniumque in ſe curam recipiunt, quæ de bellorum ratione, & neceſſitate, ſunt peragenda; tunc enim certum eſt multa illos prouidere debere, multa circumſpicere, rimari, obſeruare quorum ne minima quidem pars ad noſtrum Ducem ſpectat; quē ita ſe in bello gerere volumus, vt ex ſuperiorum quorundam imperio pēdeat, ſuamque illis operam accommodet, vt quo iuſſerint proficiſcatur, & quibus illum præeſſe voluerint militibus, machinis commeatibus, pecunijs, ijs omnibus prudenter vtatur ad victoriam, non tam ex proprijs hoſtibus, quàm horum Principum quibus inſeruit reportandam. Ita enim fiet vt ille exempli gratia non curare debeat an bellum quod geſturus eſt tumultuarium ſit vel à fœcialibus indictum? an eius cauſæ oblatæ, vel quæſitæ? an hoſtis inuadendus, vel expectandus ſit? an vrbes propugnaculis muniendæ? an induciæ ſaltem Belgicis ſimiles proponendæ? an pax tractanda, aut id genus alia peragenda ſint, quorum omnium determinationes, non ex ſuo nutu ſibi fingere, ſed ex aliorum arbitrio, & voluntate recipere debet. Quare ne quidem ex aliorū meſſe decerpam, aut tanquam abigeus gregem ex alienis paſcuis in mea abripiam, ita mihi ipſi in hac diſſertatione verſandum eſſe duco, vt omiſſis non modo quæſtionibus, quas politici ſcriptores in vtramque partem ventilare conſueuerunt, de bellorum cauſis, & euentibus, ſed ijs etiam præceptionibus, quarum exitus plerumque non tam ab ingenio, & diligentiâ, quàm fortunâ dependet; ea ſolum afferam, in quæ ſi Dux ipſe non diligenter ani-

1 Porro ſcientia munus ſpectatur ante prœliū, in prælio, & poſt prœliū: idque non in Rege, ſed pro Rege aut duce qui à ſupremo principe depēdeat

maduertat, officij ſui neglecti, aut ignorantiæ, temeritatiſque accuſari merito poſſit.

2. *Et quidē ante prælium obſeruandum eſt duci ne ſua ſpe aut metu bellum ſuadeat.*

Atque vt ab ijs quæ ante prœlium Duci ſeruanda ſunt incipiã, cum primum is in iſtud ſe muneris induit, & ad res gnauiter gerendas aggreditur, cauere ſedulo debet, ne primus claſſicum intonet, ne principis ſui animos ad bellum ſollicitet, ne leues eidem cauſas prætendat, ne cunctantem impellat, occaſionemque iure aut iniurià quærat, arma vel expediendi, vel nunquam deponendi vbi ſemel ea expediuerit; quemadmodum pleriſque Ducibus mos eſt bellum vnum ex alio ſerere, forſan vt honores quos quietà Republicà deſperant, turbatà conſequantur, aut ne ſegni in pace viuentes, prouidere rei familiaris anguſtijs minus commodè poſſint: qua certè in re idem faciunt, quod is qui captat anguillas facere ſolet, quieta cum ſunt ſtagna venatur nihil, ſed cœnum vbi hac, & illac ſubuerterit, captura tunc magna eſt. Præterea vt conſultiſſimè monet Gregorius Tholoſanus, non deſunt in aulis, furiæ faceſque belli, & *ignei*, prout ab Ammiano vocantur *turbarum incentores*, & conſiliarij, quibus in pace durius ſeruitiũ eſt, quo tempore coguntur probis legibus obtemperare, à quibus in belli licentia ſe liberant; ſunt & ibidem *inquieti*, qui neque ipſi tranquillè degere poſſunt, nec pati æquo animo, cæteris vt in pace viuere conceſſum ſit; ſunt *exules*, qui paucorum iniurias communi multorum pernicie vindicandas ſuadent; ſunt *alij* manu quam linguà tardiores, qui facile tamen Principes ad arma impellunt; ſunt qui in præſentia tantum reſpiciunt; qui iram excandeſcentem implere deſiderant; ac tandem vt inquit Lucanus

libro 11. cap. 2. de Repub.

libro 1.

Quemque ſua rapiunt ſcelerata in prœlia cauſæ.

ſcilicet quia per id tempus, propriæ quiſque libidini indulgere poteſt, & illud perturbatis rebus efficere, quod tranquillis ne cogitare quidem auderet. Quippe ſub huius militaris diſciplinæ ſignis, *Cæſarem* videas ab ærario Metellum abſtrahentem; & *Annibalem* in Carthaginenſium concione, Guiſconem è ſuggeſtu deturbantem; & *Marium* inter armorum ſtrepitus legum voces non audientem; & *Liſandrum* ſtricto enſe Argiuis dicentem, *qui hoc ſuperior eſt, optime de finibus diſputat*; & *Themiſtoclem* vim, & Suadam deas ſecum ad Andrios ducentem, vt quod ſuadendo impetrare non poſſet, vi armata extorqueret; & *Scipionem* denique

ita

Digitized by Google

ita apud Ennium extollentem ſe, ac de miſera hominum condi-
tione triumphantem.

Si fas cadendo cœleſtia ſcandere cuiquam,
Mi ſoli cœli Cœli maxima porta patet.

Verum quàm iniquè faciant eiuſmodi Duces turbulēti, & *bel-licrepi*, qui ſuis tantum commodis vt inſeruiant, reliqua peſſundare non verentur; hominesque ad arma impellunt, & ad furorem, rabiemque inflammant, in id prorſus nati, vt cæteris exitio ſint; vel hoc vno ſatis euidenter conſtare arbitror, quod non modo impij in Deum, iniurij in proximum, perfidi in principem habendi ſunt, ſed tanquam ab omni penitus humanitate ſpoliati vix inter homines ipſos cenſeri mereantur. Quis enim Neronem pro homine habuit, & non potius pro immani, ac truculenta beſtia, ab eo tempore, quo vitæ ſuæ turpitudinem, vt factis atrocibus ſic horribili iſto & infando carmine propalauit ἐμοῦ ζῶντος γαῖα μιχθήτω πυρί? *me viuente terra miſceatur incendio*; at quid aliud amabo faciunt ij, qui bellum non quod æquum ſit perſuadent, ſed quia ex propria libidine, ad iſtud gerendum rapiuntur, quàm inſtar Neronis optare, vt ſe viuis, ac in illo luctu exultantibus, terrarum deflagratio conſequatur? quaſi vero bellum aliud eſſet quā fax, & pernicies generis humani; & Mars ipſe ſapienter ab Ariſtophane non diceretur, in vaſtiſſimo quodam mortario, vrbes hominesque, crebris duri piſtilli ictibus contundere; aut ἄρης quod nomen illi eſt apud Græcos, non ab ἀρῆς ſiue *damno, & nocumēto* impoſitum fuiſſet; non ſecus ac latinis, eo quod magna omnia inuertat, *Mauortis* appellationem ſortitus eſt. Et ſanè tam certa, tamque immenſa pernicies bellorum eſt, vt *os* in ſacris codicibus gladio, non ſecus ac vaſtæ & immani belluæ tribuatur, quo obuia quæque depopuletur, & abſorbeat, *fugauit* inquit *Ioſue Amalec, & populum eius, in ore gladij*; & Chriſtus eodem modo loquutus eſt in Euangelio Lucæ, *cadent in ore gladij*; quemadmodū etiā fecit ex profanis Homerus in Iliade: & Cicero pro Archia Poeta de bello loquēs, os fauceſque ipſius appellauit his verbis *Populi Romani laus eſt, vrbem amiciſſimā Cyzicenorum, eiuſdem conſilio ex omni impetu regio, ac totius belli ore, & faucibus ereptam eſſe, atque conſeruatam*, ex quibus patet hunc loquendi modum, non alicuius ſcriptoris, vel prouinciæ, aut temporis peculiarem fuiſſe;

3. *Propter mala quæ ab eo proueniunt.*

in Irena.

exod. cap. 17. v. 13.

x. verſu 8.

fuiſſe; ſed paſſim, & ab omni æuo vſurpatum, eo quod aptiſſimus eſſet ad illud exprimendum, quod frequentiſſimè in bello contingit: & de quo ſi forte quiſpiam eſt qui dubitet, eum nunquam legiſſe oportuit, quæ de Cæſare à Plinio referuntur, ſcilicet vndecies centum, & nonaginta duo millia hominum occiſa varijs in proelijs, etiam à ciuilibus diuerſis, ab eo fuiſſe; vt mirum propterea ſit Marcum Tullium tam multa de eius manſuetudine, & inuſitata inauditaque clementia, cum pro Marcello peroraret dixiſſe, præſertim cum Seneca eum vocarit ***humani ſanguinis auidiſſimum, quem non aliter fluere in conſpectu ſuo iubebat, quàm ſi ore excepturus eſſet.*** Sed nec ipſe forſan auditu accepit, quo rem ab antiquiſſimis temporibus repetam, in ***bello Troiano*** cecidiſſe toto expugnationis tẽpore, ex Argiuis octingenta octuaginta ſex millia, ex Troianis vero vſque ad oppidum proditũ, ſexcenta ſex millia, vtrimque ſcilicet quindecies centena, & ſexagies duo hominum millia, quemadmodum ex Daretis Phrygij recenſione habetur; aut ***Alexandrum***, quod Plutarchus ſcribit, cùm de ſumma imperij aduerſus Darium certaret, tum cæcidiſſe tum cœpiſſe decẽ, & centena hominum millia; ac tandem ***Xercis*** exercitum quem in Græciam duxit, ex innumerabili propemodum colluuie gentiũ, ſi non potius fallit, aut ludit Herodotus, compoſitum fuiſſe, quadringentas enim, vt inquit, & viginti octo myriadas & tria millia ducentos & viginti viros, id eſt quadragies bis centena octuagies ter hominum millia, ducentos & viginti viros duxit Xerces Darij filius; ſubditque, quod mulierum pinſentium, & ſarcinas geſtantium hominum, numerum nemo potuit compræhendere & tamen hic exercitus, quàm breui cæſus, totus atque obrutus eſt ab illo Marte, qui Martiano Capellæ propterea vocatur ***hominum vorax, ſititorque etiam ſanguinis***, & de quo loquens Seneca veriſſime dicebat

lib. 7. c. 25. — de benef. lib. 4. c. 31. — libro 7. — libro 1. — in Hercul. fur.

arma non ſeruant modum
Nec temperari facile, nec reprimi poteſt
Stricti enſis ira, bella delectat cruor.

hinc ergo vt ab eiuſmodi hiſtorijs, quarum fides parum naſutos mouet, ad veriores alias tranſeam; clades vna Hieroſolymitana duodecies centena, & quadraginta millia hominum ſecum inuoluit; hinc bellum punicum ſecũdum quindecies centena millia

non

non totis annis ſeptemdecim abſorpſit. Quare ſi quis ea ſecum attentè reputet, & illud etiam Senecæ frequenter in animum reducat, *homini non eſſe homine prodigè vtendum*, proculdubio certum eſt, quod vnà cum Thucydide pronunciabit, *ſtultum eſſe mouere bellum, ſi florente ſtatu, liceat retinere pacem*: maximè cum illud, non homines modo, quorum iactura leui negotio ſarciri poteſt, ſed vrbes & prouincias integras, quibus reparandis non luſtra, nec ſœcula ſufficiunt, tanquam eorum quæ homines inter ſe peccant conſciæ eſſent, ſimul cum illis in exitium trahat; illud enim eſt quod dixit Horatius epiſt. 89. libro 2. ode 16. lib. 1

& altis vrbibus vltimæ
Stetere cauſæ cur perirent
Funditus: imprimeretque muris
Hoſtile aratrum exercitus inſolens.

vt præter Carthaginis, Corinthi, & Numantiæ rudera, fidem eius rei ampliſſimam facere poſſunt cẽtum vrbes ab Attila deſtructæ; & ipſamet Roma terrarum gẽtiumque Dea, quam ſi quis tot varios bellorũ caſus tuliſſe, & à Tacio captam: à Porſena obſeſſam, à Gallis incenſam, à Pyrrho territam, ab Annibale concuſſam mox ſuis armis dilaceratam, demumque toties Gothorum inuaſionibus, ſchismaticorum furore, perduellionum, ac deſperatorum hominum nefarijs conatibus exercitam fuiſſe intueatur, is certo certius non poterit, Statij Papinij non maximopere laudare induſtriam, qui & hæc, & omnia mala quæ à bellis proueniunt, in deſcribendo Martis Palatio, ſic ad rei veritatem expreſſit, vt non tam milites qui ipſa committunt damnandi ſint, quàm ille laudari merito debet, ab iſtius deſcriptionis præſtantia; fingit enim palatium ædeſque Martis apud Thracas eſſe, ad quos vt primum belli concitandi cauſà Mercurius venit. 7. Theb.

Hic ſteriles delubra notat Mauortia ſyluas
Horreſcitque tuens & poſtea
Digna loco ſtatio, primis ſalit impetus amens
E foribus, cæcumque nefas, iraque rubentes,
Exangueſque metus, occultiſque enſibus aſtant
Inſidiæ, geminumque tenens diſcordia ferrum
Innumeris ſtrepit Aula minis, triſtiſſima virtus
Stat medio, lætuſque furor, vultuque cruento

Mors

Mors armata ſedet . bellorum ſolus in aris
Sanguis, & incenſis qui raptus ab urbibus ignis.

4. *Vbi inter alia quæritur an ſolus homo in genus ſuũ ſæuiat.* Porro iſtius cladis occaſione, quæ bellorum miniſterio homini ab homine infertur, ſubit mihi in mentem recordatio quorumdam ſermonum, quos cum viris excellentis ingenij, & ſumma mihi neceſſitudine coniunctis Motthæo Vaierio, Gaſſendo, ac optimo etiam Diodato non infrequentes habui, ſuper ea quæſtione, an ſolus homo in genus ſuum ſæuiret, quemadmodum Iuuenali, & Horatio viſum eſt, quorum hic blande ſuo modo

Epod. libro. ode 7.

Neque hic inquit L*upis mos, nec fuit* Leonibus.
vnquam, niſi in diſpar, feris.

Satyr. 15. alter vero mordaci ſale, vt Satiricum decuit, rem altius exaggerat, & cothurnis quibuſdam auget his verſibus.

Sed iam ſerpentum maior concordia : parcit
Cognatis maculis ſimilis fera . quando Leoni
Fortior eripuit vitam Leo? *quo nemore vnquam*
E*xpirauit aper maioris dentibus apri?*
Indica T*igris agit rabida cum* T*igride pacem:*
Perpetuam: ſæuis inter ſe conuenit Vrſis.
Aſt homini ferrum lethale, incude nefanda
Produxiſſe parum eſt, &c.

his vero auctoritatibus quas ego in medium proferebam, addita etiam ea, ex Summi Pontificis Vrbani Octaui ode de Sancto Laurentio, nitore, ac nouitate prorſus diuina, quam in gratiarum actione iam antea retuli; reſpondebant viri illi ſapientes, non vſque hac in re fidẽdum eſſe Iuuenali, vel Horatio; quin potior eſſet apud me Ariſtotelis fides, docentis pauca eſſe eiuſdem ſpeciei animalia, quæ non de venere, ac paſtu inter ſe dimicent, exemplumque de Ceruis afferebant, quod paulo ſupra fuerat à me relatum. At enim quia certamen illud non ſæuitiæ, ſed furoris cuiuſdam amatorij, qui cum orgaſmo illo deſineret, indicium in animatibus eſſe contendebat optimus Diodatus; tunc Motthæus Vaierius, ad quem me conuerteram, carmen illud ſuo more præfatus

Ne mandate mihi, melius Telamonius ibit;

multa ex Brodæo deſumpſit, quibus id, certis animalibus, inditum à natura oſtenderet, vt cum ſui ſimilibus bellum gerere videantur: quorum in numero, primas obtinebat Hippopotamus:

qui

qui patrem, vt matrem ineat, ſi vlla ratione poteſt interficit; tum Polypi, qui acerrima edacitate eſſe dicuntur, per ſœpeque inter ſe non abſtinent, ſed à maiore minor editur; ac demum quædam Scropharum, domeſticarumque Felium genera eſſe dicebat, quæ ſuis fœtibus vim afferant, eoſque mandere non dubitent; à quo ſcelere, non abhorret Olor, neque Thynna quæ fœtũ ſtatim vt illum peperit deuorat; atque his exemplis, quorum tamen fidem penes auctores eſſe volebat, mihi putauit, ac optimo Diodato factum eſſe ſatis.

Sed cum ipſe diutiſſimè mecum aliam quæſtionem agitaſſem, 5
qui nimirum fieri poſſit, vt homines cætera animalia multitudine ſuperent, licet ſe ipſos quotidie crudeliſſimis bellis aut teterimis venenis conficiant, & ſemel tantum menſibus nouem, nec tamen omnes fœminæ pariant; de ea doctiſſimum Gaſſendum rogaui, vt ſi quid non inconueniens haberet, illud nobis ex peripateticæ, aut nouæ ſuæ philoſophiæ placitis, explicare non dedignaretur; quod ipſe libenter, & renidenti ore ſuſcipiens; nõ inquit vos, quaſi aliquid de meo proferre vellem, per ambages, & longa exorſa tenebo, ſed ab auctore Theatri naturæ, qui tibi, Naudæe, hac in quæſtione præiuit, eiuſdem quoque ſolutionem vt accipias efficiam; videtur ſi quidem illi cauſa huius rei eſſe, quod nullum animal terreſtre, pauciſſimis admodum exceptis, diutius quam homo viuat, nam quæ longius ætatem proferunt vt Elephantes, rariſſimè pariunt; quæ vero fœcundiora ſunt vt Oues, Boues, Capræ, Sues, ipſaque auium, ac piſcium genera, ea aliorum animalium pabulo inſeruiunt, ac breuiorem vitam habent, proindeque niſi homines eo modo, quo tu dixiſti, ſe ipſos conficerent, aut popularibus morbis ſœpius interirent, vix hominum multitudinem tellus vniuerſa capere potuiſſet; quemadmodum non ignoras, me aliquando pluribus alijs rationibus demonſtraturum eſſe, in eius philoſophiæ inſtauratione, quam vt perficerẽ, ſicut vos omnes, nõ auctoritate modo veſtra, quæ maxima ſemper apud me fuit, ſed continua adhortatione effeciſtis; ita etiam nullus dubito, quin poſtquam hec abſoluta fuerit, eiuſdem quoque defenſionem, aduerſus moroſos quoſdam, & plebeios homines, qui nihil ſincerum dijudicant, ſitis acerrimè ſuſcepturi; nimirum ita vir ille, propter quem nihil habent hæc fœcu-

& quomodo plus hominũ quã reliquorum animalium ſit cum ſe bellis quotidie cõficiant

ſœcula, quod priorum fœlicitati inuideant, ſermonibus noſtris finem impoſuit, quorum recordatione, ſic in præſentia afficior, vt videar mihi, & hunc, & amiciſſimos illos viros, quibus cum olim habiti ſunt, non loquentes modo audire, ſed intueri præſentes, & amplecti ſuauiſſimè. Verum vt ab hac digreſſione, cuius mihi ocaſionem obtulit, bellum cum leuiſſimis de cauſis ſuſcipitur, eo procedat oratio, quo ſtyli curſum deſtinauerat; ſi homicidia, ſi furta, ſi incendia, ſi adulteria, diuinarum humanarumque legum auctoritate damnantur; quanti criminis reus ille iudicandus eſt, qui ſui ſimiles tanquam pilas habens, & de eorum corio ludens, propriæ cupiditati vt obtemperet, non vnum aliquem, ſed tot hominum millia bello trucidat; non domum vnam, aut villam, ſed Regiones integras deuaſtat; nihilque cultum aut frugiferum in agris, nihl in horreis congeſtum, nihil ex poſitum in emporijs, nihil pudicum in gynæceis, nihil denique ſanctum in templis, aut arcanum eſſe patitur, notum eſt enim iſtud Lucani

Stat cruor in templis, multaque rubentia cæde
Lubrica ſaxa madent, nulli ſua profuit ætas.

libro 2. Proindeque Liuius non inuenuſtè, bellum *tempeſtati* comparat, & Pindarus *ventorum ingenti turbini*, qui ſimul ac Pelago incu-

in Pythia. buit, omnia turbat, impellit, proruit; diſſipat; ego vero ſi quid poſt celeberrimos viros de eadem re dicere habeo, conferrem illud quoque *ſyderi* cuidam procelloſo, quod de ſe, ita in Plauti Rudente loquitur.

ſignum ſuum omnium quàm acerrimum,
Vehemens ſum exoriens, cum occido vehementior

nempe quia diſtrictus enſis, & ab eo plagæ, vulnera, cædes, bellorum ſunt præludia; faces vero atque incendia finis, quando ſcilicet

Cuncta iacent flammis & triſti merſa fauillà

&Sapienter D. Auguſtinus cũ de malis quæ ex ex bello naſcuntur

lib 19. de Ciuitate. ſermonem haberet, *hæc itaque* inquit *tam magna, tam horrenda, tam ſæua quiſquis cum dolore conſiderat, miſeriam neceſſe eſt fateatur; quiſquis autem vel patitur ea ſine animi dolore, vel cogitat; multo vtique miſeriùs; ideo ſe putat beatum, quod & humanum perdidit ſenſum*: breuiter igitur Plutarchus, *ſæua res bellum eſt, cumulum-*

in Camillo. *que ſecum trahit iniuriarum, & inſolentiæ.* Vnde cum priuatorum com-

commodis vtilitas publica, non aliter quàm fœcunda ſeges à lolio, & ſterilibus herbis ſœpius opprimatur, & ab euentu bellorũ Reipublicæ ſalus, aut exitium plerumque dependeat; Romani quominus tanti momenti negotia, priuatorum votis, occultiſque deſiderijs ſubiacerent, bellum non paucorum ſuffragijs decerni, ſed comitijs populi centuriatis, indici tantum poſſe voluerunt; cum tamen Plebi pacem iubere liceret: quia nimirum plus ſemper à bello periculi, quàm à pace imminere cenſebant, quæ nunquã adeo iniqua eſt, quin fœlici bello, lõgè potior haberi debeat.

Enimuero quoniam ea eſt ſupremi numinis beneficentia, vt proſperos armorum ſucceſſus facile ijs concedat, qui bella iuſtis de cauſis ſuſcipiunt; vt idcirco M. Antoninus Imperator, liberatus ab inſidijs quas illi parauerat Auidius Caſſius, confidenter exclamarit, *non ſic Deos colimus, nec ſic viuimus, vt ille vincere debuiſſet*; cùm ex aduerſo Mancinus, vt ſe purgaret in Senatu de bello Numantino infeliciter geſto, *haud mirum eſſe* dixerit, *ſi hoc bellum infeliciter ceſſiſſet, quod præter omnem æquitatem decreuiſſent*; quoniam ſcilicet Pompeius pactum cum Numantinis fœdus, irritum feciſſet; quo ſimiliter referuntur verba hæc Iornandis. *ſupra mare Ponticum Bulgarorum ſedes, quos notiſſimos peccatorũ noſtrorum malafecere*; & horum omnium veluti conſectaneum ſit illud quod vulgari hoc diſticho effertur 6. *Sed non debet præterea dux iniuſti belli miniſtrum ſe præbere.* cap. 17 de rebus Getic Propert. lib. 4 eleg. 6.

Frangit, & attollit vires in milite cauſa,
Quæ niſi iuſta ſubeſt, excutit arma pudor.

Eam ob rem Dux, etſi minimè ad illum pertineat in arcana principum inquirere, rationeſque quas habent bellum inferendi, ad æqui iuſtique trutinam explorare, qui ſuâ ſe obedientiâ ſuperioribus ſuis potius probare debet, maximè ſi hanc illis debeat, ex nexu feudali, aut obligatione aliqua perſonali, qualis ſubdito cum Rege exiſtit; ipſi tamen quantum opis ſuæ erit connitendum eſt, ne eius belli adminiſtrãdi prouinciam ſuſcipiat, quod vel apertè iniquum eſt, vel ſaltem non ita legitimis de cauſis ſuſceptũ iudicabit; alioqui vindex iniuriarum Deus, cuius ſolio adſidet illa diuinarum, humanarumque rerum regina Themis, nõ ritè exorſa eius, malè ſecundabit; vtcunque enim Aeſchylo obedientia μήτηρ εὐπραξίας eſſe dicatur: & ex diuo Bernardo vbi agit de præcepto & diſpenſatione *non attendat verus obediens, quale ſit quod præcipitur*;

tur, hoc ſolo contentus quod præcipitur; tutius tamen eſt, ſi Dux hac
li. 22. cap. 75 in re D. Auguſtini conſilium ſequatur, quod contra Fauſtum ſcribens his verbis attulit, *vir iuſtus ſi forte ſub* Rege, *homine etiam ſacrilego, militet: rectè poteſt illo iubente bellare: ſi quod ſibi iubetur, vel non eſſe contra* Dei *præceptum, certum eſt; vel vtrum ſit certum non eſt: ita vt fortaſſe reum faciat* Regem *inquitas imperandi: innocentem autem militem oſtendat ordo ſeruiendi*. Eſt tamen in his verbis *vtrum ſit certum*, vbi multis aqua hæreat bellatoribus, cùm negotia Principum, intimi tantum conſeſſus conſiſtorianis pateāt, & illis plerunque, non tam ex euidentibus cauſis, quàm ex occultioribus alijs dijudicanda ſint; in quibus quantum ipſi Duces cæcutiunt, qui abſque vlla conſiliorum participatione, arma in hunc aut illum principem expedire iubentur, non opus eſt, mea quidē opinione, alijs rationibus, quàm experientià quotidianà confirmare. Quamobrem cum nullus ita hebes ſit ac nouus in rebus tractandis, quin facile cognoſcat, ſi quid illi quod Deo, qui ſummus omnium princeps, & dominator eſt, immediatè contrarium ſit, committitur; tum ſi quid eiuſmodi illi occurrat, conſilio vti poteſt D. Ambroſij *cum Dominus iubet ea quæ ſunt contraria* Deo, *ei obediendum non eſt*: in reliquis vero quorū arcanæ rationes apud ſolum principem, & intimos quoſdam conſiſtorianos deliteſcunt ex officio potius optimi ſubditi, aut viri prudentis faciet, ſi nihil quicquam à ſuo principe quod iniquum ſit decerni exiſtimans, bellum audacter ſuſcipiat, quod ab eo, & qui eius conſilijs adſtant viris grauiſſimis, prudentiſſimiſque, iuſtis de cauſis indictum crediderit, nec

Infandum contra omnia bellum,
Contra Fata Deum, peruerſo Numine poſcat.

7. *Qua occaſione explicātur iuſta bellorum cauſa tū grauiores vt patria ſalus.*

Iuſtæ autem belli cauſæ erunt, nō ſolum vt arbitratur M. Tullius, ſi primùm hoſtis quis iudicetur; aut ſi idem, repetendis de rebus inſtituatur & iure *repræſaliorum*, quandoquidem ita noſtri appellant, quod M. Varro *clarigationem*, Demoſthenes *ἀνδροληψίας*, Iuſtinianus *ἐνεχυρασμὸν* magis proprie eleganterque dixerunt: ſed ſi facta Reipublicæ iniuria ſit vindicanda; ſi ſocij confœderatique ab oppreſſione defendendi; ſi pro communi ſalute commoditateque ciuium pugnandum; etenim cum aliter ſtare Reſpublica quàm bello ſœpe geſto nequeat, vt eleganter Plato in

primo

primo de legibus ſub Cliniæ perſona docuit, neceſſe profectò eſt bellum ijs de cauſis quas dixi ſuſcipi, ne iniuriæ, contumeliæ, audaciæque hominum iniuſtorum, eadem pateat; tuncque nullum de belli æquitate dubium eſſe poteſt, quoniam *hoc* vt inquit Cicero *& ratio doctis & neceſſitas Barbaris, & mos gentibus, & Feris natura ipſa præſcripſit, vt omnem ſemper vim quacumque ope poſſent, à corpore, à capite & vita propulſarent*: eſtque illa non ſcripta, ſed nata lex, ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus, vt ſalutem noſtram propugnare, & oblatam ab hoſte iniuriā manu, ferroque vindicare ſtudeamus. Hoc vero cum varijs in occaſionibus fieri debeat, tum certè nulla vnquam præclarior eſſe poteſt, quàm ſi patriæ negotium agatur, pro qua pugnare, optimum eſſe auſpicium dicebat Hector Homericus, & cuius incolumitati deuouere ſe Decij duo pater & filius, vt nec certe Brutus filios, & Agamenon filiam quæ illi vnica erat immolare non dubitarunt: quinimo *Sobiorum populi* Alexandrum magnum; *Abydeni* patrem eius Philippum; *Xantij* Brutum; *Numantini* Scipionem; *Caliguritani* Cn Pompeium cùm ſuſtinere prementes, amplius non poſſent, ferro ac flammis ſæuire in ſe maluerunt, quàm communibus patriæ malis, eiuſdemque excidio ſupereſſe. Nec immerito *Agraulis* fœmina, quæ pro ſalute patriæ, mortem oppetere non recuſauit; iſtud apud antiquos obtinuit, vt eius admiratione virtutis ducti, eam immortalem eſſe voluerint; atque adeo illi templum dedicarint, in quo omnes Ephebi, priuſquam ad bellum educerentur, iurare inter alia ſolebant, *ſe ad mortem vſque pro aris, & focis*, vt apud Stobæum, & Pollucem habetur in antiqua iuſiurandi epheborum Athenienſium formula; ſiue vt ex Vlpiano & Philoſtrato addit Petitus, *pro nutricia terra eſſe dimicaturos*. Eoque nomine potiſſimum laudantur, ſex illi *Caleti* oppidi cuiuſdam in Gallia munitiſſimi, *incolæ*, qui ſe Eduardi tertij Anglorum Regis arbitrio, pro reliquorum ciuium ſalute offerentes, nihilo ſecus nobis admirationi eſſe debent Froſſardi hiſtorias euoluentibus, quàm ſi præclarum illud eximiæ in patriam pietatis exemplum, antiquorum hiſtoricorum vt Plutarchi, vel Herodoti monumentis, conſignatum fuiſſet.

Pro Milone. | libro 1.

Bella præterea ob iuſtam vindictam, ſere ſemper exitu fœlici terminata fuiſſe, tam exploratum eſt vnicuique, vt vix probatio- 8.

Iuſta vltio.

ne indigeat; ſic enim *Iunius Brutus* mortem Lucretiæ cum vlciſceretur, Tarquinios Romà expulit; ſic *Auguſtus*, & *Antonius*, Cæſaris percuſſores minimo ferme negotio ſuperarunt; ſic *Seuerus*, Pertinacis manes fuſo hoſtium ſanguine placauit: ſic *Dido*, Sichæi mariti cineres vindictà ſatiauit, eaque præſertim actione ſe fortunatam eſſe, apud Virgilium prædicat

4 Aeneid. *Vrbem præclaram ſtatui, mea mœnia vidi,*

Vlta virum pœnas inimico à fratre recepi.

Sic denique apud *Scythas*, quos hodie Circaſſios vocant, tanta erat in iuſta vltione confidentia, vt ſi quis acceptam iniuriam vlciſci abſque aliorum opera non poſſet, ſedens humi, in tergore immolati Bouis, quem in fruſta diſſecuerat, reiectiſque in dorſum manibus, accedentes, ſibi vt auxilio adeſſe vellent, rogaret, carnium diſſectarum portionem velut in præmium offerẽs, quemadmodum Lucianus in Toxari auctor eſt, adeoque ſemper honeſta, hæc belli gerẽdi occaſio, exiſtimata fuit, vt Beliſarius apud Procopium diceret *primam hanc eſſe iuſtitiæ curam iniuſtè interfectos vlciſci*: & cùm cætera negotia, Dijs tum medioxumis tum infimis, & prout vnius cuiuſque votum erat, commendarent; huic in quo de vindicta ageretur, Romani Iouem ſub vltoris epitheto præeſſe tantum voluerunt; ſicut etiam Ciprij, vt narrat Clemens Alexandrinus in oratione ad gentes.

lib. 30. de bello Vandal.

9. *Sociorum defenſio.* His bellorum cauſis iuſtitià proxima ſunt, quæ vim omnem à ſocijs confœderatiſque populis repellunt, quoniam vt Ciceroni placet *Fortitudo quæ per bella tuetur à Barbaris patriam, vel defendit infirmos, vel à latronibus ſocios, plena iuſtitia eſt*; vnde Florus cum bellorum occaſiones in certa genera reſtringeret, non hanc omiſit qua ſociorum incolumitas modis omnibus procuranda continetur: & Romanis ipſis, nihil vnquam antiquius fuit quam periclitantibus ſocijs, omni ope conſilioque ſubuenire: ex eoque Scipio apud Liuium ad Annibalem inquit, *neque Patres noſtri priores de Sicilia, neque nos de Hiſpania fecimus bellum: & tunc Mamertinorum ſociorum periculum, & nunc Sagunti excidium, nobis pia iuſtaque induerunt arma*, nempe ſocios iuuare plenum opus pietatis & iuſtitiæ arbitrabantur, quia præterquam fidem datam ſeruare, eoſque modis omnibus protegere, qui ſemel in alicuius ſe clientelam commiſerunt, ita videtur opere pretium eſſe,

Decad. 3. lib. 10.

eſſe, vt ad communem hominum ſalutem maius eſſe non poſſit; conſtat inſuper nullum imperium, ſine auxiliaribus ſociorum copijs & opibus augeri, ac ne diu quidẽ ſtare poſſe florens & beatum. vnde ſi ab hoſtibus eorum vires imminui, agros facultateſque deprædari, qui cum ipſis mutuo fœderum nexu coniuncti ſunt, permittant, idem eſt profecto, ac ſi ſuas ipſi opes, propriaſque vires imminui, & labefactari continuo ab iiſdem hoſtibus non moleſte ferrent; quod equidem neſcio vtrum aliquis abſque graui damno, & iniuria pati poſſit. His igitur de cauſis ad recuperationem rerum; iuſtam ſui ipſius aut ſociorum defenſionem; & punitionem ſeu vindictam, pertinentibus, quæ tria ſunt in hac Camilli ad Gallos denuntiatione expreſſa, *omnia quæ defendi, repetique, & vlciſci fas ſit.* Duces moueri, ac impelli oportet, priuſquam bellum aliquod ſuſcipiant, ſi vt inquit Onoſander ſibi contra hoſtes, ſocium bellorum Deum, propitiumque adſiſtere voluerint, ipſoſque adeo milites periculis adeundis promptiores euadere. *poſtquam enim perſpexerunt, ſe iniuriam non inferre, verum illatam propulſare; nullius impietatis conſcij, abſoluta vere maſculaque virtute, & excelſo animo, militiæ ſe ſe vltro dabunt*, ſpemque non vanam aut inutilem concipient, de totius belli euentu, qui ferme ſemper talis eſſe ſolet, qualia fuere, & eius principia. Vnde cùm Rhodiorum Legati pro ſuo populo apud Romanos perorarent, illis abſque inuidia libenter hanc laudem tribuebant, *certè quidem vos eſtis Romani, qui ideo fœlicia eſſe bella veſtra quia iuſta ſunt præ vobis fertis; nec tam exitu eorum quod vincatis, quàm principijs, quod non ſine cauſa ſuſcipiatis, gloriamini.*

Liuius lib 5.
capite 4.
Liuius lib. 45.

Porro quia ſicut antea dixi, Dux obſequium ſuum vel Regi ſuo aut legitimo principi, cùm illi militat; vel cæteris quibus operam ſuam addixerit, animo ſemper expedito præſtare debet; nollem hunc quem in præſentia efformamus, ita moroſum aut difficilem eſſe, vt non niſi grauiſſimis de cauſis, ad exercitum ducendum ſe accingat, cùm leues occaſiones, ſeu illæ meditato iam & adornato bello principium faciant, vt vulnus Aſcanij ſagittis, ceruo inflictum. 10.

Tum leues ſed neceſſaria
Aeneid. 7.

quæ prima malorum
Cauſa fuit, belloque animos accendit agreſteis.

ſeu inferendi belli primæ, ac principes cauſæ exiſtant, magnas hæ

perſœpe rerum inclinationes, & momenta poſt ſe trahere, nec minus in ſe iuſtitiæ, aut æquitatis habere, propter varia quibus veluti ſtipantur accidentia, conſueuerint, quam ſi parentes ipſi aut patria ad internecionem poſtularētur; quoniam vt inquit Nicetas in Manele Comneno *ſæpe incidens nullius momenti cauſa multarum rerum mutationes peperit, ac calamitates ingentes attulit*, quo ſenſu dicebat etiam Tullius, quod maximorum bellorum ſœpe tenuiſſima contemptiſſimaque principia fuere. Et ſanè proximis illis quidem aureo ſœculo temporibus bellorum fere omnium occaſionem præbuerunt fœminæ,

Namfuit ante Helenam cunnus teterrima belli
Cauſa

libro 1. vt inquit Horatius; hincque Herodotus prima inter Græcos & Barbaros prœlia, ex raptu fœminarum exorta ſcribit; & apud *Græcos* Helena ipſa, apud *Hebreos* Dina filia Iacob, oppreſſa Leuitæ coniux, adulterium Bethſabeæ, Inceſtus Thamar; apud *Troianos* Heſione; apud *Romanos* raptæ Sabinæ, violatæque Lucretia, & Virginia; apud *Aegyptios* Cleopatra; apud *Scythas* Iantini Regis filia, non tradita Dario in vxorem, ſicut pactum fuerat; apud *Meſſanos* ſtupratæ Lacedæmoniorum virgines; apud *Phocenſes*, & *Thebanos* vnius puellæ quæ à diuerſis ambiebatur, collocandæ diſceptatio, grauiſſimas diſſentiones concitarunt: non ſecus, ac Simetha meretrix bellum concitauit inter *Megarenſes*, & *Athenienſes*, quod vt inquit Dicepolis, apud Ariſtophanem, Pericle Duce geſtum eſt; multaque alia Athenæus exempla in hanc rem ex celebri memoria collegit, quæ tam facile in libris eius haberi poſſunt vt referre ea nihil neceſſe ſit; præſertim cum temporibus non ita dudum elapſis, acerrima illa factio, quæ totam poſtea Europam in conſenſum rapuit, *Guelphorum*, ac *Gibellinorum*, Florentiæ inter optimates initium habuerit, ab eo qui ex Buldemontiorum familia nobiliſſima, nouas nuptias ſibi quæſiuerat, diſſidio facto eius affinitatis, quæ cum alia ſponſa prius inchoata fuerat. Atque vt non modo in hoc, ſed in omni prope cauſarum genere, bellorum incendia quæ totas regiones ſœpius peruadūt, minimis quandoque ex ſcintillis originem duxiſſe oſtendatur: *Heluetij*, vt notat Gallorum politicus, ob currum pellibus onuſtum,

in Acharnan. actu 2. ſcen. 5.

libro 13.

lib. 4. de Repub. cap. 4.

ſtum, qui ipſis à comite Romontio, vt addit Cominæus, ablatus fuerat, bellum grauiſſimum ſuſceperunt, aduerſus Carolum Burgundionum ducem, quod non niſi eo tandem interempto, conſopitum fuit; ſic *Aetoli, & Arcades* mutuis ſe ipſos prœlijs diutiſſimè attriuerunt, propter vnius apri caput; vt *Carthaginenſes, & Bizacbij* ob leuiſſimum myoparonem; *Pictos* vero cum *Scotis* canes quidam erepti, tam ardenter commiſerunt, vt nullis fœderibus placari, ac inter ſe amicè conuenire amplius potuerint. An igitur bella hæc omnia iniuſta erunt, vel duci noſtro detrectanda quæ ex tam ignobilibus, & abiectis principijs ortum duxere? minime gentium, quoniam in his non tam modus, quàm animus ſpectatur, & quemadmodum ſi graues cauſas, & omni luce clariorem iuſtitiam, in bellorum initijs requirat, maximum ex eo promerebitur laudis incrementum; ita nullum dedecus incurret, ſi in hæc tam anxie non inquirat, de quorum ęquitate ſœpe inter ipſos iuris, & legum, ac principis arcanorum conſultos, non liquet. Sed ijs difficultatibus ad quos pertinent reiectis, bellum ſtrenuè gerat, quod ſuæ fidei, induſtriæ, fortitudini, & militari peritiæ adminiſtrandum committitur. libro 7.

VI.

His conditionibus ſuſceptum bellum, duabus alijs indiget, vt proſperè geratur, *viribus* nempe & *conſilijs*, vbi per vires inſtrumenta prudentiæ, ac fortitudinis intelligo, apparatum ſcilicet rerum neceſſariarum, ad omnem vſum belli, vti ſunt hæc quatuor *pecunia, commeatus, arma, & viri* ſeu milites; *Prius enim eſt*, vt inquit Quintilianus, *parare bellum quàm exercere*; iſtudque, vt publius Mimus ſubiungit, *diu apparandum eſt, vt vincas celerius*: nã vt erat cõſilium Periclis apud Thucydidem, copioſæ opes diu ante bellum præparatæ, hoſtes facilius ſuſtinent & repellunt, quàm violentæ collationes; nec illud etiam parui faciendum eſt, quod hæc omnia ſi tempeſtiuè parentur, non modo in bellum valent, ſed ne bellum inferatur ſœpius efficiunt, nemo ſiquidem prouocare audet iniuriàuè laceſſere, quem intelligit inſtructum eſſe rebus neceſſarijs, ad iſtud quod in ſe peccatum fuerit, non abſque vltione ferendum. Præ cæteris autem ad belli apparatum requiſitis, vna maxime omnium videtur neceſſaria eſſe pecunia, quoniam vt inquit Plutarchus in Cleomene *pecuniam qui primus rerũ agendarum neruos eſſe dixit, is præcipue ad res bellicas reſpiciens id*

1 In bello gerendo conſiderantur vires & conſilia & in viribus primum quidem pecuniæ apparatus quoniã illa ſummopere neceſſaria eſt.

libro 12.

libro 1.

dixiſſe videtur: & eiusdem ſententiæ fuit callidus experiensque
lib. 1. hiſt. vir Mucianus, de quo Tacitus cùm de Veſpaſiani in Vitellium apparatu loquitur, hæc habet *ſed nihil æque fatigabat, quam pecuniarum conquiſitio, eos eſſe belli ciuilis neruos dictitans Mucianus, non ius, aut verum in cognitionibus ſed ſolum magnitudinem opũ ſpectabat*; quod idem poſtea Tzetzes verſibus quibusdam expreſſit,
8. Chiliade. qui ita à Laciſio latinè redditi ſunt.

Aurum enim deſideratiſſimum eſt hominibus,
Aurum omnia corrigit; Aurum neruus belli.

nimirum ſicut medici negant abſque neruis homines ambulare poſſe, ita certiſſimum eſt, nec bellum vſquam progredi ſine pecunia, quæ motum illi dat, ac velut animam, & ſpiritum infundit: quin potius eà non maturè prouiſà, multæ ſæpe numero expeditiones bene cœptæ, intermiſſæ, & omiſſæ; multi exercitus cæſi, ac mutuis cladibus ſine hoſtili ferro, tumultuantes inter ſe, diſſidenteſque turbati ſunt, quia miles non legitimo, & debito imperio, ſed precario tantum ducitur, cui ſi præmium operæ demas, ſtatim animum deſpondet, & imperia reſpuit, quæ etiam ſi vellet adimplere, plerumque non poteſt, inter tot anguſtias depræhenſus, quas ſecum afferunt ſtipendia non debito tempore numerata. Vnde forſan Flaminius Philopœmenis exercitum probè, ſi nummos excipias, cæteris rebus inſtructum, corpori aſſimilabat, quod
cap. 3. vers. 14. ventre careret; & eadem forſan de cauſa dictum illud D. Ioannis, ἀρκεῖσθε τοῖς ὀψωνίοις ὑμῶν, Latini reddiderunt *contenti eſtote ſtipendijs veſtris*, quod res ad victum neceſſariæ, alimentaque, niſi ſtipendia militi perſoluantur, comparari ab eo non poſſint; & etiam ſi vox illa ὀψώνιον pro ſtipendio militari accipiatur, quoniam non *pecunia* modo, ſed etiam *cibaria* militi darentur, ideſt τροφὴ καὶ γέρας, quæ duo vnica demum *Salarij* voce indifferenter vſurpata ſunt, cum eius nempe ſignificatio *à Sale* primùm, vt oſtendit Pli-
lib. 3. cap. 7. nius his verbis *honoribus etiam militiæque interponitur, ſalarijs inde dictis*, ad annonam quæ vnicuique in exercitu deſtinata, & aſſi-
li. 18. cap. 20. aduerſ. gnata erat, quod multis docet Turnebus, ac demum ad vtriusque tum victus, tum ſtipendij diſtributionem ſignificandam, ab auctoribus translata fuiſſet; licet inquam hæc ita eſſent, eodem tamen non ſolum difficultas recidit, ſed maior lõgè ex eo fit, quod difficilius eſt commeatui etiam, quàm ſoli militum ſtipendio,

ab-

abſque nummis & multa ſignata pecunia prouidere.

2. *Imo pro belli neruis habēda cōtra Patriciū & alios*

At profecto cùm hæc ſententia quæ nummos pro neruis bellorum eſſe contendit, tam vera ſit, quàm in omnium ore trita, & peruulgata eſt, mirari ſatis non poſſum, quis deuius error, quodue ab alijs diſſentiendi ſtudium, etiam in rebus clariſſimis, Patricium in hanc opinionem induxit, vt iſtius decreti fundamenta, varijs ſed debilibus rationum machinis, ijſque mutuatis vt plurimum ab infandi nominis politico, ſubuertere ſuis in paralellis conaretur. Ecquid enim amabo, euidentius eſſe poteſt, quàm bellum, nō armis tantum, ſed multis alijs voracibus impenſis onerosum reddi, quæ penitus neceſſariæ ſunt, priuſquam armis in tuā rem vti poſſis? imo vero quid certius eſt quàm numeroſo milite, copioſà annonà, varijs machinis, & tormentis ei opus eſſe, qui bellum recta cum ratione ſuſcipere velit? at quis vnquam hæc omnia abſque præſenti pecunia parare potuit? prouerbium equidem eſt, apud noſtrates, frequenti translatione, ad omnia ferme in quibus nummis potius quàm verbis agendum eſt, vſurpatum, *ſi deſint nūmi fruſtra quærētur Heluetij*; fruſtra etiā milites, maxime vero illi qui pedibus merent & à ſtipendio quod nobis *à ſolidis* quorū vſus iam obtinebat Childeberto Rege, & Gregorio primo Pontifice, qui eorum frequenter in epiſtolis meminit, *la ſolde* dicitur, *Solduriorum* nomen, quod poſtea cæteris commune, factum eſt, accepere. Nec apud vllas nationes quemquam inueniri arbitror ex illo hominū genere, qui denis in diem aſſibus animam, & corpus æſtimant, adeo ſui ſanguinis liberalem, vt gratis ipſum effundere velit, tantùm abeſt, vt deſertor etiam non ſit & transfuga, quoties alium inuenerit, qui pluris eius operam, venaleſque manus licitari maluerit. Quod cum intelligeret Baiazethes à Patre Suleymano in Perſidem fugiens, quacumque inceſſerat, ædiū poſtibus inſcriptum relinquebat, militibus qui ad ſe tranſirent, duplex ſe numeraturum eſſe ſtipendium; nempe *haſtis* pugnare volebat *argentatis*, vt ex Apollinis reſponſo omnia ſuperaret.

ad Dinamiū, & Fantinum.

Busbequius.

3. *Quare ærarium militare parandum eſt*

Verum quia hæc diſſertatio politica quod nummi ſint bellorum nerui, nemini ferme nō dicta, & etiam contra Patriciū copioſè ab Alexandro Taſſono & Elia Reuſnero tractata eſt; ita vt nihil alijs relictum ſit, quod aliqua cum laude in hoc argumento afferre poſſint, conuenientius erit Auguſtū Imperatorem cæteris principi-

lib.8.cap.38.
lib.1.cap.27.

principibus ad imitandum proponere, qui vt in commentarijs Suetonij traditur, quo ſumptus ad tuendos milites, proſequendosque, perpetuo ac ſine difficultate ſuppeteret, *ærarium militare* cum vectigalibus nouis, proprioſque huic ærario præfectos inſtituit; Quo pariter modo notat Thucydides, Athenis ſeponi mille talenta in ſanctiori ærario, quotannis conſueſſe; quæ ſiquis in alios vſus, quàm aduerſus hoſtes, cùm in Atticam irruerent, impendenda eſſe decerneret, & populum rogaret, morte mulctari ſolebat, lege etiam de hac re lata, quam inter Atticas ſuccenturiauit Petitus ex Andocidis oratione de pace his verbis *Mille talenta quotannis ſeponunto non expendenda: ſiquis dixerit, aut Populum rogarit ea impendi in alios vſus, quàm ſi hoſtes nauibus appulſi inuadant Atticam, & propugnanda ſit patria, capital eſto.* Cùm vero Athenienſes maximam auri vim è ciuium cenſu, vectigalibus, & tributis colligerent, quam à bellis, in quorum vſum impendebatur, *Stratioticam* ipſi dicebant, auctor fuit Pericles, vt Reſpublica duos ex ea obolos tenuioris fortunæ ciuibus viritim elargiretur, quorum vnum comparandis ſibi alimentis inſumerent, alterum vero Theatri architecto, ſedibus in eo conducendis erogarent: vnde quia θία Græcorum idiomate *ſpectaculum eſt*, hinc *ſtratiotica* illa pecunia, in *Theoricam* commutata fuit, de qua tamen, lege altera cautum erat, *Ingruente bello, è Theorica pecunia militum ſtipendia numerantor*. Et ex eo eſt quod Socrates apud Plutarchum ſapienter docebat, cibos potuſque vitandos eſſe, qui nullà indigentià pelliciunt laceſſuntque, ſed & quæ ex ijs ſentitur iocunditas, ordinanda eſt, ac neceſſitati ſubijcienda: *ſicut* inquit *faciunt qui ex Theoricis, Stratioticas conflant pecunias*. Hoc vero Aerarium, paratum ad omnes caſus habere, quàm principibus conducibile ſit, vnus omnium apertiſſimè declarauit Ariſtoteles, vbi de Lacedæmonijs inquit, *malè ſe habent quæ ad pecuniam publicam pertinent apud Spartiatas: neque enim in communi ærario ciuitatis eſt aliquid*: hoc vero durauit vſque ad tempora Lyſandri, qui poſt captas Athenas, magnam inde auri atque argenti vim conflauit, intulitque in ærarium publicum. Eadem omnino mente qua Auguſtus dicitur à Suetonio ærarium militare ſeorſim inſtituiſſe. *Quicquid*, inquit, *vbique militum eſſet, ad certam ſtipendiorum præmiorumque formulam adſtrinxit: definitis pro gradu cuius-*

libro 8.

libro 4. tit. 9.

2. politicor.

capite 99.

cuiuſque, & temporibus militiæ, & commodis miſſionum; ne aut ætate, aut inopiâ ſolicitari ad res nouas poſſent, vtque perpetuò, ac ſine difficultate, ſumptus ad tuendos eos, proſequendosque ſuppeteret, ærarium militare cum vectigalibus nouis inſtituit. Quod Auguſti inſtitutum ſi quis hodie inter Principes ſeruat, is profectò Turcarum Sultanus eſt, qui ſuis in expeditionibus mira celeritate ſemper vtitur, & noſtrorum apparatus plerũque anteuertit, quoniam deſumpta ex ſacro ſuo depoſito pecunia, & ſtipendium militi numerat, & neceſſaria omnia conquirit, ita tamen vt peracto bello, & facta pace, eandem pecuniæ ſummam, & ſi occaſio tulerit, maiorẽ, ex ſpolijs hoſtiũ, agrorum diuiſionibus, & ſubditorum tributis conficiat, & ærario ſuo reponat, tanta profectò ſedulitate, vt præclara hæc adminiſtratio, in gẽte quæ à nobis fera, & Barbara exiſtimatur, rubore merito inijciat noſtris principibus, qui velut ex dimenſo viuentes, pecuniarũ vim nuſquam habent repoſitã, ſed tum demum de ea cogenda ſolliciti ſunt, cum potius milites conſcribere, & arma expedire deberent, omnino dicti huius Plautiniani immemores *durum nimis eſt fauces ſitis cum vrget puteum fodere*, aut eius quod in extremis agens vſurpauit Conſtantinus Copronymus dum ingentem vim pecuniæ, quam ſub terra, in omnes euentus, defoſſam ſeruabat το μεγα μυστηριον vocauit, *magnum ſecretum*, quia ſcilicet ad omnia vtile, imo neceſſarium. alioqui principes videntur eſſe eorum militum ſimiles, qui à Grammaticis *Aere diruti* vocabantur, quemadmodum enim hi nihil habebant in zona, ſed omne illorum ſtipendium penes Fiſcum remanebat ita hi nihil in ærario quod proprium ſit habent, ſed cùm pecuniâ illis opus eſt, ea tum niſi à publicanis cogatur, nulla erit.

Cedrenus.

Nihilominus tamen, cùm hæc Principum incuria, non hodie, vel nudiuſtertius apud illos exorta ſit, hinc eſt quod tanquam morbo inueterato, varia huic remedia quæſiuerunt, non tollendo penitus, ſed quoties per nouas exacerbationes recurrit, mitigando; quare diuerſas etiam artes inuenerunt, pecunias extremis illis in neceſſitatibus cogendi, inter quas ſeptem à Politicis ſcriptoribus recenſentur omnium honeſtiſſimæ, nimirum vt conficiantur *ex agris publicis; ex hoſtium ſpolijs; ex amicorum largitionibus; ex ſociorum vectigalibus, & tributis; ex mercatura; ex earum rerum vectigalibus quæ inuehuntur, aut euehuntur; atque ex ſubditorum tributis.*

4 *Eique quoties exhauſtum erit varijs artibus ſubueniendũ.*

tis. A quibus modis cum diſcedunt Principes,tunc extraordinarijs collationibus quas Thucidides *ἐισφορὰς* appellabat,locus eſt, quales ſunt dum facultates omnium diſtribuuntur; capita, domus, feneſtræ, camini, inſtrumenta, actioneſque hominum certa pecuniæ ſummà condemnantur, debita priuatorum publicis neceſſitatibus addicuntur: donationes gratuitæ ſubditis, mutuationes publicanis, & Eccleſiæ deuotis hominibus ſubſidia imperantur; diuiteſque capitatim pro ſe ad bellum mittere; pauperes vero oppidatim diuiſi, idem facere coguntur,quaſi in ſuperpondium oneris conſueti: de quibus omnibus tum ſubſidiarijs,& impoſititijs exactionibus,fruſtra nunc populi queruntur, quaſi ijſdẽ fere, aut certè ſimillimis oneribus, ac tributis exhauſtæ olim gentes, ac vexati antiquorum Principum ſubditi, non fuerint. Nam Romani quorum immenſi, & conſueti prouentus eruebantur ex *portu* ſiue mercium ſubuectione; ex *decimis* ſiue frugibus, atque alijs quæ terra colligebantur; & ex *ſcriptura* ſiue pecorum fœtura,& animalibus quæ in paſcuis verſabantur; quibus & *ſalinarum* reditus addendi ſunt, ab Anco Martio primùm inſtituti; quoties legitimum illud,ordinariumque vectigal non ſufficiebat,*oblatione* nouæ pecuniæ,cuius tamen exactio precaria ferme erat; atque etiam *indictione* qua populi reluctantes reclamanteſque, ad hanc perſoluendam adigebantur, extremis Reipublicæ neceſſitatibus ſubueniendum eſſe cenſebant. Verùm cum hi parandæ pecuniæ modi minimè ad Ducem noſtrum pertineant,ſed ad Principem cuius iuſſu,atque auſpicijs bellum gerit;vtilius erit omnino ſi relicta ipſorum curà, ad eos quorum intereſt ſuis conſilijs rerum dominos iuuare, in ijs tantum paulo diligentius immorer, quas extrema neceſſitate compulſus copiarum Dux excogitare poteſt conficiendæ pecuniæ rationibus; vt verè poſtea iſtud vſurpare poſſit, E*go caput huic Argento fui hodie reperiundo,Ego pes fui*.non enim raró contingit, vt exhauſto, vel aliunde diſtracto Principis ſui ærario, tumultuantibuſque propterea, aut lurida fame confectis militibus,tales ſe in anguſtias coniectum videat,vt niſi improuiſis quibuſdam,& fortibus conſilijs ſe explicet,periculum ſæpius incurrat vitæ ſimul,nominiſque amittendi. Tunc igitur non *Iphicratis* exemplo milites ſuos in loca deſerta, vaſtaſque ſolitudines abducet, vbi rerum copia denegata,multis abſtinere cogantur,ſimul-

muſque pecunijs & ſtipendio, quod exiguum habent parcere; quia hoc iſtis temporibus facere non modo difficile, ſed prorſus ineptum eſſet & ridiculum. Non etiam imitabitur *Antonium Leuam* ſuperioris ſæculi Ducem longè clariſſimum, qui obſeſſus Ticini à Franciſco Gallorum Rege, cùm ſe pertinaciſſimè defenderet, & alendo interim præſidio nihil quicquam illi à Cæſarianis ſubminiſtraretur, donaria ex templis rapiebat, amplioraque ex vſu victoriæ pollicitus, ea cõflata, rudis demum monetæ notà percutiebat; quod item in Mediolani ducatu à ſocialibus Italorum armis defendendo præſtitit: exiſtimabat enim Dux ille impiger, & cuius virtutem nulla vnquam difficultas remorari poterat, neque humanis, neque diuinis rebus eſſe parcendum, modo decus ſuum, & Cæſaris dignitatem tueretur; vt etiam ſtipendij loco ſingulas vrbes, ſinguloſque earum ciues, militibus immaniſſimè diripiendos concederet; nam etiamſi Florentini ab Auria, & Vaſtio moleſtiſſima obſidione circumuenti, & Volaterrani eodem ferme tempore, ſimilibuſque de cauſis, in iſtud extremæ, ac deſperatæ ſortis conſilium deuenerint; quod vltima vrgente neceſſitate non reiectum etiam fuiſſe à Romanis in bello contra L. Syllam; nec ab Heraclio pugnaturo contra Perſas; aut à Ferdinando Aragonio; ipſoque etiam Summo Pontifice Clemente Septimo, Valerius Maximus, Cuſpinianus, Pontanus, & Iouius præſtantiſſimique alij hiſtoriarum ſcriptores memoriæ conſignarunt; tamen videtur mihi iſtud inuidioſum vtique eſſe bonis omnibus, & abſque maximo eliſæ pietatis diſpendio fieri nõ poſſe. Alij igitur, qui honeſtioribus conſilijs, non minorem tamen ex illis vtilitatem conſecuti ſunt, propriam, & domeſticam ſuppellectilem, quàm ſacram oppignerare, ac etiam cùm opus erat ſubhaſtare maluerunt ſic enim vidimus ætate noſtra Catholicos Belgarum Principes *Albertum, & Iſabellam*, ornatum omnem ſuum in pignus fœneratitiæ pecuniæ, quo militare ſtipendiũ ad tempus repræſentaretur, lubentes obtuliſſe. Et Marcus Antoninus Philoſophus è magnis imperatoribus vnus, cùm in bello Marcomãnico, omne ærarium exhauſiſſet ſuum, neque in animum induceret, vt extra ordinem prouincialibus aliquid imperaret, *in foro D. Traiani*, quemadmodũ refertur à Dione Caſſio, *auctionem ornamentorũ imperialium fecit, vendiditque aurea pocula, & cryſtallina, & myrrhina vaſa, & veſtẽ*

uxo-

vxoriam ſericam,& auratam,gemmaſque etiam,quas multas in repoſitorio ſanctiore Adriani repererat. Et per duos quidem menſes hæc venditio celebrata eſt: tantumque auri redactum, vt reliquias belli Marcomannici ex ſententia proſequeretur, poſtea dedit poteſtatem emptoribus, vt ſi quis vellet empta reddere, atque aurum recipere ſciret licere. Quin etiam Nerua apud eundem Caſſium *pecuniæ inops factus, veſtes primùm,& vaſa aurea, pretioſam præterea ſupellectilem, ſiue illa propria, ſiue publica,& regia foret, auctioni ſubiecit.* Vnde ſi Romani imperatores, talibus remedijs ſibi vtendum eſſe duxerunt, aduerſus ærarij communis anguſtias, quibus tamen multis alijs modis ſubueniri poterat; erunt ne adeo inconſulti, & auari Duces vt non potius velint aut palatia ſua militibus diripiēda permittere;aut aulæa tapetes, vaſa aurea, pretioſamque omnē ſupellectilem oppignerare; vel certas pecuniæ ſponſiones facere, quàm à militibus ob ſtipendiorum moram tumultuantibus, auctoritatem ſuam contumelioſis factis aut dictis violari. Præterea valde ex vſu eſſet, in tali diſcrimine conſtitutis, pecuniam tributorum inſequentis anni, mutuam à redemptoribus omnibus percipere; vectigalia publica vrbibus, aut menſarijs in mutui pignus dare; contributiones quas vocant hodie, ſpe futuræ ſubleuationis iniecta, in anteceſſum cogere: paciſci cum Tribunis, vt ſinguli ex ſuo in menſem vnum,alterumue,ſtipendia ſuis militibus ſoluāt: aut ſi id nimium graue ſit, vt ipſi nullis ſtipendijs per trimeſtre contenti, ea ſinant gregarijs procedere; iuuat etiam ſtipendium viritim per fidiſſimos curatores ſoluere, ne quæſtui miles ſit, falſuſque numerus deferatur, & grauiter in tribunos animaduertere,qui nomina ſuis in cohortibus pro viris ſubijciunt, aut ſimulatos, cùm luſtratur exercitus, milites producunt. Denique modis omnibus cohercendæ ſunt fraudulentæ quæſtorum artes,quibus ærarium militare exhauriunt, morantur que nummorum repræſentationem; aut debita à pluribus annis militi ſtipendia exiguo ære redimunt; tum & eorum etiam qui turpi nundinatione annonæ, earumque rerum quibus milites veſtiuntur, viliſſimo lucro inhiant, & panem, farinam, frumenta, pannos, calceos magni vendunt, quæ ipſi vel ex præda, vel aliunde vili pretio empta diutiſſimè in id temporis apud ſe retinent,quo hæc omnia diuendere ſuo modo, aut potius flagellare poſſint; atque inſignis mulcta pecunia-

cuniaria, cum in hos, tum vero & in cæteros omnes, qui alijs in rebus delinquunt conſtituenda eſt. His enim & ſimilibus modis, ac confictà ad extremum ſignatàque vel ex corio, vel ex charta, aut ære, alioue metallo adulterinà monetà, quod præter *Timotheum* Athenienſem, *Venetos* quoque in Aſiatica expeditione, & *Hiſpanos* in bello Granatenſi, ac *Gallos* etiam Nouariæ à Venetis, & Sfortianis obſeſſos feciſſe, illuſtrium pene omnium hiſtoricorum memoriæ teſtantur; obuiam iri poſſe exiſtimo ærarij militaris anguſtijs, vt ſi non omnino nullæ ſint, ſaltem tales non exiſtant, quæ ob intercepta ſtipendia Prouincias deuaſtandi, vel à Duce ſuo ſecedendi occaſionem militibus afferant: raro enim de ſtipendiorũ tenuitate, fere ſemper de ſolutionis mora, fraudeque conqueruntur. Nec iniurià quidem, nam vt inquit D. Auguſtinus *ad hoc tributa præſtamus vt propter neceſſaria militi ſtipendium præbeatur*, cui perbelle etiam conſonat illud Taciti, *neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendijs haberi poſſunt*. lib.22.contra Fauſt.cap.74 lib.4.Hiſt.

5 *Ne milites tumultuentur.*

Ac proinde miraculi inſtar à Liuio refertur, quod Annibal per annos tredecim, tam procul à domo; ita milites ſuos continuit, vt nulla nec inter ipſos, nec aduerſus Ducem ſeditione, moleſti extiterint; cùm tamen & pecunia ſæpe in ſtipendium, & commeatus in hoſtium agro defuiſſet. Et ſane rari hac tempeſtate Duces ſunt qui poſtquam in ſingulos menſes, ſingulis quaternos aut quinos nummos polliciti fuerint, poſt duos tamen, dimidium tantum aureum largiri audeant, niſi ſtatim illos haſtas figere, capita iungere, pecuniam poſcere, minari, in vrbes ipſas quas tueri deberent, ſæuire, & omnia periculis, & calamitatibus miſcere velit. Quemadmodum facere ſolent in Belgio milites obærati, quos Polybius *καχέκτας* nos vero *malcontens*, & Hiſpani ſua lingua *mutinados* vocant; hi enim Batauis longe ferociores, quoties à malè adminiſtrato ærario, & ſtipendiorum mora, ſeditiones mouent, ſocioſque deſerunt, agrum omnem, oppida, municipia vaſtant, incendunt, incolas diripiunt, omniaque cedibus, & latrocinijs infeſta tenent, vt nulli Barbari ſæuius in iuratos hoſtes vnquam bacchari ſint, quã *eiurati Hiſpani* in Hiſpanos, & Belgas. Forſan quia vitam & animam militibus eripit, qui malignè pecuniam illis repræſẽtat, quæ vt inquit Heſiodus *miſeris mortalibus pro vita ipſa & anima eſt.*

χρήματα γὰρ ψυχὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι.

Er-

6 *Et quantum Duci in cogẽda & admi-ſtranda pecunia auctoritatis concedendum ſit.*

Erràt vero non mediocriter, qui bellicis hiſce ſumptibus, certum modum definiunt, quaſi illi, vt Regum, ac Principũ expenſæ domeſticæ ſe haberent, quas cuiuſque anni vertentis initio, vt toto illius decurſu procedere debeant, prudens diſpenſator conſtituere nullo negotio poteſt: contrarium enim in bellis accidit, *quæ definita non quærunt*, vt Archidamus in bello Peloponneſiaco rogantibus quanta pecunia futura eſſet ſatis, atque vt certum tributorum modum ſtatueret obteſtantibus, prudenter reſpondit: intelligebat namque Dux ille ſapientiſſimus, eos qui bellum ſuſceperunt, oportere per omnia belli neceſſitatibus inſeruire, quarum nulla tam certa, ac præmeditata ratio concipi poteſt, quin mille modis immutari poſſit, ob varias occaſiones, quæ præter expectationem in illis eueniunt, & quorum momenta, ita plerumque ſuperiores deliberationes inuertunt, vt vnde principium ſumi debuerat, ibi deſinendum ſit; & ex quo præda ingens quærebatur, ex eo ſumptuum immanis iactura facienda eſt, quia vt inquit Thucydides *nullà minus quàm quà putatur vià bellum procedit*. Et amabo qui aliter fieri poſſet? cùm ne quidem pacis negocia eo ferantur, quò ipſa deſtinàmus; Auguſtus enim Iſtrum, & Euphratem terminos imperij Romani ſtatuerat; ſed fruſtra.

Hinc mouet Euphrates illinc Germania bellum:
Et coniurato deſcendit Dacus ab Iſtro.

ſic Carthago prælijs victrix, pacem renuit cùm ipſi à Romanis offeretur; ſed bello tandem victa, excidio ſuperbiam luit. Vndè cum tot præter ſpem, & metum improuiſa inoptinataque in bellis accidant à quibus dux expedire ſe abſque præſenti pecunià non poſſit, fruſtra ipſe erit, ſi toties illi ad reſcripta principum confugiendum ſit, quæ poteſtatem quæſtoribus faciant illam numerandi. Quamobrem vt eiuſmodi incõmodis proſpiciatur, optimus in primis, ac integerrimus Imperator eligẽdus eſt; Deinde vero au-ctoritas ipſi cõmitenda, pecuniæ quoties, & quantum opus erit ex certis quibuſdã tributis, & vectigalibus, aut rebus alijs, quæ paratæ, & expeditæ ſint conficiẽda; vel ſi hanc ab ærario principis accipere debet, curandum omnino eſt vt ei debito ac ſtatuto tempore repræſentetur, ne eius diuturniori expectatione, aut interceptione, idem ei contingat quod Lautreco in ducatu Mediola-

Guicciardinus.

nen-

nenſi, cùm tercenties mille nummi aurei quos in dies expectabat, quorundam miniſtrorum occultis artibus in alios vſus conuerſi, ſoli in cauſa fuerunt vt quiquid ante præclari geſſerat, quaſi Marte qui φιλοχρήματος eſt, indignato, temporis momento peſſum ierint. Sed nec ita ſeuerè cum duce agendum eſt, vt quæſtoribus, aut alijs ærarij publici curatoribus, expenſi atque accepti codicillos ſingulis menſibus offerre cogatur: præterquàm enim homines generoſi indignum ſua fidelitate ducunt, eam indubium à principe reuocari: multaque rationalium metu facere omittunt, quæ forent tamen neceſſaria, difficile eſt etiam omnes expenſas in aduerſaria referre, & *magnum Conſaluum* non imitari, qui rebus terra marique in Regno Neapolitano compoſitis, ad queſtorum menſam vocatus; libellum protulit in quo primum ſignauerat, aureorum nummum ducenta millia ſupra ſeptingentos, & triginta ſex, pijs ſacerdotibus, & ſacratis virginibus erogata, vt Deo maximo, Diuiſque omnibus ad parandam victoriam propitiandis vacarent: ſecundo ſexcenta millia ſupra quadringentos, & nonaginta quatuor, ſecreta manu ſpeculatoribus data, quorum beneficio, exploratis hoſtium conſilijs, multas victorias, & liberam Regni Neapolitani poſſeſſionem eſſet conſecutus. hac enim induſtria vir magnanimus honori ſuo conſuluit, & *Infami*, ſic illud appellat Iouius, negotio ſilentium impoſuit. in eius vita.

VII.

1 *Secundum quod in viribus conſideratur, eſt commeatus neceſſarius vtique priuſquam bellum ſuſcipiatur.*

Hac igitur arte cùm ærarij bellici difficultatibus prouiſum à Duce fuerit, prima, & ſumma eius cura eſſe debet, vt cumulatis opibus, in ijs quæ ad ſufficientem commeatũ ſunt requiſita præparandis, non parcè aut cunctanter vtatur; *ſæpius enim*, vt inquit Vegetius, *penuria quàm pugna conſumit exercitum, & ferro ſæuior fames. deinde reliquis caſibus poteſt in tempore ſubueniri, pabulatio, & annona in neceſſitate remedium non habent, niſi ante condiantur*: & quod aſſerit Liuius, id ommino veriſſimum eſt, *facilè ſuperatur exercitus qui ſeneſcit in dies, qui non commeatum, non ſupplementum, non pecuniam habet*. Quamobrem imitanda eſt hac in re prouida Romanorum ſedulitas, quæ in vſum duplicem militum & præſidiorum, illi ne in caſtris, & agmine egerent, hæc vt aduerſus moras obſidionum perdurarent, pleriſque in oppidis condita habebant in totum annum acetum, frumentum, laridum oleum, paleas, hordeum, & annonarias eiuſmodi ſpecies, qua- Decade 3. lib. 2.

rum

rum amplior ſemper modus quàm ſufficit, aggregandus eſt; cum frequenter accidat vt neceſſitas geminetur, & obſidio præter ſpẽ longior euadat, circumſidentibus peruicaciter aduerſarijs, quos fame tandem ſperant vincendos. Ex quo laudatus non medio-
Liuius 44. criter fuit Paulus Aemilius, quod ad Macedonicum bellũ electus inprimis patres admonuit, vt de commeatu proſpiciant ſollicitique ſint, *& vnde terreſtri itinere, & vnde nauibus ſupportetur:* nec populus Romanus aliud à quoquam beneficium maius vnquam accepit, quã ab Hierone Siciliæ Rege, cùm hic audita clade
libro 3. ad Thraſimenũ illata trecenta millia vt inquit Valerius modiorũ tritici, & ducẽta millia hordei, Romam tranſmiſit: & prouidè ſanè Heluetij qui anguſtos ſe habere fines arbitrati, de Galliâ occu-
Cæſar lib. 1. de bell. Gall. panda, tempore Iulij Cæſaris, deliberationem inierant, in hoc ſibi potiſſimum inuigilandum eſſe duxerunt, vt abundè prouideretur de commeatu ſufficienti; quare inter multa præclarè ab illis in hũc finem conſtituta, ſementes quàm maximas per totum biennium fecerunt, vt in itinere copia frumenti ſuppeteret, paratis etiã bobus & plauſtris eius tranſuectioni; iuſſeruntque vt ſinguli milites, trium menſium molita cibaria ſecum domo efferent. Quod item Perſis vſu veniſſe prius quàm exercitum educerent, auctores ſunt Xenophon & Herodotus, quorũ hic in Thalia exemplum refert Cambyſis, qui in expeditione quam aduerſus Aethiopes ſuſceperat eo anguſtiarum redactus fuit, ob annonæ defectum, de qua non ſufficienter in ipſo diſceſſu ſibi prouiderat, vt re infecta, multiſque ſuorum deſideratis, reliquos fame, & inopia propemodũ enectos Thebas reduxerit. Proptereaque ſapienter, vt in libris iudicum narratur, quando vniuerſus Iſrael, congregatus eſt cõtra Beniamin, vt iniuriam vindicaret vxori Leuitæ illatam, prius illi aut antiquitus nihil fuit, quàm vt eligerẽtur annonæ præfecti qui eius parãdæ curam omnem in ſe reciperent,
libr. Iudicũ. *Decemuiri eligantur centum ex omnibus tribubus Iſrael, & centum de mille, & mille de decem millibus, vt comportent exercitui cibaria, vt poſſimus pugnare contra Gabaa Beniamin.*

Iliade 5.

2. Et profectò quemadmodum Homerus naues illas quibus Pa-
Ob famis incommoda. ris vectus eſt, cùm Helenam ſecum in Aſiam abduxit ἀρχεκάκους vocauit, vt quæ acerbiſſimis poſtea calamitatibus cauſam dederint: ita D. Nazianzenus oratione de amore erga pauperes, non-

minus

minus eleganter ventrem, cuius gratiâ, tanta vis annonæ quotidiè reponitur, appellat ἀρχέκακον quod hinc omnis mortalium calamitas profluere ſolita ſit, maxime cùm rerum omnium inopiâ, diutius quàm alimentorum tolerari poſſit; quæ, vt reparãdo quod à calore, in corpore humano quotidie depaſcitur; aut ipſimet calori auocando, ne primigenium humorem abſumat, quæ videtur fuiſſe conſumatiſſimi philoſophi Fortunij Liceti ſententia, omnino neceſſaria ſunt, ſic homines vbi refici ac recreari de more, illis non poſſunt, nihil ſane propius eſt, quàm vt continua ac letali ſeptem dierũ inedia, prout Hippocratis olim, & Macrobij mens erat; aut ad ſummum vndecim, quod demũ Plinio viſum eſt, conficiantur. Quo fit vt plebs quæ ex Iuuenalis ſententia. libr. de carnibus. 1. in Somn. Scipion. c. 6. lib. 11. c. 14. Satyr. 10.

duas tantum res anxius optat

Panem, & circenſes,

nuſquam ſecurius degat, quàm in maximo, & vberrimo annonæ prouentu, quaſi hoc modo ab *ignauiſſimo mortis genere* tuta, quod inquit Ammianus Marcellinus fames inuehit, & quo Plutarchus auctor eſt Perſeũ Macedonię Regem, Romæ vitam finiuiſſe; lib. 25. ſi quidẽ vox illa ἀποκαρτερήσειν de inedia potius, quàm mœrore animi extincto, reddi ab interpratibus debuit, quemadmodum Cœlio Rhodigino, atque alijs propius in rem ipſam intuentibus, non perperam certe viſum eſt, nam & Græci, mortem quæ ex inedia contingit *Apocartereſim* etiã vocare ſolent. Quare ſi populis in beatiſſima rerum omnium copia, & altiſſimo tranquillæ pacis otio vitam agentibus fœliciſſimam, vel minima famis ſuſpicio tam moleſta eſt, vt ſtatim curatoribus publicis, eius arcendæ negotium per ſingulas vrbes committatur; quàm potiori iure hoc ipſum in caſtris etiam fieri debeat, cæcus eſt meo iudicio qui non videt. lib. 13. c. 14. Nam præterquã illic nõ ſeritur nec metitur, hoſteſque nihil aliud perſæpe ſibi commodius ducunt, quàm pabulationem omnem, & annonæ ſubuectionem impedire, quo incruenta, & valde laudabili victoria ex Taciti conſilio potiantur, aſſerentis eum ſine ferro vinci qui frumentum, neceſſariumque commeatum tempeſtiue non præparat: lib. 12. ann. hoc inſuper alimentorum penuria ſecum affert incommodi, quod vt in vrbibus nulla ſeditio frequentior quã ſi arctior annona fuerit, quo ſolo nomine rebelaſſe populos ſæpiſſime hiſtorici loquũtur, vnde Claudianus in laudibus Stiliconis nõ

Oo omiſit

omiſit, quod ipſe ſolebat

duplices diſponere claſſes
Quæ fruges quæ bella ferant, aulæque tumultum
Et Romæ lenire famem

4 varior. capite 1. ſic in caſtris, quemadmodum Caſſiodorus inquit *diſciplinam ſeruare non poteſt ieiunus exercitus, dum quod deeſt ſemper præſumit armatus*; quamobrem niſi communis omnium ſalus agatur, aut maior ſolito ducum reuerentia obſtiterit, tumultuabitur continuo miles, aut audaciam ſumet graſſandi in prouinciales, vexabitque proprios, vel denique deſertor erit & transfuga, ſocioſque vt iugum excutiant ſollicitabit, nec vllis obteſtationibus placari poterit, quoniam vt rectè dicebat Cato maior ad populum agens

Plutarch. in Catone. χαλεπόν ἐστιν λέγειν πρὸς γαστέρα ὦτα μὴ ἔχουσαν, *difficile eſt verba facere ad ventrem, qui auribus caret*, & quod verè dicebat Egeſippus *omnem affectum excludit fames, in primis vero verecundiã.*

3r. Et morborum, qui ab ea damnatiſque cibis pullulãt.

Præterea eſto miles ſit obediens, quid tum ſi æger eſt, & morbo non gladio conficiatur? quid ſi viribus in pugna deſtituatur, nec iter, aut Solem, vel laborem ferre, gladium ve rotare præ ſumma imbecillItate poſſit? & nihilominus conſtans eſt medicorum ſententia, cui plurimum etiam ab obſeruatione frequenti, auctoritatis accedit, in magna cibi potuſque parſimonia, humores omnes efferari, tanquam coniuratione facta in ſanitatis perniciem; Bilemque ſuo calore immodico febrem ardentem, & iracundiam accendere. Eadem etiam de cauſa ater humor mœrorem, & metus incutit, febres querqueras, ſchyrros, melancholiam excitat, & ſua aciditate famem ipſam magis implacabilem efficit; Pituita denique quotidianis ardoribus, deſtillatione, nauſeà, cibi faſtidio, vomitione, prauo luridoque colore homines non modo laceſſit, ſed deformat, ac pallidos, depipiges, flacco ore, & quod diceret Lucilius *monogramos* facit: vt mittam hic ſitis tormentum, quo excellenter vna cum fame infeſtari, ne dum homines, ſed animalia reliqua, Plutarchus in ſympoſijs, & ante eum Vates ſcientiſſimus innuiſſe ſecunda Aeneide videtur, quum ait

catulique relicti
Faucibus expectant ſiccis:

Et nihil pariter dicam de grauiſſimo pedum incommodo, qui in

ſame

ſame plurimum craſſeſcere, atque extumeſcere ſolent, ob rationes quas habẽt Proclus Diadochus in quoſdam Heſiodi verſus de hoc ipſo pedum affectu, & Ariſtoteles in quæſtionibus encyclijs. Iam vero ſi exercitus ne fame pereat, prauis quibuſdam, & nefandis dapibus vti conducibilius exiſtimet, incredibile profecto ſit, quàm innumeri caſtrenſes, & cõtagioſi affectus, ex ijs ſtatim, haud ſecus atque ex Pandoræ pixide cateruatim ſe per caſtra diffundant, & ſanè de oleribus in ſecunda mea quæſtione Iatrophilologica dixi quàm noxia ſint, de inſuetis vero, & crudis carnibus, de (in poemat. opera, & dies.) inſectis, de loris, pellibuſque feruenti, aqua reſolutis, nemo, quantum ego conicio, vnquam dubitauit. Certe aqua ipſa ſi *lutoſa* ſit obſtructiones, & nephriticos cruciatus; ſi *frigidior* colicos dolores; ſi *niualis* Bronchocelem; ſi *ſalſa, & nitroſa* dyſentericos fluxus, & tam hæc, quàm cibi deprauati, peſtem excitare ſolent ex communi Medicorum pronunciato λοιμὸς μετὰ λιμόν; hanc vero ſubita rerum omnium conſternatio & diſſipatio conſequitur. vnde Iuſtinus de exercitu Xercis loquens, *multorum* inquit *dierum inopià contraxerat peſtem, tantaque fœditas morientium fuit, vt viæ cadaueribus implerentur*. Sed non ſola peſtis timenda exercitui famelico, aut veterum morborum ſeges; cum noui, atque vt (libro 2.) plurimum horrendi, miſerabileſque à cibis nouis, & inſolitis proueniant; ſic enim in expeditione Parthica *coacti*, M. Antonij milites, *quæ guſtui inſueta erant experiri, primum quidem in herbam incidunt quæ per furorem ad interitum adduceret qui enim comediſſet nihil aliarum reminiſcebatur rerum, aut intelligebat, nec aliud quàm lapidem continuè effodiebat vertebatque quaſi quippiam magni operis acturus. Erat igitur huiuſmodi repletus ager terram, ac lapides effodientium, inter quos debacchati, demum bilem euomentes interibant, cùm primùm quod antidotum huic morbo aderat, vinum defeciſſet*. Nempe hæc ſunt ab eſurie morborum incommoda, quia (Appian. in parth.) milites ſtomacho ſunt ventreque capaci, non vero *Aſtomorum* genti ſimiles, quam Plinius circa Gangis fontes eſſe prodit, ſine ore, toto hirtam corpore, quæ frondium veſtiatur lanugine, viuatque halitu tantum & odore quem naribus trahit, nullumque (libro 7.) illi cibum alium, nullum eſſe potum, quàm ex ſylueſtrium malorum, quæ ſecum pro commeatu in itineribus defert, ac quarundam radicum & florum olfactu fragrantiſſimo.

Oo 2 Re-

Reliquum eſt modo, vt quantum reficiendis, aut conſeruandis
4. *Tum vero quia ieiunus miles idem & inualidus ad pugnam eſſe ſolet.*
viribus, augendæque in militibus audaciæ, alimentũ debito tempore ſubminiſtratum conducat, paucis quidem ſed valde efficacibus auctorum teſtimonijs comprobem, inter quæ, illuſtris eſt omnino verſus ille ex ſecundo odyſſeas, vbi Homerus, vt vires atque animi fortitudinem, proba nutritione augeri; mirumque in modum confirmari oſtenderet, *vinum, & farinam ſiue polentam; medullam eſſe hominum* aſſeuerat

οἶνον γὰρ ἀμφιφορεῦσι καὶ ἄλφιτα μυελὸν ἀνδρῶν

quod item apertius inſinuauit ſub finem jx. Iliados, & ab eo Virgilius quoque videtur illud mutuatus quod inquit Aeneide 1.

Tum victu reuocare vires, fuſique per herbam
Implentur veteris Bacchi.

& Valerius Flaccus in ſecundo Argonauticon

Cereris tum munere feſſas
Reſtituunt vires, & parco corpora Baccho.

libro 4.

in quibus rectè præter cibum, vini etiam mentio inducitur, quia neminem latet, illud ex ſe fomenti plurimum ſuggerere, & à Dioſcoride vina ſœpe aliqua cenſeri σφυγμῶν ἀνακλητικὰ idest *venarum pulſus* ſeu mauis robur totius corporis *excitare*; vnde locutum quoque de eo ſub cibi nomine Lucretiũ exiſtimo cum dixit.

Propterea capitur cibus, vt ſuffulciat artus
Et recreet vires interdatus: atque patentem
Per membra ac venas vt amorem obturet edendi.

Quanti vero referat, vtroque hoc, alimento milites ante pugnam refici, vt viribus integris hoſtes adoriantur, & præclaram in ipſos operam nauare poſſint, patet ex antiqua loquendi formula, quà veteres cùm hominem paratum ad rem aliquam, planèque inſtructum ſignificare vellent, eum *pranſum paratumque* dicere ſolebant; tralatione ſcilicet à militibus facta, qui pranſi, & curatis
Originum libro 5.
corporibus, expediti dicebantur ad pugnam, vt ex illo Catonis patet *exercitum ſuum pranſum, paratum, cohortatum eduxit foras atque inſtruxit*. Ex eoque Onoſander nulla de re alia in duodecimo capite ſtrategici diſſerit, quàm de prandio militum curãdo;
Liuius libro 19.
& Paulus Aemilius cum auditione percepiſſet, certum eſſe Thuſcis prælium committere, *ex templo teſſeram dari iuſſit, vt prandeant milites, firmatiſque cibo viribus arma capiant*. Sed
libro 3.
adeo

adeo multus, & diligens in ea re declaranda fuit Polybius, ac præſertim, vbi cladem duorum conſulum Scipionis, & Sempronij ad Trebiam deſcribit, vt videatur ferme huic tantum incommodo acceptam eam tuliſſe, ita illud exaggerat! *Annibal* inquit *primã luce Numidas equites transgreſſos Trebiam flumen, obequitare iubet hoſtium portis, iaculandoque laceſſere ad pugnam hoſtem: cupiens eum imparatum, improuidumque, & quod plurimi faciebat* nondũ pranſum *aggredi. cæteris deinde ducibus ſimiliter ad prœliũ hortatis preceptũ vt* prãdere *omnes ſuos iuberẽt armiſque atque equis inſtructos prœlij ſignum expectare.* deinde vero addit de Romanorũ exercitu loquẽs, *erat tũ forte bruma tẽpus, & niualis, ac præfrigidus dies; ad hæc tumultuarie eductis militibus, atque equis,* nullo capto ante cibo *parum caloris inerat. itaque milites Romani, qui principio prompti atque alacres erant, vbi flumen ingreſſi, ob auctam nocturno imbri aquam, pectoribus tenus madidi exiuere; vſque adeo rigore primo, deinde procedente iam die* fame *affligi cœperunt; vt vix tenendorum armorum potentia militibus foret. Carthaginenſes interim ignibus ante tentoria factis vncti,* ciboque *per ocium refecti, inſtructos paratoſque equos habentes, mandatum ducis expectabant.* Atque ita ſi Polybius, quemadmodum eſt apud omnes in confeſſo, nihil quod verum non eſſet, nihil quod non rectum, & exploratum locutus eſt, fatendum nobis erit ex hac ipſius non relatione modo, ſed exaggeratione tam crebra, cladem hanc, quæ duabus poſtmodũ alijs occaſionem præbuit, eſuritione aliquot horarum breuiſſima penes Romanos ſteriſſe. vnde quid de longiori inedia, qua ſenſim miles tabeſcit, & viribus neruiſque, quaſi illos ſtriges comediſsẽt, deſtituitur, timendum non eſt? profecto tam contumax illa per moras euadit, vt etiam ſi Rex Aegypti Pſammetichus, teſte Athenæo, cum ſcrutari arenas Libyæ ſtatuiſſet, iuuenes aliquot ἀδιψίᾳ exercuerit, qui aridis in locis ſine noxa poſſent carere potionẽ, & ſitim non ſentire; qui tamen diuturnioris inediæ patientes homines efficeret, inuentus ſit hactenus nemo.

Quo fit vt Polemici ſcriptores nullum præſentius aut certius 5.
conſilium proponant, hoſtibus cum ſe in aliquam regionẽ effundunt arcendis, quàm agros populari, pagos, & oppida ſuccendere, & loca omnia penitus deuaſtare, quibus frumento aliaue pabulatione iuuari poſſent; ſic enim fit vt aliunde per tardiſſi-

Vnde famẽ, & populatione ſæpius quã gladijs hoſtes fuſi fugatique fuerunt.

Digitized by Google

mas, & moleſtiſſimas ſubuectiones commeatum omnem accipere cogantur, quo vel turbato, aut intercepto, quod facillimum eſt, ab aduerſarijs, aut à curatoribus non tempeſtiuè procurato, exercitum omnem nullo alio premente conſternari, moxque effluere ſenſim ac dilabi omnino ſit neceſſe. Et certè vaferrimus Dux Vercingetorix, hac tantum arte vſus, Cæſarem Gergouia varijſque locis excedere compulit: meliuſque adhuc cum Gallis actum fuiſſet, ſi ſapientiſſimi huius ducis conſilio, ſuccenſis vno die viginti Biturigum oppidis, idem de Auarico pulcherrima ferme Galliarum vrbe ſibi faciendum duxiſſent: nam cùm fame iam grauiter laborare Cæſaris exercitus cœpiſſet, dieſque aliquot frumento caruiſſet, capto Auarico, non ſolum commeatu abundauit, ſed prædæ ſimilis expectatione, per vniuerſam Galliam inuectus eſt, tanti ſtetit non obtemperaſſe Vercingetorigis conſilio, quo ille non ſemel eo anguſtiarum Cæſarem pepulit, vt niſi multa ab hoſtibus inconſideratè facta, eum continuiſſent, fugam de qua iam ſerio cogitauerat, arripuiſſet. Sed ne veteres tantum memorias ſectari videar, quis vnquam hoſtis Carolo Quinto Imperatore Gallis formidabilior extitit? hic tamen poſtquam Borbonij ſuaſu bellum in Prouinciam intulit, quæ ferro flammiſque populata prius ab incolis fuerat, vix in ipſam nauibus appulit, quod ſumma rei frumentariæ, totiuſque pabulationis difficultate conſternatus, non modo Maſſiliam obſidione ſoluere, ſed de foſſis in terram tormentis, rectà feſtinantérque eo redire coactus fuit, vnde parum conſultò diſceſſerat. Præterea ex Cæſare obſeruo, quod vt facilius annonæ copia ſufficeret, non prius milites è ſtatiuis atque hybernis educebantur quam fere matura eſſent frumenta, ſic enim ex ſecundo libro belli gallici *Cæſar inita æſtate Q. Pedium Legatum miſit, ipſe cum primùm pabuli copia eſſe inciperet ad exercitum venit* & rurſus libro ſexto *Cæſar cum maturescere frumenta inciperent, ad bellum Ambiorigis, Minucium Baſilium cum toto exercitu præmiſit*. Et ſane eo tandem ſe reducit omnis ferme belli gerendi ratio, vt qui diutiſſimè famem in caſtris aut obſidionibus tolerare poteſt exercitus, is demum reliquis ſuperior exiſtat. Vnde Scythas hac parte magis eſſe ad bellum idoneos, non ineptè cenſebat Atheas, cum teſte Plutarcho hunc in apophth. in ſenſum Philippo Macedoni ſcriberet, *Tu Macedonibus imperas*

ho-

hominibus bellandi peritis, & ego Scythis, qui & cum fame, & cum ſiti pugnare valent; nec ſi quis idem hac tempeſtate de Scotis aſſerat, is multum à vero aberrabit, quandoquidem Bilibaldus in orbis deſcriptione, tradit eos patientiſſimos eſſe inediæ atque famis: quod vero aſſerit pariter Iſigonus Nicienſis, gentem eſſe ſupra Boryſthenem, quæ tertio tantum die cibum capiat, illud eiuſdem generis eſſe exiſtimo, cum eo quod ſupra ex Plinio de Aſtomis retulimus.

Commeatum ergo ſufficientem habere oportet, ex quo tanquam è domeſtico penu ſingula depromantur, quibus dux prouidus, nec aliter quàm Virgilij Simulus 6.

Quare ſũma Ducis in cõmeatu procurando diligentia eſſe debet exẽplo Marchionis Spinolæ.

Triſtia ventura metuens ieiunia lucis,

exercitum ſuum non ſolum in dies alere, ſed in annos etiam ſuſtentare, ac reficere poſſit. Qua in re cum Marchio Balbaſius *Ambroſius Spinola* ita præ cæteris noſtri ſuperioriſque ſæculi ducibus excelluerit, vt difficultates quas hac vna ratione ſuperauit, dum Belgicas Hiſpani Regis copias, ſummi ducis titulo adminiſtraret, fidem vix apud homines inueniant; non poſſum hic non referre, quod Eminentiſſimum meum Mecœnatem, eundemque Patruum tuum digniſſimum, cui cum illo, dum vixit, arctiſſima ſemper neceſſitudo interceſſerat, de eius in annona, & rebus omnibus quæ ad eam faciebant procurãdis, ſolicitudine, ſæpius maximaque mea cum animi voluptate, quoties occaſio ſe offert, narrantem audio; aſſerit enim præſtantiſſimum eum ducem, toto illo tempore quod publicis commodis impendebat, nihil ferme aliud curare ſolitum, quàm vt abundè cereuiſiæ, & frumenti pro exercitu ſuppeteret, vt omnis generis legumina, carnes ſale conditæ, farina, ſtramen, auena, fœnum, & ſimilia in promptu eſſent; vt dolia, circines, molæ truſatiles, cacabi maiores, clibani præpararentur, vt denique plauſtra, & iumenta haberentur, quæ tot rebus conuehẽdis eſſent idonea, quibus ordinandis adeo erat intentus, vt quandoque ſolidos dies in omnium ſubducendis rationibus tranſigeret, parumque de toto exercitu ſolicitus, in id tantum vires animi intenderet, ne conſueta illi neceſſariaque omnino deeſſent cibaria.

Atque vt erat ingenio mirum in modum ſuaui & perurbano, iſtud etiam familiaribus in colloquijs frequenter addebat, ſe ma- 7.

Cuius occaſione quæritur cur antiqui poetæ ſuos heroas frequẽter epulantes inducãt noſtri vero minime.

gis forſan quam reliquos homines, vehementioribus illecebris pellectum fuiſſe, in Boiardi, atque Taſſi, & Arioſti lectionem: ſed nunquam illi placuiſſe, quod ſuos Heroas omni virtutum genere exornent, nec tamen de hac prouidentia, quæ victum, & commeatum curat, tot militibus quos ex vna in aliam orbis partem traducebant neceſſarium, ne verbum quidem vllum faciãt; Et certè licet hæc per apoſiopeſim, & ſubintelligentiam relinqui ab illis potuiſſe, certiſſimum ſit; nihilominus dubium non eſt, quin Homerus, & Virgilius qui ſuos comedentes ſœpius inducunt, melius quàm ipſi fecerint, actionem hanc, præſertim cùm honorificè, aut ex aliarum rerum connexione exprimi debuit, non omittendo; vt ſcitiſſimè Virgilius feciſſe viſus eſt, cùm in prima Aeneide, poſt ſæuiſſimam tempeſtatem, qua Troes agitati fuerant, cibo illos ſe in littore reficientes inducit, quoniam hac arrepta occaſione, Aeneæ ſimul in iaculando peritiam expreſſit; & in eiuſdem libri extremo Didonis cœna, amoris fuit illicium; ſic Aeneide tertia ijdem Troes delati ad Strophades inſulas, Dianæ & Ioui faciũt, quos in prædæ partem vocant; & in quinta cùm Aeneas iuſta patre Anchiſæ feciſſet, ob nouendialia ſacra, vt rectè animaduertit Antonius Cerrius, gens omnis, dies nouem epulata dicitur: libro etiam ſeptimo Tybridis oras ingreſſi Troiani, comediſſe recenſentur, quia ad fatale ſolum deductis, ſacra erant facienda, vnde ibidem Aeneas *Syluaſque & adhuc ignota precatur Numina*; ac demum in octauo

lib. 2. Satyr. cap. 65.

Veſcitur Aeneas ſimul & Troiana Iuuentus,
Perpetui tergo Bouis, & luſtralibus extis.

nimirum quod facis Herculis exceptus fuiſſet ab Euandro. Nam vt in his, ſic in omnibus alijs, cœnã apparabãt ex reliquis hoſtiarũ partibus quæ *μερίδες* Græcis, Latinis *miſſa* dicebantur: imo abſentibus quoque partem ex illis ſeruabant; & plerumque etiam in macello, auaritia impellente, diuendebant, vt habetur in D. Pauli epiſtolis, iubentis edi ex macello carnes emptas, non interrogantes ex conſcientia. Et quidem de earundem vſu in cœnares eſt extra controuerſiam, ob Iuuenalis teſtimonium qui viſcerationem hanc ita celebrat

Sicci terga Suis rara pendentia crate
Moris erat quondam feſtis mactare diebus,

Et

Et natalitium cognatis ponere lardum
Accedente noua, ſi quam dabat boſtia carnem.

cum igitur crebra hæc mentio epularum apud Poetas antiquos, propter ſacra facta ſit, quæ non, vt moris eſt apud nos, incruenta erant; potuiſſent nuperi iſti vates, ſaliares eiuſmodi epulas, quæ non minimum in ſe delectationis interdum habent, alia quadam ex occaſione ſuis in Heroibus deſcribere. Nam & in Hercule qui cæteris ad gloriam & bellica facinora præiuit, non ſemel hāc edendi neceſſitatem, etiam abſque vlla alia ratione, quàm quod communi hominum ſorte in lucem eſſet editus, multi ſcriptores repræſentarunt. Vnde Pyndarus, & ex eo Philoſtratus in iconibus referunt, eum Coroni ædes ingreſſum, Bouem integrum vt ne quidem os vllum relinqueret, comediſſe; & quod inquit de eo Callimachus in his verſibus latine expreſſis à Franciſco Florido ex Hymno in Dianam libro 2.

Redditus Oetheo nam quamuis vertice Diuus,
Tanta erat ingluuie, quanta cum ſcinderet Aruum,
Occurrit Dryopum ductori Thiodamanti.

illud Græcus ſcholiaſtes ſic explicat, quod eſuriens Hercules aliquantum cibi à Thiodamante terram tum aratro proſcindente popoſcerit, cuius cùm repulſam tuliſſet, alterum ex iugo Bouum eo præſente mactauit, eoque cum Deianira vxore, & Hyla puero, ac Pedagogo eius Licha epulatus eſt; exindeque manſit apud Lindios ſeu Dryopas hic ritus, vt Bos arator Herculi cognomento *Βουθοίνα* ſiue *Bouimanduconi* immoletur cum multa dirarum imprecatione, vt legere eſt apud Philoſtratum, & Lactantium in diuinis inſtitutionibus.. lib. 1. cap. 21.

8.

Verum poſtquam de alimētorum neceſſitate, & famis incommodis, tam prolixè dictum fuit; conſequens eſt nunc, vt quibus modis præcaueri hæc à ducibus poſſint, aperiamus. Tria vero in vniuerſum eſſe depræhendo quæ penes antiquos, & noſtræ etiam ætatis homines velut ἀποτρόπαια, & auerruncatoria famis remedia fuerunt: ſed ita vt *Nonnulla* maxima cum ſuperſtitione, & ignoratione cauſarum excogitata, plerumque vaniſſima ſint; *Alia* vero abominandæ neceſſitatis truculento imperio, amariſſimiſque legibus, non ſponte in ventrem ingeſta, quaſi inducta in eum morborum Iliade, peius morte ipſa homines excrucient: *Tertia* deni-

Et proponuntur modi omnes ſedandæ famis, primū quidem vani & maxima parte inutiles vbi de Alimo Epimenidis, Aφδoo Empedoclis, & Hippace Hippocratis quadā afferuntur.

denique recta cum ratione inuenta, & vſurpata, vtilia admodum valdeque proficua eſſe hominum generi depræhendantur, vt propterea in his explicandis, & tractandis, mihi præſertim elaborandum eſſe intelligam; ſi prius tamen pauca de duobus alijs, ne quid in hoc ſyntagmate, quod vtilitate, aut iucunda eruditione commendatum ſit, omittatur, in medium attulerim. Hoc ergo remedium inter vana & ſuperſtitioſa prius enumerandum cenſeo, quod Plinius in herba *Latace* Perſarum legatis poſitum fuiſſe ſcribit, quandoquidem eo nomine hanc à Rege ſuo accipiebant, vt quocumque illis iter eſſet, paratas epulas omniumque rerum abundantiam inuenirent. Tum & illud quo veteres famis cuiuſdam ægre ſaturabilis arcendæ cauſa, in eo ſolemni feſto vſi ſunt, quod referente Plutarcho, propterea βυλίμου ἐξέλασιν appellarunt; in eo ſi quidē Magiſtratus in publico Foro oppipare, cæteri vero in ſuis quique ædibus, priuatim & lautè epulabantur, tandemque bene vncti, & curati, mancipium virgis cæſum, foras protrudebant, aclamantes ἔξω βούλιμον ἔσω δὲ πλοῦτον καὶ ὑγίειαν Ideſt *foras famem, intro Plutum, & ſanitatem*: hoc igitur feſtum ſi crebro de publico celebrare liceret, non opus eſſet ijs remedijs, quæ Plutarchus in conuiuio ſeptem ſapientum, & vbi quærit quamobrem oracula defecerint, ac ante ipſum Plato ἄλιμα καὶ ἄδιψα quod *famē obrepere, ac ſitim prohiberent*, & nōnulli poſtea ab inuentore eorum Epimenide, aut Epimenidea ſcilla *Epimenideas compoſitiones* ad famem ſitimque tolerandam, appellarunt; cuiuſmodi ſunt non nullæ, quas polyhiſtor ille multæ ac propemodum infinitæ obſeruationis Ioannes Baptiſta Porta, ſe ex manuſcriptis codicibus Philonis, & Heronis de re militari qui in Vaticana ſeruantur, deſcripſiſſe refert, & vero cum hæ non penitus diſcrepent ad *Alimo* Epimenideo, quod Periander apud Plutarchum, parari ſolitum deſcribit ex melle, & caſeo barbarico, additis quibuſdam non vulgaribus fomentis; & Porphyrius nō admodū diuerſam fuiſſe dicat eius cōpoſitionem, quo Pythagoras Deorū penetralia ſubiturus, ibique aliquādiu cōmoraturus vtebatur, multum inde momenti accedit cōtra Cœliū, & Ruellium viros alioqui multifariæ eruditionis, qui hæc pharmaca ex *Halimo* herba aut frutice ſuccreſcente in litoribus maris, & ſalſuginem quandam habente, qua aluum exonerat, lac puerperis, viris ſemen pro-

Plinius lib. 16. cap. 4.

in ſympoſ. 11 quæſt. 8.

3. de legib.

Mag. natur. lib 7. cap. 10

lib. 14. ca. 13 antiq.

protificum adauget, confici apud antiquos tradiderunt. Porro ad hoc Alimum referri non abſurdè poſſunt varia alia ceu alimẽta, ceu medicamenta quorum in propulſanda, aut toleranda ad aliquot dies fame, vſum apud certas nationes inualuiſſe, compertum habeo; nam *Britanni* vt vulgo creditum, & à Dione etiam hiſtorijs conſignatum eſt, cibum parant, quo Fabæ menſurâ veſcentes, famem non ſentiunt, neque item ſitim: *Indi* vero *occidentales*, quod Monardus tradit, ex Nicotianæ herbæ ſeu Tabaci ſucco, & conchylijs quarundam cochlearum fluuiatilium in cinerem combuſtis, globulos haud piſo maiores efformant, quorum vſus eſt, dum per exuſtas ſolitudines iter habent, in quibus nec cibus nec potus præſto ſunt, vt vnum ex ipſis ore exceptum linguà circumuoluant, liquoremque inde manantem ſenſim deglutiant, non excitandæ quod multi arbitrantur, excrementitiæ pituitæ, quam in ſuum nutrimentum ventriculus conuertat; ſed quia eo ſucco partim ſenſus obtundatur, partim vero humores ita figantur, vt diſſolui facile, conſumique a calore non poſſint. Sunt etiam qui huc referant medicamentum illud Empedoclis *Apnoe* dictum, quo Suidas, vitam illum triginta dies integros, abſque vllo potu vel cibo, ac ne quidem aere ſpirato conſeruaſſe refert; ſed cùm Plinius de Heraclide dicat *huc pertinet nobile illud apud Græcos volumen Heraclidis ſeptem diebus fœminæ exanimis ad vitam reuocatæ*, & liber ille Heraclidis Pontici περὶ ἄπνου inſcriberetur, vt cognoſcimus ex Galeni libro ſexto de locis affectis, rectius mihi videtur doctiſſimus Mercurialis, vocem hanc de morbo potius quàm de medicamine explicandam cenſuiſſe; quamquam vt verum fatear nondum ipſe, aut Talentonius qui multa, de Apnoe dixit, quæ vera eius ſignificatio eſſet, oſtenderint: Quemadmodum nec vllis Grammaticis liquido conſtat quid per *Hippacem* Scytharum intelligendum ſit, propter diſcrepantes auctorũ qui eius meminerunt, penituſque diuerſas opiniones: Hippocrates namque aſſerit Scythas comedere Hippacem, id autem eſſe caſeum equinum, cuius preparationem ita etiam fieri docet; *aſſimilatur vero hoc illi quod Scythæ ex equino lacte parant, nam lac vaſis ligneis conijcientes conquaſſant, quaſſatum ſpumeſcit atque diſſeparatur, & id quod ſuperficei ſupernatat butyrum appellant, veluti leue quoddam, quod autem infra ſubſidet graue, ſegre-*

in Seuero.

Plinius lib. 7. cap. 52.

li. de aere locis, & aquis.

Digitized by Google

ſegregantes exſiccant & poſtquam concreuerit Hippacem vocant; quę verba cùm lucis inſtar meridianæ clara eſſent, aliorumque auctorum conſenſu firmarentur vt Herodoti, ac Plinij etiam, cuius hec verba ſunt *Sextius eoſdem effectus equino, quos Bubulo tradit hinc vocant Hippacem*: neſcio tamen quomodo offutias illis iniecerunt primum quidem Theophraſtus, ac ipſemet quoque Plinius dum eius caſei loco, herbam quandam ſupponunt, de qua ſic poſterior ex Theophraſti mente *ſcythia primam eam quæ ſcythice vocatur, circa Boeotiam naſcens, prædulcis, aliam vtiliſſimam ad ea quæ ſpaſmata vocant, magna, & ea commendatio, quod in ore eam habentes famem ſitimque non ſentiunt: idem præſtat apud eoſdem Hippice dicta quod in equis quoque eundem effectũ habeat, traduntque his duabus herbis Scythas etiã in duodenos dies durare in fame, & ſiti*, vnde niſi hoc nomine Hippacis ambiguo, caſeum, herbãque ſignificari dixeris, vix eſt vt Plinium ab errore vindicare, vel Mercurialem Turnebum, Hermolaum, & recentiores alios qui multum in hac voce turbant, conciliare inter ſe quis poſſit. Et ſane ſi quem ex antiquioribus non bona fide circa Hippacis ſignificationem verſatum fuiſſe fatendum eſt, citius crediderim Plinium in errore verſari quàm Hippocratem, cum hic Macrobij iudicio tam falli quã fallere neſcierit, *eumque*, vt inquit Aponenſis, *Deus tamquam nunquam peccantem produxerit, humano miſericorditer prouidens generi, ad perfectam medicinæ traditionem*: ille vero in eorum hiſtoricorũ cenſum referendus ſit, quos Seneca ſub vnius Ephori perſona grauiter perſtringens *quidam* inquit *incredibilium relatu commendationem parant, & lectorem alíud acturum ſi per quotidiana duceretur, miraculo excitant*. Sed quiquid tandem de hac difficultate aut Plinij iudicio ſtatuendum ſit, illud certè non omittã quod Palma Aegyptia eidẽ Plinio, à tollenda leuandaque ſitis iniuria ἄδιψος vocatur, vt, & Solino cui *Palma quoque Aegyptia dicenda res eſt, proprie adipſos vocatur, eaque guſtata* arcet ſitim, ſed iſtud demum præſtat, ſi priuſquam maturuerit decerpatur; nam ſi matura ſumatur, ſenſum intercipit, greſſum præpedit, linguam retardat, obſeſſiſque officijs mentis, & corporis, imitatur vitium ebrietatis. His autẽ omnibus veri ſimilius eſt quod tradit Auicenna, quendã poſt hauſtũ *libræ vnius olei violacei cum aqua portione ceræ in eo diſſoluta*, decem dierũ inediã, abſque vlla famis mole-

de Somn. Scip. cap. 6.

different. 1.

li 12. cap. 22.

cap. 35.

moleſtia ſuſtinuiſſe, quoniam ſi quo præſertim vnguine, ſa-
ne hoc vno, acorem humorũ famẽ excitantium obtundi penitus,
ſoluique appetentiam omnem oportuit: eadẽque ratione ipſemet
Auicẽna globulos quoſdã cõpoſuit ex *amygdalarum dulcium mun-
datarũ, & adipis vaccini liquefacti ſingulorum libra vna, olei violacei
ſextante, & mucilaginis radicum althea vncia vna*, quorum vſu lib. de ſanit.
tolerari facilius poſſe alimentorum penuriam auctor eſt Ranzo- tuend.
uius. Quinimo *inedia ipſa aliquot dierum*, ſi Phauorino credatur,
efficere abſque vllo alio remedio poteſt, vt etiam ſi longior poſtea
euadat, minus tamen faſtidij ab eſuritione percipiatur, nam vt
ille apud Gellium ex Eraſiſtrato recitat, eſuritionem faciunt ina- lib. 16 cap. 3.
nes, patenteſque inteſtinorum fibræ, & caua intus ventris, &
ſtomachi vacua hiantia, quæ vbi aut cibo complentur, aut inani-
tate diutina contrahuntur, & conniuent; tum loco, in quem cibus
capitur vel ſtipato, vel adducto, voluntas capiendi eius deſideran-
dique reſtinguitur: vnde & Scythas quoque idem dicebat, cum
ſit vſus vt famem longius tolerent, *faſcijs ventrem ſtrictiſſime cir-
cumligare*, eaque ventris compreſſione, eſuritionem aliquo modo
mitigare. Denique cùm Hippocrates in aphoriſmis præcepiſſet 16. Section. 2
ὅκου λιμὸς οὐ δεῖ πονεῖν vbi fames eſt minime laborare oportet, ſeu
quemadmodum Celſus medicorum latiniſſimus, reddidit *ſi quibus
de cauſis inedia futura eſt labor vitandus eſt*, quia nimirum vt fa-
mes, ita & motus omnis tum exſiccet, tum vires reſoluat: idcirco
Lydos in caritate annonæ, alternis tantum diebus ſumere cibum
& interdiu teſſeris vacare ſolitos, omnis prorſus edacis curæ, aut
laboris inanes, auctor eſt Plutarchus, atque hæc ſunt famis reme-
dia, quæ partim vana, & ridicula, partim etiam inania, aut ſaltem
non eiuſmodi eſſe, in quibus multum præſidij repoſitum ſit, exi-
ſtimo.

Sequuntur ea quæ cùm *inquinatiſſima* ſint, ita vt ne quidem à 9.
pecudibus extrema fame compulſis attingantur, ſic neque à me *Deinde inducti*
hic proponuntur, vt corpori idoneum alimentum ſuppeditent, *ab extrema*
nec enim poſſunt; ſed vt documento ſint quàm grauis pœna eos *neceſſitate per*
ſequatur, qui maturè de commeatu ſufficienti non prouiderint, *fœda & noxia ali-*
quandoquidem nihil hi poſtea intentatum reliquerunt, quo la- *mẽta quærũ*
trantis ſtomachi mitigaretur rabies, venterque inanis, ſaburra *tamẽ aliqua*
quauis, quoad eſca melior occurreret, repleretur. Quod enim illi *penes diuerſos populos in delicijs fuerũ*
de

Digitized by Google

de Peruſina, idem nobis de communi aliarum vrbium fame, vſurpare licet.

> *cernas miſerabile vulgus*
> *In pecudum cecidiſſe cibos, & carpere dumos,*
> *Et folijs ſpoliare nemus, latumque minantes*
> *Vellere ab ignotis dubias radicibus herbas;*
> *Quæ mollire queant flammâ, quæ frangere morſu*
> *Quæque per abraſas vtero demittere fauces,*
> *Plurimaque humanis ante hac incognita menſis.*
> *Diripiens miles ſaturum tamen increpat hoſtem.*

Hæc vero fœda edulia ſi quis recenſere inſtituat, prius illum aduertere oportet, multa eorum appellatione apud nos venire, quæ tamen non perinde in ſe, aut alibi talia ſunt, itaut temporis, & conſuetudinis cuiuſque gentis ratio, diligenter in eorum cenſu inſtituendo, habenda ſit; nam ſi quis *vulpeculas* comedat, præſertim vindemiarum tempore cùm vuis ſaginantur; ſi quis *lumbricos* qui è terra multo fimo ſubacta, & connutrita prodeunt, accuratè repurgatos ab omni ſorditie, & incoctos herbis odoriferis ſaluià, ſatureia, hyſſopo, maioranà, roremarino, menſæ adhibeat; ſi idem de *anguibus fluuialibus ac nemoroſis* faciat; exēteratis liberatiſque ſuà ſenectà, & quibus caput & cauda ad quatuor digitorum latitudinem abſciſſa fuerint; aut auium multa genera præter conſuetas noſtris epulis, in latrantis ſtomachi ſolatium vſurpet, quales ſunt *Corniculæ*, *Bubones*, *Pici*, *Milui*, *Paſſeres*, *Sturni*, *Picæ*, *Carduelæs*, & aliæ quamplurimæ, nihilo deterius ſecum agi depræhēdet, quam ſi receptis & communibus vteretur alimentis. Sic referente Trigautio, Sinarum populi, licet carnibus delicatiſſimis ſuillà, bubulà, ouillà, caprinà, omnique auium domeſticarum genere abundent; attamen *Equis*, *Mulis*, *Aſellis*, *Canibus*, æque fere vt reliquis carnibus veſci ſolent, atque ita in macellis venales exponuntur; quod etiam apud Angolæ Regionis incolas vſu venit, qui nullum genus carnis, *caninæ* anteponunt, vnde & canum greges, vt nos ouium domi educant, in menſæ delicias. Nec modo apud eiuſmodi gentes mos ille obtinuit, nam vt inquit Sextus Empiricus *carnes caninas guſtare profanum arbitramur, at nōnulli ex Thracibus, canibus veſci narrantur, fortaſſe etiam in vſu apud Græcos hoc fuit; vnde & Diocles ex eorum ſchola qui Aſclepiadarum tempore fue-*

lib. 1. cap. 2.

li. 3. pyrrohn. Hyp.

fuerant, prodiens, quibuſdam ægrotis catulorum carnes dare præcipit. Quinimo Carthaginenſibus idem in vſu erat ex Iuſtino ſi quidem lib. 19. vt ille refert, *dum hæc aguntur legati à* Dario Perſarum Rege *Carthaginem venerunt, afferentes edictum quo Pœni humanas hoſtias immolare, & canina veſci prohibebantur, mortuorumque corpora cremare, potius quam terrâ obruere, à* Rege *iubebantur*. Et Romani aſſerente Plinio *catulos lactantes adeo puros exiſtimabant ad cibum, vt etiam placandis numinibus hoſtiarum vice vterentur ijs; Genitæ Manæ catulo res diuina fit; & in cœnis Deûm etiamnum ponitur catulina*: at nihilominus cum ad iſthæc edulia reducuntur obſeſſi, tam acerbè ſecum agi exiſtimant, vt nihil illis ad extremæ calamitatis indicium reliquum ſit, atque ita vſu & conſuetudine, non natura ipsà miſerias ſuas metiuntur. Quid vltra Plinius quorundam Indiæ, ac Aethiopiæ populorum meminit, qui *Panterarum, & Leonum* carnibus veſci aſſueſcunt, & *Ophiophagorum* nomen quibuſdam alijs inditum fuiſſe ab eſu *ſerpentum* quos continua venatione proſequuntur: quemadmodum idem etiam de Marſis refertur à Galeno cùm de elephantiaſi agit, in ſecundo de arte curandi ad Glauconem, his verbis *in Elephantiaſi vero viperæ mira vtilitate eduntur: eas vero eodem modo quo* Marſos *parare vidiſti, (quos quia Aſpidibus, & Serpentibus veſcuntur, Aſpidotrophos, & Theriotrophos vocant,) comeſſe oportet*; & hac item de cauſa Apollo Pythius, vt Ariſtoteles, aut quiſquis auctor fuit admirandarum auditionum, ſcriptis conſignauit, Lacedæmonios fertur appellaſſe *ſerpentum excoriatores*. Denique ſi nobis dira fame oppreſſis locuſtarum exercitus præſto eſſent, quibus veſci liceret non arbitror vllum eſſe, qui iſtud tam libenter, etiam vrgente extrema neceſſitate faceret, quàm olim Hebræi, quibus lege diuina quatuor ipſarum ſpeciebus vti licebat; at Arabes & Syri, quorum ſuauiores epulas ex locuſtis conſtare, teſtati ſunt Ariſtoteles & Plinius; iſtud ſponte ſua feciſſe referuntur: vt propterea minus ferendi ſint, qui in Euangelio, vbi D. Ioannes *locuſtas* pro alimento ſeu ἀκρίδας habuiſſe dicitur; legendum potius arbitrantur ſtirpium ἀκρίδια; vel ἀχράδας idest *agreſtia poma*, ob non bene perſpectam locuſtarum naturam, quæ grādiores ſunt in *Africa* quā & ſyria in noſtris regionibus, quas nonnunquā innumerabilibus copijs peragrant, vt frugibus pingues & ſaginatæ, homini-

bus

[Margin notes: lib. 19. — lib. 29. cap. 4 — cap. 23. — Leuitici c. 11 — 5. de hiſtor. anim. cap. 30 — Marci cap. 1.]

bus loca deſerta *Africæ* incolentibus, & ſummà cibariorum penuriâ oppreſſis, ſuauiſſimum afferant alimentum. verum quid locuſtas *Africanas* commemoro? cùm *Minturnenſes*, ita ab vrbe appellatæ, quã Formias inter & Sinueſſam in via Apia Strabo collocat, plurimum laudẽtur ab Athenæo, ita vt Apicius à quo multa placentarum genera *apicia* dicta fuerant, & qui fuit nepos omnium notiſſimus, ventris & gulæ cauſa Minturnis degens, ſemper locuſtis veſceretur, quæ magnitudine Smyrnæas, & Alexandrinas vincebant, cùmque audiſſet in *Africa*, vaſtæ magnitudinis eas reperiri, naui eo profectus, non prius ad eius regionis oram appulit, quod minores illic ſua opinione locuſtas inueniens, illico in Italiam nauigauit. Ex quibus planè iam conſtare arbitror, edulia multa licet minime ex ſe fœtida aut noxia ſint, opinione tamen quorundam, pro talibus haberi, nec minus ab ijs moleſtè ferri, quàm ſi abſque manifeſto ſanitatis diſpendio vſurpari non poſſent.

libro 2.

10. *Omnia vero ordine reſerantur.*

Quamobrem cùm eodem loco apud nos habeantur, ac ſi noxia eſſent, atque ſi verum fateri velimus, concedendum etiam ſit, pleraque ex iam enumeratis, longè deterioris ſucci, & difficilioris coctionis eſſe, quàm cætera alimenta, quibus veſci in pace ac rerum omnium vbertate, homines ſolent, propterea mihi de his nulla locorum aut perſonarum diſtinctione habita dicendum hic eſſe intelligo. Et vero vt in *pane* rei alimentariæ ſummam natura poſuit, ſic eius tantum penuriâ fames regnare dicitur, cui obuiam vt iretur nihil humana induſtria intentatum reliquit; nam *Apludam* ſiue *furfures* ipſos non modo ſemel atque iterum excuſſit, ſed ex iiſdem atrum ac ſordidum panem qui Pacuuio *caninaceus* dicitur, & feſto *acerosus* pinſere ac ſubigere non dubitauit: mox vero ad panem *pomatum* deuenit, ſeu potius ad pulmentum è pomis confectum; tum ex *vuarum acinis* eundem præparauit; *addito melle, & Iuniperi baccis, aut lauri folijs*, ne quid illi impuri noxijue adhæreret ab aranearum frequentia: deinde etiã ex *tribulis, loto, palmis, ſycomoro, ari radice, aſphodelo, rapis, cæpis, ciceribus, cucurbitis* vt Porta, & Cardanus docent; & ad extremum creſcente penuria *laſpanæ*, & cuiuſuis generis herbæ, radiceſque panis loco fuerunt, vt Cæſarianis militibus accidit, qui in Dyrrachiana munitione, panem ex agreſti quadam radice, & lacte admiſto

lib. 4. cap. 17. mag. nat. lib 11. de ſub til.

ſto conficiebant; quo viſo, Pompeius rem ſibi cum feris, non cum hominibus eſſe dixit, amouerique ocyus eum, nec cuiquam oſtendi iuſſit, ne patientiâ hoſtium, animi ſuorum frangerentur quamquam Cæſariani poſtea non illud reticuerunt in Cæſaris triumpho, vt ex Plinio patet, apud quem *olus quoque Syluestre eſt triumfoliorum* D. *Iulij carminibus præcipue iocis militaribus celebratum, alternis quippe verſibus exprobrauere lapſanâ ſe vixiſſe apud Dyrrachium, præmiorũ parſimoniam cauillantes*. Sic Aegyptij apud Herodotum panes *ex radicibus lilirorum* decoquebãt, & in hiſtoria Iob hæc leguntur, *& mandebant herbas*, *& arborum cortices*, *& radix iuniperorum erat cibus eorum*; quæ ſane mihi in memoriam illud reducunt, quod Graius Achæmenides in Cyclopum oris ab Vlyſsê derelictus, de oppiparo ſi Dijs placet, lautiſſimoque vitæ ſuæ apparatu referebat Sueton. lib 19. c. 8. libro 2. cap. 30. v. 4 Aeneide 3.

Victum infelicem baccas, lapidoſaque corna
Dant rami, & vulſis paſcunt radicibus herbæ.

Vt autem hæc omniâ panis ſubſidio excogita ſunt, ſic *Carnis Bubula* loco in obſidionibus, omnium primùm ſuccedit *Equina*, quam niſi quod paulo aſperius guttur in tranſitu radat, nulla aliâ in re vaccinâ deteriorem eſſe, cùm patris mei optimi quidem ac integerrimi viri, tum multorum aliorum qui in fame Pariſina ad has dapes deſcendere maluerũt, quàm gratioris cibi deſiderio, ſuſceptam religionis cauſam prodere, experientiâ, fidiſſimaque relatione didici. Ex eoque factum arbitror, vt promptiſſimum in eius vſu, nec exoſum militibus remedium, aduerſus reliquarum carnium penuriam conſtitutum ſit; & ad quod etiam in non maximis annonæ difficultatibus, ſpontè facileque deueniatur, vt non ita pridem contigit in obſidione Bredana, vbi cum Spinolæ caſtris, ex impeditâ à Mauricio Naſſauuio annoæ ſubuectione magna per aliquot dies panis, vini, cereuiſiæ, aliarumque mercium caritas ineſſet, militum plurimi ſua ſponte adducti ſunt, vt equinæ carnis macellum inſtruerent, eaque ſine querelis, & tumultu iucundiſſimè veſcerentur. Quod item de *Canina* fieri ſolitum in obſidionibus, tam certum eſt, vt etiam in Bredana cuius relationem elegantiſſime contexuit Hermanus Hugo, lautiſſimæ militibus apud carnificem epulæ, ex ea præberentur, & parabili admodum pretio beſſis ſcilicet cum ſemiſſe, quoniam is

decreto ſtipendio florenorum decem in ſingulos menſes, canes omnes vitandæ peſti necare iuſſus, fercula ex illis menſæ apponebat, nec paucos quotidie milites habebat conuiuias, qui tantillà ſymbola, tam egregiè prandere vellent, imo vero tam ſplendidè & Romano more, cũ præter auctoritatem Plinij iam ante à nobis relatam, Feſtus idem aſſerat ex Plauto *Catulinam inquit carnem eſitauiſſe, hoc eſt comediſſe Romanos, Plautus in ſatu-*
libro 7. *rione refert*: proindeque non immerito Ananius Poeta apud Athenæum, canes cum lepore, & vulpe inter cibos ſuaues enume-
1. de alimen. fac. cap. 1. rat; & Galeni teſtimonio multæ etiam gentes ab eorundẽ vſu quotidiano non abhorruerunt, *quid iam loquor* inquit *de canibus, quos, & ipſos iuuenes, & pingues; ac potiſſimum cum caſtrati fuerint quadam gentes frequentiſſime mandunt*; vt mirum profectò ſit, cur id tẽporis, tantopere apud nos euiluerint. De *Felibus* vero quas præpingues, & media hyeme necatas multi in delicijs habent; de
libro 8. c. 43. *Aſinis*, & earum Pullis, quibus, atteſtante Plinio, veſcebatur Mecœnas; de *Muribus* ipſis quos multi lurcones cunicul orum inſtar abliguriunt, & nobilis quidã Gallus Dominus de La Trouſſe non tam ingluuie, quam admirabili naturæ propenſione ferculis omnibus etiam delicatiſſimis præfert; non eſt hic quod dicam vt in caſtrenſi penuria plurimi ſemper hæc edulia facta ſint, cùm ad id probandum ſatis eſſe poſſit vnius Plinij auctoritas, aſ-
lib. 8. cap. 43. ſerentis *vaniſſe Murem* C C *nummis, Caſilinum obſidente Annibale: eumque qui vendiderat fame interijſſe, emptorem vixiſſe*. Sed poſt abſumptã frumentariam carnariamque annonam, poſt conſumptum quicquid equorum, canum, felium, murium vſquam depræhenſum eſt; poſt comeſtas herbas, & radices omnes, quæ intra, & extra Pomerium velli poterant; quid demum factum eſt? num crudeles in ſe ſuâ pertinaciâ homines eſſe deſierunt? minime gentium: ſed quidquid facti infectique *corij* habere potuerunt, quidquid *recentium veterumque pellium* vſpiã apud illos fuit, hoc omne aquâ madefactum, remollitumque, & purgatumã ueteri vnguine, ac in minutalia, & intrita diſſectum, pro maximis cupedijs, & epularum ſcitamentis habuerunt. Imo tam pertinaciter à multis cum fame luctatum eſt, vt fama ſit apud nos in *Sancerrana*, confuſas piſtillo & ſolutas in puluerem ardoſias tegulas: ac ſepulchris quoquè eruta *cadauerum oſſa*, in farinæ ſpeciem

com-

comminuta fuiſſe, non ſecus ac Auenzoar medicus ex Arabum collegio præſtantiſſimus, factum quandoque, ſuis in regionibus refert, vt cadauera mortuorum ſepulchris eruerent homines, quo oſſium muſculoſa carne exutorum medullas ſugerent.

A quibus omnibus gradum ſenſim ad *Thyeſtæas* menſas parari nullus eſt opinor qui non videat; & ſanè non exigua conuiuarum frequentia ſtipari illas, atque circundari conſpicuũ eſt, poſtquam *Cambyſis* milites decimum quemque ex innumerabili colluuie gentium, quam in Aethiopiam traduxerat, ſorte eductũ mandere non dubitarunt, vel Lucano teſte, qui poetica licentia, hoc à Cambyſe commiſſum fuiſſe dicit, quo Nili Scaturiginem primoſque fontes inueſtigaret. II. *Ad eſum vſque carnis humanæ.*

Libro 10.

. . . . . veſanus in ortus
Cambyſes, longi populos peruenit ad æui,
Defectuſque epulis, & paſtus cæde ſuorum
Ignoto te Nile redit.

Iiſdem quoque menſis accubuerunt *Athenienſes*, vrbem illorum obſidente Cornelio Sylla, qui vt primum intellexit eos, quod inquit Appianus, *iumentis omnibus abſumptis coria burſaſque decoquere, excrementa etiam aſſumere, nonnullos porro cadaueribus vti humanis*, id quod erat ratus, nullam ſcilicet vim ineſſe tanta fame debilitatis, ſcalas admoueri iuſſit, eaque præclariſſima vrbe potitus eſt, in qua vt addit Appianus *plurium in domibus humana corpora in cibos præparata inuenta ſunt*: eodemque modo *Numantini* à Scipione vallo, & aggere circundati, quum omnia quibus famem ſuſtinere poterant, conſumpſiſſent, ad vltimum humanorum corporum dapibus vſi ſunt: horumque trucem pertinaciam *Caliguritanorum* execrabilis impietas ſupergreſſa eſt, qui Valerio teſte, vt *Sertorij cineribus fidem præſtarent, quia nullum iam aliud in vrbe eorum ſupererat animal, vxores ſuas, natoſque ad vſum nefariæ dapis verterunt*, quoque diutius armata iuuentus viſcera ſua viſceribus aleret, infelices cadauerum reliquias ſalire non dubitauit: ſed *Vascones* etiam à Metello Romanorum duce in tantam famem obſidione compulſi ſunt, quod vt notat Iuuenalis

In mithridat. *lib. 7. cap. 6.* *Satyr. 15.*

Poſt omnes herbas, poſt cuncta animalia, quicquid
Cogebat vacui ventris furor, hoſtibus ipſis
Pallorem ac maciem, & tenues miſerantibus artus

Membra aliena fame lacerabant, eſſe parati
Et sua

His vero exemplis nõ minus dirum aliud exhibuit in *Iudæorum* excidio Maria quedam, cuius hiſtoriam malim te legere apud Egeſippum, quàm eius immanitate ſermonem hunc meum deturpari; quamobrem nec aliam refero, quàm Blondus habet de matre, quæ Beliſario *Romæ* à Gothis obſeſſo, filium ſuum fame defunctum, iterum in ſua viſcera redire coegit. Vt certè illud ſilentio prætermittendum iudico, quod idem hiſtoricus refert de *Chriſtianis* quibusdam ſuos principes in orientem ſequutis, quos *ignea fames* vt à Quintiliano vocatur, eo aliquando adegit, vt cadaueribus infidelium vitam aliquamdiu ſuſtinere coacti fuerint, quemadmodum etiam perduelles *Rupellanos* nuperrime ſua incredibili contumacià, ad iſtud immanitatis adactos conſtat, vt fœtentibus aridiſque demortuorum cadaueribus veſcerentur.

libro 4.

declamat. 12

12. *Quem Annibal nunquam militibus ſuis ſuaſit contra Liuij opinionem & aliorum etiã quide anthrophagis multa perperã dicunt.*

Cæterum quia Romanæ hiſtoriæ ſcriptores, ex odio pluſquam vatiniano, quo ſemper Annibalem proſecuti ſunt, multa illi affingunt immanitatis & Barbaræ crudelitatis exempla, quibus nulla poſt hominum memoriam ſæuiora excogitari poſſent; videtur mihi locus hic per quam idoneus eſſe ad inquirendum, qua tandem de cauſa Terentius Varro in oratione quam ad Campanos habuit, non veretur his contumelioſis & atrocibus verbis Annibalem proſcindere apud Liuium. *Penus hoſtis ne Africæ quidem indigena, ab vltimis terrarum oris, Freto Oceani Herculiſque columnis, expertem omnis iuris, & conditionis, & linguæ prope humanæ militem trahit. Hunc natura & moribus immitem feramque insuper dux ipſe efferauit, pontibus ac molibus ex humanorum corporum ſtrue faciendis, & quod proloqui etiam piget veſci humanis corporibus docendo, hos infandis paſtos epulis, quos contingere etiam nefas ſit, videre atque habere domi! nos & ex Africa, & à Chartagine iura petere, & Italiam Numidarum, ac Maurorum pati prouinciam eſſe, cui non genito modo in Italia deteſtabile ſit.* Ex hac enim oratione duo inuſitatæ crudelitatis manifeſta indicia colliguntur, vnum quod de cadauerum hoſtilium ſtrue pontes ac moles fecerit, alterum quod milites ſuos veſci humana carne aſſuefecerit, quorum ſane & ſi poſtremum tantum huc pertineat, nihilominus tamen quià operoſum ac difficile non eſt, à prio-

libro 23.

à prioris quoque infamia, Annibalem liberare, idcirco mihi in eo paululum immorari viſum eſt, priuſquam ad aliud deuenirem, maximè cum præter Liuium multi hoc ipſum de Annibale confirment, ac inter cæteros Florus, qui aſſerit Annibalem poſt Cannenſem pugnam, Romanorum cadauera in flumine Aufido, vel lib 2 cap. 6.
vt ipſe inquit Gelo, compoſuiſſe, ac molem, & pontem effeciſſe, lib 9. epiſt 2.
quo facilior eſſet ad veteriorem ripam tranſitus, tum Martialis, lo lb. n,
& Ouidius, ac Silius Italicus quorum hic rem elegantiſſime pau- l bro 8.
cis verſibus complexus eſt

> *Ceſſerit huic Trebia exitio: pons ecce cadentum*
> *Corporibus ſtruitur, tacituſque cadauera fundit*
> *Aufidus, ac victrix exultat bellua campis.*

ac denique Appianus, qui in Lybico Publium Cornelium ita loquentem inducit, *hoc ſolum dixerim, quadringentas nobis affuiſſe vrbes quarum captiuos partim foſſis obruerit, partim fluminibus immerſerit per quorum corpora, tanquam per pontes ductaret exercitum* vnde cum tot grauiſſimorum auctorum teſtimonijs refragari non liceat, rectius forſan inueſtigari poſſet, quàm malè hi omnes interſe conueniant, in eius facti narratione, vt inde falſitas, ſi quæ in illo inſit, facilius detegatur, ſed quemadmodum ipſi contendunt, demus, & illud verum eſſe; quæ tamen hæc iniuſtitia eſt? *Annibalem* quod iſtud commiſerit damnare, & ex alia parte vt Valerius,
& alij faciunt, miris in cœlum laudibus *Cæſarem* efferre, quod ipſe lib. 7 cap. 6.
cum armis Mundam clauſiſſet, aggerique extruendo materia deficeret: congerie hoſtilium cadauerum, quam deſiderauerat altitudinem inſtruxit: eamque tragulis, & pilis quia roboreæ ſudes deerant, magiſtra nouæ molitionis neceſſitate vſus, vallauit: ecquis enim ſæuire magis in mortuos viſus eſt, is qui cadauera in aqua ſepeliuit, vbi plurimũ etiã interire homines ſolẽt, ac deſuper extenſis tabulis, quod nullus, ſi in terra defoſſa illa fuiſſent, facere recuſaſſet, exercitum tranſmiſit? an ille qui viuos homines, inter mortuorum fœtentes reliquias concluſit, ijſque non ſimpliciter in vallum aut ſtruem aggeſtis, ſed confixis colligatiſque palorum inſtar, ſeipſum etiam ab iniuria tutatus eſt. At non eodem modo de poſteriori crimine ſtatuendum eſt, cuius præter Liuium in ea oratione laudata, hactenus meminit nemo, quare veriſſimilius eſt ea locutum fuiſſe cõſulem Romanum, quæ Campanorum

animos permouere poterãt, ne Anthropophagis illis militibus ſe committere & ſociare, quorundam exemplo vellent: & quanto res iſta premebat magis, ſic nullum argumenti genus omiſſum ab eo fuiſſe, quo ex Rhetoricorũ præceptis ſeu vera dicendo, ſeu quæ veriſimilitudinem haberent aliquam, iſtud demum obtinere poſſet, vt in fide atque obſequio erga populum Romanum permanerent. Alioquin ſi verum fuit quicquam ſimile Annibali in mentem veniſſe, pro certo auſim affirmare, quod belli illius Punici ſecundi, factorumque Annibalis diligentiſſimus inueſtigator Liuius, iſtud potius ex ſe, quàm ex conſulis ore protuliſſet; minimèque nouum hoc & inauditum facinus ſibi pretermittendum duxiſſet, in tam varia, tamque copioſa, & rerum, & arcanarum deliberationum hiſtoria. At non idem vt obijcient ſtatim aduerſarij, fecit Polybius, quandoquidem in fragmentis nuper ab g.32.& 35 eruditiſſimo Valeſio editis ex codice Peyreſciano, rem hanc ita ſe habuiſſe refert, *quo tempore Annibal cum copijs in Italiam traijcere cogitabat, cùm maxima difficultas ſe ſe obijceret in annona, & commeatibus ad alendum militem comparandis, re ſæpius in medio propoſita, cunctiſque conſilio varie ambigentibus, vnius Annibalis amicus* Annibal *cognomento* Monomachus, *hanc ſententiam dixiſſe fertur; vnicam porro ſibi viam videri qua in Italiam perueniri poſſit, rogante vero* Annibale *eam, vt aperiret, ad eſum inquit humana carnis militem condoceſaciendum eſſe: at Annibal tum quidem ad huius conſilij audaciam, & efficaciam nihil habuit, quod opponeret. Sed vt rei ipſius periculum faceret, neque ipſe neque amicorum quiſquam in animum inducere potuit.* Hunc igitur Polybij locum, quo maximè niti aduerſariorum pertinacia videri poſſet, coram te, Ludouice Comes, integrum ſiſtere volui, vt dijudices, num eo frangi illa potius ac retundi debeat; equidem mihi non dubium eſt, quin apud te & tui ſimiles aquiſſimos rerum æſtimatores, Polybij narratio iugulum attingat, litemque hanc in meum prorſus fauorem decernat, quid enim apertius pro Annibale dici, vel à Pœno aliquo potuiſſet, his poſtremis verbis, quæ rurſum affero, vt maxime notatu digna, *ſed vt rei ipſius periculum faceret, neque ipſe, neque amicorum quiſquam in animum inducere potuit.* Equidem vel Annibal in culpa non eſt, aut quiſquis etiam pientiſſimus & iuſtiſſimus, cui ſtultus aliquis, aut temulentus nebulo, cõſilium ali-

aliquod malũ ſuggeret,licet illud non recipiat, ſceleratus erit; & S.Pompeius cui conſiliũ in aurẽ ſubminiſtratum fuit,vt Auguſtũ, &Lepidum,contra fidẽ datam,in propria naui captiuos retineret, tam obnoxius erit infamiæ, quam ſi eiuſmodi conſilium generoſo, & vere nobili animo non reſpuiſſet. Quid ergo obturandum eſt os fatuis omnibus,ſceleratis, vanis, audacibus, inconſultis, aut quicquid ſtultè loquuntur, & blaterant,ſtatim in ipſos duces, ac principes redundabit? quæ malum hæc ratio? aut verius quis furor? quæ pernicies? quod ſcelus? præſtat igitur concludere aut maleuolorum rumoribus, aut Terentij Varronis induſtrià commẽtum hoc de Annibale diſſeminatum in vulgus fuiſſe: quod enim eſſet maxima aſperitate, & immanitatẽ naturæ, quod ſæuitià vellet vincere, quod barbarum ſe maxime oſtenderet in rebus omnibus, ad terrorem hoſtibus incutiendum: occaſio inde ſumpta eſt, prædicandi quælibet maxima grauiſſimaque de eo facinora; accedit quod odium iuraſſet in populum Romanum; quod Pater eius Amilcar,eo adegerit Phœnices Mercenarios,vt humana carne veſcerentur, & multa demum alia ſuaſerunt, hoc ipſum non difficulter poſſe verum, & manifeſtum iudicari. Non ſecus, ac Phalaris Agrigentinorium Tyrannus,eo vſque crudelitatis proceſſiſſe dicitur à Clearcho in vitis,quarum mentionem facit Athenæus, vt *molles, ac teneros infantes comederet,* hoc enim vix pueri ipſi crederent; ſed nihil eſt tam abſurdum quod indignatio ab homine non exprimat, & à literato præſertim quem ſœpius nimiæ literæ tranſuerſum agunt. Præterea quis modus ille fuiſſet conciliandi ſibi militum animos, quos ab extrema Iberia, & Africa in Italiam traducere volebat; docere illos & aſſuefacere tam nefarijs dapibus veſci, quarum, nullus eſt adeo ab omni ſenſu humanitatis alienus, quin vel ſola recordatione terreatur. Et ſi hoc ab illis obtinuit, cur tandem in tranſitu Alpium, cum incredibili cibariorum penuria vexaretur, carnis humanæ macellum non inſtituit, eoſque milites ſortito delegit, quos in eo lanij fartoreſque iugularent. Denique Porphyrius in præclariſſimo opere de non necandis ad menſarum vſum animalibus, non modo hanc hiſtoriam ita refert, vt eam ad verbũ de Polybio expreſſiſſe videri poſſit, ſed præterea Amilcarẽ Annibalis patrẽ mirum in modũ commẽdat, quod nouo ſupplicij genere, rebelles quoſdã ſeruos, & mer

libro 9.

cenarios affecerit, qui non veriti fuerant occiſorum in prœlio, deinde captiuorum, poſtea ſeruorum, ac tandem ſorte ex ſeipſis eductorum, cadaueribus obſtinato ſuo furori alimenta ſuggerere; quemadmodum etiam à Polybio ſub finem libri primi fuſius, ac diſtinctius explicatum fuit. Atque ita niſi velimus grauiſſimis viris Polybio, & Porphyrio, nobiſque ipſis tanquam parum cautè res dubias inueſtigantibus, iniuriam facere; non debemus tam ſiniſtrè de maximo illo duce arbitrari, vt quicquam eiuſmodi ab illo factum vnquam, aut excogitatum fuerit. Verum quia multi eo facilius in hanc prauam opinionem inducuntur, quod iſtud non difficulter Annibalis militibus, vt pote hominibus ſuapte naturâ feris, & ab omni cultu, ac manſuetudine alienis ſuaderi potuiſſe credunt; cùm etiam num hodie *Caribes* occidentalis indiæ populi carnes humanas, ſi Mochetio teſti occulato, & Benzono credendum eſt, nullo neceſſitatis ductu, ſed ſola ſponte naturæ, eiuſque luxuriantis ingluuie comedant: vnde etiam Benzonus notat quod *Hiſpanos eſui ſatis aptos eſſe negant, quia ſint duriori & exſucca carne, niſi trucidati, tres aut quatuor dies ante macerentur*. Et Athenion quidam in Samothracibus ex eo probat coquinariam artem omnino plurimum ad pietatem contuliſſe, quod à nefando mutuæ carnis eſu homines vindicarit, qui primis temporibus penes *orbis incolas*, inualuerat, etenim

lib. 1. Hiſtor. noui orbis cap. 23.

Athenæus. libro. 14.

Cum ſuis carnibus mutuo veſcerentur homines.
Et grauia ſæpius inde mala exorirentur
Minimè ſtultus aut fatuus vir aliquis.
Primus hoſtiam mactauit & carnem aſſauit,
Viſa tum forte eſt quàm humana illa ſuauior.

Ab illo vero tempore & infami, ac propudioſo ciborum genere *Anthropophagorũ* nomen deriuatũ, & varijs poſtea Barbaris, ac efferis gentibus inditum fuiſſe, rationi conſentaneum eſt: vt ſanè de *Cyclopibus* res eſt notiſſima, quos in medio prope Terrarum orbe, Sicilia videlicet & Italia, diram hanc hominum lanienam exercuiſſe Poetarum natio commenta eſt, aſſentiente etiam illis vate maximo, apud quem Achæmenides hæc à ſe in Cyclopis Antro obſeruata fuiſſe refert

Aeneid. 3.

Viſceribus miſerorum, & ſanguine veſcitur atro,
Vidi egomet, duo de numero cùm corpora noſtro,

Prenſa

Prenſa manu magna medio reſupinus in antro
Frangeret ad ſaxum, ſanieque adſperſa natarent
Limina: vidi, atro cum membra fluentia tabo
Manderet, & trepidi tremerent ſub dentibus artus;

eodemque modo Plinius dignum poſteritatis memoriâ iudicauit, *eſſe Scytharum genera, & quidem plura quæ corporibus humanis veſcerentur.* Quod idem relatum eſt etiam ab Heraclide de *Heniochis* qui Phaſin primi habitarunt:& à D.Hieronymo *de Scotis*, in opere contra Iouinianum, vbi varios populorum mores, ac ritus percenſens hæc habet, *quid de cæteris nationibus loquar, cùm ipſe adoleſcentulus viderim in Gallia, Scotos gentem Brittannicam humanis veſci carnibus, & cum per ſyluas porcorum greges, & armentorum pecudumque reperiant, paſtorum nates, & fœminarum papillas abſcindere, & has ſolas ciborum delicias arbitrari*, quem locum multi poſtea Anglorum ſcriptores lubentiſſimè tranſcripſerunt, ad conflandam iſtius barbariei inuidiam Scotis omnibus, quibuſcum perpetuas ſimultates exercent. Quanquam & extra odium nationis, idem pariter ex D.Hieronymo retulerunt, Petrus Crinitus, Cœlius Rhodiginus, & Ioannes Aubanus Boemus in libro quem de moribus gentium compoſuit; additque Forcatulus Arthurum, de quo mira prorſus narrat, immanem illorum conſuetudinem ſuſtuliſſe qui ſylueſtri in ora ſiti, carne humana veſcebantur; tum & ſuperſtitioſos mores eorumdem, qui Leporem, Anſerem, & Gallinam voluptatis tantum causâ alebant, non autem in cibum, quaſi eodem cum Aegyptijs inſtituto, apud quos vt inquit Iuuenalis

lib 7 cap. 2. lib. de Polit. libro 2. cap. 10. lib. 3. libro 18. lib. 7. de Gallor. imper. Satyr. 15.

lanatis animalibus abſtinet omnis
Menſa, nefas illic fœtum iugulare capellæ
Carnibus humanis veſci licet.

Accedit his *Gothorum ſeu Getarum* natura, niſi ijdem ſint cum Scythis, quorum ſupra mentionem ex Plinio fecimus, qui olim & carnibus veſci, & ſanguinē pro potu ſorbere, non obſcuris auctorum monumentis ferebantur, ac inter alios Priſciani in Periegeſi cuius iſta ſunt

Nec Bacchi donum, Cereris nec pocula norunt,
Sed lac concretum humano cum ſanguine potant.

Nonnulli demum ab immanitate quadam naturæ hoc ſcelus admit-

Satyr. 15. mittunt, nam vt rectè Iuuenalis dixit.

Aſpicimus populos quorum non ſufficit iræ
Occidiſſe aliquem, ſed pectora, brachia, vultum
Crediderint genus eſſe cibi

taliſque erat *furcifer ille ſectarius* in Gallia, quem Dux Guiſius ob comeſta ab eo viginti quinque Catholicorũ vſtulata carbonibus iecora, eo ſupplico affecit, vt laxioribus catenis ad palũ alligatus, accẽſaq. in orbem, & ex mediocri interuallo pyra, ipſe circa palũ decurrens, ſemetipſum torreret. Quidam vero ex deprauata appetitione hoc vitium contrahunt, cùm ſcilicet tetri humores ventriculi tunicis impacti, rei alienæ, & peregrinæ, vt terræ carbonũ, & nonnunquam fœtidorum animalium, ac carnis humanæ deſiderium inducunt, qui affectus deſcribitur à Nonno, & veteribus alijs medicis ſub titulo περὶ Κίσσης ſeu *de pica*, adeoque nonnumquã impotenter prægnãtes vexare ſolet, vt Ioannes Langius conteſtatæ probitatis, ac doctrinæ medicus, multarũ exempla referãt quæ eo furoris adactæ fuerunt, vt ex iugulati mariti, aut aliorum hominum pretio ad id conductorum, carnibus veſcerentur. Atque hic vitioſus humor ſi in viris cumuletur, non diſſimilem effectum producit, vt confirmat Ludouicus Viues in commentarijs ad libros D. Auguſtini de Ciuitate Dei; & ſartoris illius exemplo conſtare poteſt, qui Catalauni in Gallia anno MDXCII. flammis vltricibus traditus eſt, cùm antea depræhenſus fuiſſet tot pueros comediſſe, vt eorum oſſa vix mediocri dolio quod nos *Barril* dicimus caperentur. Ex quibus tandem concludunt qui Annibali aduerſantur, non nouum hoc aut inuſitatum eius militibus obſonium ex carne humana fuiſſe, quandoquidem tot aliæ gentes, iſtud ab omni æuo in more habuerunt, vt iiſdem dapibus veſcerentur. Enimuero ſi quæ hactenus exempla protulerunt, in examen vocare liceat, nihil propius arbitror, quàm vt omnia extremæ vanitatis, & falſitatis argui debeant, ſi tamen illa excipias aberrãtis naturæ ſymptomata, quæ vt affectu in ægris, non delectu in ſanis, & valentibus fiunt, ſic & nihil huc pertinẽt: nam in primis quod de Cyclopibus dicebatur, neminem arbitror tam infantem eſſe, quin hoc Poetarum commentis annumerandum cenſeat, quorum tota natio.

Epiſt. 12. to. 2

c. 25. lib. 27.

Terent. Andriæ initio.

Id ſibi negoti credidit ſolum dari;

Po-

Populo vt placerent quas feciſſet fabulas.

nihil autem æque placere, quàm quod eſt nouum,& ſupra fidem atque admiratione dignum, cuiuſmodi ſunt narrationes illæ de Cyclopibus & Empuſis primiſq. hominibus anthropophagis;vel lippis, ac tonſoribus notum eſt. Quod vero de *Scythis* addebat Plinius,& auctores alij de *Getis* affirmarunt,id omne detortũ fuit ex eo quod multi Thraciæ populi,quoties cibum aliunde habere non poſſent, ſanguinem ex equis mittebant, eoque, aut admixto lacte,aut quauis alia conditura præparato,vtebantur in alimentũ. quemadmodum teſtantur de *Bulgis* Ennodius in panegyrico Thodorici: de *Sarmatis* Plinius, & Martialis; de *Scythis*, & *Nomadibus*, Clemens Alexandrinus, & Damaſcenus, ac Galenus, qui eos γαλακτοφάγους appellãt id eſt *lactipotas*,de *Getis* denique,& *Gotis* Sidonius Apollinaris paſſim,vt in panegyrico Auiti.

lib 28. c. 10. epigr. 3. ad Domitianum. pedagog. lib. 3. cap 3. de moribus gentium. 2 ad Glauconem.

ſolitoſque cruentum
Lac potare Getas, & pocula tingere venis.

Idemque alibi

Plus potat per vulnus equum.

Sed omnium planiſſime Sextus Auienus in deſcriptione orbis.

His cibus & potus ſimul eſt, cùm ſanguinem equinum,
Et lac concretum per barbara guttura ſorbent.

cui pariter conſentit Statius in Achilleide — libro 1.

Lactea Maſſagetæ, veluti cum pocula fuſcant
Sanguine puniceo.

Propriereaque recte, meo quidem iudicio,de illis omnibus idem dici poteſt,quod in re non admodum diſſimili protulit Rufus Feſtus *in Thraciæ regionibus etiam Scordiſci habitauerunt,pariter crudele,& callidum genus,multa de ſæuitia prædictorum fabuloſa memorantur, quod hoſtijs captiuorum dijs ſuis aliquando libauerint; atque ſanguinem humanum in oſſibus capitum potare ſint ſoliti*. Iam vero quod de *Cannibalibus*, & populis alijs in nouo orbe *Antropophagis* dicebatur,nollem contendere iſtud omne eſſe vanitatis cuiuſdam, ac mendacij argumentum: ſed tamen Franciſcum Monachum proferam, qui in argutiſſima ſua epiſtola de orbis deſcriptione ad Ioannem Carondeletũ Archiepiſcopum Panormitanum, hoc ipſum inter Ioannis Mandæuilli fabulas reponit, *quod autem de*

An-

Anthropophagis, inquit, *quos indigenæ Canibales vocant, malus interpres hominibus perſuaſit, adeout in tabulam marinam non puduerit homines canina capita habentes referre picturâ, quis miretur? cum videat Plinium, Solinum infiniteſque alios grauiſſimos ſcriptores, multo monſtruoſiora mandaſſe literis*, nec idem poſtea cum de Caribum, & Cariporum inter ſe naturali & admirabili diſſidio loquitur, quicquam de eorum anthropophagia ſimile habet eius quod dixit Benzo. Et vero ſi quid in hac re peccant, totum iſtud potius religione, quàm vlla naturali immanitate fieri crediderim; quoniam vt ipſe Benzo affirmat, Chiappeni idolũ ſuum ab bella deferunt, eique prius quam expeditionẽ ineant, ſelectos quoſdam ex captiuis mactantes pluribus ſacrificijs litant, totumque ipſius ſignum ſanguine reſpergunt, & carnes inter ſe ipſi epulantur. Reſtant igitur *Scoti* de quibus maxima me tenet admiratio, quomodo hoc quod de illis aſſerit D. Hieronymus, verum eſſe poſſit, præſertim cùm nullus alius ex tota antiquitatis memoria, cœlo tamen, ſolo, ac ſæculo, tam docto, & literatorum ferace, illius barbarici meminerit; deinde Scoti ea tempeſtate in Gallijs non erant, & etiam ſi fuiſſent, quis tamen ſanus crediderit, Gallos tam dirum nefas impune admitti in gente ſua, ab alienigena populo pati voluiſſe; demum vero ducentis ac pene trecentis ante Hieronymum annis, Scotia fidem Chriſtianam tota receperat, vnde caret omni probabilitate, viros Chriſtianæ pietatis ſtudium feruentiſſime amplexos, in tam horrendum crimẽ incurriſſe; quamombrem libenter aſſentior, doctiſſimo viro Thomæ Dempſtero, qui his rationibus perſuaſus mendum eſſe in D. Hieronymi contextu, *Gothos* pro *Scotis* feliciter repoſuit, reiecitque verba hæc *gentem Britannicam*, tanquam imperiti cuiuſdam gloſſema, quod in nullo vetuſtiori codice reperiatur. Et ſane quod *Gothi*, ſeu infideles, ſeu arriana hæreſi infecti, eo æuo cum *Hunnis*, alijſque Barbaris in Gallias irruperint, iura diuina humanaque confundẽtes, præter Hincmarum in vita Sancti Rhemigij, & Bedam ſcriptorem Eccleſiaſticæ gentis Anglorum hiſtoriæ, multis id oſtendit Chriſtophorus Brunerus ad librum tertium Venantij Fortunati, ac Proſper Aquitanicus qui ſolus fidem iſtius rei facere poſſet, dum inquit

In appar. ad Hiſt. ſc.

Heu cæde decenni

Van-

Vandalicis gladijs ſternimur, & Geticis.

atque ita certum eſt, tota illa exemplorum congerie, nihil momenti ad eorum rationes accedere, qui Annibalem ſuis militibus perſuaſiſſe contendunt, vt quoties aliorum alimentorum penuria eſſet, veſci carnibus humanis non recuſarent, quod receperam initio probandum.

Supereſt modo vt poſtquam excuſſimus cibariorum genera 13.

Tum denique vtiles, & proficui per alimenta communia, & ex ſe, aut arte maxime durabilia quaſigillatim explicantur, nõ neglectis etiã potionum diuerſis generibus equorum pabulo, & cõpẽdioſa eõrum preparatione.

omnia, quæ vel neceſſitas ipſa, vel deprauata ratio per compoſitionum quarundam arcanas deſcriptones, & id genus vana, & innania ſecreta homini ſub miniſtrat; ad ea nunc veniamus quæ eidem recta ratio vſurpãda ſuadet, ſi quidem velit, & militum neceſſitatibus, & ſuo pariter officio inſeruire; cuius in eo ferme tota ratio cõſiſtit, vt eſculentorum omnium quæ caſtris vſu eſſe poſſint parabilem ſemper copiã in horreis habeat, nihil que ſibi facile putet quamdiu commeatuum difficultate laborabit. Quare licet infinita propemodum requirantur, ad caſtra rebus omnibus neceſſarijs iuſtruenda, arceſque muniendas, vt ſunt *ligna* quorum defectu narrat Gregoras Bizantinos, & Michael Brutus Lucenſes eductas forte, ſuas ædes demoliri coactos fuiſſe, libro 4.
quo lignandi copia, quæ foris prohibebatur intus ſuppeteret. lib. 1. Hiſtor. Florent.
Carbo foſſilis ſeu Thracius vt ab antiquis appellabatur; *Molæ frumentariæ* maiores aquis aut vento agitatæ, tum & minores quæ manu verſantur, & triticũ egregiè molunt, ſed nequaquam affatim; *fornaces æneæ* curules duobus interſtitijs diſtinctæ, vt igne in inferiori accenſo, panis in ſuperiore coquatur, quales à Ioanne Federico Duce Saxoniæ, vt arbitror, inuentas, reliqui nunc duces cum exercitu circumuehunt, *clibanorum* loco, quos hunc in modum deſcribit Caſſiodorus *coquendis panibus ænei vaſculi deducta rotunditas, quæ ſub ardentibus flammis ardet intrinſecus*, denique cuiuſuis generis *arma, plumbeæ ac ferreæ maſſæ, nitratus puluis, funes, candelæ, faces in ventis & imbribus ardentes, coria, veſtes, medicamenta*, & eiuſmodi multa alia, quorum & ſi maximus ſit in bello vſus, longe tamen maior eſt *cibariorum* neceſſitas, de quibus vt ordine dicam, videri primùm poſſet non magnis impenſis illa parari debere, quandoquidem vt inquit Lucanus

In Pſalm. 20.

libro 4.

ſatis eſt populis fluuiuſque Cereſque.

&

Serm. 5. lib 4. c. 28. libro 7. & feruntur etiam verſus iambici Græci quos Stobæus Menandro, Athenæus vero, & Gellius Euripidi aſſignant in hunc ferme ſenſum, *quid quæso mortalibus vsus eſt præter duo illa Cereris munus, & aquæ poculum? qua adſunt ac nos queunt alere, quorum ſatias nunquam eſt: luxus autem ſunt cæterarum epularum indagines*; vt propterea dixerit Seneca Philoſophus. *panem, & aquam, natura deſiderat: nemo adhac pauper eſt, intra quæ quiſquis deſiderium ſuum claudit cum ipſo Ioue de felicitate contendat*. Verum tamen quia ſi quis ad priſcam illam frugalitatem reſpicit, ſtatim audiet illud Poetæ

Noſque iubet tacitos, & iam rationis egenos,
Non aliter primo quàm cùm ſurreximus æuo,
Glandibus & pura rurſus procumbere lympha

& re vera ſolo pane abſque cibo deterius viuitur, præſertim in
1. georgic. hac ætate, qua

glandes atque arbuta ſacra
Deficiunt ſyluæ, & victum Dodona recuſat.

Tum vero ſine *carne* robur eximiũ viſceribus, ac reliquo corpori addi nequeat, vtpote conuenienti alimento deſtitutis, cùm vnumquodque rebus præſertim ſimilibus alatur & delectetur, vt homo animaliũ carnibus, ac idcirco Plautus dixerit in Curculione *ventris ſtabilimẽta eſſe panem, & carnem bubulam*, hinc eſt, quod *Cella penuaria caſtrenſis*, non modo pane, aut aquà, ſeu vino inſtruenda eſt, ſed omni genere ciborum, & eo omni quod victus gratià, ſiue eſculentum ſit, ſiue poculentum conditur, ac ſeruatur, & *penoris* nomine apud Mutium, & Sabinum Iuriſconſultos venit, vt eleganter probauit oraculum illud noctium Atticarum Phauorinus
lib. 4. cap. 1. Ex eoque Romani quamuis ſumma frugalitate milites ſuos in diſciplina continerent, illis tamen ex dimenſo quotidie tradebant *buccellatum panem, acetum*, ſiue poſcam, *ſalemlaridum, & Caſeum*,
lib. cap 11. & Galenus vbi alimentorum facultates inquirit, opinioni huic noſtræ maximè fauet hunc in modum de Polenta loquens *veteres autem militibus etiam polentam præbebant; Romani tamen milites ipſius imbecillitatem damnantes, ea non amplius nunc vtuntur, exiguum enim corpori alimentum dat, priuatis quidem, & omni exercitatione abſtinentibus ſatis multum; ijs autem qui quoquo modo exercentur minus quàm ſat eſt*. Ergo *Cerealia* omnis generis paranda ſunt

ſunt

Digitized by Google

ſunt quo nomine *frumentum, hordeum, oriza, milium, auena, frumentum Sarracenicum*, & fruges aliæ comprænhenduntur, ex quibus vel panis parari poteſt, vel multa alia quæ panis loco eſſe poſſunt; vt cum aquà coquuntur aut lacte, vel in pulticulas formãtur. Quibus ſuccedunt *Legumina* ſeu vt ea vocat doctiſſimus Moræus *cerealium ſuccedanea*, quod in vſu hominum cibario, cerealibus ſuccedãnt, & ab eis ſecundas obtineant partes, cùm plerumque vicem panis ſubeant, & in vſus multiplices ciborum cõuertantur: cuiuſmodi ſunt *Piſa, Faba, Phaſeoli, Cicera, Cicercula, Lentes*, ac demum *Lupini*, quos licet Virgilius *triſtes* appellarit in Georgicis propter amaritudinem ſolebant tamen duobus modis ieiuni Philoſophi, & vicatim mendicantes, coctione ſuaues illos reddere quorũ priorem habet Galenus in libris de alimentorum facultatibus, & de ſimplicium medicamentorum præparatione, poſteriorem vero Dioſcorides, ſicque præparati Lupini gratiores fiunt, & cibi auiditatem conciliant ex Hippocrate: Sunt, & alia quædam legumina, quorum vſus extrema tantum neceſſitate aliquis eſſe poſſet, cùm alijs temporibus, pro equorum pabulo potius vſurpentur; omnia vero *leguminum* nomen ſortita ſunt, quod non ſecentur, ſed *vellendo legantur*, vnde Græci ad mentem Latinorum χεδροπὰ ea dixerũt quaſi χειροδροπὰ *manu lecta*, & ſine falcè, nam vt explicat Nicandri Scholiaſtes ad hos verſus Theriacorum. c. 19. Schol. Salern. ib. 2. de Diæ 2.

Agricolæ ſiquando manu cerealia carpunt
Semina, & è terra ſine falce legumina vellunt,

vox χεροδρόποι quæ in Græcis habetur, ſignificat eos *qui manu legunt*, vel *qui metunt ſine falce*. Sed hæc grammaticæ rei doctoribus relinquenda ſunt, & illud potius vrgendum quod ad ipſorum leguminum, & cerealium conſernationem ſpectat, maxime vero *Tritici*, quod Varro condi debere in granaria ſublimia dicit, quæ perflentur mediocriter ventis ſeptentrionalibus, aut ab ortu ſpirantibus, & ad quæ nulla aura humida è propinquis locis aſpiret, Quidam vero illud diligenter excuſſum ab omni puluere recondunt in ſpeluncis, aut puteis ſubterraneis, & locis ſimilibus, quæ in codice *condita* propriè dicuntur, paleà prius ſubſtratis, omnique aeris aditu prohibito, in quibus ſic cõditum triticum Theophraſtus auctor eſt ad quinquaginta annos abſque vllo detrimẽto, Milium vero etiam ad centum perdurare, quià excuſſo puluere,

re, nullus eſt in eo calor extraneus, quo proprius augeſcat, & vbi ſpiritus non perflat, ibi non oritur curculio. Tarentinus, abſynthij, aut abrotani arida virgulta, foliaque ſemperuiui, vel conyzæ ſub frumento ſubſternit, alij cinerem ſarmentorum quercus, aut bubulum ſtercus aridum, vel panicum, milium, & raphanum eidem inſpergunt, ſed præſtat *calcem arenariam amurcâ ſubigere* hæc enim, & inſecta noxia corrumpit, & frumentum ſolidius, ac denſius facit; quamquam Ioannes Baptiſta Porta ex Florentini relatione, omnium vtiliſſimum cenſuerit, *terram argilloſam* perfrigeratam interponere, cuius beneficio triginta, aut quadraginta annis frumentum abſque ventilatione, aut alio artificio poſſe integrum conſeruari, ſibi perſuadet, ita tamen vt arctiori cribro puluis ille dematur, cùm frumento vtendum eſt. Si vero cærealiũ copia non adſit, aut exercitus per infeſtas regiones, ac etiam per amicas celeriter traducendus eſt; tunc valde cõmodus erit *panis bis coctus*, qui ea de cauſa *δίπυρος* Suidæ, & Hippocrati *διπυρίτης* dicitur. Ammiano autem *ad vſus diuturnitatem excoctus*, quoniã hac præparatione longiſſimam ætatem ferre imputris ſolet, & memini me in armamentario Veneto ex quodam eiuſmodi pane deguſtaſſe, qui ante quartum, & decimum annum in horreis ad id deſtinatis ſeruabatur, nulla carie, aut alia labe contracta; vnde fit vt Nautis quoque ſit maxime vtilis, & eam ob rem *Nauticus* à viris doctis nominetur vt Plinio cui *vetus*, aut *nauticus panis tuſus aluum ſiſtit*; & Luciano, cuius hunc locum laudat Budęus καὶ *ἄρτους ὀκτὼ ναυτικοὺς* idem denique à forma, quia in buccellas, & quaſi teſſelata fruſta confectus ſit, *Buccellatum* dicitur, qua voce præter cæteros vſus eſt Spartianus, & Ammianus ita hunc panem deſcribit *viginti dierum frumentum, ex eo quod erat in ſedibus conſumendum ad vſus diuturnitatem excoctũ, buccellatum vt vulgo appellant, humeris impoſuit libentium militum.* Quomodo vero geſtarẽtur olim à militibus panes illi, quos Athenæi Paraſitus *ἄρτων σκιαὶ* ideſt *panum vmbras* non iniuriâ poſſet appellare, nondum ex antiquis auctoribus didici; certè noſtris temporibus vſus obtinuit, vt traducto fune per foramen quod in illis relinquitur, baltei inſtar ex humeris, aut cingulo dependeant, nulloque aut minimo faſtidio, in trium, aut quatuor dierum commeatum ferantur. His ſuccedunt alij cibi caſtrenſes, qui diutiſſimè conſeruari poſſunt, vt

car-

carnium fumigatarum præcipuè vero ſuillarum, bouinarum, & caprinarum, Sole, ſale, ac aere vernali, aut fumo hyemali, ſiccatarum fruſta, quamuis *ſuillam* non abſque damno comedi poſſe à vulneratis experientia doceat, à qua nec ratio diſſidet, cùm hæc impendio humida ſit, craſſumque, & lentum ſuccum præbeat, & excrementa multa congerat vulnerum curationi non parum aduerſa. *Anſeres ſale conditi*, Iudæis quibus ex lege, porcinâ carne interdictum eſt, familiares ſunt, & non ineptè poſſunt in hunc caſtrenſem penum inferri, quemadmodum etiam *ſuccidia* id nomen adeptæ quod *paulatim ſuccidantur*, ſeu quæ eius appellatione veniunt, *Pernæ, Petaſones, & Laridum*, quibus apud diu res carnariũ inſtruitur, cùm alioqui pauperes ſolo caſeo, aut anetho contenti ſint quemadmodum præclarè Virgilius in Moreto oſtendit Leuitici XI.

Non illi ſuſpenſa focum carnaria iuxta
Durati ſale terga ſuis, truncique vacabant,
Traiectus medium ſparto ſed caſeus orbem
Et vetus aſtricti faſcis pendebat anethi.

Ex iſtis vero parantur *Lucanica*, genus farciminis, & Iſicij notiſſimi Lucanis populis, à quibus vt inquit Varro milites Romani illud facere didicerunt, ſi tamen eiuſmodi eſt iſtud obſonium, vt ætatem ferre poſſit, quoniam non mihi licet hic Apitium qui eius compoſitionem docuit, aut alios cupediarum artifices conſulere; tum *Hilla ſalſa*, & *Tuceta farta* de quibus ita Perſij Scholiaſtes ad Satyram ſecundam, *Tuceta apud Gallos ſubalpinos bubula dicitur, condimentis quibuſdam craſſis oblita, ac macerata, & ideo toto anno durat, ſolet etiam Porcina eodem genere condita ſeruari*. Sed hoc nomine maiorem adhuc vtilitatem, prębent *pauonum* carnes, & *iecora animalium*, quandoquidem, hæc maxime vetuſtatem pati, & centenis durare annis Plinius contendit: iſtas vero non putreſcere: conſtans eſt multorum opinio, & inter cæteros Diui Auguſtini in libris de ciuitate Dei, in quibus *quis*, inquit, *niſi Creator omnium Deus dedit pauonis carni non putreſcere*; ac etiam Iſidori, Franciſci Philelphi, Fortunati Fidelis, & Iaſonis Pratenſis qui reliquorum auctoritati fidiſſimæ experientiæ calculum adiecit, aſſerens, puto ego ex relatione D. Auguſtini, qui iſtud à ſe probatũ dicit; quod caro eius cocta, viſa eſt per annum citra putrefactionem, vel fœtorem vllum perduraſſe. Nec modo carnes ſale conditæ,

lib. 2. cap. 17
lib. 12. orig.
lib 2. conu.
lib. 21. de Ciuitat. cap. 4.
in relat. med.

Qq

ditæ, ſed *Piſces*, & quæ ex ipſis parãtur *Salſamenta*, militaris annonæ partẽ vel maximã faciunt, vt *Pectines*, ſeu Paſſeres marini ſiccati; *Anguillæ* in dolijs ſalitæ; *Salparũ* ſiue, *Merlucarũ*, & *Aſellorum* faſces. *Sardinæ* quæ multum à *Sardis* differunt, quia *hæ* ex Pelamidum genere erant, *illæ* vero *τριχίαι* olim appellatæ fuerunt, quod ſint minuti piſciculi, multis ſpinis inſtar pilorum pleni; quibus valde affines ſunt alij *Encraſicholi* dicti vulgo *Anchoues*, ex Apuarum genere, & ſardinis multo nobiliores; *Morua* ſale condita. *Haleces* partim muriatici, partim etiam *Soreti*, qui in fumario ſuſpenſi tamdiu perdurant, donec auri vel potius æris colorem contraxerint, vnde Galli noſtrates voce Gothica *ſoretos* eos nuncupant, quod teſte Hadriano Iunio, ſubrufus, & ad atrum accedens color, ea lingua *ſorus* vocitetur; tum *Cybia*, & *Melandrya* ſalſamenta videlicet quæ ex magnis Pelamidibus fiebant; qualia ſunt *Thynnorum fruſta*, quæ nunc in ſalſamentariorum tabernis, doliolo aliquo concluſa ſeruantur, hoc tantum diſcrimine, quod *Cybia* fieri cõſueuerant ex pulpa Thynni caudæ proxima, *Melandrya* vero ex alijs etiam partibus, quibus hoc nomen imponebatur, propter ſimilitudinem quam cum nigricantibus Quercus radicibus habebant; ſiquidem Heſychio *μελανδρύες* eſt

lib. 32. c. 11. *denſitas arborum*, & *lignorum medulla*; quod totum Plinius accurate complexus eſt *Thynni*, inquit *membratim cæſi, ceruice, & abdomine commendantur; cætera parte plenis pulpamentis ſale adſeruãtur* Melandrya *vocantur*, *cæſis Quernis aſſulis ſimiles*. Veteribus præterea in frequenti vſu erant *liquamina* quædam ex piſcibus, inter quæ primum locum ſib *Garum* vendicat, de quo cum multi auctores dixerint, tum, & Franciſcus Rabeleſius, sannio ille facetiſſimus, & eruditiſſimus epigramma ad Stephanum Doletum conſcripſit; huius vero deſijt quidem vſus apud Europeos cùm tamen apud Turcas, & Conſtantinopoli præſertim retineatur, nam cùm ibi Piſces plurimos frixos vendant, ijs inteſtina & branchias eximunt, immittuntque muriæ vt in garum vertantur; nec diu eſſe videtur, quod Itali quoque garo carent,

lib. 3. de piſc. cap. 53. quandoquidem eius vocis vulgo ad huc penes illos extãt veſtigia

lib. 3. mineral. cap. 3. ſect. 1. nam vt inquit Vlyſſes Aldroandus, qui piſces ſale inueteratos vendunt, compoſito ex *piſcibus*, & *garo* nomine *Piſcigarolos* appellant, quod præter ipſum notauit Bernardus Cæſius in pro-

lixo,

lixo diſcurſu de Garo, ex Biſciola in appendice & alijs auctoribus. Huic vero liquori ſucceſſit *Muria* multiplex, ac illa præcipuè quæ ex Thynnorum ſanie, & maceratis ſale illorum carnibus defluebat. Quorum omnium loco vſurpātur quemadmodum rectè explicat Ludouicus Nonnus, conditurae his præſertim regionibus vulgares, quæ Italorum ſermone *Botarcha*, & *Cauiaro* dicuntur; in quibus immane quantum fallitur non infimi ſubſelli medicus Iulius Alexandrinus, dum Italorum *Cauiaro* quia ex piſcibus paratur, & aliqam habet nominis affinitatem cum Garo, propterea non hoc ab illo differre, ſed eiuſdem ſpeciei conditur as fuiſſe exiſtimat; etenim vt *Botarcha* ex ouis Mugilum ſeu Cephalorum fiebant duabus veſiculis expolitis, cruoreque eiuſdem piſcis ac ſale permixto; & *Botarcha* dicuntur, quaſi *ὠὰ τάριχα* ideſt *oua ſalita*, *ὠὸν* enim eſt quod nos *ouum* dicimus interiecta, euphuoniæ cauſa, & *τάριχον ſalsum* vnde *ταριχεύω seruo condio ſicco*: ſic *Cauiaro* ex ouis ſturionis, ad pontem Euxinum præparatur, vbi ſtipata ſimul in maſſas ingentes coguntur, & cadis incluſa mittuntur in Italiam, ob id potiſſimum laudata, quod pigrum ac nauſeantem ſtomachū mirè excitent & reficiant. Hæc autem omnia ſalſamenta, ſi liquamina, atque conditur as excipias de quibus modo dicebam, niſi velis ea ingrata omnino experiri, aquà plurimà, & multò in eo tempore macerari debent, quod nè Plautum quidem fugit in Pœnulo

lib. 3. de re. cib. cap. 41.

lib. de ſanit. tuend.

Soror cogita amabo item nos perhiberi,
Quaſi ſalsa muriatica eſſe autumantur,
Sine omni lepore, & ſine ſuauitate,
Niſi multa aqua, & diu macerantur,
Olent, ſalſa ſunt, tangere vt non velis.

eo autem apparatu menſis appoſita, non modo fami ſedandæ, ſed excitandæ etiam vtilia eſſe poſſunt. Atque ita multæ res, quæ ſibi relictæ, citra putredinem vix triduum permanent, ſi ſale rectè condiantur, in plures annos durare poſſunt; imo vero Paracelſus ex ſale liquefacto, & ſepulto in fimo varijſque alijs modis præparato liquorē extrahit ſeu quemadmodū ille loquitur *viriditatem ſalis* quo tam bene res omnes condiuntur, vt non modo annorum ſed ſeculorum decurſu nihil damni recipiant: vnde qui ſale recte vti nouerit, ei non opus erit *clauo æreo* quem ob ſtipticam

v. Sympoſ. quæſt. 10. facultatem tantopere Plutarchus ex tollit; ſane cùm idem auctor alibi copioſe probarit *ſalem* reliquorum obſoniorum, prope obſonium eſſe, & condimentum; & iam inde ab antiquiſſimo tempore, libri de eius præſtantia compoſiti fuerint, vt patet ex Platone, apud quem Eryximachus ait, *nuper incidi in quemdam viri ſapientis libellum qui miras ſalis laudes ob eiusdem vtilitatem complectebatur*; propterea eo carere penum caſtrenſem turpe eſſet; quod tamen ſi in mora, aut obſidionum diuturnitate aliaue de cauſa contigerit, tum ruſticorum more, plantis quibuſdam nitroſa facultate præditis, eius loco vtendum erit, ſi modo illæ haberi poſſint, vt *ſalsulà* quam Hebrei *Kali*; Arabes, *Alcali* ideſt ſal vocant; item *filice*; *ſaluia*, *ciceribus*, *caule*, *ſiliqua fructu* quod vnum leguminum genus curculiones, & coſſos omnino arcere ſolet. Denique his omnibus inſtructa cella penuaria *Butyrũ* etiam habebit *ſale temperatum* in cadis; & maſſas *caseorum Parmenſium* aut *Hollandicorum*, *Aluernorumue* quas nonnulli *orbiolas* alij vero communiter *formas* appellant; quibus faſtidio non erunt muſculi, ac ſorices, ſi cerebrum muſtellæ eorum coagulo inditum ſit, quod, incorruptum etiam à putredine diutiſſimè caſeum ſeruat, ſi Plinio ſaltem fides hac in re habenda eſt. *Fructus* quoque reponi debẽt nõ quidẽ horarij, ſed qui *duro teguntur putamine*, & nucis appellatione veniunt vt *pineæ auellanæ iuglandes*, *amygdalæ*, *Piſtacia* quæ Plinius nucum generi attribuit, & *caſtaneæ* quas eiſdem Virgilius accenſet contra Dioſcoridem, & Galenum, qui has ad glandes potius referunt.

(in margin: in conuiuio. — lib. 13. cap. 5. — Eclog. 2.)

Caſtaneaſque nuces, mea quas Amaryllis amauit.

quin, & *glandes* ipſæ frugum inopiâ teri poſſunt, ſpiſſarique in panis vſum, nam ex fagina earũ ſpecie quæ omniũ dulciſſima eſt *obſeſſos etiã homines duraſſe in oppido Chio tradit* Cornelius Alexander apud Plinium, cuius tempore *per Hiſpanias glans ſecundis menſis inferebatur*: præterea eundem vſum præſtant *ſalgama* quorum appellatione intelligebantur à priſcis quæcumque conditanea ad victum noſtrum in vaſis ſeruabantur, vt *mala*, *pira*, *ficus vuæ*, *rapæ*, *cappares*, *oliuæ*, & varia id genus. Ac denique *Allia* quæ militibus olim pro cibo erant, ſeu quod bellatorum vires augere credantur, vt experientiâ patet in Gallis Gallinaceis, qui hoc cibo paſti ferociſſimè inter ſe congrediuntur; quo etiam ſenſu

(in margin: lib. 16. cap. 5.)

dice-

dicebat apud Ariſtophanem chorus Alantopolam incitans, *vt ò amice inaliatus ſtrenuè magis pugnes*: ſeu quod ruſticorum, & tenuioris cenſus hominum parabile ſit alimentum, vt indicant illa Anthemonidis militis apud Plautum in Pœnulo — in equitibus.

tu autem plenior

Allij Vlpicique quàm ſint Romani remiges.

indeque refert Suidas prouerbium *ne edas allia*, & *fabas* quo ſignificabatur tranquillæ vitæ amatoribus, à bellis vbi maximus allij vſus eſt, abſtinendum eſſe; & idem auctor eſt, Athenienſes cùm expeditiones aliquas terrà marique facere deſignabant, allià potiſſimum commercari fuiſſe ſolitos. propterea que Veſpaſianus Imperator, teſte Suetonio, adoleſcentem fragrantẽ vnguento qui ei pro impetrata præfectura gratias agebat, nutu aſpernatus voce etiam grauiſſima increpuit, *& maluiſſem* inquit *allium oboluiſſes* ſimulque literas reuocauit. Quod autẽ Horatius magis ex affectu quàm reipſa vocat *cicutis allium nocentius*, nempe quia vt ipſemet ſubiungit *ſænit in præcordijs*, eſtque κοιλίας ταρακτικὸν *ventris perturbatiuum* teſte Dioſcoride; hoc ſane, & ſi pariter ab Hippocrate confirmatur in libro de ratione victus in acutis, vbi *allium* inquit *flatus, & calorem circa thoracem facit*, Galenus tamen, & reliqui medici eidem vim *carminatiuam* ſeu flatus diſcutiendi facultatem tribuunt. Quamobrem ſi hæc grauiſſimorum auctorum antinomia, diſtinctione componi poteſt, exiſtimarem ego Allium cum raro, & ab hominibus cacochymis, & inualidis ſumitur, hos effectus producere, qui communiter à medicis afferuntur, & damnantur, cùm vero inter quotidianas dapes, & à foſſoribus nautis, militibus vſurpatur, nihil quicquam ſimile efficere, ſed gratiſſimum illis obſonium præbere, adeo vt Theſtylis Virgiliana meſſoribus feſſis Sole, & opere

libro 4.

lib 12. cap. 8

Allia ſerpillumque herbas contundat olentes.

Poſtquam igitur hoc modo alimentis conſultum erit, cura pariter de potu habenda eſt, quoniam vt dicebat Guillelmus Appulus rerum Normanicarum libro primo

Hac ratione loco metantur caſtra decenti
Qui lymphis, herbis ſimul arboribuſque redundans
Omne miniſtrabat, populo quod habere neceſſe eſt.

quare vt à communiſſimo, & puriſſimo liquore ſiue *Aqua* incipiã

de ea dicebat Pindarus ἄριστον μὲν ὕδωρ, quia maximè omnium neceſſaria eſt, vſibuſque humanis vbique commodiſſime inſeruit, vt non immerito Tiberius Cæſar, relegato Q. Vibio Sereno
Tacit. 4. annal. Gyarum aut Donuſam interceſſerit. *quod vtraque inſula aquarum egens eſſet, dandos vitæ vſus dictitans cui vita concederetur.* Vnde quod M. Varro de villis agreſtibus, hoc nos de arcibus vſurpan-
lib. 1. rei ruſt. dum ducimus. *Si omnino aqua non eſt viua, ciſterna facienda ſub tectis*, quæ auctore Feſto Pompeio, ita dicuntur, quod *cis* ideſt *infra terram* ſint; cauendum tamen ne ſordibus quæ à tegulis defluunt inficiantur; & quod peſſimum eſt, ne aquæ per plumbeos tubos in illas deriuentur, noxam enim non exiguam inde con-
lib. 7. ſecundũ locos. trahunt, & quemadmodum Galeno atque Aetio viſum eſt, facillimè dyſentericos fluxus excitant, quia vt animaduertit Pal-
lib. 9. tit. 2. ladius, in illis *ceruſſa plumbo creatur atrito, quæ corporibus nocet humanis*, vt eam ob rem bene monuerit Columella, vtilius longe eſſe ſi fictilibus tubis aqua in ciſternas duceretur. Quod vero ad reliqua vitia ſpectat quę aquis illis ſtagnantibus accidere poſſunt, varia ab auctoribus excogitata fuere eorum remedia, nam ſi vitreum vas plenum ſale, & bene obturatum calce, ſubſtrato etiam oleo ne quid aquæ in illud ſubeat; ita ſuſpendatur in ciſterna vt eius medium attingat, contendit Leo Baptiſta Albertus fore, vt aquæ nullà illic putreſcant morà. Si vero aqua putreſcere incipiat, iniecto ſale purgatur, & ſi ſal deſit, aquà marinà; idque factum legimus ab Eliſeo qui in Hierichunte Paleſtinæ, immiſſo ſale in fontem, potabiles reddidit aquas quæ erant amaræ, & putridæ; eundem etiam effectum præſtant Lauri folia, multum ob id à Car-
lib. 13. de ſub. dano commendata, quæ corruptam aquam emẽdant, innoxiamque atque bene olentem reddunt, & aduerſus venena præſenti auxilio ſunt: emendat item calx vermibus potiſſimum, ſi qui in illa ſint infeſta, & cum turbari incipiunt iiſdem remedijs quibus, & vinum claræ ac limpidæ redduntur, nempe iniecto albumine oui prius agitato, ſcobe ex Auellanæ philliris, gypſo, calce, aliiſque rebus notiſſimis; coctione denique, panis micà intinctà, aut pulegio trito aſperſoque omnis aqua, ſeu ſana, ſeu infecta ſit, tutius bibitur. Cæterum quia frequenter contingit vt nautæ in diuturnis nauigationibus, ac vrbium maritimarum, aut inſularum accolæ, ex aquæ dulcis penuria in maximas difficultates incidant, non

parum.

Digitized by Google

parum intereſt rei bellicæ, ſeruari diligenter, quibus nam modis aqua marina grata ac idonea potui reddi poſſit; & ſanè cum in illis inueſtigandis, multùm diutiſſimèque ſolertiſſimus ille mirabilium operum artifex Ioannes Baptiſta Porta deſudarit, nullum ferme præter deſtillationem, ex omnibus, ac prope innumeris, quos auctores proponunt, experientià verum eſſe deprædhendit, vt inde liquido cõſtare poſſit Ariſtotelem, Plinium, Dioſcoridem, Theophraſtum, & antiquos omnes eodem vitio laboraſſe, quo & recentes detineri ſolent, qui multa ſœpe non ſatis fideliter explorata libris ſuis committunt. Sed vbi nos cuiuſuis aquæ copia deſtituerit, quid tandem agendum eſt? fiet ne vas illud amplum vitreum, rotundum, nitro, & glacie repletum, cuius ingenti frigore aerem illi adhærentem conſtringi, & in aquæ guttas deſtillare, idem ipſe naturalis magiæ auctor expertus eſt? equidem nec illud in extrema neceſſitate flocci faciendum duco, quamuis debile auxilium, vt certè neo aliud quod Olaus magnus in Septentrionali hiſtoria proponit tanquam vſitatiſſimum penes Gothos, & Suecos, qui in longis obſidionibus ſi aquarum penurià premantur, velis, vel telis concaua flexura longaque extenſione, e ſuperioribus tectis ſuſpenſis ac dilatatis, & funibus cuneato ſitu verſus ima depreſſis, deſuper caſuras pluuias excipere conſueuerunt: alioqui bona illa *Achamot* quæ cœleſtes aquas pipiare ſolebat quibusdam hæreticis apud Tertullianum, militibus item inuocanda erit, quo nubes aquarum illis immittat, quoties exhauſtæ ciſternæ, non aliundè quam ex Cœlo repleri poſſunt, aquatione quæ in terris fieri poſſet ab hoſtibus prohibita. Aquæ puræ ſuccedit alia quædam in ligno vitis excocta, quæ ἀπὸ τῆς ὀνήσεως *ab vtilitate* ſiue *iuuamento* οἶνος græcis dicitur, latinis vero *vinum* quod Empedocles apud Plutarchum, & multi antiquorum apud Ariſtotelem, aquæ quandam eſſe ſpeciem voluerunt, adducto etiam in fidem verſu illo ex Philoſophia poetica Empedoclis

lib. 9. cap. 4.

2 queſt nat. 4. meteor. 5.

Vinum eſt putreſcens, ligni ſub cortice lympha.

cuius ergo liquoris cùm infinita ſint commoda, quibus rem militarem promouere poteſt, non modo ſitim ſedando quod ſolum aqua facit, ſed vires animumque ita roborando, vt etiam in *prœlia trudat inermem*, propterea videndum eſt, & cauendum omnibus modis, ne ſalutari eiusmodi præſidio milites citius opinione de-

Qq 4 ſtitua-

ſtituantur: neque enim tam bene cum illis hac tempeſtate agitur vt *poscà* ſeu aquà aceto mixtà, quod genus potionis Græci *ὀξύκρατον* dicunt, contenti eſſe velint, quemadmodum fuiſſe milites Romanos, ex Vulcatio Gallicano, ac Aelio Spartiano, cæteriſque hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptoribus, colligere facile eſt, à quibus, & Auidius Caſſius, & Peſcennius Niger dicuntur iuſſiſſe non ſemel, ne vllus vinum in exercitu biberet, ſed omnes aquà tantum aceto temperatà, quod ſecum ad id gerebant, tanquam valde idoneo potu ſedandæ ſiti, ac calori contemperando vterentur. Quare aut vini copia ſufficiens quauis arte paranda eſt, aut ſaltem eius loco, vſurpādæ ſunt *certæ aliæ potiones* quæ ex varijs fructibus minimo impendio confici poſſunt, quemadmodum Diodorus Sicu-
libro 5. lus de *Gallis* refert; Florus, & Oſorius de *Hiſpanis*; Herodotus
libro 11. de *Aegyptijs*; & Plinius de omnibus iſtis ſimul; nempe quia ex D.
part. 3 epiſt. 58. Hieronymo fere omnes populi qui vite carent, ex fermento conficere ſolent quod bibant, vel pomorum ſucco, aut fauos decoquunt aut palmarum fructus exprimunt in liquorem, coctiſque frugibus aquam pinguius colorant. Porrò quia hordeum vbique reperitur, ita liquores ex eo fiunt, qui non re ipſa, aut naturà, ſed nomine tantum penes varias gentes diſtinguuntur quemadmodum rectè notauit Plinius his extremis verbis libri vigeſimi ſecundi *ex eisdem frugibus sunt & potus. Zythum in Aegypto, Celia & Ceria in Hiſpania. Ceruiſia & plura genera in Gallia alijſque prouincijs*. In Illyrijs vero qui & Taulantij dicuntur, vinum
de admirand. audit. tit. 21. fieri ſolitum ex melle, aut potius ex fauorum decoctione in aqua, memini me legiſſe apud Ariſtotelem; qui hoc etiam in Græcia ab aliquibus tentatum fuiſſe dicit, eo euentu vt nequaquam à veteri vino differret, ſed cum poſtea hoc explorarent, neminem huius temperiem inuenire potuiſſe: qua in re videntur mihi feliciores fuiſſe populi illi qui ad Septentrionem attinent, apud quos, genus potus non multum à mulſa diuerſum paratur, additis cum melle quibuſdam aromatis, herbiſque odoriferis quæ talem illi ſaporem conciliant, vt cum vino Hiſpanico contendat, & lautiorum tantum menſas exornet; tantum abeſt, vt militum tuguria ſubire poſſit, quibus longè rectius prouidebitur accerſito in
libro 4. c. 21. conſilium Baptiſta Porta, qui vinorum diuerſas præparationes ex *pyris, punicis, ficubus, melle, vuis paſſis, cotoneis*, alijſque

fru-

fructibus, & herbis enumerat; quarum ſi nulla commodè fieri poſſit, tunc extrema penuriâ in artem conuertenda eſt, & rebus paratis, ac obuijs vtendum, decoquendo *aquam cum furfure, & pauxillo fermenti* vt valentior reddatur; aut cum *pane* vel *Rore-remarino*, *Satureia*, *Saluia*, *Thymo*, *Maiorana*, ac demum cum *Tartaro* vini alicuius valentiſſimi; aut temperando ipſam *aceto*, cuius niſi abunde ſit in exercitu, recurrendum ad varios modos eius conficiendi, quos Conſtantinus, Cardanus, Porta in libris iam ante laudatis tam multos admodumque faciles proponunt, vt abſque vino, ex aqua ſola & pyris agreſtibus confici breuiſſimo tempore poſſit, cũ vino autem, & Betæ radice tuſa & in illud indita, etiam ſpatio vnius aut alterius horæ, vt idem Conſtantinus aſſerit. Sed dum in iſtis diutius immoror, quam caſtrenſis annona, præfectis, aut redemptoribus forſan neceſſarium ſit, videor mihi quorundam runcos & garritus audire, tacitus ſecum obmurmurantium, philologica hæc potius eſſe quam polemica; qua in re ita cum illis conſentio, vt planè confitentem rerum haberent, niſi me ab omni culpa abſolueret; quod ſtatim huius operis initio, non minus mihi propoſuerim, tuæ delectationi, Comes Ludouicè; quàm militum commodis & vtilitati, eſſe inſeruiendum. Quare vt *Equi* quorum in bellis opera ſummoperè neceſſaria eſt, ſuo quoque pabulo non deſtituantur, procurandũ illud eſt, non quidem ex Homeri conſilio qui *Triticum vinum*, *Lotum*, & *Paluſtre Apiũ* inter alimenta recenſat, quibus Heroum ſuorum Equi paſcebantur; ſed ex Iulio Polluce, & communi vſu ita vt *Hordea*, *Spelta*, *Siligines*, *fœnum*, *frumentum*, *palea*, *furfures*, & ſimilia non inter vltima recenſeantur quibus horrea militum inſtructa eſſe oportet. Quod ſane præſtare iſtis temporibus non æque difficile eſt, ac erat antiquis, in quibus, ſi vera ſunt, quæ apud varios auctores de equeſtrium copiarum multitudine legũtur, haud facile conijcio, quætandem illis pabula potuerint ſufficere; Ninus enim Aſſiriorum Rex, Zoroaſtri Bactriano obijecit equitum millia ducenta, falcatorum vero curruum millia decem, & ſexcentos; & Semiramis auctore Cteſia apud Diodorum, cõtra Indos duxit quingenta equitum millia, currũ millia centum; atque in exercitu Xercis tot iumenta erant vt aquando flumina ebiberint, ecquis ergo hordei, ſpeltæ, auenæ modus, ſi aquæ tam mo-

in geoponic. lib. 3. de ſub. lib. 4 cap 11.

lib. 1. cap 11.

lib. 2. cap. 2. & 5.

modicus fuit? vbi vero maxima celeritate opus eſt, aut itinere per vaſtas ſolitudines continuato, ſunt qui placentas quaſdam ex *Farinæ auenariæ, & vetuſti, ac putrefacti caſei æquis partibus, cum dimidia Chamæleonis nigri* conficiant, quibus refectus equus, integris viribus per aliquot dies perduret, & conſuetum iter abſoluat. Sed parum vt antea dixi in eiuſmodi ſecretis repoſitum eſſe præſidij exiſtimo, niſi forſan ex eorum genere ſint, quæ ab certæ tantum regionis hominibus vſurpantur, ita vt nihil tamen impediat quo minus cæteris item vſui eſſe poſſint, ſi ipſis vti liberet; quale eſt illud quod Illuſtriſſimus Princeps Nicolaus Chriſtophorus Radziuilius in hiſtoria ſuæ peregrinationis, familiare eſſe dicit Arabiæ deſertæ accolis, qui equis pro pabulo *carnes caprinas* offerunt, primum quidem deſiccatas ſole, ac demum in minuta fruſtra conciſas, quæ & magnum nutrimentum veſcentibus ſubminiſtrant, & paruo negotio in capſula ſeu bulga coriacea equo alligata per deſerta loca circumferuntur, de quibus ſi tantum ſumatur, quantum duo pugilli capere poſſunt; id in diem integrum vni equo pabuli affatim ſufficit, omnemque ſitim adimit, eoſque validos, & agiles conſeruat. Commune vero eſt omnibus populis, equos ſi quandoque viribus deficiant reficere *pane aut vino*, vel vtriſque ſimul permixtis, cuius rei periculum Philippus Cominæus ſe in equo proprio feciſſe teſtatus eſt, qui fractus annis, multoque labore quem totum diem in pugna ſuſtinuerat, forte ſitulam vini repertam hauſit, qua potione ita illi vires animuſque redierunt, vt nuſquam antea alacrior extiterit. Denique vt exemplo aliquo pateat quanta, & quàm multiplex annona in caſtris bene ordinatis habenda ſit, videtur mihi haud abſurdum, eius enumeratione, quam in obſidione *Bredana* à Spinola cumulatam, Comes Mauritius, ignibus in GineKenſe templum coniectis abſumpſit, id oſtendere; cenſa enim ſingunt Hollandi quæ eo incendio periere *XXII. millia ſaccorum tritici*; *XX millia ſiliginis*; VI. *millia bordei*; XVI. *millia auenæ*; IV. *millia*. *Piſorum, & fabarum*; CCCC. *armos carnis ſuillæ*; CC. *vaſa olei*; CC. *vaſa butyri*; CCC. *circulos aſelli ſiccati*; CC. *vaſa halecum*, CC. *vaſa carnis ſalſæ*; CC. *ſaccos ſalis*, XXIII. *millia caſeorum & magnum numerum farinæ*, *ſyrupi, & mellis* dixi autem *ſingunt*, vt eodem verbo vterer quo Hermannus Hugo, qui hoc incendio ſex tan-

libro 1.

in obſidione Bredana.

tantum millia frumenti moliri, cum vicino auenæ tabulario peſſum data fuiſſe confirmat; vnde nec maiorem illum numerum retuliſſem, tanquam veritati minimè conſonum, niſi vt exacta illa dinumeratione, certius appareret, quomodo Hollandi à ſapientiſſimo, & fortiſſimo Imperatore Spinola, prouiſum fuiſſe caſtrorum Bredanorum commeatui arbitrabãtur, & inde optimus quiſque dux quàm prouidè diligenterque ſuorum militum annonæ conſulendum ſit, intelligat. Atque vt in ſtatarijs caſtris hæc alimentorum copia condi in horreis, ac mature reponi ſolet; ſic in excurſionibus imitandi ſunt *Gothi, ac Sueci* qui hoſtiles Moſchouitarum terras ingreſſuri, bonam ſiligineæ farinæ quantitatem, in ſaccis ad hæc diſpoſitis, & ex ephippio pendentibus, vna cum lamina ferrea deferre ſolent; confeſtimque vbi res poſtulat, igne ſtructo, & ſuppoſito laminæ Chalibeæ, panem in ea, tanquam in clibano excoquunt, eademque poſtea pro clypeo: in cuius modum efformata eſt, quoties cum hoſte congrediendi occaſio ſe offert, vtuntur. Sed illis præterea in vſu eſt *panis ſubcineritius* aut potius *ſpeuſticius*, ita ob feſtinationem dictus ἀπὸ τοῦ σπεύδειν quod *accelerare* eſt, quia vt recte declarat doctiſſimus Moræus non apponitur illi fermentum: aquà non calefit, & poſt ſubagitationem nullà morà interiectà, paſta igni committitur: vnde aut idem eſt ſpeuſticius cum *Azymo* aut minimum ab illo differt, nam Exodi duodecimo, Iſraelitæ Aegyptum deſerentes, ſine fermento coxerunt farinam in ſubcineritios panes, quia videlicet fermentatio lenta, & moroſa res eſt, & à feſtinantibus aliena; ideoque vt dicebam Gothi, & Sueci qui bellum impetu quodam, & per ſubitas inuaſiones gerunt, ſubcineritios eiuſmodi panes conficiunt, ex farinæ maſſa ſubtilibus arborum populearum corticibus, & folijs inuoluta, prunisque ac cineribus cooperta donec panis, aut ſaltem placentæ alicuius conſiſtentiam aſſumpſerit. Verum ſi non frugalitate, ſaltem præparationis compendio, ſuperantur hi, etiam nunc ab *Heluetijs, & Turcis*: quorum poſtremi, zonis quibus cinguntur loculorum inſtar efformatis, certum puluerem gerunt, quo ſolo aquà diluto, & ad pultis conſiſtentiam cocto, menſem integrum in exercitu perdurant, abſque alio cibo; & quocumque tempore in itinere verſantur, hunc coquendi cibaria mo-

Ad cap. 17. ſchol. Saler.

in Itinerario Hieroſolym. modum ſeruant qui refertur à Ioanne Cotouico *ſcrobem effodiunt longam ſeſquipidem, latam palmos duos, nonnihil decliuem altero angulo aliquanto profundiore, in hac ligna quæ vel in itinere euellunt vel è loco vicino petunt immittunt accenduntque igne in ſilice excuſſo mox lebetem aneum ſcobi imponunt coquûtque ad cremorem vſque modo oryzam, hordeum vel legumina, modo carnes veruecinas minutim conſciſſas proprio in adipe coquunt, nulla præterea illis obsonia nulla dapes nullus vini* vſus. Heluetijs autem quod Henricus Glareanus, qui Heluetiam vniuerſam ſplendore ſui nominis illuſtrauit, in hæc Cæſaris verba teſtatus eſt, *trium menſium molita cibaria ſibi quemque domo efferre iubent*, farina ex auena denſa, butyro, ac ſale condita, & in magno aheno ſuper ignem coctâ, in vaſis ponitur, ac cum reliquo commeatu in bellum ducitur, nec ad pulmentarium coquendum, quicquam additur, quàm aqua calefacta, eſuribundis militibus dulce condimentum. Quæ *[illegible]* & *paratu facilia* alimenta noſtrorum militum, illius mihi in mentem reducunt, quod veteres μάζαν appellabant, etenim cibus erat
libro 2. caſtrenſis ex quo Xenophon in Cyri inſtitutione ſcribit, Perſas ſibi commeatum ſolitos parare, cùm Regem ad venationem ſequebantur; & licet auctores non bene inter ſe de eius compoſitione conueniant, dum Galenus hoc nomen *Maza* omni polentæ quæ liquore aliquo conſpergitur tribuendum docet; Aetius vero eam confici aſſerit, ex polenta hordeacea cum melle, aut ſapa, aut conſimili aliquo liquore; Suidas tamen ita de hoc edulio pronunciat, vt nullus de præparatione relinquatur dubitationi locus μάζα inquit κυρίως ἡ τροφὴ ἡ διὰ γάλακτος, καὶ σίτου *Maza eſt proprie cibus ex lacte, & frumenti farina*; ſed veror ne medicorum auctoritati non bene præponderet grammatici, iſtius quãquam celeberrimi ſententia.

154 *Quæ cuncta nihil tamen iuuare poterunt niſi parce & ex dimenſo militibus erogata distributaque fuerint.* lib. 4. cap. 7.

Perperam vero dux commeatum neceſſarium tanta ſedulitate conquiret, niſi eandem in hoc militibus diſtribuendo obſeruet diligentiam; vt enim aſſerente Vegetio *nunquam periclitati ſunt fame, qui frugalitatem inter copiam ſeruare cœperunt*, ſic multa congeſſiſſe parum iuuabit, niſi ab exordio, dimenſione ſalubri, per idoneos curatores erogatio temperetur: quamobrem Romani qui ob ſingularem rerum bellicarum induſtriam, & experientiam nobis in omnibus præire debent, annonæ diſtinctè, ordinatèque

di-

diſtribuendæ præclaras leges, & conſtitutiones tulerunt, quarum nonnullæ referuntur à Polybio, & aliæ etiam non ita antiquatæ ſunt, quin ex iure Romano veluti quædam earum laciniæ reſarciri ac reparari poſſint, & quoties in iſtas peccatũ nõ impune fuit, *nã parũ inquit Tacitus prouisũ vt copia in caſtra cõueherentur rapi permiſere, ita paucis diebus per licentiam abſumpta ſunt, quæ aduerſus neceſſitates in longum ſuffeciſſent*. Iſtis autem temporibus licet vnius cuiuſque ducis arbitrio, diſtributio hæc relinquatur; multi tamen eam pro communi regula laudant, quæ in exercitu Belgico Regis Hiſpani, cõmuniter ab eius ſupremis Ducibus obſeruatur. Monent præterea ſcriptores polemici, plurimum referre in vrbibus obſeſſis, ſi omnium ciuium granaria, cellæque ſummâ diligentiâ excutiantur, vt collatis in vnum priuatorum bonis, communis omnium aceruus augeatur, & caueatur etiam ne quid occultè à quo piam detineatur, quod reliquis fraudi eſſe poſſit. Vtrum vero non militibus tantum, ſed ciuibus omnibus, eorumque vxoribus, liberis, ſeruis, & quibuſuis alijs perſonis capitatim annona diſtribuenda ſit, quæſitum non ita pridẽ fuit à Iuſto Naſſouio propugnationis Bredanæ præfecto, cui in hæc verba à Comite Mauritio reſponſum fuit *iam quod intelligere cupijſſet; ecquid ipſe de eroganda militibus, ciuibus, vxoribus liberiſque certa panis portione cenſeret; dignum ſibi æſtimatione viſum, plus vulgo tum edi ſolere, cùm panis dimenſo erogatur; alias non amplius conſueto neceſarioque emi, maxime vbi venum iret, præter quam quod ea res tumultibus etiam anſas præbere ſoleat, quantauis maxima cautio æquitatis ſeruandæ adhibeatur* quæ verba tanto lubentius retuli, quod vltra quã à ſummo bellicæ rei dictatore probata ſunt, & cuius auctoritas omni alia lege potior militibus eſſe debet; multum etiam veritati ipſi, ac communi rerum experientiæ conſona ſunt, & hominum naturæ, quæ ſanè talis eſt vt poeta de ea pronunciare merito potuerit

Nitimur in vetitum ſemper cupimuſque negata.

conſulit denique Vegetius vt ſenes, & pueri quorum ætas infirma eſt, & fœminæ omnes quas æterna veluti quiete dãnauit natura, ab obſeſſis vrbibus excludãtur, ne penuria opprimat armatos, à quibus mœnia ſeruantur. Sed cur non, & eodem cõſilio à caſtris eijcientur tot calones, & lixæ, qui nihil aliud in exercitu sũt quàm

Per-

Horat. epiſt. 15. lib. 1.

Pernicies, & tempeſtas baratrumque macelli.

ita vt quocumque hi ſcelerum adminiſtri, furoris ſatellites, & omnis nequitiæ cōſcij homunculi, tanquam muſcarum examina aduolarint, huc ſtatim Plautinum iſtud non iniuria pertineat.

captiu.

Heu quanta peſtis pernis aduenit, quanta labes
larido;

& miramur hodie tam frequentes eſſe de anguſtijs annonæ querelas, cum maior ſit lixarum, mulierum, inſtitorum in exercitu turba, quàm militum! hanc igitur proſcribat Imperator; & commeatus totis continuo caſtris, licet exiguus abundè ſufficiet.

VIII.

1 Proxima à commeatu cura armorum eſſe debet quibus fabricandis, & reponendis armamētaria olim & nūc etiam deſtinata vt Venetū quod deſcribitur.

Quibus de ærario, & penu militari ita conſtitutis, conſequens eſſet vt de militibus dicerem, ſi illi aut Gallo græcorum inſtar, & Numidarum nudi vel inermes pugnarent, aut dentibus tantum & pugnis, vel obuiam factis lapidibus pro telis vterentur; quod equidem cùm minimè vſu veniat, hoc præſertim ſœculo, quo præſtaret illos tunica quadam adamantina, à nouis iſtis fulminibus defendi, quæ aduerſariorum manu torquentur, & omnis actio bellica non iam ab ipſis militibus, certamine agreſti

Liuius lib. 22 à 38.

Stipitibus duris agitur, ſudibuſque præuſtis;
Sed ferro ancipiti decernunt, atraque latè
Horreſcit ſtrictis ſeges enſibus, æraque fulgent.

7. Aeneide.

propterea de *Armamentario* prius dicendū eſt, ſimulque de omni armorū genere, quæ in eo tanquā, in repoſitorio quodā, vnde quoties opus eſt depromantur, aſſeruari ac interdū etiam fabricari cōſueuerūt. Et ſi enim nondū conſtituto imperio duplicia Romanis loca fuerint, Fabricenſibus armorum inſignia, vt ex Liuio patet qui *Hiſpanicarum officinarum* meminit, tum, & earum quæ *Aretij* in Italia erant; ac propagatis latè poſtea Romanis limitibus plures fabricæ excitatæ fuerint apud *Cremonam* in Gallijs, & in *Oriente* ac alibi paſſim vt ex libro præfecturarum inclinantis imperij patet, qui recenſet in *Oriente* quatuor fabricas armorum, *Ponticas* tres, *Aſianas* duas, & *Illirici* quatuor: & ſi inquam tot loca armis cudendis, expoliendiſque deſtinata fuerint, ſolebant tamen Romæ, opifices in publica officina quandoque laborare quam ego de armamētario interpræter, ideoque Liuius *hæc extra vrbem terra marique corpora ſimul animoſque ad bellum acuebant, vrbs ipſa ſtrepebat apparatu belli, fabris omnium generum in*

lib. 7. dec. 3. lib. 9. eiuſdē

publica

publica officina incluſis. Atque hic locus erat fabricandis, & reponendis armis idoneus, quæ vero forent arma illa ſic ab eodem Liuio explicatur *Aerretini triginta millia scutorum,galeas totidem, pila, geſa, haſtas longas millia quinquaginta ſummam pari cuiusque generis numero expleturas ſecures, rutra, falces, alueolos, molas*: quem apparatum vt cum aliquo eorum qui nunc apud nos obtinent conferam, lubet hic non *Dreſdanum* armamentarium aut *Pariſienſe*, quæ tamen inſtructiſſima ſunt, ſed *Venetum* deſcribere, quo, ſi illud excipias quod Philon *Athenis* in Piræo fabricauit mille nauium capax vt Plinius,& Vitruuius aſſerunt;nullum vnquam aut ſitu commodius, aut ambitu maius, aut præclariſſimà tot machinarum, & armorum diſpoſitione pulchrius extitit. in hoc ſi quidem per diffuſum, loco commodiſſimo, ingentem terræ tractum, & ſub ampliſſimis fornicibus, Triremes variæ partim magnæ, partim ſubtiles, & expeditæ incredibili arte fabricatæ cernuntur, & etiam num quotidie, tanta celeritate compingi ſolent vt Henrico Tertio illac ex Polonia tranſeunti, in mirabilis diligentiæ fidem, eodem die, & cœptam ædificari,& abſolutam nauim videre licuerit;cuius acceleratæ operæ exẽplo, non illud quidem memorabilius eſſe arbitror, quod *Firmani* ſub annum reſtitutæ ſalutis MCCCXXXIX. ediderunt, Templum B. Genitrici dedicando, cuius à fundamentis ad tectum vſque erectio tota intra viginti quatuor horarum ſpatium abſoluta fuit ita vt die ſequenti nouus ſacerdos ſacra in eo de more celebraret quemadmodum Franciſcus Adamus Firmanæ hiſtoriæ ſcriptor non inconcinnus memoriæ conſignauit. Et licet Belcarius noſter, veluti pro miraculo referat,quod Hanſamus Vegus, hoc Solymani mandato perterrefactus, quod in mantili literis aureis ſcriptum acceperat, *Sultanus Solymanus per hoc mandatum edicit, vt pontem quocumque loco, quauis ratione poteris* Drauo *ſtatim imponas, qui niſi ad meum aduentum paratus erit, te hoc mantili ſiue linteo ſtrangulatum, atque ad* Draui *ripam ſuſpenſum iri certo ſcito*. ita hoc opus maturarit vt pontem milliaris Germanici longitudine nõ ſolùm ſuper Drauum, ſed & per vicinas paludes,ac prata perduxerit, eundemque decem diebus abſoluerit, quo poſtea Solymanus ad *Sygethi* obſidionem profectus eſt: nihil tamen hoc exẽplo quicquam detractum iri arbitror mirabili Venetorum diligẽ-

cap.18.lib.1.

lib.3. Hiſt.

tiæ, qua in ditiſſimo illo nauali, adeo in promptu ha bent ſingula quibus opus eſt ad Triremes fabricandas, vt ſingulas ſi vellent ſingulis etiam diebus poſſent conficere, aut pari celeritate claſſem inſtruere qua vt L. Piſo tradit CCXV. naues effectę diebus XLV. contra Hieronē Regem fuerunt; & Scipionis claſſis bello Punico ſecundo nauigaſſe quadrigeſimo die à ſecuri traditur: nec mirum ſanè cum hic ſpacioſiſſima conclauia ſint, alia omnis generis machinis, & tormentis; alia haſtis, enſibus, ſclopetis; alia loricis, ſcutis, galeis, & ijs omnibus quæ ad armandos tam viros quàm equos pertinent, ſic inſtructa, & repleta, vt niſi præſens, quis viderit, vix narranti ſit fidem habiturus: alibi præterea cernere eſt ingentia receptacula æris, ferri, ligni, cannabis, lini, & cuiuſuis materiæ ad bellicos vſus neceſſariæ: hic liquefit & purgatur ferrum, cuduntur arma, acuuntur claui, fabricantur anchoræ; alibi ex ære fuſili conflantur tormēta, funduntur globi, crepitacula formantur; illic torquentur funes, ſartiuntur vela, ſuuntur chlamydes, & penulæ, tentoria præparantur; ibi denique nihil non vſu varium, commodis vtile, bello aptum, & aduerſis rebus cum ſuſtinendis tum reparandis omnino neceſſarium conſpicitur. vt merito ſoli Veneti prudentiam hanc callere videantur, cuius hoc potiſſimum caput eſt, Principem ſemper debere eſſe armatum, & parari debere in otio arma, quæ belli tempore ſunt expedienda *munitio quippe* vt inquit Theodoricus Rex apud Caſſiodorum, *tunc efficitur prævalida ſi diutina fuerit excogitatione roborata, omnia ſubita probantur incauta, & male conſtructio loci tunc quæritur quando iam pericula formidantur.*

lib. 1. var. epiſt. 17.

2\. Verum cum hoc armorum nomen adeo ſit ambiguum, vt non modo pro ſingulis omnium fere artium inſtrumentis accipiatur, vnde Plautus *hominem eleganter inſtructum coquinarijs armis* dixit; & Virgilius cùm de raſtris & ligonibus loqui vellet

Vſus de armorum nomen ambiguū & diuiſiones variæ adducuntur diciturq; de omnibus in genere.

2\. georgic.

Dicendum & quæ ſint duris agreſtibus arma.

idemque vbi de nautis.

Aeneid. 5.

Colligere arma iubet, validiſque incumbere remis.

Sed omnia quoque ſignificet quibus damnum inferri, vel deuitari poteſt, vt ex Seruio conſtat, qui arma definiuit *cuiuſque rei poſſibilitatem*, & ex Sydonio cui *cornu, dens, vnguis, arma genuina ſunt*, tum etiam ex Mario Victorino qui omnium animalium arma ſic enumerat

ad 12. Aeneidos. epiſt. 14. libro 7. lib. 1. geneſe.

V*num*

Vnum quodque ſuo donauit munere largus
Armauitque manu, cornu, pede, dente, veneno. Aeneid. 11.

ac Virgilio quoque cuius iſta ſunt
Tum demum mouet arma Leo.

& alibi
Iamque faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat.

Sanè priuſquàm vlterius progrediar, aduertendum eſt, me hic tãtum loqui de armis, quorum hodie ex communi ferme hominum omnium inſtituto, in bellis conficiendis vſus eſt, quæque multi auctores, quamquam meo iudicio fabuloſè, accepta referunt nõnullis *Caria* populis, qui primi bellicas officinas aperuiſſe dicuntur, armaſſe ſudes cuſpidibus, manus enſibus, & lora clypæis adiunxiſſe. Hæc autem Iſidorus in tegumenta & tela diuidit ita vt, contra auctoritates ſupra allatas, & Caij mentem qui ità ſcribit in libro de verborum ſignificatione *armorum appellatio non vtique tantum ſcuta, & gladios, & galeas ſignificat, ſed fuſtes & lapides*; arma à telis fuiſſe diſiuncta innuere velit, hac forſan Liuiana phraſi inductus *L. Horatius arma, tela, frumentum, quæque belli alia tempora poſcunt, prouidebat*. & Saluſtiana etiam, *telorum armorumque comportationibus, feſtinando, agitando, omnia plus terroris quam periculi effecerant.* quaſi *arma* propriè ea tantum quæ ab humeris hoc eſt *armis* dependent, vel quæ armis geruntur vt ſunt lorica, ſcutum, & ſimilia, dicenda forent; *Telum* vero illud omne eſſet, quod arcu aut manu mittitur. A qua diſtinctione priuſquam ad alias diſcedam, non poſſum non oſtendere, quàm parum conſiderate Præſul Sipontinus, Seruio, ac Sexto Pompeio aduerſatus ſit, cùm hi arma inde dicta eſſe docuerint *quod armos tegunt*, ipſe autem ſic potius appellata exiſtimet, *quia armis oneri ſint*, quod ſanè perabſurdum eſt: neque enim arma ſunt inuenta vt armis oneri eſſent, ſed vt armos potius tegerent & tuerentur, licet Romani nõ hoc contenti, vocis huius ſignificatum ad omnia dilatarint, quibus non ſolum ab hoſtium incurſu nos tuemur, ac defendimus, ſed etiam quibus vulneramus & offendimus: vnde cum alij arma diuidant in ea quibus *prope* pugnatur, vt ſcuta gladium, Pugionem, Sicam, aliaque id genus, qualia ſunt hæc apud Virgilium

libro 6.
In iugur.
Aeneid. 7.

hic torre armatus obuſto,

Stipitis hic grauidi nodis.

& quibus *procul* pugna initur, vt tela & miſſilia quæcumque tandem illa ſint, modo ijs hoſtem aut arcere aut lædere poſſimus,
Aeneide. 2. nam & apud eundem.

Dardanidæ contrà turres, ac tecta domorum
Culmina conuellunt, his ſe, quando vltima cernunt
Extrema iam in morte parant defendere telis.

Ego vero, cum arma, tam ad defenſionem quàm offenſionem communiter vſurpari videam, non alia mihi diuiſione vtendum exiſtimo, præſertim quia armorum vſu, & nomine, multa continentur, quæ vix poſſis in alia commodius quàm in *offenſiua*, vt vulgo dicunt, vel *defenſiua* reducere. Cuiuſmodi ſunt omnia,
lib. 10. ca. 25. quæ Gellius explicat eo capite noctium atticarum, in quo de varijs telorum generibus diſſerit; & nonnulla etiam quorum M. Terentius Varro etymologiam hunc in modum diligentiſſimè
lib. 4. de ling. latin. conſectatus eſt *Parma quod à medio in omnes partes par: Conum, quod cogitur in acumen verſus: Haſta, quod aſtans ſolet ferri; Iaculum, quod vt iacitur fiat:* Scutum, *à ſectura, vt ſecutum, quod è minutis confectum ſit tabellis, vmbones, aut à Græco, aut quod ambones; Gladius, c in g commutato à clade quod fit ad hoſtium cladem: ſimiliter ab homine Pilum, quod per illum: Lorica quod è loris de corio crudo, pectoralia faciebant:* Balteum *quod cingulum è corio habebant bullatum balteum dictum: Ocrea, quod opponebatur ob crus; Galea à galero quo multi vſi antiqui.*

3. Hæc autem ex Principis armamentario centurionibus, tri-
Sed de gladio ſpeciatim vbi varij ritus explicati buniis, alarum præfectis, diuidebantur quemadmodum ex Statij Papinij verſibus colligere licet
lib. 5. ſyluar. 2.

Præterea fidos dominus ſi diuidat enſes,
Pandere quis centum valeat frænare maniplos
Intermiſſus eques, quis præcepiſſe coborti:
Quem deceat clari præſtantior ordo Tribuni.
Quis nam frenigeræ ſignum dare Dignior *Alæ.*

in quibus, reliqua arma, *enſis* vnius appellatione complexus eſt, ſiue propter illius præſtantiam, ſeu quod eius quàm reliquorum armorum frequentior eſt in bello vſus: primum enim & communiſſimum militare inſtrumentum gladius fuit, vt ex eo patet, quod Varro eum à clade deriuat, quoniam huic inferendæ frequentius

quam

quam vllum aliud armorum genus inſeruire ſolet; quemadmodum etiam innuit Tibullus his verſibus Elegia 10. lib. 1.

Quis fuit horrendos primus qui protulit enſes;
Quam ferus & verè ferreus ille fuit?
Tunc cades hominum generi tunc prælia nata,
Tunc breuior diræ mortis aperta via eſt

propterea que ſub eius imagine Mars bellorum Deus apud Thraces & Scythas colebatur, vt proinde dixerit de illis Ammianus Marcellinus *nec templum apud eos viſitur, aut delubrum, ne tugurium quidem culmo tectum cerni vsquam poteſt: ſed gladius barbarico ritu humi figitur nudus, eumque vt Martem, regionum quas circum eunt præſulē verecundius colunt.* lib. 31. Et ex gladio Martis quem alicubi per in curiam defoſſum, Bucula, pede in eum incautè offendens, detexerat, Attila in cuius manus primùm deuenerat, eo plurimum lætatus eſt, & ſpem inde concepit *ſe totius mundi principem conſtitutum, & per Martis gladium poteſtatem ſibi conceſſam eſſe bellorum*, vt ex Priſco hiſtorico refert Iornandes in Gothicis. cap. 35. Imo vero cùm exiſtimarent profani homines, vt apud Fulgentiū in fabulis videre eſt, ſingulas in homine partes Deos ſingulos obtinere, vt Iouem *caput*; Mineruam *oculos*, Iunonem *Brachia*, *pectus* Neptunum, *Renes*, & *Inguina* Venerem, *Pedes* Mercurium, Marti ea ratione *cinctum* aſſignarunt. lib. 3. cap. de perſeo. quod hac potiſſimum parte, enſis accinctus geſtari ſoleat, cui iſtud etiam conceſſum eſt, vt ſit velut ſymbolum poteſtatis quæ alicui conceditur, ſic enim Statius in ſyluis lib. 5 ſyl. 2.

Felix qui magno iam nunc sub præſide iuras,
Cuique ſacer primum tradit Germanicus enſem.

quod ex antiquo ritu dictum eſt, quia inaugurato Imperatore, Præfecti Prætorio donabantur gladio ſtricto coram Senatu; cum interim Tribuni dum crearentur, pugionem tantum quod *Parazonium* dicebatur, ad poteſtatem in facinoroſos animaduertendi, ſignificandam acciperent, vt ſic meritum honorum, magnitudo ferri diſtingueret. Ex eoque laudantur Perſæ ab Ammiano, quod *omnes promiſcue vel inter epulas feſtoſque dies gladijs cincti cernerentur*, lib. 23. quem Græcorum veterum morem, abieciſſe primos Athenienſes, Thucydides Auctor eſt ampliſſimus; & Ioſephus Regem Perſarum inter epulas à ſuis obtruncatum narrās, ſubijcit μαχαι- lib 18. antiq. pca. 3.

 ϱϕο-

ῥοφορεῖν γὰρ ἦν τος ἅπασιν; quare cùm Gallis, & Germanis idem quoque conſuetum fuiſſe ſupra oſtenderimus, facile inde quis conijciat populos omnes qui bellica laude inſignes fuerunt, eoſdem gladiorum ſuorum amantiſſimos extitiſſe; quo potiſſimũ nomine laudatur, hiſce temporibus Turcicus, miles, qui gladium leuiter incuruum quem ille *Kilitſch*, Arabes vero *Seiſe*, & Latini ex voce Perſica *Acinaces* vocant, nunquam è balteo deponit. Quo pertinet etiam antiquorum ritus præclarè à Ioſepho Laurentio explicatus, enſes aliaque arma iuxta lectum, aut dormientium caput ſuſpendendi, hunc enim apud Hebræos obſeruatum fuiſſe, vel ex hoc licet arguere quod Iudith cùm Holoſernem trucidare vellet, *acceſſit ad columnam quæ erat ad caput lectuli eius & pugionẽ eius, qui in ea ligatus pendebat, exoluit*: ſic Homerus Neſtorem iuxta arma ſua dormientem in molli ſtrato inducit; & apud Tryphiodorum quem eleganter Latinum fecit Ianus Peluſius Crotoniata.

polymath.lib. 1.differt.26.

capite 13.

E lecto ſurgens alius, gladiumque requirens,
Incidit infeſtæ, quam non ſperauerat haſtæ

ſic Plutarchus in Pelopida, & in Catone Vticenſi detractum vtrique gladium fuiſſe dicit, qui ſupra dormientium caput pendebat quemadmodum etiam Appianus idem obſeruat, de hoc eodem Catone loquens *enſem ſolitum lecto aſtare minime inueniens, exclamauit ſe hoſtibus ab domeſticis prodi*: ſed omnium optimè Virgilius.

Egregia interea coniux arma omnia tectis
Emouet, & fidum capiti ſubduxerat enſem.

4\. *Quæriturque num illa antiquitus, & reliqua arma ex ære fuerũt*

At enim, quoniam doctiſſimus Sauaro omnibus quæ in hanc rem dici poſſent dudum obſtruxit, in eo libello, quo Gallicum enſem variè ſuo modo ac erudite celebrat; operæpretium eſt videre quaſi anticipatione quadam eorum, quæ poſtea de armorũ materia dicturi ſumus, num *gladius* ſiue *ſpatha*, quandoquidem hac voce Euripidem, & Menandrum, alioſque non infimi ſubſellij ſcriptores Græcos vſos fuiſſe, Iulius Pollux locis quibuſdam in medium prolatis confirmat, quemadmodum etiam facit Iulius Barbaranus de Latinis auctoribus, vt oſtendat contra Egnatium vocem hanc non barbaram ſed latiniſſimam eſſe, aliaque etiam arma de quibus frequens eſt apud Homerum & antiquos omnes men-

lib 10 ca.31.

mentio, ex ære potius, quàm ferro cuſa fuerint, vt Euſtathius, Pauſanias, Magius, Lambinus, & alij perſuadere conati ſunt, his præſertim rationibus ducti, quod Heſiodus loquens de hominibus æreæ ætatis, omnia apud illos ex ære fuiſſe nonnullis verſibus aſſerat, qui ita latinè redditi ab interpretibus leguntur Tom. 1. titul. 4. lib. opera & dies.

Ijs autem erant ærea quidem arma, æreaque domus,
Aere operabantur, nigrum enim non erat ferrum

ex quo, cùm ſœculum æreum, tempore prius ferreo fuiſſe manifeſtum ſit, conijciunt etiam quod vt inquit Lucretius libro 5.

Et prior æris erat, quàm ferri cognitus vſus

ac propterea quod ſicut idem ſubiungit.

Aere ſolum terras tractabant, æreque belli
Miſcebant fluctus, & vulnera vaſta ferebant.

quæ opinio videtur plurimum confirmari auctoritatibus Alcæi Poetæ, qui æreorum tibialium, & enſium meminit apud Athenæũ in Deipnoſophiſtis; & Pauſaniæ inſuper cuius hæc ſunt verba in Laconicis *fuiſſe autem Heroum arma ex ære Homerus teſtatur, cũ bipennem Piſandri, & Merionæ ſagittas deſcribit, argumento, & eſt Achillis haſta Phaſelidæ in Mineruæ templo poſita: & apud Nicomedienſes in Aeſculapij, Memnonis enſis totus ex ære, cùm haſtæ illius ima tantum & ſumma cuſpis ærea ſit:* eodemque ſenſu Virgilius Pyrrhum luce ahenà coruſcantem depingit, & in libris Regum legitur, Goliath hæc ænea arma habuiſſe caſſidem, ocreas, & clypeum. Quærenti vero qui fieri potuerit vt adeo molle metallum ad ruſtica inſtrumenta & arma idoneum redderetur; reſpondent ex Procli auctoritate quam laudat Tzetzes commentarijs in Heſiodum, tẽperaturà quadam æs in illo ſæculo durari ſolitum, qua amiſſa ferri tandem vſus innotuit. Sed illud quoque in huius temporis felicitate computant, quod bella mitius eiuſmodi æneis inſtrumentis gererentur, quoniam ære inciſa, vel ambuſta, vel puncta multo facilius curantur, quàm quæ ferro; vt proinde etiam herbas medicis vſibus inſeruientes, ahenis potius falcibus quàm ferreis ſecari debere multi tradiderint, & Virgilius non de nihilo dixerit. lib. 14. cap. 11 Aeneid. 4.

Falcibus & meſſæ ad Lunam quæruntur ahenis
Pubentes herbæ.

vt nec etiam Ouidius. 7. metam.

Et plantas partim radice reuellit,
Partim ſuccidit curuamine falcis ahenæ.

niſi verius ex Circes:aut Medeæ, quã Aeſculapij ſcholâ hæc obſeruatio defluxerit.Sed quo certiora ſequamur,ſiccũ eſſe æs,quod vulnerum ſanationi multum conducit, vel Poetæ ipſi experimento oſtendunt cùm aiunt

Vulnus Achilleo quod quondam fecerat hoſti,
Vulneris auxilium Pelias haſta tulit.

nunquam enim Telephi vulnus ſiccari potuit,niſi cum ab Achille edoctus limatum æs inſperſit,eo modo quem magis diſtinctè lib 34 ca.15. Plinius exprimit *eſt & rubigo ipſa in remedijs, & ſic Telephum proditur ſanaſſe Achilles ſiue id ærea ſiue ferrea cuſpide fecit,ita rectè depingitur eam decutiẽs gladio*, quo loci & ſi Plinius in dubiũ vertat ferreane,aut ænea cuſpis illa fuerit,euidẽtiſſimum tamen eſt ex Pauſaniæ loco iam antea laudato,æneam potius fuiſſe; quin etiam aduerſus ſerpentium morſus,& putredines æri occultam vim ineſſe numeror.c.2. proditũ eſt,vnde ex Hebræis qui à ſerpentibus in deſerto icti fuerant, ſerpentem æneum intueri iubebantur, cuius intuitu curati fuere innumerabiles; ac tametſi in eiuſmodi remedio ſupra naturæ vim diuina poteſtas conſpicua fuit, ex ære tamen id fieri mandatum eſt, non ex alijs metallis: atque huc facit, quod ex Plutarcho agendo de commeatu retuli, carnes infixo clauo æneo à putredine conſeruari,vt mos eſt venatoribus ſi quando in remotiſſilib.29.cap.6. mis locis aprum, aut ceruum deiecerint, ex eoque Rhodiginus prouerbium illud repetit, quod tamen Chyliaſtes Batauus non videtur mihi inter alia recenſuiſſe, nempe vt *clauum nobis eſſe æneum* dicamus,quicquid eſt quo ita nitimur,fouemu rque,vt aduerſus reflatum omnem ventorũ, obfirmato & inſuperabili conſiſtamus animo. Verumtamen ſi magis attentè exquiſitèque hæc omnia perpendamus, minuenda proculdubio erit hæc opinio de armis æneis, quæ veluti conſectanea eſt alterius multum inueteratæ,ac peruagatæ etiam magnorum virorum erroribus, qui ſæcula primum aurea introducunt, poſt argentea, deinde ænea, tum ferrea, ac demum lutea in quibus nos ipſi viuamus. Nam ſi quis hiſtoricæ veritati, non autem fictionibus poeticis fidem habere velit, certe ex rerum,quæ nunc ſunt cum antiquis comparatione, fatendum illi neceſſe erit, parem ſemper extitiſſe in rebus hu-

humanis naturæ conuerſionem; nec *aliquid ſub Sole*, vt inquit ſapientiæ magiſter, *nouum eſſe*; Atque vt exemplo quod præ manibus eſt, hæc veritas confirmetur; heroicis illis temporibus non minus ſane quàm noſtris ferrum in vſu fuiſſe, iſtud planè indicat, quod Cyclopes, qui ipſiſmet quibus Aeneas, & Vlyſſes viuebant temporibus, Ferrariam inueniſſe fabricam legantur, quamuis Plinius ob allatas rationes ærariam illam fuiſſe contendat, ſed negari tamen non poteſt, quin ferrum in illa elaboraretur, quia ex Herodoto, Lyche Spartiatarum nuntius, qui Oreſtis oſſa quærebat, ex oraculi monitu in ærariam officinam ingreſſus, intuebatur ibi ferrum quod procudebatur, & Heſiodus ferrum inuentum aſſerit ab Idæis Dactilis in Creta, quod alioqui Orpheus tribuit Curetibus Iouis nutricijs; & ipſemet Homerus Penelopem in thalamum vltimum penetraſſe dicit, vbi theſauri Regis aſſeruabantur *æs aurumque, & multi laboris ferrum*: meminitque idem pluribus alijs locis armorum ferreorum, vt Iliados libro ſeptimo, & Odyſſeas nono, quemadmodum etiam Heſiodus Herculis ſcutum non abſque ferro compactum fuiſſe dicit: & Virgilianus Aeneas ferrum non æneum enſem ſtringit, & eripit è vagina iuſſu Sibyllæ Odyſſ. 25. Aeneide 6.

Tuque inuade viam, vaginaque eripe ferrum.

quo loci videntur mihi fruſtra eſſe, qui multa ingenioſè comminiſcuntur, vt pro ære ferrum à Poeta vſurpatum fuiſſe oſtendant cum idem ſub Troianorum perſona toties Ferri meminerit, vt eius explicationis nulla poſſit eſſe ratio ſatis legitima, ſic enim Aeneas 2. Aeneide

Hic ferro accingor rurſus, clypeoque ſiniſtram
Inſertabam aptans, meque extra tecta ferebam.

& alibi apud eundem

Dixit, vaginaque eripit enſem
Fulmineum, ſtrictoque ferit retinacula ferro.

adeoque frequens eſt hic loquendi modus apud Virgilium, vt crebrior in eo ſit, ac frequẽtior nullus. Atque eam ob rem veriſimile eſt, quod inquit Ariſtoteles in Poetica, Homerum aliosque poetas artificem æris pro Fabro Ferrario, & æs ipſum pro ferro accipere ſolitos; quod nimirum ſequerentur antiquorum conſuetudinem, qui paulatim vtrique metallo eandem appellationẽ cap. 23.

impertiuerunt, vt patet ex Apollonij ſcoliaſte Ἀπολλώνιος φησὶν ἐν πρώτῳ τῶν ἀπομνημονευμάτων τὸν σίδηρον ὑπὸ τῶν ἀρχαίων λέγεσθαι χαλκὸν Id eſt *Appollonius inquit in primo memorabiliũ, ferrum ab antiquis æs fuiſſe apellatum* qua ratione Virgilius dixit *micat æneus enſis*, hoc eſt ferreus, vel potius ex ære habens capulum; vt ſimili modo loquendi ſit vſus, quo & alibi dixerat *enſem collo ſuſpendit eburnum*, ac propterea anachroniſmo quẽ Mazzonius hic fingit, nihil opus eſt. Ratio vero cur hac translatione vſi fuerint antiqui, talis ab Antonio Cerrio excogitata fuit, quod ferri tunc quàm æris vſus rarior extiterit, vt non ſecus ac hodie, etſi e chalybe conficiantur gladij, & alia inſtrumenta, ferri tamen nomine appellantur, ita antiquitus etſi arma ex ferro cuderentur, à re tamen copioſiore, & vſitatiore nomen illis inditum fuiſſe, quamquam non reijcienda quoque ſit illorum opinio, qui ex eo quod æs æruginí non tenetur vt ferrum, veteres *æreum* pro inuincibili, & perpetuo, quemadmodum *aureum* pro re omni nitẽte, & pulcherrima, vſurpaſſe conijciunt: & ſanè Virgilius cum indicare vellet Templum Iunoni Argiuæ à Didone dicatum, æternaturum eſſe, id non melius ſignificari poſſe credidit, quàm ſi ipſum totum ex are compactum & fabrefactum diceret,

11. Aeneide.

In Satyris.

Aerea cui gradibus ſurgebant limina, nexæque
Aere trabes, Foribus cardo ſtridebat abenis.

eadem prorſus licentiâ qua dixerat, alibi *ſolido ex adamante columnæ*; & Claudianus *haſta adamante grauis*; atque Horatius *adamantinos figit dira neceſſitas clauos* nimirũ vt res firmiſſimas, ac duriſſimas hoc loquendi modo ſignificarent. Quod vero addebant contrariæ ſentẽtiæ fautores, de vi æris medica in ſanãdis vulneribus, id totũ videtur mihi potius de ære præparato varijs modis vt vſtione, & in ſquammas, flores, aut æruginem, quàm de crudo, & ſimplici metallo intelligendũ, illorum enim vis eximia conſpicitur in multis medicamentis, quæ aſtringendo, exſiccando, reprimendo, attrahendo vlcera purgant, & ad cicatricem perducunt, vitijſque oculorũ, ex Dioſcoride, ac multis alijs morbis medentur: huius vero nullus eſt præterquam ſub malleo, & in incude vſus, nam quod rubigine ex Achillis haſta deraſa, Telephi vulnus perſanatum dicunt, id manifeſtè euincit materiam cuſpidis illius non ex ære, vt vulgo creditur ſed ex ferro fuiſ-

ſe,

Digitized by Google

ſe, quandoquidem æs ſolum ferme ex metallis rubiginem non contrahit, non ſitu offenditur, non vetuſtate deteritur, ſed æternam habet in fabricis durationem: à ferrugine tutum, vt inquit Cardanus, quia propter vſtionem, quam vel ſolo odore prodit, minus etiam humori peruium eſt. Vnde cùm Achillis haſta rubiginem contraxerit, nulla videtur mihi certior iniri poſſe ratio, vt huius cuſpis ferrea non autem ærea fuiſſe credatur.

lib. 6. de ſubt.

5. Enimuero quacumque tandem ex materia ſeu ære, aut corio, vel ferro, ac lino arma priſcis illis temporibus concinnata fuerint, certum eſt nihilominus iſtis quibus nunc viuimus, & ſuperioribus etiam quorum exemplo ducimur, ferrum vnicum ferme ad iſtud operis vſurpatum fuiſſe. Quamobrem earum conditionũ quæ in armis, vt quàm aptè cõmodiſſimeque tractari poſſint, requirũtur, primam eſſe exiſtimo, vt *ex optima, & probe ſubacta atque temperata materia conficiantur*; non enim parum refert, quo armorum genere tectus miles in prœlium deſcendat; idque Poetæ ſpectantes magnis illis Heroibus quos fingunt, omni virtutum, & ornamentorũ genere præcellentes, ipſorum Deorum manibus fabricata arma conceſſerunt, quod vt exemplo Homeri faceret Virgilius, præclariſſimi poematis partem longè cultiſſimam, huic argumento impendit, in quo cum ipſo Vulcano de artis gloria contendiſſe videtur, ingenioſiſſimus Poëta, ille ne cœlo an hic ſtylo potior eſſet; ille ne pulchrioribus rerum figuris ac lineamentis, an hic verborum inſignibus, ac pigmentis clypeum adornaret. atque eadem ratione Myleſiarum ſcriptores, arma magica arte impenetrabilia, aut gladios incantatos, paſſim proponunt, illud credo innuere volentes, eos qui fortibus armis inſtructi ſunt, mira maioraque viribus humanis efficere, ſecuros nempe periculorũ & vulnerum, quæ cæteri reformidare ſolent. Quamquam vbi præſens neceſſitas vrget, arma quælibet etiam ex iunco contexta, ſtrenuis hominibus, pro æneis eſſe debeant, quibuscum hoſtes audacter laceſſere, & fundere etiam ac fugare poſſint: ſic enim M. Antonius à Mutina profectus *cortices* pro ſcutis militibus ſuis dedit; & Spartacus non alia quam ex *vimine* habuit quæ corio tegerentur, ſicut hodie Turcarum Prætoriana phalanx thoracibus lineis, ſeu lanà inter geminas ſindones craſſiori filo compreſsà, & interpunctà pro munimine vt Iouius auctor eſt vtitur; eoque etiã

Tũ vero tria proponũtur ad armorum præſtantiam requiſita nempe, vt ſint ex optima & probe ſubacta materia.

in Solymano.

nunc

nunc incuriæ militia rediјt, vt neglectis armis, quæ gliſcente ſenſim per caſtra mollitie, grauia videri cœperunt, abiectaque caſſide, & thorace lineo ne quidem aſſumpto, miles celerrimè nudus in aciem prouolet, & facillimè etiam inermis cædatur. Qui mos hodiernæ militiæ, velut meliori diſciplinæ cõtrarius, non obſtare debet, quominus antiquorum diligentiam miremur, qui magno ſemper delectu vſi ſunt in armorum æſtimatione, vnde ex

lib. 1. cap. 10 artic. 13. Iulio Polluce commendabantur præcipue apud illos *thorax*, *Atticus*; *galea* Bœotica; *pileus*, *& pugio Laconicus*, *ſcutum* Argolicum; *arcus* Creticus, *funda Acarnenſis*, *iaculum Aetolicum*; *enſis Gallicus*, *& bipennis Thracia*. non aliter ferme quam hic in Italia proœtium ſui fecerunt non vulgare *clypei*, Parmenſes; *carri* Placentini; *tentoria* Cremonenſium: *enſes* Taruiſiorum ad Sarauallum; *lanceæ* Papienſes; *galeæ* Mediolanenſium; *calcaria*, Viterbienſium; Piſtorienſes *pugiones*; *equi* Neapolitani; & *puluis* py-

in quæſtionibus Fortian. rius Ferrarienſium, ſi tamen Philalethi polytopienſi fides in his habenda eſt. Sed præter arma hæc antiqua laudata à Polluce inuenio quoque Statium plurima alia commendaſſe à locis in quibus, vt par eſt credere, ipſa aut maiori copia reperta, aut preſtantiori arte fabricata, ita enim ille libro primo Achilleidos

Feruet amor belli concuſſaſque erigit vrbes
Aera domant Temeſa, *quatitur naualibus ora*
Eubois, innumera reſonant incude Micenæ.
Piſa nouat currus. Nemee dat terga ferarum.
Cirrha ſagittiferas certat ſtipare pharetras
Lerna graues clypæos cæſis veſtire iuuencis.
Dat bello pedites Aetolus, & aſper Acarnan
Argos agit turmas, vacuantur paſcua ditis
Arcadiæ, frænat celeres Epiros alumnos.
P*hocis & Aoniæ iaculis vareſcitis vmbræ.*
Murorum tormenta Pylos Meſſanaque tradunt.
Nulla immunis humus.

Sic Lucanus Armenios *ardus*, & Geticos *neruos* plurimi feciſſe depræhenditur

Armenioſque arcus Geticis intendere neruis

Epigramma 13. libro. 1. non ſecus ac Martialis Dorica *venabula*,

Dorica quàm certo venabula dirigit ictu.

Id

Id eſt è Doride in qua mons Pindus erat optimæ ferax materiæ ad haſtilia. Nam hæc vna fuit cauſa vt arma in prætio haberentur, ſi ex optima & maximè ad id conuenienti materia conſtarent; quemadmoduum altera fuit ſi à præſtanti aliquo artifice elaborata fuiſſent; cuiusmodi erat ille Lycaon Cnoſius μαχαιροποιὸς ſeu *gladios faciens* qui à Virgilio artifex fuiſſe dicitur eius enſis quem Aſcanius dedit Eurialo 9.Aeneide

humero ſimul exuit enſem
Auratum, mira quem fecerat arte Lycaon
Cnoſſius, atque habilem vaginà aptarat eburnà

& quemadmodum Polluci varij armorum Fabri enumerantur, περὶ δὲ τῶν ὅπλων ἀσπιδοποιὸς θωρακοποιὸς μαχαιροποιὸς δορυξόος *ſcutarius, thoracum confector, Galearum faber, gladios faciens haſtarum politor*; ſic in Iure Ciuili *Buccularios* eos eſſe interpretor qui galeas faciunt, ex ea galearum parte que Buccula dicitur, impoſito nomine; & ibidem cum Turnebo *politores* pro polionibus lego, eoque nomine intelligo *Samiarios*, qui arma, gladios, galeas que poliebant. Materia vero non quæuis apta erat armorum confectioni, ſed *haſta* verbi gratia quæ fraxineæ nõ eſſent, qualem fuiſſe Achillis memorant, pro nihilo ducebantur: quia vt inquit Plinius *obedientiſſima quocumque in opere fraxinus, eadem corylo haſtis melior, cornu leuior, ſorbo lentior*: quamuis ſi Virgilio credamus non Fraxinus modo, ſed Myrtus haſtilibus faciendis optima fuit

lib. 1. cap. 10. artic. 13.
l. vlt. ff. de Immunitat. iure
lib. 9. cap. 16
libro 16.

At Myrtus validis haſtilibus: & bona bello
Cornus: Itureos taxi torquentur in arcus. 2. georgic.

eodemque modo *capulos, & manubria* fieri ex olea Homerus teſtatur στελεὸν ἐλάϊνον: *Scuta* e ſalice, ac vite Theophraſtus laudat iſta enim protinus plagam contrahunt, ſed ſalix leuior, & ob id ea magis in vſu quam ficus tilia betula populus, & alia denique ligna alijs bellorum vſibus inſeruiebant, & alia metalla alijs in hoc opere præſtantiora habebãtur. vnde non illis aſſentior qui Glaucum inſaniæ arguunt

Quod cum Tydide mutarit protinus arma, &
Aurea donarit ſibi reddenti area,

quin imo arbitror cum Plutarcho non admodum iniquam fuiſſe permutationem, propterea quod arma ferrea magis vſui ſint pugna- contra Stoicos.

in vita Agricolæ. gnaturis quàm aurea nam quemadmodum inquit Tacitus *Aurum nec tegit nec vulnerat*.

6. *Vt leuia & expedita.* Altera nota præſtantiæ armorum eſt, vt ſint *leuia & expedita* quo facile tractari, ac quocumque ſine impedimento conuerti, & geſtari diutiſſimè poſſint, qualia militibus Romanis fuerunt qui facili lorica, & miſſili pilo aut lanceis tantum aſſultabant, vtebanturque ſimpliciſſimis armis ad multiplices vſus; ac proinde, hoc in hiſtorijs maximam habet admirationem, eos in prœlijs pro re, pro loco, pro tempore punctim, cæſim, quominus, eminus eodē telo hoſtem petere ſolitos: quamobrem vt pondus noſtris dematur, quod in cauſa eſt ne idem facere poſſimus, vtiliſſimum eſſet ſi nunc reſtitueretur thoracum Thracium ſtructura, de qua tanquam de re præſente, atque ex arte nota meminit Pauſanias, cùm in Atticis. Sauromatæ, inquit, ferro carerent nec emere aut commutando illud habere curarent, abundarent autem equis, illorum vngulas collectas ac repurgatas in bracteas ſecabant: indeque neruis equorum aut bouum, in formam ſquamoſi corij ſerpentis conſuebant, in eam formam qua ſolet eſſe nux pinea, adeoque affabre ex illis ſibi loricas concinnabant vt neque vſu, neque elegantia Atticis quæ ex ferro erant inferiores haberentur; verum opus eſſet vt eodem tempore fulminalia illa ceſſarent, quibus nulla hodie arma imperuia ſunt, niſi ea quæ propter grauitatem geſtari nedum ab equite poſſint; atque hæc cauſa fuit cur milites cum nihil etiam in leuibus preſidij eſſe intelligerent, vtraque tandem neglexerint, magno vt antea dixi diſciplinæ diſpendio. Antiquis autem quibus non tantæ violentiæ miſſilia fuerunt, arma ea placebant, quæ non ita tutum militem præſtarent quaſi propugnaculo aliquo cingeretur, vnde nec pedem efferre, nec excurrere huc, & illuc pro occaſione poſſet: etenim præter iſtud incommodum, huic inſuper alteri grauioris armaturæ tegmen obnoxium eſt, quod vt *aduerſus ictus impenetrabile, ita impetu hoſtium prouolutis inhabile eſt ad reſurgendum*, vel Cornelij Taciti iudicio, qui in libro 16. bello Sacrouitano, hoſtes ita armis grauatos fuiſſe narrat, vix vt ſe mouere potuerint, eoque Romanos ſecuribus ac bipennibus vti coactos, quibus veluti murum illum virorum rumperent, quin etiam furcis alios rem geſſiſſe, hoſteſque ſic inepte armatos in terram deieciſſe ac confeciſſe. Quod apud ſe perpendens Iphicra-

crates dux præſtantiſſimus ac quanti in milite agilitas facienda eſſet conſiderans, ferreos militum ſuorum thoraces in *lineos* commutauit, quales Homerus Aiaci Oileo antea tribuerat,& ſcuta ac clypeos ad formam longe minorem redegit. Nec minus poſtea exoleſcere ſenſim cœperunt, tegumenta illa ſquammatim contexta, quorum figuram, ac vſum ſic eleganter expreſſit Marcellinus *erant autem omnes cateruæ ferratæ ita per ſingula membra laminis tectæ, vt iuncturæ rigentes compagibus artuum conuenirent, humanorumque vultuum ſimulachra ita capitibus diligenter aptata, vt in bracteatis corporibus ſolidis, ibi tantum incidentia tela poſſent hærere qua per cauernas minutas, & orbibus oculorũ adfixas parcius viſitur, vel qua per ſupremitates narium anguſti ſpiritus emittuntur*: nempe *clibanarios* equites intelligebat, ſic à clibano hoc eſt thorace ferreo quo pectus tegitur nuncupatos, ſeu quod tota ſpecie ferreà ſic contegebantur, vt tamquam panis, ita ipſi clibano vndique obtecti obductique eſſent. Gallis vero *crupellarij* dicebantur, ictibus inferendis inepti, accipiendis impenetrabiles, de quibus, etſi nondum plane conſtet apud priſcorum verborum arbitros quid ſtatuendum ſit, intelligendus tamen eſt de his locus Nazarij in Panegyrico *quæ illa dicitur fuiſſe ſpecies, quam atrox viſu, quam formidoloſa? operimento ferri equi atque homines obſepti.* & Claudianus etiam non alios hiſce carminibus deſcripſit. libro 16.

Vt chalybe indutos equites, & in ære latentes
Vidit Cornipedes; quanam de gente rogabat
Ferrati venere viri? quæ Terra metallo
Naſcentes informat equos? num Lemnius auctor
Addidit Hinnitum ferro, ſimulachraque bellis
Viua dedit.

de 6. Honorij conſul.

Hi igitur quod dicere antea inſtitueram neglectui habiti ſunt, etiam florente Imperij Romani diſciplina: nec iniuria ſanè, quoniam vt Vegetius optime ſentit *cataphracti equites propter munimina quæ gerunt vulneribus quidem tuti, ſed propter impedimentum & pondus armorũ, capi eos facile eſt.* imo vero cùm renaſcentis in Italia diſciplinæ melioris temporibus, *Albericus Balbianus*, qui tunc inter Italos duces, primum illuſtris famæ locum obtinuerat, ſuos in cataphractorum morem inſtruxiſſet, adinuento hoc concluſæ duplicisque galeæ genere, quo nunc maxime vtimur, lib. 3. cap. 14

&

& Gothico nomine *Helmettum* vocitamus, ac equos inſuper bardis maioribus ex recocto, & inaurato corio vndique vſque ad genua protexiſſet, capitaque illorum frontalibus ferreis, ſtilo prominente armaſſet, quo incitatis equis, hoſtis congreſſu feriretur: hæc tamen decora *Bardarum* tegumenta, quorum geſtatione, homines iuxta ac æqui defatigarētur, minuſque expeditè pugnarēt, tum etiam quod nihil hæc profutura credebant aduerſus cannarum chalybearum glandes, Italus pariter ac Gallus ita maturè reliquerunt, vt ne quidem veſtigium vllum eorum relictum ſit, niſi in arcibus quorūdam nobilium, qui hæc pro ſpectaculo rudioris æui ſeruant, quemadmodum, & multa alia eiuſdem generis, vt caſſides graues non ſatis polita manu fabricatas; & thoraces ſpiſſos partim ferreos, partim coriaceos, partim feltrinos, lino lanaque conſutos; ſimili modo bracchia ferrea; & manuum chirothecas; tum inuſitatæ magnitudinis calcaria, & ocreæ nullo prorſus commodo in anteriorem partem reflexæ. Quæ omnia mutata iam bellorum ratione non euiluerunt modo detrita vſu, & obſoleta, ſed deriſui etiam habita penitus conciderunt.

7. *Vt apta & conuenientia corpori.* Denique debent arma conuenientem habere formam, ac iuſtam cum corpore proportionem, ne milites ipſis induti, videantur potius conſtricti alligatique vinculis, aut nudi inermeſque pugnare, quàm ornati. Quamobrē habenda eſt diligenter ratio cū hominū in ſpecie, tum & nationū quæ viribus præ cæteris pollēt, vt conuenientia ſingulis ex ſtaturæ & lacertorum modo arma concedantur; & ne illud fiat quod Iuuenalis repræhēdit, ſilicet vt

Satyr. 11.

loricam poſcat Achillis
Therſites, in qua ſe tranſducebat Vlyſſes.

aut Aiacis clypeum, quem Homerus ob molem, pondus, & quadram faciem inſtar turris fuiſſe dicit

Tum molem Clypei turrim velut extulit Aiax

vel formoſus Nereus vel Thytides exiguus ſibi conuenire ſtultè exiſtimet. Sicut enim giganti Philiſtino, cuius ſola lorica cum

1 Regu.c.17 haſtili, ponderis erat quinque milium ſiclorum æris, hoc eſt ducentorum circiter, & triginta trium librarum Romanarum, quæ duodecim vncias pendent, pro ſingulis ſiclis quatuor drachmas ſumendo, non hæc, & alia arma quæ tantumdem ponderaſſe Hugo Sempilius oſtendit, oneri fuerunt, & ſi vix robuſtiſſimus du-

Digitized by Google

ducentas libras ferre noſtra ætate poſſit: haud iniuriâ tamen cùm Saul Rex aliâ longè minoris ponderis arma Dauidi adoleſcenti aptare vellet, ipſe ea depoſuit, & ad arma ſua ſolità, *baculum* nempe, & *lapides* conuerſus eſt, quibus in Philiſtæum præualuit. Ex aduerſo autē Gallos tanto facilius Romani profligauerunt, vt inquit Liuius, quod ſcutis ipſorum oblongis ſed anguſtis, quos patrio nomine vt obſeruat Pauſanias *Thyreos* vocant, vaſtam corporis molem contra pilorum ictus tegere non poſſent; Indeque Gothi, & Sueci qui procero ſunt, & validiſſimo corpore, arma omnia ſua habent ſupra modum reliquarum nationum prægrandia, balliſtas nempe inflexione difficiles, & maximè rigidas; gladios prægrandes, & ſolo pondere noxios; haſtas autē adeo liberè protēſas, vt quandoque duobus aut tribus pedibus longitudine exuperent lāceas ſeu potius fariſſas inimicorū. Et eadē de cauſa Turcę incuruos ſuos ac terribiles gladios ſiue *ſcimitarras*, quos *falcatos* cū Virgilio dicere poſſis, qualē Perſeo tribuunt Poetæ; Heluetijque graues ſuos, & prælōgos enſes facillime rotāt, quibus tamen conuertendis non æque Galli ac Itali pares inuenirentur. His igitur incommodis vt obuiam irent Romani, & ſi ſingulari fuerint in omnibus animi magnitudine, & iudicio, non ueriti tamen ſunt armorum formam à Samnitibus accipere cuius poſtea excolendæ, & prout illis commodius videbatur effingendæ, adeo ſtudioſi fuerunt, vt ſingula tela, ſcuta, galeæ, peltæ, thoraces, ſuis apud illos menſuris conſtarent, quas præterire nefas fuiſſet; vt apud Polybium, & eius commentatores Patricium ac Lipſium videri nullo negotio poteſt. Quamquam ſi mihi liberum eſt dicere quod ſentio, videntur illorum *haſtæ*, longiores; & *gladij* è contra breuiores aliquanto fuiſſe quàm conueniens eſſet, ſi tamen verum eſt quod inquit Leo Imperator *erant autem Romanis, & Macedonibus haſtæ ſexdecim cubitorum longitudine, quas nunc vſus noſter non requirit*, hac enim menſura fariſſæ Romanæ, noſtris quæ ad ſummum pedibus ſedecim terminantur dimidia ferme parte longiores fuiſſent: de gladio vero Hiſpanico quem Romani dextro femori alligatum geſtabant, refert Pyrrhus Ligorius *antiquariorum* vt à Budeo vocatur *diligentiſſimus*, quique in quadraginta libros conieceratquiquid peruenerat ad nos veteris memoriæ à Saturno Rege Italiæ ad Iuſtinianum vſque Augu-

lib. 3. de machem. diſcip. cap. 2.

O'aus lib. 7

lib. 5 de bellico appar.

Auguſtum vt idẽmet in libello de Romanis antiquitatibus teſtatur. Hic inquam refet gladium Hiſpanicum quantum ex tribus aut quatuor quos ipſe viderat ex antiquis ſepulchris erutos, conijcere potuit, duos tantum, & viginti pollices longum fuiſſe; quod ſi ita fuit, mirum eſt profecto quanam ratione, eo tam ſcite cæſim punctimque vti poterant, etiam ex equis pugnantes, quomodo etiam tantas cum illo ſtrages edere, quantas Liuius contra Macedones, & alios editas refert his verbis *nam qui haſtis, ſagittiſque, & rara lanceis vulnera facta vidiſſent, cum Græcis Illirijsque pugnare aſſueti, poſteaquam gladio Hiſpanienſi detruncata corpora, brachijs abſciſis, ac tota ceruice deſecta, diuiſa à corpore capita, patentia viſcera, & fœditatem aliam vulnerum viderunt, aduerſus quæ tela, quoſque viros pugnandum eſſet pauidi vulgo cernebant.* (1. Decad. 4.) Verum quoniam hoc loco nequanquam mihi propoſitum eſt deſcribere quam formam galeæ, quam thoraces, aut ſcuta habere debeant: ſatis mihi erit ex peritorum in hac re placitis ſtatuere, quod armorum quæ *defenſionis* cauſa geruntur, ea debet eſſe ratio, ea forma, ac pondus, vt ſicut ipſa milites defendunt, ita, & defendi à militibus commode poſſint; *offenſiua* vero tanto meliora æſtimanda ſunt, quanto tractatu faciliora, & quanto magis eminus hoſtes offendere poſſunt, ex eo enim factum ſcribit Vegetius, quod *Martio Barbulorum* legio, multas ac glorioſas Romanis Imperatoribus pepererit victorias, dum certo teli genere tam homines quam equos eminus feriebant, priuſquam non modo ad manum, ſed ad iactum poterat perueniri. Et eâdem ob cauſam *Parthi* Romanos ſagittarum nimbis oppreſſos priuſquam pila expedire poſſent, non ſemel vicerunt. Hodieque etiam experimento depræhenditur equeſtrem eorum militiam qui longioribus cannis vtuntur in Belgio, longe aptiorem eſſe bellicis factionibus, quàm Germanorum qui breuioribus licet quinis ac ſenis ſclopis inſtructi in proelium deſcendunt, in quo multorum opinio eſt nihil vnquam preclari illos fecisſe, vt merito Romani gladios ſuos tandem longiores fecerint, pendenteſque à ſiniſtra geſtarint, qui etiam hodie mos permanet, contra quàm vſitatum olim fuiſſe docent Polybius in fragmento libri ſexti, *vna cum ſcuto enſis pendens ad dextrum femur*, & Horatius laudatus à Steuuechio in his verſibus. (in notis ad li. lib. 1. cap. 20.)

Quo-

Quoquo ſceleſti ruitis, aut cur dextris
Aptantur enſes conditi

quos tamen potius cum Porphyrione, & Gualtero Cabautio interpretandos cenſeo de manu dextra, qua gladij reguntur, quaſi dixiſſet Poeta *cur ſtringitis gladios in vagina iam conditos?* & eodem modo locutus fuiſſet, quo poſteà Valerius Flaccus in ſexto Argonauticon, cùm dixit *inſignis acinace dextra*. Cæterum vt Romanorum armaturæ non ſemper tum ſub Macrino, tnm alijs temporibus, vna eademque forma fuit, ſic notant Diodorus Siculus, & Aemilius Probus immutata quoque fuiſſe Athenienſium arma ſub Iphicrate, cùm enim ante illum Imperatorē pedites maximis ſcutis, breuibusque haſtis, & minutis gladijs vterentur, ille è contra peltam pro parma fecit, vt ad motus cōcurſuſque eſſent leuiores, haſtæ vero modum duplicauit, & gladios etiam ſolito longiores, geſtari à militibus ſuis voluit.

Hæc igitur ſine quibus pugnari nullo modo poteſt, primùm 8.
quidem in armamentario reponenda ſunt, deinde vero multa alia *Denique mul-*
quæ in quolibet belli genere, non minimum vſum præbere cer- *ta alia recen-*
nuntur, ſeu iter expediendum ſit, ſeu caſtra munienda, ſeu op- *ſentur quæ in*
pugnandæ ſint, aut propugnandæ arces, ſeu denique milites re- *armamenta-*
bus alijs operam ſuam accommodare debeant, quoniam vt in- *rijs ad vſum*
quit Vegetius *Legio non tantum numero militum, ſed etiam genere* *belli reponi,*
ferramentorū vincere conſueuit, qualia ſunt hoc præſertim ſæculo *& conſerua-*
vſurpata *Haſtæ breuiores longioreſque*, quarum loco antiqui ſua pi- *ri debent.* lib. 2. cap. 25
la, tragulas, veruta, geſa, acrides, cateias, & mazares de quibus vltimis Alciatus neſcio quid in parergis dubitat, habebant. *Halabardæ* ſeu ſecures bellicæ eo nomine barbaro, latiniſſimis au- cap. 15. lib. 5
ctoribus Iouio, & Pontano appellatæ, forſan quaſi *Labardæ* quia in hiſtor.
λάβρυς Lydorum linguà *ſecuris* dicitur, vnde Labradea Iouem in lib. de Sermone.
Caria appellauere, manu ſecurim tenentem, ab Arſelide, victo Lydorum Rege impoſitam, quam ferunt Herculis ex ſuperata Hippolita Amazone fuiſſe, & ab eo Omphalæ donatam, à qua poſtea ad Lydorum Reges peruenit, ita vt nobis ſit *Labardifer* idem qui & λαβραδέως. *Falces* murales quidem, aut eodem vſu quo Cæſar meminit in commentarijs belli Gallici, aut *ru-* libro 3.
rales quæ longioribus contis inditæ, colatorios funes quibus antennæ ſuſpenduntur repente præcidunt. *Tormenta muralia* de-

Sſ quibus

quibus poſtea ſuo loco dicemus; *fiſtulæ maiores* quas muſquetas vocant, & *mediocres* ſeu Arcabuſij; *puluis nitratus*, & materia omnis quæ ad eius, aut ignium artificialium compoſitionem requiritur: *funes* ad incendendum puluerem præparati; *pilæ ferreæ* ac *lapideæ* maioribus tormentis inſeruientes: *glandes plumbeæ*, & *matriculæ* in quibus conflantur: *ſphæræ minores* è ferro excauato ad incendia præparatæ, ac *maiores* etiam quibus *Bombarum* nomen inditum eſt; *circuli* incendio inferendo ex pice, & reſina facti; *pilæ* ad incendenda opera deſtinatæ, ſeu pyroboli; *ſalis*, *picis*, *nitri*, *ſulfuris*, *bituminis*, *carbonum*, *lignorum*, quantum ſatis eſt; *oleum*, quod mixtionibus ignium inſeruit, & feruens in hoſtes effunditur, quomodo Romanos Ioſephus excepit, ahenis bullientibus in eos immiſſis, quæ ipſorum connexionem ſoluerunt, & cum maximo dolore e muris deturbarunt præcipites, oleo nimirum celerrimè per omnia ſe ſe arma inſinuante, & tenaciſſime carnem depaſcente, ob pinguedinem, quæ ſemel accenſa non facile refrigeratur; *pinnæ ferreæ* oblongæ; *ſtipites* pinnis geminis armati: *tribuli* ſeu *rumices*, *& tricuspides clavi* vijs impediendis: *ſcalæ* minores geſtatoriæ tum ſimplices, cum eriſmate fultæ, ſeu quæ tertium habent tignum, quod obnitentis fulcimenti loco eſt, & maiores quæ muris admouentur; *funes e lanis caprinis*, de quibus
lib. 2. rei ruſticæ. Varro dicebat *vt fructum ouis è lana ad veſtimentum, ſic capra pilos miniſtrat ad vſum nauticum, & bellorum tormenta* deſiderantur inſuper *rudentum volumina*; *harpagones*; *equina fuga*; *funes curules*; *tabulæ abiegnæ*; *Gerræ* ſeu *crates* poſt quas tormenta collocantur, aut ad expediendum ſubitarium pontem, cum trabibus, paliſque ferratis præparatæ; item ad moliendam terram & opera foſſarum facienda; *ligones*; *unci* ſeu roſtra, *palæ*, *rutra*, *corbes*, *dorſuariæ*, *ſarraca* ſeu vehicula truſatilia; *bidentes*, & id genus alia. habenda quoque fabrilia inſtrumenta *dolabræ*, *aſciæ*, *ſecures*, quas cum bipennibus eaſdem eſſe, nemo, quod opinor, inficias ire poterit, qui rationes aliquando leget, quas incomparabilis philoſophus & in omni palæſtra priſcæ recentiſque doctrinæ ad miracu-
cap. 11. lum vſque verſatiſſimus Fortunius Licetus, in eruditiſſimo Commentario ad Epei ſecurim collegit, cuius ſane editionem nemo bonus eſt, qui non cupidè præſtoletur, tamquam opus hominis qui ſuis cultiſſimis, & numeroſiſſimis libris, mirum in modum

literariam Rempublicam exornauit. In eorumdemque quoque fabrilium iuſtrumentorum cenſu habentur *Serræ*, *&* *Runcinæ* quibus ligna dedolantur, ſerrantur, læuigantur, quod Runcinarum proprium eſſe, adeo clare oſtẽdit Arnobius obſeruator proprietatum accuratiſſimus, vbi gentilibus obijcit ſimulachra ſua *groſphis raſa*, *deſcobinata limis*, *runcinarum læuigata deplanis*, vt Hermolai Barbari & quorundam aliorum error defendi nullo modo poſſit, qui verba illa Plinij ad *incitandos Runcinarum raptus*, de ſerra materiariorum ductili illa & magna, intelligenda autumant: *Portatiles* denique *cymbæ* ſeu lintres traijciendis fluminibus, *Naues* cæteraque inſtrumenta nautica neceſſaria ſunt. Atque ad hæc omnia paranda, *officinæ*, ac *fornaces* cum *ferro*, *ære*, *plumbo*, *ferramentis*, ac *opificibus* fabris ſcilicet lignarijs, inſtructoribus, carpentarijs, ferrarijs, fuſoribus dendrophoris, centonarijs, loricarijs, figulis, ſimilibuſque alijs fabricenſibus longa & erudita recenſione explicatis à Vvolfango Lazio: & ex officio ad iter expediendum, ad caſtra munienda, ad hybernorum ædificia fabricanda, ad machinas, turres, propugnacula, cæteraque quibus expugnantur aduerſariorum ciuitates vel defenduntur propriæ, excitanda, præparatis, & abſque quibus foret, incaſſum eſſent tot inſtrumenta ſuperius enumerata, quorum omnium tamẽ expedit habere bono ordine repoſitam, & digeſtam copiam in Armamentarijs, pacis bellique temporibus ſummopere vtilem, cùm illorum ſint ornamentum inſigne, horum vero adiumentum plane neceſſarium.

lib. 4. com. Reip. Rom.

IX.

1 Partem ar motũ faciunt machinæ.

Hæc autem omnia cùm nõ alio fine inquirẽda ſint, niſi vt *machinationi* inſeruiant, quàm Vitruuius inter Architecturæ partes tertiam facit, & libro ſui operis decimo explicat, eam ob rem de *machinis* ipſis quantum ſatis eſſe poſſit, ad ipſarum vſum vtilitatemque percipiendam, dicendum mihi eſſe intelligo, qua in re non multum ſolicitus ero de ipſius vocis μηχανὴ etymologia vel ſignificatione varia, qua nonnumquam refertur ad conatum aliquem, conſilium quo decipere hoſtem conamur, machinationem, & excogitationem inſtrumentorum ad quodlibet opus perficiendum, maximè vero ad machinas bellicas quas Græci ἑλεπόλεις dicunt, & ad cætera opera quibus in bello vtimur. Vt nec de machinarum origine contra Græcos, aut potius contra Plu-

in pericle libro 1a. tarchum & Diodorum qui *Artemonem Clazomenium* earũ auctorem faciunt, vindicias inſtituam; ſeu pro Romanis, quos machinis vſos fuiſſe etiam ſub Regibus ipſis, cõſtat ex cenſu Seruij Tullij apud Titum Liuium, *addita* inquit *huic claſſi duæ Fabrum centuriæ, quæ ſine armis ſtipendium facerent, datum munus vt machinas in bello ferrent*: ſeu pro Hebræis alijſque populis, ex quorum inſtituto credibile eſt, Moyſem locutum fuiſſe, cùm iſthæc in Deuteronomio præcepit, *ſi qua autem ligna non ſunt pomifera, ſed agreſtia, & in cæteros apta vſus, ſuccide & inſtrue machinas, donec capias ciuitatem, quæ contra te dimicat*. Et vero licet Moſes non tam expreſsè determinaſſet machinas ſuo tempore fuiſſe in vſu, potuiſſet tamen illud ex conſecutione rerum quas narrat, facile inferri, nam cum illius tempore, & quod præceſſit: *vrbes magnæ & ad cœlum vſque munitæ*, vt ſcriptura loquitur, expugnatæ tandem fuerint, in bellis Regum Seon, Moab, Heſſelon, & Palæſtinorum, quis credat dolabris tantum, & ligonibus moenia hæc diſiecta fuiſſe, aut fame captas illas vrbes. Deinde Ezechiel meminit machinarum tanquam ſuo tempore vſitatarum, *circundabit te munitionibus, & comportabit aggerem in gyro, & eleuabit, contra te clypeum, & vineas, & arietes temperabit in muros tuos*. At enim, vt quod magis vrget conſectemur, *machinarum* de quibus ſermo hic nobis inſtituendus eſt, aliæ ſunt *oppugnatoriæ* quas Vitruuius capitibus decimo nono, viceſimo, vigeſimoprimo deſcribit, aliæ *repugnatoriæ* de quibus capite vltimo eiuſdem libri tractat; omnes vero antiquæ ſunt aut nouæ, ſeu recentes; & vtraque vel inuentione, aut opere mirabiles, vel ex earum ordine quæ certis, & communibus regulis, ad bellicos vſus fabricari ſolent, vt teſtudines, falæ, ſambucæ, exoſtra, tollenones, & tormenta noſtra curulia, quibus veterum machinarum forma, ipſaque adeo Archimedis officina concedant neceſſe eſt.

libro 1.

deuteron. 1. ver. 28.

2. *Quæ ſua nouitate hoſtes terrent.*

Harum autem, & ſi inter ſe non minima ſit cùm in vſu, tum in compoſitione differentia, pari tamen omnes ſuis quæque temporibus vtilitate fuerunt, maximumque ſemper, ex ſui nouitate hoſtibus intulerunt terrorem: Nam vt verum ſit quod *Genuenſes* in bello Clugienſi contra Venetos ſuſcepto, & *Peruuiani*, alijque orbis nõ ita pridem cogniti incolæ, in primo Hiſpanorum ad eos aduentu; & Perſæ Selymo Armeniam inuadente, tormentorum noſtro-

noſtrorũ inſolentià, cùm primũ illis ſtrepitu, fulgore, ſtrage, innotuerunt, ita ſtatim conſternati ſint, vt viribus ac conſilio penitus deſtituti, facilem de ſe, ſuis hoſtibus victoriam præbuerint. At certè non minus antiquæ illæ Romanorum, & aliarum gentium machinæ quæ nunc ludibrio forent, cordatiſſimis etiam hominibus metum ac ſtuporem inijcere conſueuerant; hinc enim illa *Aduaticorum* expugnatio, qui vbi ſuis muris, turrim ingentem ad moueri viderunt, nouà atque inuſitatà illius ſpecie commoti, legatos ad Cæſarem de pace miſerunt, qui ad hunc modum locuti *non ſe exiſtimare Romanos ſine ope Deorum bellum gerere, quod tanta altitudinis machinationes tãta celeritate promouere, & ex propinquitate pugnare poſſent*, ſe ſuaque omnia eorum poteſtati permittere dixerunt. Sed numquid Belgis iſtis, magis rerum vſu edocti *Galli Sueſſiones* fuerunt, & quibus inopinata rerũ facies minus imponere debuiſſet? attamen hi vineis ad Nouiodunum actis, aggere iacto, turribuſque conſtitutis, magnitudine ea operum, quæ nec viderant antea, nec audiuerant quidem, & celeritate Romanorum permoti, ſe ſuaque omnia Cæſari permiſerunt; eorumque exemplo *Bellouaci* his etiam inducti machinis quarum vires, mirabilemque fabricam auditionè tantum acceperant, Bratuſpantium oppidum dediderunt. En igitur quomodo rudes illæ, & indigeſtæ turres ambulatoriæ, rudioribus ſœculis, non ſecus quam ſolertioribus iſtis Bombardæ, formidabiles inexpertis fuerunt, nec iniurià quidem, cùm nondum circumuallatæ vrbes tot munimentorum operoſis molitionibus, longè certius Ariete, vel Falis expugnarentur, quã noſtræ tormentis muralibus, quorum etſi violentia talis ſit, vt nulla maior excogitari poſſe videatur, neſcio tamen quomodo pertinaci hominum labore, & ſolertia, ſic iam elanguit, vt quamdiu ſuperſunt obſeſſis lateres, terra, cæſpites excitandis aggeribus; tamdiu ſecuri degant libertatis conſeruandæ. Sed præter hanc cauſam alia etiam afferri poteſt quæ nobis æque ac vetuſtioribus illis hominibus terrorem incutere ſolet, ex noua aliqua & minimè præuiſa machinatione; nempe quod inopina omnia mentem grauiter percellunt, *ſonus tubarum* inquit Tacitus, *fulgor armorum, quanto inopina tanto maiora offunduntur*, & quod inquit Xenophon *ſicut in muſicis noua quæque, & florida habentur in pretio*, 1 annal. 3. Cyrop.

Sſ 3 *ſi in*

ſic in rebus bellicis noua inuenta exiſtimantur longe illuſtriora quoniã hæc queunt magis hoſtes decipere, nec vlli in bello conatus feliciorem exitum ſortiuntur, quàm de quibus hoſtis minime ſuſpicatur: indeque Iulius Cæſar hyberno tempore, & prout Tranquillus loquitur *ſpurciſſimis tempeſtatibus*, vel infido ſe æquori committere, vel ad alias expeditiones proficiſci ſolebat, quo facilius incauti, & imparatis hoſtibus ſuperueniret: quoniam repentina omnia, & impræuiſa, ipſa quoque cum rebus cogitationes, & conſilia inuertunt, nec locum vllum remedijs præbent, quæ multo ante tempore parari oportuerat; ex eoque tam copioſè à Cicerone diſputatum eſt, percipere ac præſumere oportere ſapientem omnia, quæ homini acerba, & grauia accidere poſſunt, talique præmeditatione leuiora illa, & perpeſſu difficiliora effici. Quod præceptum quia neglectum fuit à Pompeio, qui ſe multis modis Cæſare ſuperiorem eſſe perſuaſum habebat, propterea factum inquit Dio Caſſius, vt præter opinionem ſuam victus, neque conſilium, neque ſpem fortunæ denuo periclitandæ capere potuerit, & ex aduerſo Aeneas vt ſe nihil vnquam eiuſmodi commiſſurum oſtenderet, iſta de ſe apud Virgilium vera cum laude prædicat

4. tuſculan. — libro 42. — 6 Aeneide

non vlla laborum.
O Virgo, noua mihi facies, inopinaue ſurgit.
Omnia percepi, atque animo mecum antè peregi.

Sed clades præuideri poſſunt, non item machinæ, & noua inuenta, quorum plerumque ratio non aliunde quàm ex damno quod inferunt percipitur, quemadmodum in expugnatione Caietæ contigit, quum *Petrus Nauarrus* tectis nauibus ad murum obſeſſæ arcis propius accedens, inſcijs Gallis, & rem nouam inauditamque non animaduertentibus, cuniculos egit; deinde immiſſo in puluerem tormentarium igne, muri non exiguam partem diruit, militeſque non paucos eadem ruina pariter oppreſſit; vnde cæteris attonitis, arx illa munitiſſima, tanta omnium admiratione capta eſt, vt nulli muri, nullæ vires humanæ Nauarri cuniculis reſiſtere poſſe viderentur. Sic in pugna ad Tarum commiſſa quia *Epirotarum* ſeu *Græcorum equitum* bellandi ratio nondum Gallis innotuerat, multi eorum arte ab ordinibus diſtracti, vel acinace, vel ferrea claua cæſi fuerunt, & viciſſim Epirotæ ſclopetorum

Bom-

Bombardarumque fragorem antea inauditum reformidantes;
ad quemuis earundem ſonitum, fugam capeſcebant. Sed nihil ta-
men adeo formidoloſum, & horribile excogitari poteſt, cuius
non aliqua tandem ratione imminuatur periculum, modo tem-
pus, & vſus locum remedijs conceſſerint, vt exemplo nouorum
fulminalium noſtris temporibus innotuit, quæ parabili, & obuio
glebarum aliquot obiectu, veluti carmine aliquo obmurmurato, libro 1.
frænantur. Et idem antiquitus in Elephantis obſeruatum fuit, *In
Apulia* inquit Lucius Florus *melius dimicatum eſt, Curio, Fabritio-
que Conſulibus iam quippe belluarum terror exoleuerat, &* C. Minu-
*cius quartæ legionis haſtatus vnius proboſcide abſciſa, mori poſſe bel-
luas oſtenderet*: quin diuerſa reſiſtendi illis excogitata ſunt gene- lib.3 cap.13.
ra armorum, quæ à Vegetio referuntur ferme omnia, nam Cur- libro 7.
tius ſecures, & copidas illis addit, *gladios* ſcilicet *leuiter curuatos,
& falcibus ſimiles, queis belluarum manus appetebant*: in quibus
verbis obiter noto *manus* etiam belluarum dici, nec modo Ele-
phantorum tantum vt Gramatici aliqui voluerunt, ſed Vrſi, di-
cente Plinio *vrgente vi præcipitaturi ſe ex aliqua rupe, manibus eo* lib.8 cap.10 & 36.
operto iaciuntur imo longe audentior fuit Ioſephus, qui *dextrum* 10 cap.12.
brachium pecudis vſurpauit. li.4.antiq.c.3.

3. *Maxime mirabiles cuiuſmodi fuerunt equus Troianus.*

Porro vt ex machinarum enumeratione, melius ob oculos po-
namus, quantum illæ terroris nouitate ſua fultæ, quantumque
ſimul periculi incautis hoſtibus afferre potuerint; placet in ijs
primum recenſendis paululum immorari, quas vt hominum
induſtria, aut labor immenſus, aliaue non vulgaris causà, quaſi
conatu ac vi mentis, vltra reliquarum ſortem effecit; ſic earum
rerum priuilegio, quæ raro, aut inſolito more fiunt, omnium
oculos in ſui conuerterunt admirationem, vnde, & *mirabiles*
hoc nomine dici non iniurià poſſunt. Qualem in primis fuiſſe
exiſtimo, vt ab antiquiſſimis etiam exordiar, *Equum durateum*,
fabricatum in Troianorum ruinam ab Epeo Panopæi filio, nec
vt Plautus, & Varro arbitrati ſunt, profeſſione coquo, ſed Archi-
tecto inſigni, qui cum ſoluendi voti causà vellet ſecurim ſiue bi-
pennẽ, qua in equi illius fatalis molitione vſus fuerat Mineruæ
Deæ, quod ſibi eo in opere faciendo, auxilio fuiſſet, dedicare,
eamque vt Ariſtoteles in libro de admirandis auditionibus nar-
rat in Templo Græcæ Mineruæ, quod erat in Gargaria ſeu Ca- numer. 104.

labria Italiæ Regione, prope Metapontum ſuſpendere; efflagitauit à Simmia Rhodio, vt epigrammate aliquo dedicationem hanc ſuam complecteretur, quod ille præſtitit carmine in Bipennis formam edito, cuius poſtea explicationi, non paucorum nec eorum quidem è triuio, ſed capitalium virorum Mureti, Scaligeri, Salmaſij, ac Fortuni Liceti deſudauit induſtria; vt nihil mihi opus ſit, multa hic in dubium reuocare de Simmia & Epeo, quæ commodius iam in doctiſſimi Liceti encyclopædia, ad Epei ſecurim, excuſſa, atque velut ad Critolai trutinam examinata, habere propediem vnuſquiſque poterit. Qualis vero equus hic, *machina* fuerit non ita planè certum eſt, quin magna ſit de eo

lib. 7. cap. 59. libro. 10. inter auctores diſſentio, ſi quidem Plinius, & Vitruuius machinam bellicam fuiſſe volunt, cui poſtea nomen *Arietis* inditum fuerit, *equum*, inquit ille, *qui nunc Aries appellatur, in muralibus machinis Epeum ad* Troiam *inueniſſe dicunt*: atque hoc idem manifeſte

in attic. quoque à Pauſania traditũ eſt, contra quàm Poetæ, & Mythologi ſentiunt, quorũ opinioni licet ſapientis non ſit, quicquam in re ſeria concedere: iuuat tamen Virgilium, ita de Græcorum ſtratagemate, quo mirabilis iſtius machinæ beneficio Troia expugnata

Aeneide 2. fuit loquentem hic audire; nam Petronius in haloſi Troiana, breuior eſt in eius equi deſcriptione, quã adeo vaſtæ molis opus poſtulabat; Tryphiodorus vero eundem tanta quidem venuſtate, & eleganti acumine fictionum ornauit, vt nunquam lectorem ſuum ſatiet, nunquam iterum plurieſque lectus non ſumopere arrideat; ſed totus quaſi in flores, & amœnitates abit, dum crines auro, dentes argento, & oculos

Ex glauco Beryllo *ſanguineoque Amethyſto*,

alias que partes alijs ex metallis aut lapidibus elaboratas fuiſſe dicit, nõ inconcinne forſan pro eius rei ornatu quæ Mineruæ offerri debebat vnde, & titulũ ei fuiſſe dicit Hyginus DANAI MINER-

Fabul. 108. VAE DONO DANI. Sed parũ tamen conuenienter ad machinam bellicam, quæ tam vaſta tot que bellatoribus fœta erat. Quare vt dixi præſtat eius deſcriptionem ab hiſce Virgilij carminibus deſumere

fracti bello, fatiſque repulſi
Ductores Danaum, tot iam labentibus annis
Inſtar montis Equum *diuinà* Palladis *arte*

Ac di-

Aedificant, ſectaque intexunt abiete coſtas.
Votum pro reditu ſimulant, ea fama vagatur,
Huc delecta virum ſortiti corpora furtim
Includunt caco lateri, penituſque cauernas
Ingentes, vterumque armato milite complent.

Statuam igitur vides coloſſeam equi lignei, ea intentione à Græcis fabrefactam, vt ipſis diſceſſum ſimulantibus, ea per dirutos muros, & effracta complanataque Troiæ propugnacula, in vrbem introduceretur, vnde idem addit

Diruimuſque muros, & mœnia pandimus vrbis

ac poſtea etiam

ſcandit Fatalis machina muros
Fœta armis.

quod poſtquam ex Græcorum voto factum eſt, ipſi, tum qui in equi aluo latebant, tum qui in inſidijs tempus opportunum præſtolabantur

Inuadunt vrbem ſomno vinoque ſepultam

eaque arte, Troianorum tãdem potiti ſunt, quos vt eiuſdem Poëtæ verbis fabulam abſoluam

Neque Tydeidès, *nec* Lariſſæus Achilles,
Non anni domuere decem, non mille Carinæ.

Enimuero quia hoc mirabilium machinarum titulo, non illas tantum explicare deſignaui, quibus Vitruuiana hæc definitio competit *machina eſt continens ex materia coniunctio, quæ maximas ad onerum motus habet virtutes*; ſed nomen iſtud longe ampliori ſignificatione mihi vſurpandum eſſe duxi, videlicet pro omni opere ad bellorum rationes pertinente, quod hominum induſtriâ aut labore perficitur, quomodo vocem hanc *μηχανὴν* interpretari poſſe, ſupra docuimus, eã ob rem agendũ hic ſine vllo diſcrimine mihi eſt, de molibus foſſis, aggeribus, alijſque id genus molitionibus, bellorum causâ præter cõmunem vſum factis; & equo illi fabuloſo, Agamemnonis Achiuorum Regis factum addam, qui, vt inquit Lucianus in Nerone, quo copijs ſuis viam faciliorem redderet, Euboeam à Bœotia reſecuit, medio circa Chalcidem Euripo relicto. Quod opus ſi tibi Ludouice Comes admiratione dignum videtur; mirare potius ex vera hiſtoria *pontem* quem Darius Hyſtaſpis filius, & Perſarum Rex, cùm in Græcos,

4. *Pontes Xerxis ad Boſphorũ Thraciũ & Darij in Helleſponto.* libro 10. cap. 1.

&

& Scytas moueret, ad Boſphorum Thracium, quo ille anguſtior erat, per ſpatium ſeptem ſtadiorum operà Mandroclis Samij vſus erexit; & cuius occaſione dicebat Plinius, *Et Boui permeabilis eſt tranſitus, & alitum cantus, canumque latratus inuicem audiuntur: vocis etiam humanæ commercia inter duos orbes.* Aſiam videlicet, & Europam *meante colloquio, niſi cùm id auferunt venti.* Nec multum ab eo diſſimilis fuit *Pons alter* quē huius Darij filius Xerxes, ad Helleſpontum inter Abydum Aſiæ, & Seſtum Europæ vrbes cùm cœptum à patre aduerſus Græcos bellum proſequeretur, eadem ferme longitudine inſtruxit,

lib. 6. cap. 1.

Iſque Helleſpontopontem contendit in alto

vt inquit Ennius laudatus à Varrone ſexto de lingua latina, quamquam Petrus Bertius nō vnicum modo, ſed duos ab eo pontes erectos fuiſſe ex Herodoto oſtendat, quod an ita ſe habuerit inquirere non eſt præſentis loci ac temporis, ſatiſque mihi eſt veluti per tranſennam, referre verſus quoſdam Virgilij, & Iuuenalis qui huc pertinere videntur, ait enim ille

cap. 3: dic̄e. ſti noui de aggerib.

in. Culice.

Non Helleſpontus pedibus pulſatus equorum,
Græcia cum timuit venientes vndique Perſas.

hic vero

Satyra 10.

conſtratum claſſibus iiſdem
Suppoſitumque rotis ſolidum mare

tanquam Græce vanitatis mendacia deridet.

5. Agger ex Alexandri magni, & Nabuchodonoſoris ad Tyrū, & Ludouiſianus ad Rupellam.

Eiuſdem quoque generis fuit *agger* ſeu *moles Alexandri Magni*, qua vrbem tyrum continenti iunxit, priuſquam illam expugnare poſſet, vt Quintus Curtius dictione pura, ſimplici, florida, & mirificæ voluptatis ac eloquentiæ plena accurate deſcripſit. Quanquam D. Hieronimus in commentarijs ad Ezechielem, factum idem anteà à Nabuchodonoſore fuiſſe referat, qui in eiuſdem ciuitatis obſidio, cùm machinas, & arietes vineaſque, in eo quod cincta eſſet mari, muris eius admouere non poſſet, iuſſit omnem ſuum exercitum ſaxa, & aggeres cōportare, atque ita expleto interiecto mari, vnoque freto anguſtiſſimo relicto, vicinum littus inſulæ fecit contiguū, & vrbe hoc modo potitus eſt, ſed vacua incolis quia ad proximas inſulas aufugerant, ſecumque aſportauerant quicquid in illa diuitiarum fuit. Tum vero mirabiles etiam fuerunt *Pons ab Hydrunto Italiæ ad Apolloniam Græciæ*,

lib. 9. cap. 9.

quo,

quo, latitudine quinquaginta millium paſſuum, qui ſeptem decim leucas Gallicas conſtituunt, intercurrens fretum pedeſtri continuo tranſitu, primum Pyrrhus Epyri Rex cogitauerat, vt tranſitus illi in Italiam pateret ex Græcia, quum à Tarentinis aduerſus Romanos euocatus eſſet, & ſi conſilium iſtud interſciderit operis difficultas, & nauibus potius ab Antigono acceptis traiecerit. *Agger* quo Scipio Africanus portũ Carthaginis clauſit, iactis in altum molibus, & ſaxis; & *opera* item *Caij Cæſaris*, eadem ratione ad Brunduſinum portum contra Pompeianos facta; quas omnes molitiones ſic, graphice & ad veterum auctorum mentem fideliter ac eruditè, delineauit Petrus Bertius, vt nihil mihi prorſus relictum ſit, quod eius diligentiæ poſſim adijcere. Quare eandem ob cauſam parco dicere de *Ponte*, quem Alexander Farneſius in Scaldis oſtio quum Antuerpiam obſideret, incredibilibus machinamentis fieri curauit, vt ſibi liceret ex Brabantia & Flandria vltro citroque pedeſtri itinere commeare, ſpatio duorum millium & quadringentorum pedum. Nec *ſaxeam illam molem* deſcribo, omni humano conatu ſuperiorem, quæ vtroque ex littore Rupellani ſinus, trecentos quinque pedales paſſus in æſtuarij procurrens intima, perduellionum hominum audaciam nuperrime compreſſit ac retudit: quia ſcilicet horum operum deſcribendorum munere, iam antea perfuncti ſunt viri eruditione, ac eloquentia nemini ſecundi.

Quod vero *ſublicium Iulij Cæſaris pontem*, quo ille Rhenum iunxit, vt exercitum traduceret; in reliquorum cenſu omiſerim; 6. *Pons Cæſaris ad Rhenum & montes Solymani in Rhodo inſula.* cùm hæc vna cauſa fuerit, quod multi illum illuſtrare noſtra & parentum ætate contenderunt vt Leo Baptiſta Albertus, Hieronymus Magius, Cardanus, Scaliger, & qui iaculum propius ad metam expediuit Ioannes Buteo; tum vero alia non parum me mouit, quod non tam artis formæque nomine, quàm deſcriptionis obſcuritate videtur ſui admirationem ad poſteros trãſmiſiſſe. Sed priuſquam tamen ab hac molitionum ſpecie ad alias me conuertam, non omittendi mihi videntur *Montes duo* quos Solymanus ad Rhodũ erexit vt æreis machinis, quas plurimas ſecum aduexerat, ſuper illos diſpoſitis, omnem defendendæ vrbis commoditatem propugnatoribus aufferret; hos enim montes (quod incredibile ijs etiam, teſte Iouio, qui viderunt pene fuit) ipſi Tur- in Solymanno.

cæ

cæ conſtruxerant, terrà per ſpacium duorum à ciuitate milliarium, ligonibus alijſque huius generis inſtrumentis contra vrbis portas proiectà, & in eam altitudinem coaceruatà, vt Rhodij ſpe omni conſeruandæ vrbis deſtituti, cùm nullum amplius edere poſſent fortitudinis, & conſtantiæ argumentum, ſe ſe tandem Turcis dediderint.

7. *Helepolis Demetrij.*

Ab his igitur machinamentis, & operibus bellicis, quæ vni loco fixa, penituſque immota adhæſerunt, conueniens mihi videtur ad alia trāſire, quæ eo maiori admiratione digna ſunt, quod immenſa ſui magnitudo illis non obfuit, quo minus in vtramuis partem facili progreſſu ac regreſſu conuerterentur, quo in genere, quoniam *Demetrius* dux ætatis ſuæ inclytus, ita præ cæteris excelluiſſe fertur, vt àperitia diſciplinaque faciendi obſidij machinarumque ſolertià, ad capienda oppida repertarum, cognomentum illi πολιορκητὴς inditum fuerit, nihilque in tota antiquitate illuſtrius habeatur eius H*elepoli* machinà ab euertēdis vrbibus hoc nomē adeptà; idcirco non alienū mihi ab inſtituto meo viſum eſt, ſi quæ Plutarchus de Demetrio eiuſque machinis egregia omnino, & conuenientia habet, in medium afferam, prout ea latinè reddidit non humilis nec inquinatæ dictionis interpres Donatus Acciaiolus D*emetrius vero cum machinis inſtrumentiſque bellicis delectaretur vehementer, adeo in his conficiendis ingenio & arte valebat, adeoque illius opera tam parua quam magna in ſuo genere præclara, atque magnifica erant: vt non modo ſumptu ſed etiam manu regia digna viderentur. vnde illud eſt non minus vere quàm eleganter dictum*; Demetrij *opera magnitudine ſua etiam amicis ſtuporem, pulchritudine vero etiam hoſtibus delectationem ſolita eſſe afferre. atque inter alia memoratu digna, naues duas quarum altera ſexdecim remis altera quindecim remis erat, ab eo confectas aiunt, & machinas nonnullas miro ingenio pro expugnandis vrbibus fabricatas: quæ quidem ſpectantibus hoſtibus incredibilem admirationem præbebant, veluti* L*yſimacho eueniſſe tradunt, qui etſi ſupra omnes alios* R*eges inimicus eſſet* D*emetrio, tamen cū ab illo* S*olos* C*ilicioſque obſidente petijſſet, vt ſibi liceret ſuas machinas naueſque conſpicere, atque deinde benigne concedente* D*emetrio, omnia opera conſpexiſſet, adeo ſtupefactum admiratumque aiunt, & magnitudinem & pulchritudinem machinarum, vt ſibi viſa ſint non humano, sed diuino quodam ingenio*

Digitized by Google

nio fabricatæ. *Rhodij quoque cum à Demetrio eſſent multo tempore obſidionem perpeſſi, ſoluto deinde bello eum rogarunt vt aliquas machinas ſibi relinqueret, quaſi quoddam ſuæ virtutis ſuique ingenij teſtimonium: eodem etiam bello in quo Rhodij ſimul erant cum Ptolemæo societate coniuncti, machinam quãdam quam vrbium expugnatorem appellant, eorum mœnibus admouiſſe Demetrium aiunt, tali quidem figura atque ſpecie fabricatam: habebat in primis quadratam ſedem, cuius vnum quoque latus inter ſe æquale, in latitudinem octo & quadraginta, in altitudinem ſexaginta cubitorum extendebatur, atque à poſtrema baſi vſque ad verticem adeo gradatim extenuari videbatur, vt cum infima ſedes longe latior ſupremo culmine eſſet, egregia quædam figura ex omni proportione ſeruata reſultare videretur: intus præterea erant latebræ cauernæque complures ad ſuſcipiẽdos milites accommodatæ; qua vero hoſtes ſpectabat frontem patefactam habebat, atque vndique feneſtellas tectas, quibus varia tela poterant aduerſus hoſtes ſine vllo periculo iaci, erat præterea ſecundum vnamquamque ſpeciem pugnæ bellaciſſimis viris referta, & quod ſupra omia ſpectantibus admirationem præbebat, tanta facilitate agebatur, vt cum ſtrepitum maximum ederet, in vtram partem inclinaretur cõſpici minime poſſet ſed æquali vtrimq; põdere incõcuſſa rectaque moueretur.* Sed præter Plutarchum varij alij auctores, & aliter quoque iſtius machinæ deſcriptionem attulerunt, vt Vitruuius, Vegetius, Diodorus Siculus, Ammianus Marcellinus, & recentiores multi, quorum tamen nullus rem propius attigit quam doctiſſimus Rigaltius, qui hanc ex Bitone mechanico; vt arietem de quo infra dicemus ex Diade, commentarijs ſuis in Onoſandri Strategicum inſeruit.

Ad huiuſmodi autem machinæ genus pertinere meo iudicio 8.
poteſt *Turris illa plicatilis* qua vſi ſunt Chriſtiani Principes anno ſupra milleſimum nonageſimo nono in expugnanda Hieroſolyma. hæc enim teſte Paulo Aemilio diſertiſſimo Francorum hiſtorico, ſoluta per partes, noctu comportari in caſtra poterat, & cum diluceſceret, ſuis iterum coagmentata compagibus, vrbi ad mouebatur: ac ne igni corrumpi poſſet, à fronte corijs recentibus atque crudis inducta agebatur, vrbem deſpiciens multiplici tabulato, vnde tormentis tela ingeri poſſent tanquam ex deſtinato hoſtem ferientia, tanta omnium admiratione, vt Genuenſes,

Turris plicatilis Chriſtianorum in oriẽte; & Marcelli ante Aueniouẽ itemque Ferdinãdi Scala. libro 4.

qui

qui turris huius fabricandæ auctores fuerant, multum inde laudis, & exiſtimationis apud omnes conſecuti ſint: hoſtes vero quo huius machinæ impetus retunderetur, ipſaque in fruſta diſſiliret malo in muris erecto, trabem ex eo tranſuerſam ſuſpenderant, vt eius interiore capite reducto, ac mox magna vi remiſſo, in appropinquantem machinam, velut Aries incuteretur, ſed contra hoc inuentum Ligur ſe falcibus muralibus inſtruxerat, & ex propinquitate retinaculum trabis cum horrendo ſonitu ingruentis, abſcidit, atque humi ſtratam in tabulatum ſuſtulit, porrexitque in hoſtium muros; qua in re fors conſilium iuuit, quia frons turris ita ſcite ſtructa fuerat: vt ſuperior eius pars paruo molimine inclinari, & tanquam pons protendi cum res poſtularet in hoſtem poſſet, itaque firmitudo trabis pondus illud ſuper impoſitum facile ſuſtinuit, vt auſus fuerit primus Godefridus Bollionius in muros hoſtium tranſcendere, attonitis omnibus miraculo tantæ virtutis in hoc Principe, & eius Fratre Euſtachio; qui ea regione muri occupata, refractaque porta, cæteris militibus aditum in vrbem præbuerunt. Nec multum ab ea turri diſſimilis illa fuit qua Martellus Aueniouem ciuitatem, cùm ab Atimo Sarracenorum duce propugnaretur, magno, & præclaro virtutis ſuæ documento expugnauit, quemadmodum videri poteſt apud Cœliũ Secundũ Curionem in hiſtoria Sarracenica, vbi eius turris deſcriptionem ſatis acurate complexus eſt. Memini præterea fieri mentionem à
libro 2. Laurentio Valla in ſuis hiſtorijs de *Scalæ* cuiuſdam incomparabili machinamento, quod Ferdinandus Hiſpaniarum Rex fieri curauerat, ea vaſtitate vt cẽtum homines ſuſtineret, ducentoſque alios ab hoſtium telis tegeret. Verum quia huius auctoris opera fruſtra hic à me quæſita ſunt, rem tantummodo hic indicare poſſum non autem ad plenum tradere, ſicut mei voti eſſet.

9. Sequuntur nunc *machinæ Archimedis* viri tanta mentis ſolertià
Archimedis incomparabilis mathematici. & acumine præditi, vt Cardanus inter duodecim viros quos præ cæteris, diſciplinarum laude præſtantes ſelegit, primum abſque controuerſia Archimedem ſtatuat, non ſolum ob monumenta
de ſubtil. lib. 16. eius quæ perierũt, ſed ob mira inuenta, quibus Syracuſas ita tutatus eſt, vt neque Appius terreſtribus, neque marinis copijs Marcellus oppugnationem ciuitatis tentare aliquando auderent, vt
libro 5. in Marcel. auctores sũt Liuius, & Plutarchus: vnde tametſi Marcellus *machinatio-*

natio-

nationibus eius, verba ſunt Valerij, *multum, ac diu victoriam ſuam inhibitam ſenſerat; eximiâ tamen hominis prudentiâ delectatus, vt capiti illius parceretur edixit, pene tantum gloriæ in Archimede ſeruato, quantum in oppreſſis Syracuſis hoſtis reponens*: & Cicero qui *Græculos* id genus omne hominum præ contemptu nominabat, eius, in hac expugnatione caſu interempti, ſepulchrum, longo poſt tempore, inter vrbis rudera ſenteſque, requirere non dedignatus eſt. Verum vt parcior ſim in huius hominis laudibus recenſendis, faciunt tum viri grauiſſimi Vincentius Mirabellus, Iacobus Bonannus, & Riualdus à Fluranza, quorum hic in editione operum Archimedis, illi vero in Siracuſanæ vrbis antiquitatibus vitam eius diligentiſſimè ſcripſerunt: cùm vero quia egregia illius opera, ſupra omnem laudem ſunt; non ſecus ac multæ Deorum ac Heroum ſtatuæ ſupra coronas, quæ cùm inponi præ magnitudine capitibus non poſſint, plerumque ſtatuuntur ad pedes. Certè quadraginta ipſius mira adinuenta mechanica fuiſſe tradit Pappus: quorum vnum fuit *datum pondus data potentia mouere*. Alterum quo *portionem argenti auro mixtam* in corona Hieronis Regis deprædendit; licet Vitruuius de eius modo non conueniat cum Priſciano, aut Quinto Rhemnio Polemone, ſiue quocumque tandem alio auctore carminis antiqui de ponderibus & menſuris, quod vulgo circumfertur. Tertium *Sphæra vitrea* automa celebre quod motus omnes, & circumuolutiones cœlorum, ac ſiderum imitabatur, celebratum propterea à Claudiano, eleganti illo epigrammate quod in omnium ore eſt; & cuiuſmodi binas alias machinulas cœleſtis motus æmulas imitatriceſque, vidiſſe ſe Lutetiæ Ramus aſſerit in proœmio mathematico; præter quas Riualtus à Fluranza duarum aliarum meminit, quæ Regi Chriſtianiſſimo & Inuictiſſimo Ludouico Iuſto, oblatæ fuerunt, à Marino Burgeſio Normano maximo omnium huiuſce temporis, & feliciſſimo μηχάνοποιῷ. Quartum *Specula parabolica* quibus hoſtium naues, & quæuis alia, ex maximo etiam interuallo comburebantur. Quintum *Cochlea aquis in altum euehendis* inſeruiens, qua præſertim in Aegypto vſus eſt, vt Diodorus Siculus, & Athenæus referunt. Sextum *Helice* qua nauim onuſtam multis hominibus, & nouo pondere de induſtria adiecto, ipſe procul aſſidens, tranquillè quaſi mari perlaberetur attraxit,

lib. 8. cap. 7.
1. Tuſculan.
libro 8.
libro 5.
libro 5.

eſt

eſt vero Helice machina cochleata clauiculatim ſpiratimque ſtricta, eius inſtar quam nos vulgo cochleam infinitam dicimus, cuius circunductu attolluntur, attrahuntur, efferunturque ingentia pondera. Septimum complures *machinæ bellicæ* quibus patriam, vt diximus, per triennitum ſolus contra Romanos tutatus eſt, reliqua vero eius inuenta non enumerat, I. Blanchanus, quia nullibi, quæ ſumma fuit hominum incuria, vel titulo tantum deſignata inueniri ea poſſunt, quod enim de *Triſpaſto* Archimedis inuento Oribaſius libro de machinis, & Tzetzes referunt, non ita à probatis alijs auctoribus recipitur, vt pro vero haberi poſſit; & quod addit Vincentius Mirabella de inuentione *pulueris pyrÿ*, quæ ad ipſum refertur, non modo contemni vt falſum, ſed rideri etiam debet, tanquàm vigilantis ſomnium perquàm abſurdum ſanè, & ridiculum. His vero inuentis tantam de ſe ſuaque ſcientia concitauerat opinionem Archimedes, quod publico regioque pſephiſmate *ei quodcumque dicenti credebatur*, vt Flurantius in eius vita notauit: & Liuius eadem ratione *vnicum cœli ſiderumque ſpectatorem* eum vocauit; dixitque Cicero quaſi ex formula loquendi ſuis temporibus vſurpata *non Archimedes potuit melius deſcribere*.

Chiliade 2. Hiſtor. 35.

10

Specula quibus hoſtium naues cōbuſſit quamquā mihi valde dubia fuit qua de illis, & Porta ſpeculis naratur.

Porro cum inter ſeptem illa inuenta enumerata, duo ad machinas mirabiles pertineant, quas cùm ad propugnadum, tum ad laceſſendum longeque ſummouendos à moenibus omni genere tormentorum hoſtes, iuſſu Hieronis Regis multum ante Syracuſarum oppugnationem fabrefecerat: horumque vnum ad ſtaticam, aliud vero ad catoptricam pertineat, prius eſt ex mathematicarum ordine vt de hac vltima dicam, quæ per reflexionem radiorum in ſpeculis, mirabiles, præſertim in comburentibus, operationes producit; ita vt horum beneficio multi recentiores aſſerant, Archimedem, & Proclum Diadochum tanquam nouos Prometheos, & Ioues fulminatores, aduocatum ſolo radiorum ſolarium concurſu, ex ætherea domo, ignem, in aduerſas hoſtium naues, & copias contorſiſſe. Scribunt enim Euagrius, Zonaras, Paulus Diacōus quod Anaſtaſius Vitaliano Thraci, qui Myſis, & Scythis ſibi conciliatis, prædas agebat in agro Byſantino, & vrbem claſſe obſidebat, per Marianum præfectum reſtitit, naualique pugnà commiſſa, machina quadam à Proclo viro excellentiſſimo

tiſſimo

tiſſimo facta, claſſis hoſtium debellata eſt, nam ſpecula ex ære fabricaſſe fertur, eaque muro è regione hoſtilium nauium ſuſpendiſſe, in quæ cùm Solares radij impegiſſent, ignẽ inde fulminis inſtar erumpentẽ, claſſiarios ipſaſque naues combuſiſſe dicũt: quod item Archimedem Romanis Syracuſas obſidẽtibus feciſſe, recentiorum ferme omnim eſt opinio; ita enim Tzetzes nõ modo hanc hiſtoriam refert, ſed ex priorum temporum fama, proiectionem radiorum ad diſtantiam quanta eſt iactus arcus, ſic deſcribit

Cum autem Marcellus remouiſſet illas ad iactum arcus,
Hexagonum aliquod ſpeculum fabricauit ſenex,
A diſtantia autem commenſurata ſpeculi,
Parua talia ſpecilla cùm poſuiſſet quadrupla angulis
Quæ mouebantur laminis, & quibuſdam ſculpturis
Medium illud poſuit radiorum ſolis
Auſtralis, & æſtiualis, & hyemalis,
Refractis deinceps in hoc radijs,
Exarſio ſublata eſt formidabilis, ignota nauibus,
Et has in cinerem redegit longitudine arcus tactus

ſequuti ſunt poſtea eandem opinionem quotquot de ſpeculis vſtorijs aliquid noſtra aut ſuperiori ætate ſcriptis conſignarunt Orõtium dico, Maginum, Franciſcum Gheuaram, Cardanum, Portam, Bernardum Cæſium, & quem hic lubenter quaſi extra ordinem laudo, feſtiuiſſimi ingenij philologum Leonem Sanctium in Floridorum ſuorũ ſerto ſecundo vbi hæc de Archimede habet

lib. de ſpecul. vſtor.
lib 4. de ſubt.
lib 17. mag.
cap. 15.
lib 3. mineral.
cap. 10.

Tale Syracuſia mirus iaculator in arce
Finxit opus, quo fertur aquis aluiſſe fauillas
Cryſtallo genitas, claſſemque liquaſſe latinam
Marcello mirante rogos volitare per vndas.

Cùm vero in antiquos auctores inquiro qui recẽtioribus iſtis præiuerint, duos tantumodo me vidiſſe memini Dionem ſcilicet in hiſtoria, & Galenum qui non tam ex profeſſo quàm aliud agens, paucula hæc verba de Archimedis ſpeculis protulit, *hoc, arbitror modo aiunt, & Archimedem hoſtium triremes vrentibus ſpeculis incendiſſe*; quo fit vt nondum planè apud me conſtitutum ſit, verè ne iſtud Archimedi tribuatur, an potius rumor tantum ſit, ex quorũdam opinione &, iam vſque ab antiquiſſima memoria ob excellentem eius ingenij præſtantiam diſſeminatus; alioqui Plutarcus,

3. de temper. cap. 2.

& Liuius non magis hoc ſilentio traſmiſiſſent, quàm tot alias eius machinationes, quibus explicandis nemo fuit diligentior; vt certe nec Polybius, qui & his duobus, & reliquis hiſtoricis, Archimedis ætati vicinior erat, natus ſcilicet anno circiter poſt eius mortem trigeſimo. Vnde falſo quoque circumferri eiuſdem auctoris nomine librum hunc exiſtimo de ſpeculis comburentibus, quem Gogaua ex Arabico tranſtulit; præter quam enim Plutarchus contendere videtur, nihil prorſus ab Archimede in mechanicis ſcriptum fuiſſe, nominatur inſuper in eiuſdem libri prima propoſitione Appollonius, qui longis temporibus Archimede fuit poſterior: & audio iam eũdem librum Arabicum auctori ſuo vero, & genuino reſtitutum à quibuſdam mathematicis fuiſſe. Deinde vero certũ eſt multa ſemper à nugacibus literatis de ſpeculorũ viribus dicta fuiſſe, quæ merito inter fabulas meras nugas, & affanias referri debent, nam vt exemplum vnum aliquod de multis afferam, non veritus eſt Rogerius Bacconus affirmare in libro ſuo de mirabili poteſtate naturæ, & artis, Cæſarem ſpeculis in ora Gallica diſpoſitis, arteque catoptrica, quæ ſpecies latẽtes multiplicat, portus omnes Angliæ, in quam traijcere volebat, prius exploraſſe, quo quid magis abſurdum, inane, propudioſum ab homine dici poſſit, nullus equidem video. Denique opinionem hanc de ſpeculis Archimedis non minimũ hiſce temporibus auxit Cardani inconſulta ratiocinatio, aut potius vanitas, & iactan ià, qui ſibi demonſtraſſe viſus eſt, quanam ratione ſpeculum parabolicum confici poſſet, quod inſtar ab Archimede fabricati res oppoſitas ad mille paſſus comburat. Sed tot falſa atque abſurda ſupponit, vt merito ſermonibus omnium vapulet, & Ioannis Baptiſtæ Portæ potiſſimum, qui certioribus experimentis, & rationibus totam ſpeculorum comburentium doctrinam complexus eſt, tam ſcite diligenterque ſuo more, vt præter Euclidis, Archimedis, Ptolomæi, Alhazen, Vitellionis, Orontij, Magini, & reliquorum inuenta non mediocriter à ſe illuſtrata, multa etiam proprio ſuo Marte excogitarit, quibus modos omnes vtendi hoc ſpeculorum genere in hoſtium pernicem, eo vſque fœlici mentis indagine ſcrutatus eſt, vt etiam vnius à ſe inuenti deſcriptionem, per quaſdam verborum ambages attulerit, cuius fidem cùm penes illum eſſe velim, ſic ſponſionem quam de illo facit, non alijs quàm eiuſdem

[Margin notes: lib. 4 de ſub. — lib 17 magia natur. — li 17. cap. 17.]

dem verbis in medium proferam, *ſed longe cæteris præſtantiorem modum trademus, à nemine equidem quod ſciam traditum, antiquorum omnium, & recentiorum inuentionem ſuperantem. nec puto humanum ingenium maiora excogitare poſſe. Hoc ſpeculum non ad decem viginti, centum aut mille paſſus comburit, vel ad determinatam diſtantiam, ſed in infinitum; nec in cono accendit, vbi radij coeunt. Sed à ſpeculi centro vſtoria linea procedit, cuiuſuis longitudinis, quæ obuia omnia comburit: præterea accendit retro ante, & ex omni parte*: ex quibus vides profecto leuia eſſe quæ quondam Proclus in Vitalianum, & Archimedes in Romanos machinati ſunt, ſi cum hoc nouo πυρσοφόρῳ conferantur, cuius audio communiter iactari tentamentum aliquod factum fuiſſe à præſtantiſſimo noſtri ſœculi mathematico Chriſtophoro Clauio, ſucceſſu ſanè incredibili, & formidando. At enim quemadmodum Ioanni de Forti ſcudo iſtud de Clauio in ferijs academicis aſſerenti, parum fidei habendum duco; ſic Portæ multo minus in ijſdem credi volim, qui niſi nos fallit, fallitur certè turpi, & ridendo errore: ſi enim dum Cardani pollicitationes ridet, de ſpeculo illo parabolico, quod inſtar Archimedei ad mille paſſus vrat, ita loquitur, *bone Deus quantas ineptias his paucis committit, primo ſpeculum ad mille paſſus comburẽs promittit, quod ad triginta fere pedes impoſſibile iudico*, qua tandem fronte ipſe aliud à ſe excogitatũ fuiſſe cõtendit, quod ad *infinitam diſtantiã naues, & quæ vis alia exurat*; & tamen vtrũque Porta aſſerit, quàm inſigni contradictione cæcus eſt opinior qui non videt. Citius ergo crediderim quemadmodum inquit Marbodeus Gallus in ſua dactylotheca, de criſtallo loquens li. 17. magat cap. 15. ibid. cap. 17.

Quod lapis hic Soli ſubiectus corripit ignem
Admotosque ſibi ſolet hic accendere fungos,

nam Plinius illud etiam ab exemplo medicorum comprobat qui *pila è cryſtallo aduerſis poſita ſolis radijs quæ ſunt vrenda corporum non aliter vtilius id fieri putabant*: imo vero ſi ſpeculum è glacie ſecueris in formam ardentis ſpeculi, ac Soli oppoſueris, non minus vret quàm vitreum aut chalibeum ſpeculum; ſed æſtate id fiat oportet, cùm vitrea difficilius vrant hyeme, pr pter radios Solis obtuſiores; adeo nempe exitioſum eſt homini genus ſuum, vt poſt mille nocendi artes, eã quoque excogitarit ignis ex aqua eliciẽdi. lib. 27. cap. 2

Aliud Archimedis inuentum mechanicum ad ſtaticam perti- 11.

 nebat,

Et varia obſidionales machinæ.

nebat, cuius inter alia iſtud proprium eſt, vt hominum organorumque parua vi, moles lapidum aut cuiuſuis alterius materiæ ingentes, loco dimouere, pellere, trahere, conuehere, torquere in gyrum, & tandem altiſſimis locis ac difficillimis reponere doceat; ita vt huius ſcientiæ beneficio credibile ſit Tyrios non vſitata modo præſidia, ſed quedam etiam noua, contra Alexandri naues, cùm eorum vrbem obſideret, admouiſſe; nam vt inquit Curtius *ad implicanda nauigia quæ muros ſubibant, validis aſſeribus coruos, & ferreas manus cum vncis ac falcibus illigauerant, vt quum tormento aſſeres admouiſſent, ſubito laxatis funibus injicerent vnci quoque, & falces ex iiſdem aſſeribus dependentes, aut propugnatores, aut ipſa nauigia lacerabant.* Quod item inter legiones, Romanorum, & Germanos factum, certo quodam machinamento, quo ſinguli pluresue hoſtium in ſublime rapti, verſo pondere in caſtra effundebantur, retulit alicubi Tacitus. Sed nihil vnquam in hoc genere excogitatum fuit tam excelles aut rarum, vt cum Archimedis vnius machinamentis conferri poſſit, aut debeat; quemadmodum vnicuique patebit, qui eorum magnitudinem artemque, & vim incredibilem æſtimare non indignum ducet, ex Plutarchi optimi, ac grauiſſimi ſcriptoris narratione, quàm ipſiſmet ejus verbis, cùm meis aut aliorum melius non poſſim, exhibeo, *vt vero machinas inſtruxit Archimedes, varia miſſilium genera, & immenſæ magnitudinis ſaxa, incredibili fragore ac celeritate iaculata, aduerſum terreſtres emittebat copias. qua in re cùm nullus omnino ſeſe ab hiſce tueretur molibus, cum confertim proſterneretur, vt quiſque incidiſſet, totaque diſſiparentur agmina, inde trabes è muris repente libratæ, firmiſſimoque deſuper iactæ pondere nonnullas in profundum naues præcipitabant, quaſdam ferreis manibus, & in roſtri gruini modum forcipibus per proram in ſublime raptas cùm ſuſtuliſſent in puppim, immergebant: aliæ oppoſitis rotatæ machinis cùm ingenti nautarum ſtrage præcipitibus illidebantur ſcopulis. celſius interdum à mari ſuſpenſa nauis nunc huc nunc illuc agitata, horrendum præbebat ſpectaculum, quod eiectis prouolutiſque vacuata viris, dum quæ ſuſpenderat catena remitteretur, muris illiſa recideret. Deinde cum ſuam Marcellus machinam iunctis ſimul nauibus muro admoueret; in hanc dū adhuc procul eſſet, primo vnum, dehinc alterum, mox tertium decem talentorum ponderis ſaxa proſiliunt*

ſiunt, quæ magno fragore, & quodam tempeſtatis impetu irrumpentia, diſiectis clauis ipſius baſim diſſipauere machinæ. & Paulo poſt *quapropter cum clanculum muro ſuccedere arbitrātur, miſſilibus occurrunt ingeſtis lapidibus, capite ſaucij, & vndique è muro perinde ac ad perpendiculum collabentibus telis obruti, quod ſi retro cederent, pro ſpatio locata iacula, & vaſto cadentia impetu intercipiebant abeuntes; maximâ igitur, & virorum ſtrages, & nauium facta vexatio, cuncta enim ferme inſtrumenta poſt murum locarat* Archimedes *Ea propter grauiſſima ex occulto perpeſſi* Romani *aduerſum Deos pugnare videbantur.* Vſque adeo vir vnus ſuper reliquorum ſortem arte aliqua vel ingenij ſolertiâ præditus, ſi rebus gerendis ad moueatur, res admodum magnas, & mirabiles efficere poteſt!

12. *Turcarum ingentes petraria in Conſtantinopolis obſidio ignis ad famaguſtã excitatus acvelta ſeptẽtrionalium.*

Verum quis non miretur *Turcas* etiam ſi Archimedis inuento non iuuarētur, inuſitatæ molis lapides, & ducentarum ſupra mille librarum pondo globos in Byſantium, ea vltima oppugnatione, quæ Græcorum imperio finem attulit, ex machinis ſuis euibraſſe. hoc eſt dimidio ferme Archimedis molibus grauiores, cùm hæ ad ſummum decem tantum talenta minora ſcilicet ſeu attica penderent, quorum vnum quodque ſexaginta minarum fuiſſe ab auctoribus deſcribitur, minam vero quatuor tantum drachmis maiorem fuiſſe librâ Romana docet Fannius apud Priſcianum

Accipe preterea paruo quam nomine Graij.
Mnam vocitant, noſtrique Minam dixere priores,
Centum hæ ſunt drachmæ, quod ſi modo dempſeris illis
Quatuor, efficies hanc noſtram denique libram.

At nihilominus factum iſtud à Turcis fuiſſe auctor eſt Leonardus Chienſis Mytilenes archiepiſcopus in hiſtoria captæ Conſtantinopolis, cui tanto plus fidei adhibendum eſt, quod præſens omnibus interfuit, ipſoſque lapides proprijs palmis dimenſus eſt, *horribilem* inquit *perinde bombardam, quam vix iuga* Boum *quinquaginta tentum vehebant, ob partem illam murorum ſimplicem quæ nec foſſatis nec ante murali tutabatur, calegariam dictam, figentes, lapide qui palmas vndecim ex meis ambibat in gyro; ex ea murum conterebant.* Quod vero ijdem Turcæ ad antiquam Arſinoem ſeu *Famagoſtam* vrbem inſulæ Cypri maritimam, cui poſt debellatum in Actiaca pugna Antonium hoc nomen, inditum eſt, quaſi *fama Auguſti,* geſſerunt, quanquam ad aliud genus machina-

rum ſpectet, earum videlicet quæ ignis ope miraculũ ſui efficiunt id non minori certe quàm ſuperiora, admiratione dignum eſt, etenim pluribus iam in hac vrbe obſidenda menſibus elapſis, cùm viderent fruſtra eſſe cunctà, quæ in illam tormentis, & cuniculis molirentur, magnum tandem aceruum ligni collegerunt, ex earum arborum genere quæ reſinam ferunt, ob idque facillime inflammantur, & fumum grauẽ odoriſque fœdiſſimi emittunt quo ante vrbis portas proiecto, atque accenſo; tam validum ignem concitarunt, admixtis etiam virgultis aridis, trabibuſque vaſtiſſimis, vt nullo modo extingui ab oppidanis potuerit: vnde Turcis interim ſtrenuè per cuniculos rem agentibus, M. Antonius Bragadenus, & Aſtor Baleonus primarij vrbis duces, qui rerum alioqui inopià & fame premebantur, eas cum Barbaris conditiones paciſci coacti ſunt, quas tamen poſtea firmas ratasque immanis ac truculentus hoſtis eſſe noluit. Atque hoc Turcarum machinamentum, cùm ſimile videri poſſit eius, quo Tucydides obſeſſos expugnatoſque Plateænſes fuiſſe in hiſtorijs refert, tum vero illud mihi in memoriam reducit, quo ruſtici ſeptentionales obſidionalibus machinis deſtituti, in arcibus præfectorum crudelium expugnandis, vtuntur; cuiuſque tanquam expeditiſſimi compendij rationem, multum extollit Olaus Magnus, ſcilicet faſces virentes pice illitas, betulino cortice intermixto, in ſtruem altam turris inſtar congerunt, quam *Veltam* vocant, centum virorum coniunctis viribus promouendam; tanta vero denſitate, vt tormenta omnia ſuſtineat: hanc igitur vento opportuno ſpirante accendunt, & arcibus admouent, ita vt fumo, ſcintillis, & mixtis flammarũ globis obſepti oppreſſique tyranni, vulpium inſtar ſuis in ſpeluncis intereant, aut ſaltem ad deditionem cogantur.

13. *Nauis incendiaria, & fulminatrix Antuerpienſium deſcripta & collata cum Tyriorum ſimili machina.*

Sed quàm hæc vana ſint, imo quàm nulla, & ridicula, ſi cum fulminatricibus machinis hoc recentiori æuo repertis, & incredibili violentia pulueris nitrati conferantur, etiã ſi tormenta ipſa horribili fragore, eoque impetu, & odore teterrimo diſploſa, qui fulmen excuſſum e nubibus præſeferant, & his adhuc euidẽtius cuniculi, tot arcibus firmiſſimiſque propugnaculis, non concuſſis modo, ſed penitus ſuis ſedibus euulſis, id ſatis teſtentur: nihilominus quo res ipſa clarior adhuc fiat, ex collatione antiquio-

ris

ris cuiuſdam machinæ cum recenti aliqua ex earum claſſe quæ puluere ſulphureo inferciuntur,ſimulque appareat quàm verum ſit illud Poëtæ neſcio cuius

Sumpſerunt artes hac tempeſtate decorem
Nullaque non melior,quàm prior ipſa fuit.

en eiuſdem ferme generis exempla tibi propono, Ludouice Comes; *aggerem* ſcilicet à Tyrijs *diruendum*, quem,vt ſupra retuli, Alexander Magnus quum tenderet in orientem, vt vrbem illorum continenti iungeret,eoque facilius expugnaret, per interiectum quatuor fere ſtadiorum fretum, iactis in altum ingentibus ſaxis, demerſiſque arboribus vaſtiſſimis,ædificandum ſuſceperat; & *Pontem impoſitum Scaldi* ab Alexandro Farneſio, quum Antuerpiam obſideret, quem ciues Antuerpiani vt ſibi penitus infeſtũ ſubruere modis omnibus, ac peſſumdare decreuerint, quibus igitur machinamentis putas vtroſuis illorum populorum,rem hanc ſubtilius, aut maiori impetu, ac conatu peregiſſe; ſanè nolo iſtud libro 2.
ex me diſcas,ſed Arrianum in primis audi qui Tyriorum in hunc aggerem molimina, his verbis à Radero latinitate donatis ſic repræſentat. *Tyrij nauem hyppapogam aridis ſarmentis aliaque materia, quæ facile ignem concipit onerant, & malis duobus ad proram erectis, quam latiſſime poſſunt in orbem circum ſepiunt, vt faſces faceſque quam plurimas capiant, ad hac picem & ſulphur aliaque ad excitandam ingentem flammam accommoda, accumulant: præterea ad vtrumque malum binas antennas extenderant, atque ex ijs in lebetibus ſuſpendunt, quæcumque aut infuſa, aut immiſſa vehementer flammam augere poſſent, dehinc omnia inſtrumenta nautica in puppim transferunt, vt eorum pondere grauata puppis, proram altius erigat, dein obſeruato vento qui aggerem verſus ſpiraret, nauem triremibus alligatam in mare protrahunt, poſtquam vero moli, turribusque appropinquauerunt, immiſſo in materiam igne, quanta maxima vi poſſunt nauem ad molis caput impellunt, at qui in naui iam ſuccenſa erant remiges], facile enatarunt, interea ingens incendium turres comprehendit*, ex quibus patet eo tandem Tyriorum conatus deſijſſe vt opera turreſque in hoc aggere fabricatæ incendio abſumerentur. At vero quàm præſtantior fuerit *machina igniuoma*, quam ad Farneſij Pontem diruendum,Fridericus Iunibellius Mantuanus mathematicus, & mechanicus inſignis appa-

rauit, vel hoc ſolo conijcere potes, quod eius diſſilientis fragor, & immanis ſonus, varios homines, qui ſex inde milliaribus aberant, quaſi cœlum terræ miſceretur, attonitos detinuerit. Sed præſtat rem quæ maximè omnium admiratione digna eſt, non ita ſicco pede pertranſire, quin ea voluptate perfruaris, quàm ex fidiſſima eius relatione, te conſecuturum eſſe nullus dubito; naues igitur duas firmiſſimis carinis conſtructas, tabulis aſſeribuſque robuſteis vndique vallauerat Iunibellius, & arcam in vnaquaque ex molaribus, & generis cuiuſque lapidibus, quinque pedum latitudine ſuperſtruxerat, interius lõgam pedes quadraginta, altam vero tres cum dimidio; in eamque pulueris nitrati librarum decem millia indiderat, relictis quibusdam patentibus fiſtulis fomentario igni, & horologio cuidam ita aptato, vt non antea laxatum, quàm nauis ipſa in crates, ac pontem propemodum impegiſſet, tunc commodè, citra ignarij funiculi opem, ignem extunderet, porro ſumma arcæ pars cyppis immenſiſque lapidibus tecta, cuſpidem ſex pedes latam oſtentabat, quæ honorarij formam tumuli referret, & firmitate ſua exploſos tormentorum globos potenter auerteret, fori autem, & conſtratæ nauis tabulata, ſparteis manipulis pice, reſinà, ſulphureque oblitis, ac malleolis conflagrabãt, vt quum nihil peius hoc artificio metuerent hoſtes, ſecuri ad ſpectaculum ſederent, & ita non ſolum pons euerteretur, ſed etiam ipſi incogitantes opprimerentur. Quod hoſtile portentum caliginoſa nocte recedenti iam amni, æſtuique decreſcenti commiſſum, continuò è caſtris omnem exercitum ad pontem exciuit, quem exteriori illa ardente machina tamdiu ludificatum detinuit, vt cum fumus tantum ex flamma, nec aliud præterea magis noxium ac terribile, ex ea emanaturum crederetur, multi per audaciam, vel nauim ipſam conſcendere, ad ignis fomitem reſtinguendum, vel ad illam accedere, rationem machinæ propius inſpecturi, non dubitarint; ſed ecce tibi repente cõceptus ignis, terribili fragore occultis illis carceribus eluctatus, nauim omnem adeo minutatim diſcerpit, vt nulla eius pars deinceps cõſpecta fuerit; cœlum omne trabalibus telis lapidibuſque immẽſis, & flammarum voluminibus complet; ſtationarios & claſſicos partim in vndas demergit, partim in aera rotatos miſerabiliter laniat, & diſcerpit; ſex pontis naues confringit, aliaſque inuerſis

cari-

carinis aquà, & arenà obruit; fluminis alueum, littoraque ad multos paſſus, reiectis hinc inde immenſa mole aquis, penitus denudat; nemini denique parcit qui vel propius acceſſiſſet, vel etiam longius abeſſet; ſed ad duorum vſque milliarium ſpatium quo procella hæc horribilis pertingere potuit, vltra quingentos homines, quaſi de cœlo tactos qua exanimes, qua mutilos proſternit; ipſeque *Parmenſis* qui haud ita longe præceſſerat, cum Cæſare Daualo Vaſtij marchione, & Nicolao Cæſio comite, alijsque, terræ adflictus eſt, propiuſque factum eſt nihil, quàm vt omnes lapidum imbre obruerentur.

Atque ita, Comes Ludouice, vides quàm hæc *Antuerpianorum crepera, & fulminatrix machina*, longo poſt ſe interuallo *Tyriorum naues incendiarias* relinquat; ſimulque reputare debes apud te nihil eſſe tam dirum, aut immane quod non audeat, nihilque tam arduum, aut difficile quod non aſſequatur, aut perficiat hominum induſtria; æqua certe in minimis, ac maioribus machinis, ingenij contentione. *Certum eſt enim* inquit Cardanus *Brixienſem fabrum, Scorpionem palmi magnitudine totum ex chalybe ſic temperaſſe, vt mœchum vxoris ſuæ occultato ſub mantello inſtrumento occiderit tuto, & abſque ſtrepitu, ac ſuſpicione:* nec ſi is de laude cum Diognoto, aut Mandrocle Samio, qui montibus excisis, molibuſque operum vaſtiſſimis innotuerunt, contendat; meo iudicio inferior illis cenſeri poterit, cùm ex Diuo Thoma *nuſquam ars magis quàm in minimis tota ſit*. Sed tempeſtiuum eſt, vt huic prolixæ diſſertationi de mirabilibus machinis finem imponam, cuiusdam explicatione, de qua ſi verum eſſet, quod habet auctor appendicis ad chronicum Carionis, quem Guillemum Poſtellum fuiſſe non leuibus de cauſis conijcio; merito ea cæteris omnibus præſtantior haberi deberet: narrat enim is admotam fuiſſe à Carolo V. Imperatore, in expugnando Terouannæ munitiſſimo oppido, quod in finibus Belgarum erat *machinam ea mirabili arte compactam, vt nec tormentis igniuomis retundi, nec igne, vel aqua oblædi potuerit*, quod equidem qua ratione fieri poſſet, ſœpius apud me cogitaui, hæſique dubius, vtrum rarum hoc & inuſitatum machinamentum, ad antiquorum poliorcetica ſpectaret, aut nouum inuentum eſſet, in gratiam tanti Imperatoris, à ſolerti aliquo mathematico excogitatum. Verumtamen cùm non huius

14.
Ac demum Scorpio minimus Brixienſis Fabri, & Caroli V. machina quæ cõfuſe tamen ac inepte ab hiſtorico deſcribitur.

lib. 2. de ſub-

ius machinæ beneficio, ſed cuniculis & effracto muro, vocatoque ad colloquium milite, vt ex altera parte facilius inuaderetur, vrbem hanc expugnatam fuiſſe conteſtatum ſit hiſtoricorum monumentis, videtur mihi auctor ille, qui nimis ſe facilem multis alijs narrationibus præbuit, huic etiam, quam à quibuſdam ſubleſtæ fidei hominibus acceperat, nimis inconſideratè feſtinanterque adhæſiſſe.

X. His vero mirabilibus machinis, quæ non ſemper, neque ex communi hominum conſilio, ſed vt cuiuſque ducis ingenium, aut rerum vſus, vel euentus tulerint vſurpantur. Succedunt *obſidionales ordinariæ*, quæ *poliorcetica* communi appellatione dicuntur, & quarum eo certior eſt ratio, quod eodem ferme modo, quamquam apud varias gentes, nec vno ſemper tempore fieri & vſurpari conſueuerint. Sed priuſquàm de his ſermonem aggrediar, monitum te velim, Ludouice Comes, me neque de omnibus, quod longum, & faſtidioſum eſſet; neque eodem ordine quo cæteri fecerunt, eſſe dicturum, quia velle in his certum ſequi ordinem, puerile eſſet meà quidem ſententià, cùm nullus huc vſque tam ſubducta in eo aſſignando ratione vſus fuerit, quin multa in eum comiſiſſe depræhendatur, ob multiplicem effectum eiuſdem machinæ, tam in ſubita, quàm in diuturna obſidione & in propugnatione arcium, haud ſecus, ac in earumdem oppugnatione. Vnde honeſtius duxi ſpicilegium quàm meſſem in hac ſemente facere, & quemadmodum paupertinæ mulieres quæ meſſorum veſtigijs inſiſtunt, ſi quam ariſtam viderint caput cæteris altius attollentem, ad eam ſtatim accurrunt, ſic legenti mihi veſtigia tot præſtantiſſimorum virorum, qui de machinis ante me dixerunt, nihil omnino relictum eſt, niſi vt ſi quæ ipſos fugerint, horum ſpicilegium, aut ſi mauis racemationes, & analecta colligam, ducto ab *Ariete*, notiſſima celeberrimaque omnium machina, exordio. De cuius inuentione, non minimà inter auctores opinionum diſſenſione certatur, cùm Pauſanias, & Plinius repertum bello Troiano Arietem fuiſſe ab Epeo literis mandauerint, quem tamen Vitruuius, & Septimius Florens Tertullianus Carthaginenſibus vendicant, *nam & Arietem* inquit hic (*non quem Laberius reciprocicornem, & lanicutem, & teſtitrabum vocat, ſed trabes machina eſt, quæ muros frangere militat*) *nemini adhuc*

1 Mirabiles machinas ſequuntur obſidionales ordinariæ, vt Aries.

libro 10. capite 19.

lib de pallio

huc vnquam libratum, illa dicitur Carthago ſtudijs aſperrima belli, prima omnium armaſſe in oſcillum penduli impetus, commentata vim tormenti de bile pecoris capite vindicantis; ſed modus inuentionis diſtinctius exprimitur à Vitruuio, qui eum caſu à Tyrijs, ſeu Carthaginenſibus inuentum tradit, cum ad Gades oppugnandas, caſtellum quod ante cœperant demoliri conarentur, poſtquam enim non habuerunt ad demolitionem ferramenta, ſumpſerunt tignum, idque manibus ſuſtinentes, capiteque eius ſummum murum continenter pulſantes, ſummos lapidum ordines deijciebant; & ita gradatim ex ordine totam communitionem diſſipauerunt; ex eoque, vt inquit idem Vitruuius, Pephaſmenes faber Tyrius Arietis bellici machinationem commentus eſt, rudiorem ſaneillam adhuc, ſed quam poſtea Cetras Chalcedonius baſi addita rotiſque eidem coniunctis, in eam formam reduxit, vt à tectis militibus tutò commodèque impelli contra hoſtium muros poſſet, atque vt Vitruuium, aut Athenæum mechanicum (ex quo Vitruuium, cuncta quæ de Ariete & teſtudine habet, penitus ex ſcripſiſſe Turnebus oſtendit,) potius quàm Plinium audiam, de iſtius machinæ inuentione, multa ſane in cauſa ſunt, ſi enim Græcorum res, & iam inde à bello Troiano vſurpata, cur nulla eius apud Homerum mentio? cur apud nullum alium auctorem, qui multis poſtea ſæculis floruerit? fieri ne poteſt, vt res tanti vſus, ſemel reperta ſubito euanuerit. Porro cum trabs hæc quæ funibus lentis ſuſpenſa retro ducitur vt impetuoſius feriat muros, *Aries* Ciceroni, optimiſque linguæ latinæ auctoribus dicatur; Procopius tamen *cancrum* eam appellauit, forſitan quia identidem retro iret; & eiuſdem, aut paulo diſiunctæ ætatis ſcriptor Abbo, *carcamuſam* barbarè, & ignota mihi prorſus nominis ratione; ac demum hæc Paulo Diacono *exterminatorium inſtrumentum* dicta fuit; cuius caput quia ferro tegebatur antrorſum in acumen producto, & nonnunquam trifidum erat, aut quadrifidum, propterea varia etiam nomina ſortitum fuit, nam illud Suidas ἐμβολὴν ſeu roſtrum appellauit; Latini omnes *caput*, & cornu imitatione Ioſephus κεφαλὴν; Hegeſippius autem *cornua* dixit. *Oſcillum* Tertullianus; & *Arcumen* Ammianus, qui præclare Arietis vſum ac fabricam expreſſit, quemadmodum etiam fecere Ioſephus, Vegetius, & qui rem penitus exhauſit Hero mechanicus. Cæterum vt ab Ariete *Quem*

1. gothicor. | in obſidion. pariſiens. | libro 17. | lib. 3. | lib. 20. | lib. de mach. bel.

Quem legere ducem & pecori dixere maritum,
verbum *Arietare* etiam proprium iſtius machinæ factum eſt,
Aeneide. 12. vſurpatumque fuit à Virgilo in his verſibus
immiſſis pars cæca, & concita frænis,
Arietat in portas,
in trucul. & à Plauto qui feſtiuiſſimus iocorum promuseſt, dum dixit *quis eſt qui tam proterue noſtras ædes arietat? ſic* ludus quidam, ab eiuſdem animalis cum paribus decertantis inſultu, originem habuit, de quo, cùm non ita frequens ſit apud alios auctores mentio, idcirco non abſurdum iudicaui, quæ de eo Cœlius Calcagninus in
epiſt. 22. lib. 1 epiſtolis ad nepotem habet, corollarij loco huc afferre *ſcito itaque* inquit ille *Hieromeniã apud Græcos ludum fuiſſe, in quo vir, nudo glabroque capite, Arieti, vt ille ait, reciprocicorno occurſabat: ſæpiuſque eadem die ad tonſtrinam ſe recipiebat vt obarmaret loricaretque caput feruenti pice, quod ſi minimè Arieti ceſſiſſet, & firmiter arietaſſet certo proemio donabatur*.

2. *Teſtudo, & muſculus.* Huius autem Arietis bellici ſpecies erat *Teſtudo*, cui hoc nomen inditum fuit à Cetra Chalcedonio, propter ſimilitudinem quam habebat veræ teſtudinis, ſeu in motu tardiori, ſeu quia ſicut hæc modo reducit caput, & modo profert; ita machinamenti genus iſtud, trabem nunc reuocat, nunc exerit, vt validius feriat; eius enim vſum fuiſſe docet Vitruuius, vel ad congeſtionem foſſarum tantum, vel etiam ad muros, vt accederent milites, & inhærente Ariete impetum facerent; ſed præter machinam iſtius nominis, fuit etiam alia teſtudo facta ex ſcutorum connexione curuata in morem teſtitudinis, quæ ordinatio συναςπισμὸς
Aeneide 2. Græcis dicebatur, & auctore Diodoro excogitata primùm fuit belli Troiani temporibus, vnde Virgilius
Danaoſque ad tecta ruenteis
Cernimus, obſeſſumque acta teſtudine limen.
lib. 49. quod quomodo fieret pulcherrimè expreſſit Dio Caſſius, poſt
lib. 44. Liuium, & Lucanum. Enimuero vt Teſtudo foſſoria parum
lib. 3. ab Ariete diuerſa fuit, ſic *Muſculus* ſola paruitate, vt nonnulli
lib. 4. cap. 16 volunt, à teſtudine differebat; quamquam Vegetio longè diuerſà formà fuiſſe dicatur, nomenque ex eo habuiſſe, quod velut muſculus piſcis, auxilium adminiculumque Balænis iugiter exhibet, *ſulcaudas* vt inquit Claudianus

Dum

Dum prauius edocet vndas,
ita machinæ iſtæ breuiores deputatæ turribus magnis, aduentui illarum parant viam, itineraque præmuniunt.

Iſtis vero affines erant *vineæ*, & *plutei*, ſeu *crates accuratiores*, quibus tecti milites ad ſubruenda mœnia penetrabant, quo ſenſu dixit Propertius 3. *Vineæ Plutei Falces murales.*

Vineaque inductum longa tegebat opus

quamobrē Hero,& Apollodorus in poliorceticis,vineas, minores & leues teſtudines appellāt, vt notauit Turnebus in aduerſarijs,in eoque tantū vt idem addit,vineæ differebāt à Pluteis,quod hi ſimiles erant illis appendicibus quas ædificijs applicamus, tectūque in vnā partem deuexum habebant, vt & plutei in quibus ſcribimus: vineæ vero in vtramque partem deuexitatem tecti habebāt,atque vt vineas accuratè deſcripſit Vegetius; ſic *Plutei* ex Feſto, & Iſidoro erant crates ex vimine contextæ, & corio crudo exterius munitiæ, quæ ſolebant opponi militibus opus facientibus, & appellabantur *militares*, vt etiam num tabulæ quibus aliquid præſepitur, eodem nomine dicuntur, vulgo *Gabioni*: ſed antiquitus ternis nitebantur rotulis,circumagebanturque huc & illuc inſtar carpenti, vt per illos tuti milites, aduerſarios fundis miſſilibuſque de propugnaculis deturbarent, vt patet exemplis quæ frequenter ocurrunt apud Cæſarem,Curtium, Ammianum,& hiſtoricos pene omnes tam antiquos quā recentes;nam Abbo ipſarum quoque meminit in obſidione Lutetiæ.Erant præterea *Falces murales* antiquitus magno in vſu exſtrahendis è muro lapidibus, aut machinarum funibus præcidendis, vnde cùm ad id opus incuruæ fabricarentur,ita vt falcibus ruralibus eſſent perſimiles, ex eo nomen ſortitæ ſunt, & cùm in naualibus prælijs vt expreſſe notauit Vegetius *colatorijs* aut quemadmodum maioribus Criticis placet chalatorijs funibus ita appellatis à verbo *chalare*, incidendis tum, & in arcium oppugnatione ad hibebantur, *nauales* ideo, ac *murales* appellatæ fuerūt; vt de poſtremis teſtes ſunt Appianus de bellis punicis ſcribens, & Cæſar,ac Ioſephus quorum locis neſcio vt facile ſe expedire poſſit Robortellus,dum eo loci vbi Cæſar inquit *vna erat magno uſui res à noſtris præparata, falces præacutæ infixæ, inſertæque longurijs non abſimili forma muralium falcium*, ipſe *rurales falces* pro *muralibus* reponit.

[Margin notes: libro 11. capite 24. — lib.4.cap.15. — lib.3.comm. libro 9. — li 2 cap. vlt & 4 cap.46 — lib.3.]

His

4\. *Falæ ſeu turres ambulatoriæ quæ varijs modis ab igne defendebantur vbi fabulæ de alumine, & larice extructa multaque alia adu. ignes propoſita.*

His vero longe operioſores erant *turres ambulatoriæ* ſeu *Falæ* compactæ nimirum ex trabibus, & tabulatis extructiones, forma ædificiorum, quæ vt inquit Vegetius *habebant in inferioribus Arietem, cuius impetu murum lacerabant; circa medium pontem factum de duabus trabibus, ſeptumque de vimine, quem ſubito prolatum inter turrim murumque conſtituunt, & per eum ingredientes de machina bellatores, in ciuitatem tranſeunt, & occupant muros; in ſuperiore autem parte contati, & ſagittarij collocantur, qui defenſores vrbis contis miſſilibus, ſaxiſque proſternant:* eædem ambulatoriæ, dicebantur, quod rotis ſubiectis promouebantur, reducebanturque, & frontes interdum *laminis ferreis* obductas habebant aduerſus incendia, quamuis frequentior vſus eſſet *corij crudi*, & quominus cederet flammis, etiam humectati, in communiendis contegendiſque machinis militaribus; vnde Amianus dixit. *Aries humectis Taurinis opertus exuuijs*; quin *argillam* cum lapillis ſubactam ad eam craſſitudinem ſolebant inducere, vt ignis nocere nihil poſſet, vel *culcitras*, & *centones* aliaque tegumenta obtendere, ad quæ madefacienda aceto potius quam aquà vtebantur vt ex Siſennæ hiſtorijs patet. Verum præter iam dicta, non minimum etiam conferre cenſentur, vt nulla ædificatio e ligno, correpta atque inſinuata flammis, ardere poſſit, ſi ex *larice* arbore fiat, aut *albumine* oblinatur: quæ idem quoque Theophraſtus de *viſco* prodit, quanquam non ita certa aut explorata ratione, ac de duobus alijs ferme ab omnibus traditum eſt: quum Antonius Iulianus locum hunc ex Quinti Claudij Quadrigarij optimi, & ſinceriſſimi ſcriptoris, annali vndeuigeſimo apud Gellium laudet *tum Sylla conatus eſt, & tempore magno eduxit copias, vt Archelai turrim vnam, quam ille interpoſuit ligneam incenderet, venit, acceſſit, ligna ſubdidit, ſubmouit Græcos, ignem admouit, ſatis ſunt diu conati, nunquam quieuerunt incendere, ita Archelaus omnem materiam obliuerat alumine: quod Sylla atque milites mirabantur, & poſtquam non ſuccendit reduxit copias;* loquitur nempe Quadrigarius de Sylla, Piræum in terra Attica oppugnante, contra Archelaum Mithridatis præfectum, ibique pro alumine multi *albumen* ex Plinio reponunt; ſed quàm rectè Ammianus id oſtendit in cuius hiſtoria legas *Perſæ aſſidue malleolos atque incendiaria tela torquentes laborant incaſſum, ea re quod humectis corijs*

lib. 10. · lib. 15. cap. 2 · lib. 20.

torijs, & centonibus erant operta plures materia, alia, uncta alumine diligenter, vt igni, per eas labreatur innoxius: tum etiam Strabo, Pauſanias & alij qui ſimilibus experimẽtis virtutem hanc alumini aſſerunt, quam forſan aliquis conijcere poſſet illi ineſſe eo quod vt inquit Plinius ſit veluti quædam *terra muria*, verum cùm eius tria genera Dioſcorides conſtituat *ſtrongile* ſeu *rotundum*, *liquidum*, & *ſciſſile* quod nonnullis *plumeum* quoque vocatur, animaduertendum eſt, ſoli plumeo, facultatem hanc conuenire, quod acre eſt, & à flamma tutum inuictumque manet, videturque eſſe lapis A*miantus* qui ligni modo pluribus conſtat lineis intercurſantibus, nec igni comburitur; inſigni naturæ miraculo. lib.xv. ca.15.lib.35

Quo non inferius illud cẽſendum eſt, quod dicunt multi *Laricem* non ſolum ſucci amaritiè vehementi, à carie tineaque præſeruari, verum nec flammam recipere, nec ardere per ſe, niſi vt ſaxum in fornace ad incoquendam calcem, lignis vratur alijs, nec flammam ideo ſic quoque, carbonemue remittere, ſed ſpatio longiore vix comburi, quod ſit minima in eo ignis, & aeris temperatura, proindeque dicebat Mantuanus:

Et robuſta larix igni impenetrabile lignum

depræhenſum autem id fuit apud *Larignum* oppidum, ab eius arboris copia nominatum, poſitumque in alpibus, quando ignibus obuallatam turrim Diuus Cæſar comburere non potuit, vt narrat Vitruuius, ideoque tunc primum cognita eſt hæc materia, cuius tabulæ in ſubgrundijs, incendiorum traiectiones prohibent. Verum Plinio & Vitruuio, cæteriſque mirificæ huius virtutis aſſertoribus, apertè multi ex recentioribus, nec immerito quidem aduerſantur, vt Lilius Giraldus, Andreas Matthiolus, Baptiſta Porta, & Ioannes Brodæus, qui laricem igne non lædi falſiſſimum pronunciant, quòd illa reſinifera ſit & oleoſa, atque adeo igne facile concepto ardeat & difficillimæ ſit extinctionis, vt propterea Lucanus rectè illam poſuerit inter arbores quæ aduerſus ſerpentium aliorumque reptilium infeſtationem à militibus comburebantur lib. 2. cap 9 lib. de re nauali lib.12. mag. cap.12. lib.3.miſcell. cap. 3.

Vltima caſtrorum meditatus circuit igni
Hic ebulum ſtridet, peregrinaque galbana ſudant,
Et larix non læta comis, Eoaque coſtus,
Et panacea potens, & Theſſala centaurea,

Peuce-

Peucedanum ſudat flammis, Ericinaque taxus,
Et latices, fumoque grauem ſerpentibus vrunt
Abrotanum, & longè naſcentis cornua Cerui.

libro 10. capite 10. Certior igitur ille fuerit arcendi ignis modus, quem idem Vitruuius exhibet, nempe vt *circum tabulata collocentur crates ex tenuibus virgis creberrimè textis, maximeque recentibus, pererudis corijs duplicibus conſutis farctis algâ, aut paleis aceto maceratis, circa tegatur machina tota*; ita quoque Aeneas tacticus coria cruda, & acetum ſummopere laudat ignibus extinguendis, quod item faciunt Iulius Africanus, & Hero mechanicus, ac Apollodorus laudati omnes a Caſaubono in notis ad Aeneam, vbi inter alia locum hunc Philonis profert, & latinè vertit ex Græco M.S. *ne machinæ crementur, neque epibathræ, neque teſtudines tegulis* (ſquammas alij dicũt) *vtendum eſt ferreis, æreis, plumbeis, aut humente alga, vbi eam in retia conieceris: vel ſpongyis madentibus, petes, & velleribus, poſtquam illa aceto madefeceris, aut aquâ, aut viſco: vel ſanguine ligna inungito cui cineri permixtus fuerit.* Addit præterea Polyænus fuiſſe qui machinas ab ignis periculo ſeruarẽt, argillâ cũ capillo ſubactâ, quæ olim ſolita ad eam altitudinẽ machinis induci, vt ignis omnino non poſſet eis nocere, vt aſſerit etiam Vitruuius ex Græcorum libris; & Apollodorus non vno loco, terram pinguem hoc nomine commendat, & quidem mixtis in ea capillis. Cæterum ignem illum qui malleolis iacitur, aquis cõſperſum magis excitari, nec remedio vllo, quàm ſupra *iacto puluere* conſopiri auctor eſt Ammianus Marcellinus, quod vt illi credam, facit communis experientia, vſurpata etiam noſtris temporibus extinguendi ferri cùm e fornace profluit, ſolo puluere iniecto, & maxima incendia comprimendi obiectu cœni, & arenæ. Denique *ſucci* etiam *ſpiſſi*, & *mucilaginoſi* contra ignem valent quemadmodum altheæ; nec reijcitur à Plinio *albumen oui, cui vis tanta vt lignum eo perfuſum non ardeat, ac ne veſtis quidem contacta aduratur*: quo modo dixit poſtea, *ignis autem aceto maximè reſtinguitur & viſco & ouo*: vnde Ioannes B. Porta concludit valde ſibi probari *argentum viuum aceto, & albumine reſtinctum* illitumque ei rei, quàm quis ab igne tueri ac defendere velit. Sed dicam ingenuè, plus eſt in his omnibus, varietatis; quã veritatis, multaque viri docti proponunt & determinant in libris,

[Margin notes: lib. 6 in Athenocle. (beside "Polyænus"); li. 10. cap. 81. (beside "Vitruuius ex Græcorum libris"); ..0.23. (beside "iacto puluere"); lib. 29. cap. 2 (beside "ni, & arenæ"); lib. 12. mag. cap. 9. (beside "concludit")]

quo-

quorum nihil poſtea comprobatur in actione,& experientia,quæ ſola rerum,& remediorum eiuſmodi magiſtra ſtatui debet. Quamobrem ne te diutius, Ludouice Comes, incertis iſtis aut certè parum efficacibus remedijs detineam,præſtat tanquam ex longo diuerticulo, regredi ad antiquas turres ambulatorias, quarum ſi quis deſcriptionem habere volet, is Curtium,vel Appianum,aut lib. 8. Heronem adire poterit, ac in primis Iulium Cæſarem, qui in ſ ciuil. obſidione Maſſiliæ, turrim lateritiam extruxit, cuius archite- capite 13. lib. 2. bell. ciuil. cturæ modus cùm antea valde incertus eſſet,ita demum ab Adriano capite 14. Turnebo enucleatus eſt, vt nunc abſque vllo obice legi ab libro 11. omnibus ac intelligi poſſit.

5. *Pontes varij generis.*

Pons autem qui de ea turri repente in murum proijciebatur *Exoſtra* Vegetio dictus fuit, nomine ſicut arbitror minimè proprio, ſed mutuato à machina lignea ſic vocata, qua quæ intus lib. 10. c. 19. geruntur & fiunt, verſatione rotarum ſpectatoribus oſtenduntur quæ eadem dicebatur *ἐγκύκλημα*: ſed præter hunc Pontem, quem aeri iniectum poſſis dicere, maximus quoque erat *naualium* vſus quorum defectu ſolebant *inflatis vtribus* incumbentes (vt Malchus ille cuius hiſtoria refertur à D. Hieronymo) Græcorum, & in epiſt. Latinorum exercitus integri, flumina traijcere; quod ex Suetonio in Cæſare,& Arriano atque Curtio nemini obſcurum eſſe debet, licet aliquoties etiam *cuppæ*, & *inania vaſa* pro vtribus vſurpata fuerint,vt ab exercitu Maximini Imperatoris ad Aquileiam, & ab ijs de quibus Lucanus dicebat. lib 1. & 3. Herodian. lib 8.

Namque ratem vacuæ ſuſtentant vndique cuppæ,
Quarum porrectis ſeries conſtructa catenis,
Ordinibus geminis obliquas excipit alnos.

6. *Scalæ item multiplices.*

Quo modo vero per Exoſtram, ſic per Scalas, & Tolenonem in muros euadebant obſeſſores, quamobrem de vtriſque hic dicendum eſt, ducto à *Scalis* exordio, quarum vſus in oppugnatione, fertur primùm inuentus à Capaneo, variaque earum aſſignãtur genera; nam præter iam antea commemoratas, quædam ſunt *compactiles* ideſt quæ pluribus partibus conſtant, & plicari rurſumque explicari poſſunt, quas *κλίμακας πηκτὰς* appellat Appia- in Ibericis. nus ſiue *plicabiles*, & Plutarchus in Arato *διαλυτὰς* ſiue *ſolutiles*; fuere præterea *coriaceæ*: itemque *reticulatæ* aut *ſtuppeæ*, & *rotis impoſitæ* ijſque procedentes, ex quarum ſummitate cum in-

propinquo ſunt, Pons in muros inijcitur; ac aliæ denique *ſpectatrices* dictæ, quæ ſenſim attolli, & erigi ex baſi ſua latiori poſſunt, vt ex ipſis proſpectus in vrbem obſeſſam pateat, depræhendaturque quicquid in illa fit ab obſeſſis.

7. *Telenones ſeu ſcãſoria machinæ.* Vnde videntur nõ multum differre *à Scanſorÿs* machinis, quas Græci *Aerobaticas* dicunt, quia homines in altum tollunt & in aerem ſublimes leuant, Turnebus vero acerrimi iudicij criticus *Acrobaticas* rectius appellat, quod in earum ſummum ſpeculandi causâ aſcendatur: quare non iniuriâ his Vitruuij verbis *ſcanſorium autem eſt, cùm machinæ ita fuerint collocatæ, vt ad altitudinem tignis ſtatutis, & tranſuerſarÿs colligatis ſine periculo ſcandatur ad apparatus ſpectationem*, idem Turnebus exiſtimat genus quoddam bellicarum machinarum deſcribi, quæ altiſſimis tignis in terra ſtatutis, & ad eam altitudinem quæ vrbis muros ſuperet erectis, ſpeculatorem aut exploratorem ita attollunt in faſtigium ſcandentem, vt velut in ſpecula collocatus, ex edito ſpectet, quicquid oppidani aduerſus obſeſſores parent, quod quidem fit tranſuerſarijs & plexis colligationibus, & tignis, ad tigna in longum adiectis, ad altitudinem augendam. Eodem etiam pertinet inſtrumentum illud, quod Græca voce Leonicus mechanicorum interpres communi grammaticorum errore χηλώνια vocat cùm ipſe Ariſtoteles, & Iulius Pollux χηλόνια verius dixerint, magno inter vtramque vocem diſcrimine, quoniam *Chelonia* Vitruuio ſunt veluti anſæ, quæ arrectarijs affiguntur, in quas coniecti ſuccularum cardines verſantur, atque adeo ipſe rotæ; χηλόνια vero reponuntur à Polluce inter rotas, tympana, cochleas antlias de quibus Martialis

cap.10.lib.9

lib.10.cap.1.

in mechanic. l.b.10 cap.6

Curta laboratas Antlia tollit aquas,

& alia hauriandæ aquæ inſtrumenta, dicunturque latinis *Tollenones*, ſiue *Tellenones*, vt Plauto in Fabula Aſtraba

Quaſi Tellenon, aut pilum Græcum reciproces planâ viâ

vel quod Iſidoro & Sypontino magis placere video, *Telones*, non autem *Tollones*, quia Plautus in rudente, vocem hanc potius vſurpat pro ijs qui ex Puteo aquam hauriunt, nec ab eo diſſentit Columella in horto dum inquit

Aut fons illacrymet Putei non ſede profunda
Ne grauis hauſturis tollonibus ilia rumpat

Qua-

Quamobrem patet euidentiſſime Pompeium Flauium non re-ctè hic *Tollonem* interpretatum fuiſſe, de genere quodam vaſorum non multum ab vrnis diuerſo. Verum ne diutius hæream in Parergo, conſtat *Tollenonem* à tollendo nomen habuiſſe, quod etiam manifeſtum eſt ex Feſto apud quem *Tolleno eſt genus machinæ quo hauritur aqua in alteram partem prægrauante pondere*: quæ deſcriptio omnino competit machinæ, de qua meminit Ariſtoteles in mechanicis: vnde nec eorum probare poſſum ſententiam, qui *Gruis*, aut *Ciconiæ* nomen illi affingunt, quia hæ machinæ, vt etiam nunc videre eſt, operoſiores ſunt, & ductario fune, rotiſque prægrandibus pondera tollunt, cùm ex aduerſo Tolleno, vt oſtendit Vegetius dicatur, *quoties vna trabs in terram præalte defigitur, cui in ſummo vertice alia tranſuerſa trabs longior dimenſa medietate connectitur, eo libramento, vt ſi vnum caput depreſſeris aliud erigatur: in vno ergo capite cratibus ſiue tabulis contexitur machina, in qua pauci collocantur armati tunc per funes vno depreſſo attractoque capite, alio eleuati ponuntur in murum*, ex quibus patet Tollenonem etiam militarem, minimo ſumptu, atque negotio, parari antiquitus conſueuiſſe; ea formà quam Steuuechius graphice delineatam exhibet in notis ad Vegetium, cùm interim ruſtici, ac olitores, qui hac machinà, ad hauriendam è puteis aquam, frequenter vtuntur, longè adhuc maiori compendio, ligno ſupra aliud erectū tranſuerſo, ſitulam ex vna parte connectant, & in alia plumbum, aut ſaxum aliquod adijciant, quod trabem velut in æquilibrio detinet, vt quocumque manibus propellitur illuc facile inclinet; eumque fuiſſe modū exiſtimo *Tollenonis* iſtius quem Archimedes aduerſus Marcelli naues in muris Syracuſarum erexit, vt ex eo ferrea manus firmæ catenæ illigata, triremes integras in altū tolleret mox vero laxata in cautes & ſaxa illideret, quemadmodum a Liuio, & alijs ſcriptoribus memoriæ, hiſtoriarum que monumentis conſignatum fuit.

[Margin: obſeruat. cap 9. — Libro 4. — lib. 4. cap. 21]

8. *Tormenta.* His autem machinis quibus muri cominus tentabantur, ſuccedunt aliæ, quæ iactis eminus telis, vaſtiſque molaribus, non mediocriter etiam militibus muriſque ipſis infenſæ ſunt; quamquam earum explicatio tanta caligine ab auctoribus offundatur, vt qui plenè ac diſtinctè de ſingulis dicere velit, is meo quidem

Vv 2 iudi-

iudicio, rem in ſe ſuſcipiat, quam abſque Dei alicuius tanquam è machina prorumpentis auxilio, præſtare commode non poſſit. Quare illud tantum noto, quod Grammaticis omnibus exploratum eſt, nempe *Tormentum* generale vocabulum eſſe omnium machinarum ſaxa, tela, & id genus varia iaculantium; veluti ſunt Catapultæ, Balliſtæ, Scorpiones, Spingardæ, & machinæ noſtrates Aeneæ ſaxa rotunda immenſi ponderis, vi pulueris factitij, & accenſi emittentes, idque Lucretij auctoritate probatur.

Vt validis quæ de tormentis miſſa feruntur.

tum etiam Virgilij

2. Aeneid. *Fulminis in morem, aut tormento ponderis acti.*

eoque modo locuti ſunt etiam Cæſar, & Tullius, cum hic dicat,
2. comment. *Antonius ante oculos legatorum, tormentis Mutinam verberauit*, ille vero, *ad extremas foſſas caſtella conſtituit, ibique tormenta collocauit.*

9. Et in ſpecie Catapulta Baliſta. Iam vero quæ potiſſimum tormenti nomine intelliguntur *Catapultæ, & Baliſtæ*, ita inuicem effectu conueniunt, vt ſola ferme ſit inter has nominis diſſentio, *Catapulta* enim ſiue καταπάλτης, dicitur ἀπὸ τῆς πάλτης quæ auctore Heſychio δόρυ ἀκόντιον id eſt *baſtam, & iaculum* notat, vnde videtur, quod hæc machina, tela tantum minora, haſtaſque vibrare debeat, ſed huic explicationi aduerſatur ſtatim Appianus, apud quem legas καταπάλτας ὀξυβελεῖς, καὶ λιθοβόλους *Catapultas quæ tela & lapides mitterent*; & in
in Libyco. Cæſare lego Catapultis ſaxa iaci; quinimo Sidonius dixit
1. de bello ciuili.

Non quæ ſtridentes torquet Catapulta molares.

indeque Petrus Diaconus *petrarias* dura ſatis translatione eas appellauit. Sic Baliſtæ, quæ à βάλλω quod eſt *iacio* nomen habent, licet, quemadmodum inquit Nonus Marcellus tormenta ſint, quibus ſaxa maiora & grauiora mittuntur; vt proinde dixerit Ouidius,

Quàm graue Baliſta mœnia pulſat onus.

& A. Hirtius de bello Hiſpanienſi *ſimulque Baliſta miſſa à nobis turrim deiecit*: Lucanus tamen pro machina haſtam iaciente accepit, & Ammianus Marcellinus Scorpionibus quidem lapides, Baliſtis autem mitti ſagittas tradit, vbi vides ſagittas diſertè exprimi, non vero tela, quæ voce ſemper ambigua pro ſagittis aut lapidibus vſurpantur, vt in illo Senecæ, *nam baliſtæ quoque, & Scor-*

Scorpiones tela cum ſono expellunt; quinimo Silius vtramque baliſtæ excuſſionem, his verbis expreſſit

adductis ſtridula neruis.
Phocais effundit vaſtos baliſta molares,
Atque eadem ingentis mutato pondere teli
Ferratam excutiens ornum, media agmina rumpit,

quod etiam fecit Vegetius aſſerens baliſtis non ſolum lapides, ſed & iacula mitti; ac quod mirere magis, telis ipſis, tormentorum à quibus mittebantur, nomen aliquando fuit inditum, ſic enim Plautus in curculione libro 4.

Nam illa ad me catapultæ crebro commeant,

& euidentius adhuc in Pœnulo

Cui iam infortunij intenta eſt baliſta probe,
Quam ego haud multo poſt mittam è Baliſtario.

Atque his de cauſis procliue fuit, vt Catapultæ cum Baliſtis confunderentur, quemadmodum rectè notauit Iſidorus, qui nonnulla etiam habet, tot Grammaticorum turbis compeſcendis non inconcinna. *Baliſta enim* ait *verbere neruorum torquetur, & magna vi haſtas, aut ſaxa iacit, quamuis vulgo, & commode magis Catapultæ tela. Baliſtæ ſaxa tribuantur*. Cæterum vtriuſque machinæ deſcriptio elegans habetur apud Vitruuium, cui dici non poteſt, quantum doctiſſimus Turnebus lucis attulerit, integris capitibus quarto & quinto ſecũdi aduerſariorum, explicationi tot vocum, quæ in eiuſmodi machinarum compoſitione difficillimæ ſunt, dicatis. Ambæ vero non vnius modi aut menſuræ fuerunt, nam Catapultas minores *triſpitimas* appellat Diodorus; maiores *tricubitales* vocat Polybius; maximæ vero, aſſeres pedum duodecim, cuſpidibus præfixos, imo duodecim cubitorum ad ſtadij ſpatium mittebãt, ſi Athenæus rem vt ſe habebat expreſſit, quemadmodum certè illum feciſſe ex his quæ de Catapultis, & Baliſtis præter Vitruuium habent Ammianus, Liuius, & Vegetius, coniectura fieri legitimè poteſt. Certè Baliſtas centenarias quæ ſaxa centum pondo iaciebant, Nonus, ex Lucilio profert, *Quid ſic Baliſtas iactas centenarias*? & quaſdam etiam talentarias fuiſſe probat ex Siſenna, quibus talenti pondo ſaxa torquebantur; ſed Vitruuius aliquid amplius addit, cum dicit Helepolim ita crudis corijs & cilicijs confirmatam fuiſſe, vt poſſet pati plagam

libro 10. cap 15. & 17.

libro 20.

libro 3.

libro 5.

libro 23.

lib. 10. c. vlt.

lapidis immiſſi baliſta pondo 360.ſeu trium talentorum, quia
Vitruuio ſingula talenta pendent CXX. *non ſolum autem caſtra*
lib.2.cap.15 *defendebant*, inquit Vegetius, *verum etiam in campo poſt aciem*
grauis armaturæ ponuntur, ad quarum impetum nec equites loricati
lib.4.cap.21. & 22. *nec pedites ſcutati poſſunt obſiſtere, in vna autem legione LV. Carro-*
baliſtæ eſſe ſolent, & idem alibi trium generum Baliſtarios diſtin-
guit *Manubaliſtarios*, *Arcubaliſtarios*, *& Carrobaliſtarios* que-
libro 4. madmodum triplices quoque ſagittarios fecit Lazius, nempe, qui
arcu ſagittas emittebant, & *Baliſtarios*, ac denique *Tormenta-*
rios, qui Scorpiones Catapultas, & reliqua tormenta maiora in
hoſtes expediebant. Atque ita patet Catapultas, & Baliſtas non
vnius magnitudinis fuiſſe, nec vnum aliquod determinatum, ſed
lib.2 ſtratag. omnis generis tela emiſiſſe: vnde Frontinus *caputque eius Baliſta*
excuſſum intra munimenta hoſtium miſit, cui hiſtoriæ, ſimilem
lib.5. cap.8. omnino refert Paulus Diaconus non contemnendus ſcriptor hi-
ſtoriæ Longobardicæ.

10. *Onager Mãganum.* libro 23. His vero machinis duæ aliæ non diſſimiles erant *Onager* ſcilicet
ſeu *Scorpio*, cuius compoſitio peti ab Ammiano Marcellino debet,
qui contra multorum opinionem vtrumque illud inſtrumentum
ſæpe pro eodẽ vſurpat, ac etiam à Lipſio in polioreeticis. Et ma-
lib.3.Dialog. 3. china alia recentiori æuo vt plurimum vſurpata, quæ *Manganũ*
communiter dicitur quamquam tot ferme alia nomina ſortita ſit
quot varij auctores mentionem de ea fecere, nam Leo Imperator
cap.15.de app. mil. *manganica alcatia*; Heron vero *monangonem*: Otho Friſingenſis
capite 17. *mangas*; Turpinus, aut quicumque eius nomen chronico tot mẽ-
lib 2 cap.17. de geſt.Fede. dacijs infami prætexuit, *mangatellas*, *& petrarias*; nonnulli de-
lib vlt.de regimine princip. nique vt Aegidius Romanus, & Blondus *bricolas* eam appellarũt,
4. de Rom. triumph. ſed inuenio præterea eandem ſub nomine *mangonis* cognitam
fuiſſe Theophani, cuius hiſtoriam ex vetuſtis membranis Græcis,
quæ in Vaticana ſeruantur, anno proximè elapſo, latinã fecit vir,
in omni palæſtra veteris eruditionis multum accuratèque verſa-
tus, & ſumma mihi patriæ communis, officiorumque, neceſſitu-
dine coniunctus, Ioannes Iacobus Bouchardus nobilis Pariſi-
nus, ex cuius Theophane diſco, id quod etiam retulit Baronius
To. 9. ad annum Chriſti DCCXXVII. Iconoclaſtam quemdam, qui
Conſtantinopoli Virginis imaginem, ſaxo maledicè contumelio-
ſèque appetiuerat, paulo poſt ſceleris iſtius pœnas luiſſe, cùm il-
liſo,

Digitized by Google

liſo de Mangone machina in eius caput lapide, conuenienti dignoque ſupplico interijt. Quanta vero huius machinæ vis fuerit, patet ex Hegeſippo, & Ioſepho belli iudaici ſcriptoribus, quorũ hic, eum in modũ de Mangone ſiue Mangano locutus eſt, *Talenti pondere erant lapides, qui mittebantur; duo autem & amplius ſtadia peruadebant; ipſe ictus non ijs modo quibus primis incidebat, ſed & longe retrorſum ſtantibus intolerabilis erat*, ſed multa quoque lectu non indigna de eodem habet Philippus Pigafeta in notis ſuis ad caput quintum tacticorum Leonis Imperatoris. lib. 3. cap 1. lib. 6. excidi.

Porro ſi ab his machinis quæ præcipua ſemper apud antiquos in exiſtimatione fuerunt, ad minores alias deſcendere vellem, ac *Fundas* tam communem, quam Achaicam, & Fuſtibalum, ac Cetro shpẽdonem deſcribere, quæ quatuor fuiſſe genera fundarum reperio: tum etiam *Falaricas*, ſeu tela ignita: *Manus ferreas* ſiue *Harpagonas* vt eas vocant Cæſar & Curtius, cùm Diodorus, & Ioſephus κόρακας, Appianus vero ἅρπαγας, ac demum Liuius *aſſeres ferreo unco præfixos* easdem eſſe dixerint; ac denique *Sambucas*, & *Thichodifrum*, *Currodrepanum*, *Aſcogefrum*, aliaque id genus innumera, quorum anonymus qui tempore Theodoſij de machinis ſcripſit, & Valturius, ac Lipſius multorumque vetuſtioris æui ſcriptorum libri pleni ſunt: ſi inquam hæc omnia paulo accuratius explicanda ſuſciperem, præter quàm tibi, Ludouice Comes, qui veterum omnium machinarum rationem continua optimorum auctorum lectione didiciſti, multum tædij, & faſtidij afferrem; nihil inſuper hac mea diligentia præſtarem, quod reliquis ducibus eſſet admodum vtile ac neceſſarium; cùm earum omnem vſum fulminalia noſtra dudum excuſſerint nec quicquam tamen aſſentiente Hieronymo Magio, qui machinamenta hæc rudiora priſci ſœculi quæ noſtris tormentis cõparata fictilia videri poſſint, quaſi ab inferis reuocare, validioraque atque vtiliora reddere, eo in opere, quod à ſe de militaribus technis elaboratum fuiſſe aſſerit, conatus eſt, ſed quo euentu incertum adhuc, quia liber hic nuſquam apparet, nec ego ſane exiſtimo feliciter admodum præſtari iſtud ab illo potuiſſe. II. *Et quadam alia minusce lebres.*

Quamobrem æquum eſt vt à vetuſtioribus illis ad noſtrorum temporum machinas deueniam, quæ tanto illis præſtantiores ſunt, quanto in dies ſolertiane dicam an malitia, humani igenij XI. *1 Tum excogitata, & vſurpata hiſce*

 ma-

tẽporibus fulminalia quorũ variæ appellationes. maior euadit, nihil non molientis, nihil non efficientis in ſuam aut aliorum perniciem; vt rectè cùm Lucretio dicere poſſim

libro 5.

Sic aliud ex alio peperit diſcordia triſtis
Horribile humanis quod gentibus eſſet in armis,
Inque dies belli terroribus addidit augmen.

Huiuſmodi vero ſunt *tormẽta* noſtra *curulia* ſeu *ænea* & *ſulphurea* quæ vulgo etiã dicũtur *canones, artiliariæ, baliſtæ, cannæ, & fiſtulæ chalybeæ fulminalia*, alijſque nominibus periphraſticis appellãtur, ex defectu ſcilicet veri, & genuini, quod antiqui onomathophœiæ magiſtri, nondum excogitatis, indere minime potuerunt: miror tamen cùm apta generis appellatione, forſan à βόμβος, qui *bombus* eſt, aut à verbo βομβᾶν quod eſt *bombum edere* deducta, *Bombardarum* nomen illis ſub initium quidem attributum fuerit, cur iſtud vitatum poſtea ſit à doctis quibuſdam, qui certè nihil aptius ipſi dixerunt? Ego autem viros maximè cultæ, & caſtigatæ dictionis, Ioannem Fernelium, Quintum Marium Corradum, Horatium Turſelinum, alioſque pene innumeros ſequutus; fragorem qui vna cum igne à bombardis editur, eà nominis etymologià ita expreſſum fuiſſe iudico, vt Romanos auſim affimare, nihil neque preſſius, neque ſonantius excogitare potuiſſe, nec iſtud nomen quo palam nunc vtimur, vllatenus grauate fuiſſe accepturos, nam etſi nouũ ſit, veniam tamen iſtius licentiæ concedit Romani dictator eloquij Priſcianus, *ſi enim* inquit *auctoribus timiditas obfuiſſet, vt nullis nouis vterentur dictionibus, ipſa natura, & ſignificatione rerum exigente, perpetuis latinitas anguſtijs damnata manſiſſet*, &

lib. 8.

de arte Poet. Horatius idem ſemper licuiſſe exemplis confirmat

ego cur acquirere pauca
Si poſſum inuideor; cum linguà Catonis, & Enni
Sermonem patrium ditauerit, & noua rerum
Nomina protulerit.

Ianus Laſcaris ſexto epigrammate Græco, ex ſimilitudine Bombardarum cum ſagitta quam Græci τηλέβολον vocant, eas τηλεβόλους appellauit; & eadem forſan vocis originatione ab arcu & telo priuſquam machinæ illæ igniuomæ adeo frequẽtes eſſent, *Artillaria* nomen erat per totam Europam commune, non ipſis modo bombardis, ſed machinis omnibus vt fundæ, catapultæ, baliſtæ, fuſtibalo, onagro, alijſque eiuſmodi, quibus omnis generis ſaxa

to

torquebantur. vnde etiam apud fœliciſſimum Vatem Arioſtum legitur quod *Artillaria* inſtar grandinis illos percutiebat, & malè multabat, qui fortiſſimo bellatori Rugerio damnum inferre conabantur. *Fulminalia* quoque dici conuenienter poſſent, quia nihil tam ſimile fulmini eſt luce, ſonitu, odore;nam fulmen & tonitru ipſum, fragore Bombarda ſuperat, quemadmodum in nupera obſidione Oſtẽdana, ſingulis ferme diebus compertum fuit cùm Louanij mugitus machinarum horis matutinis facile exaudiretur:vnde Iulius Cæſar Scaliger in eorum funebri laudatione, qui ad Viennam bello Turcico occubuerant,non immerito iſtud epiphonema vſurpauit, *pace tua dicam Iuppiter fulmina noſtra ſunt terribiliora tuis,age coge nubes,vt tonare queas,nos etiam te tranquillo, iratum regnum tuum faciemus*; His igitur de cauſis videtur mihi nomen *fulminalium* non modo eiuſmodi machinis præclarè conuenire, ſed rectius quoque illas ab antiquioribus diſtinguere, quam ſi Bombardam,Artillariam,aut Canones dixeris, nomina ſcilicet quæ ante pulueris vſum multis tormentis bellicis, indita fuerunt, *Fulminale* autem ab iſtius pulueris nitrati coruſcatione tonitruue dici tãtum poſſe, planè eſt extra omnem controuerſiã.

At ne diutius hæream in nomine, quod parum referre videtur quale ſit, modo quid ſignificet innoteſcat: variæ ſub illo communi Bombardarum genere ſpecies, pro diuerſitate magnitudinis, & formæ ſingularum continentur, quas cùm opus erit homines docti ſcrutabuntur diligentius, & vnicuique nomen accommodabunt, quod ipſis videbitur conuenientiſſimum, mihi interim illud *Canonum* non diſplicet, quo Iouius frequenter vtitur in maiorum tormẽtorum deſignatione, ita tamen vt ex iſtis canonibus alij medij, & duplices ſint, alij etiam maiores, & pondere ſuo, ac globi quẽm emittunt,quandoque ſtupendi, *Colubrina* vero longior eſt, & pilas euomit certo ictu, ad milliaria duo vel tria, nam Ferrariæ quædam erat longa pedes xxij. cui nomen erat *Regina*, pilaſque excutiebat ab vrbe ad fornaces per interuallum trium milliarium; *Mortaria* non muris, aut propugnaculis exitioſa ſunt, ſed lapideas immanes pilas in ſublime vibrant, quibus ſuperne decidentibus, exitiabili cum ruina, & fragore, domorum tecta,contignationeſque deformantur;ſic cubitalia tormenta quæ à ſtrepitu, & bombo crepera, & vno verbo *Crepitacula* dicuntur,

2. *Et differentia proponũtur.*

portis

portis, & compagibus arcium diſſoluendis tantum inſeruiunt. *Baſiliſci*, *&* *Sacri* naualibus prœlijs ferme ſemper adhibentur; vt *Falcones* maiores, & minores ſeu *Smerlij* campeſtribus copijs: cuius etiam generis erant *Spingardæ* tormenta tricubitalis longitudinis, quæ glandem pruni maioris magnitudine effundebãt. Præter quæ ſunt minoris generis fiſtulæ quæ vt plurimum *Moſchetta* de nomine minimi accipitris vocantur, tubumque habent inter manuales baliſtas paulo grauiorem, vnde quando ignem concipiunt, quod non fit rotæ, & ſilicis percuſſu, ſed attactu funis accenſi, bifurcato ſcipione ſuſtentantur: iſtis minores ſunt Bombardæ rotatæ, *Arcabuſiorum* nomen adeptæ, ab italico vocabulo, quod ſignificat *arcum præforatum* quia *buzo* italis foramen eſt; omnium vero minimæ *Sclopi* à ſono quem edunt, vel *Piſtolæ* vocantur. Porro eiuſmodi machinæ proprias illas appellationes ſortitæ ſunt, aut propter ſimilitudinem aliquam, quemadmodum contigit hoc vetuſtioribus quoque machinis, vt quorundam animalium nominibus inſignirentur, ex proportione quam habebant cum illis in actione, & figura: ſic enim Aries, Ericius, Scorpio ſeu onager, Cuniculus, Teſtudo, Musculus, & aliæ machinæ aliter ab alijs rebus dictæ ſunt; vel quia care re nominibus minime debuerunt in tanta figure varietate, quæ alioqui fuiſſet confuſioni obnoxià, vel denique quia varia hæc ſerpentum nomina *Baſilici*, *ſalamendræ*, *crocodili ſerpentinæ colubrinæ* & ſimilia plus terroris hominibus incutiunt quàm ſi cannæ maiores vel minores tantum dicerentur.

3. *Deinde quæritur an olim fuerint inuſu*

Eius autem inſtrumenti vſum, vetuſtioribus nequaquam vſurpatum fuiſſe temporibus, certiſſimum habetur argumẽtum, quod nec Græci mechanicorum ſcriptores Heron, Pappus, Athenæus Biton, atque tot alij ſupra recenſiti, non adeo negligentes fuiſſe videantur, vt mirum hoc machinamentum libris ſuis, haud ſecus ac cætera quæ eorum ætate in communi erant hominum vſu, non appoſuerint; nec item latini vetuſtiores vt Cæſar, & Criſpus; aut alij quos anno poſtea quadringenteſimo floruiſſe conſtat, vt Vegetius, & Frontinus, tam ſupini parumque oculati fuerint, vt illud indictum prætermiſiſſent, ſi vſpiam gentium vel eius nomen tantum auditum fuiſſet. Quare vehementer illos decipi arbitror qui vt inuentum iſtud antiquiſſimum eſſe probent, vertunt ſe in

omnes

omnes modos, & nullum non lapidem mouent nullas nugas indictas relinquunt, nihilque non vanum, & inane proferunt, quo ſuæ poſſint opinioni, auctoritatis aliquid conciliare; afferunt igitur in primis pro Achille ſuo verſus illos ex ſexta æneide;

Vidi, & crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Iouis, *& ſonitus imitatur olympi.*
Demens qui nimbos, & non imitabile fulmen
Aere, & C*ornipedum curſu ſimularat equorum.*

exiſtimãt enim hi *Salmoneũ* ex æneo tubo alioue huiuſmodi vaſe, ignis impetu erumpentis, magno cum ſonitu & fulgore, glandes, pilaſque proieciſſe, tanquam fulmina, non vero tali eum machinà vſum fuiſſe, ad hoc efficiendum, qualis poſtea fuit illa Regis Perſarum Choſrois, quæ ex Græco Ioannis Tzetzis, ſic à Paulo Laciſio deſcripta latine fuit

Choſroes Rex erat P*erſarum in temporibus* Heraclei,
In palatijs ſuis circa P*erſida;*
In laquearibus Cœlum habens fabricatum,
Ex quo tonitrua, & fulmina machinatique imbres,
Conuiuio exceptis legatis erumpebant, ad ſtuporem.
Septem autem tempora bellans Heraclides cum P*erſis*
Fodiens P*erſidem vniuerſam, igneque vaſtans, & incendens*
Etiam igniferum C*œlum exuſſit illud,*
Cum C*hoſrae vniuerſis, quæ dixi,* P*alatijs.*

Quin etiam referunt ex Euſtathio, & Agathià, artificem fuiſſe adeo mirabili arte inſtructum, vt ſui domum inimici repente diſflauerit, machinamento tam efficaci, vt terra veluti concuti, mixtiſque ſimul tonitruis ac fulgoribus miſceri omnia viderentur; cui molimento ſimile aliud factum fuiſſe ab *Eutropio* Enucho, qui Imperatori Theodoſio à cubiculis erat, auctor eſt Suidas apud Iacobũ Mazzonium: à quo cum hec omnià afferantur earũ Bombardarum occaſione de quibus mentionem facit Arioſtus in Rogerio Heroe, Logiſtilla maga, & C*imoſco Frigiæ Rege*, qui ſclopeti ictu Ollandiæ comitem, vnaque duos eius filios occiderat, ipſe demum ab Orlando interemptus; concludit tandem Mazzonius omnia hæc per anachroniſmum in nobiliſſimo vate explicanda eſſe, cùm nulla ratio hactenus inuenta ſit, quæ puluerem Pyrium & Bombardas antiquioribus illis ſœculis vſurpatas fuiſſe, aut excogi-

odyſſea.xi. libro. 15.

libr.apolog. cap.24.

cogitatas certo conficiat. Vt mirum propterea ſit quoſdam
1 in Ruff. illud Claudiani

Non ventus quateret puppes, non machina muros.

lib. 10. de re milit. in hunc ſenſum trahere, & Robertum Valturium aſſeruiſſe Bombardam *inuentum* fuiſſe *Archimedis*, quo commento neſcio an aliud magis fatuum afferri poſſit.

4. *quemadmodum aliqui credũt ex antiquorũ Pyrothecnia bellica quæ tota excutitur* libro. 2.

Vnde quod apud Philoſtratum Rex Phraotes Apollonio narrauit, de vrbe, quæ fulminibus, & tonitruis hoſtes à ſe ſummouebat: & quæcumque alia comminiſci ſolent in eius opinionis confirmationem, explicari ea omnia commodè poſſunt. Si primum animaduertamus, inter antiquorum arma, nõ modo ignem, aut potius ſtrues lignorum accenſas fuiſſe, quemadmodum agendo de machinis mirabilibus probauimus, & Cæſar loquendo de
libro 8. Bellouacis ac Frontinus obſtendunt, extat que huius rei exemplum egregium apud Giullemum Britonem in obſidione caſtri gualliardi

lib. 8 philipp.

Poſtquam municipum nimius fragor impulit aures
Illuc ſe vertunt congeſtis vndique lignis
Ignem ſupponunt, vt ſic aut ardeat intus
Aut via non pateat qua prodeat hoſtis ad illos

ſed multas quoque machinas, & inſtrumenta ignea fuiſſe certa quadam ratione figurata, & compoſita, quorum frequens apud auctores cõmemoratio, parum naſutos facili negotio inducere potuit vt, hæc quaſi de bombardis dicta forent interprætarentur. Atque vt de *Falarica* nihil dicam, cui nomen illud fecerunt falæ, ſeu turres ligneæ, à quibus aut in quas mittebatur, eratque prout à
cap. 18. lib. 4. Vegetio, & Liuio deſcribitur *miſſile telum haſtili oblongo; & cætera tereti, quod ſtupa circum ligabant linibant que pice, vt cùm accenſum mitteretur, cõceptumque abipſo motu multo maiorem ignem ferret arma omitti cogeret, nudũque militem ad inſequentes ictus præberet.* Certe varijs compoſitionibus incendiarijs aliquos duces ad moenia, & vrbes ab imo exſcindendas, & in naualibus proelijs terreſtribuſque, cum ingenti mortalium ruina, vſos fuiſſe reperio, nam Hero exempli causà docet in comburendis moenibus *ligna tæda* ſupponi, eaque *ſicca pice, ſulphure viuo oleoque* peruncta ſuccendi debere; idemque auctor *vaſculi* cuiuſdam *igniuomi* meminit parati in vſum militum, qui ſcalis admotis vrbium moenià conſcendunt,

dunt vt eo ſcilicet hoſtes detenti, nullum afferant ſubeuntibus impedimentum: illudque appellat ἄσγϛον πυρόβολον, quod tubis noſtris igniuomis, ſi infixas haſtas dempſeris, anſamque propè calcem addideris, haud ita diſſimile videri poſſit. Legitur præterea in ſacris codicibus *Gedeonis milites* egiſſe in fugam Madianitas effractis fictilibus vaſis, in quibus ignem prius occultauerant: & apud Plutarchum *Dioniſij aſſecla*, cùm Syracuſanos Dionis auxilium præſtolantes, ante quam illud adueniret, internecioni omnes dare vellent: *quæ perniciſſima omnium strages, & conuaſtatio eſt, igne graſſantur proximaquæque tædis ac lampadibus ſuccêdentes ſpicula ignita autem arcubus in longinqua ſpargebant*: iiſdemque aut non multum diuerſis vſum fuiſſe *Syllam* aduerſus Marium ex eodem auctore patet. Quin etiam *Xerces* in Athenarum expugnatione, vt refert Herodotus; *Bæoti* cùm Delium obſiderent, ex Tucydide; *Figulus* bellum gerens in Dalmatià, teſte Appiano: *Galli* duce Ambiorige aduerſus Quintū Ciceronē pugnantes ex Cæſare; & ipſimet *Cæſariani milites*, vt Dio refert, in bello Actiaco contra Antonianos nauali prælio decertantes; omnes inquam hi vario modo paratas ex Pyrothecniæ ſecretis machinas, vſurpaſſe feruntur; vt proinde mirum non ſit ſi Vegetius, de earum vſu tot capitibus libri quarti diſſeruerit, vbi cum *falaricas*, *maleolos* & *oleum incendiarium* præcipue commendet, iamque à nobis explicatum ſit qualis falarica fuerit, conſequens eſt vt de *olei* iſtius medicati natura inquiramus. Hanc vero nullibi melius expreſſam inuenio, quàm apud Ammianū qui in Mediæ & Coroni montis deſcriptione ita de eo loquitur *in hac regione oleum conficitur medicum, quo illitum telum ſi emiſſum lentius laxiore arcu, hæſerit æſtus excitat acriores incendiorū, nec remedio vllo, quàm iactu pulueris conſopitur, paratur autem hoc modo. Oleum vſus communis herbâ quadam infectum, condiunt harum rerum periti ad diuturnitatem ſeruantes, & coaleſcens durant ex materià venâ naturalis, ſimilis oleo craſſiori, quæ ſpecies gignitur apud Perſas, quam Naphtham vocabulo appellauere gentili*; imo vero Procopius aſſerit id quod Medi *Naphtham* dicunt, hoc idem à Græcis vocari *oleum Medicum*, ὅπερ Μῆδοι μὲν νάφθαν καλοῦσιν Ἕλληνες δὲ Μηδίας ἔλαιον reperiturque vt, Plinius inquit, *circa Babyloniam, & in Auſtogenis Parthiæ, profluens bituminis modo*: Vnde patet oleum illud nihil aliud fuiſſe

in Sylla

in Vrania

libro.4.

2. Illyric.

li 5. cōment

libro.5.

libro.23.

gothicor.li.4.

li.2.cap.105

Digitized by Google

quam Naphtham præparatam,& ſeruatam in vſus incendiorum; quæ longe validius aduc concitabat *limus* ex Commagene lacu,
li.2 cap.104. cuius naturam ſic explicat Plinius *In commagene vrbe Samoſatis ſtagnum eſt emittens limum, maltham vocant, flagrantem, cùm quid attigit ſolidi, adhæret: præterea tactus ſequitur fugientes. ſic defenderè muros oppugnante Lucullo; flagrabatque miles armis ſuis* Malleolorum vero appellatione nō modo ſignificātur manipuli ſpartei pice contecti, qui incenſi, aut in muros aut in teſtudines iaciū-
libro.23. tur, vt vult Nonus; ſed quemadmodum inquit Ammianus *ſagitta cannea inter ſpiculum, & arundinem multifido ferro coagmentata, quæ in muliebris coli formam, quo nentur lintea ſtamina concauatur, ventre ſubtiliter, & plurifariam patens, atque in alueo ipſo ignem cum aliquo ſuſcipit alimento, & ſic immiſſa lentius arcu inualido (arcus enim rapidiore ictu ex tingitur æſtus incendiorum) nec remedio*
lib.o.3. *vllo quam ſuper iniecto puluere vel amurca conſopitur.* Horum vero effectus in nauium incenſione ita Lucanus enumerat.

Nulla tamen plures hoc edidit æquore clades
Quàm Pelago *diuerſa lues, nam pinguibus ignis*
Affixus tædis, & tecto ſulphure viuax
Spargitur, ac faciles præbent alimenta carinæ,
Nunc pice, nunc liquidà rapuere incendià flamma.

nec minus ad hanc rem facit vates maximus æneide quinta,

Sed non idcirco flamma atque incendia vires
Indomitas poſuere, vdo ſub robore viuit
Stupa vomens tardum fumum, lentuſque carinas
Eſt vapor, & toto deſcendit corpore peſtis.

Enimuero licet ignes eiuſmodi validi ſint,& Aeneas in commentario poliorcetico, alterum qui nulla arte reſtinguatur, ita parare doceat *picem, ſulphur, ſtuppam, mannam thus*, ſiue mannam thuris, *tædæ ramenta accende, ac aduerſus hoſtem admoue, ſi quod illius ſuccendi volueris*: attamen Pyrothecna inſignis Callinichus ex Heliopoli Aegypti ad Conſtantium Pogonatum fugiens, alium longe vehementiorem attulit, quem nonnulli πῦρ ὑγρὸν *ignem humidum* vocant, eo quod inter humida viuat; alij vt Zonaras, & Cedrenus *marinum* eadem de cauſa; quidam πῦρ ἔντεχνον ab arte, & temperationis modo, quo efficitur; cæteri vero communiter, & quemadmodum exiſtimo, ab artifice *Græcum*. Huius autem

vis primum apparuit in Saracenorum naues, quas Romani exuſſerunt ex Theophane Iſauro apud Anaſthaſium Bibliothecarium; atque vbi paulatim frequentior cœpit eſſe illius vſus, ita maximæ res in ſuperandis eius beneficio hoſtibus confectæ ſunt, nam cùm Inger Ruſſorum Rex Conſtantinopolim mille nauibus armatis obſidione cingeret, Leo Imperator omnem hunc apparatum igne Græco combuſſit; & Hugo Rex Italiæ, cùm Sarracenos qui Alpes omnes infeſtas e Fraxineto reddebant, loco illo munitiſſimo depellere vellet, miſſis, inquit *Sigonius*, *ad Imperatorem legatis, Triremes ignemque Græcum ſibi dari poſtulauit, cuius ea vis erat, vt niſi aceti liquore infuſo, non poſſet extingui*, deinde addit *Saracenorum nauibus Græco igne combuſtis, Saraceni plerique Fraxinetum reliquerunt & in montem Maurum conceſſerunt.* Atque ita patet maximam vim huius ignis fuiſſe, de quo plura qui volet, is adire poterit Sigebertum Gemblacenſem, Zonaram in Pogonato, Nicetam in Iſaaco Angelo, Luitprandum Ticinẽſem, à quo Sigonius, id quod de Aceto dicit eius ignis remedio, mutuatus eſt, & ſimiles alios hiſtoricos. Materiam vero e qua componi debet, variam aſſignat Scaliger ex Arabicis auctoribus; & ipſam quoque proponit Dominicus Cyllenius, quanquam parum vere, meo quidem iudicio, nec ſatis diſtinctè, vt mirer propterea Ioannem Baptiſtam Portam virum adeo accuratum, & Hugonem Sempilium iiſdem pene verbis ſuos in libros tranſtuliſſe, quicquid ab hoc auctore non vtique graui ſed plebeio, dictum antea fuerat de igne Græco, aut ſi mauis artificiali. A quo priuſquam calamum tempero, iſtud denique monendum duxi quod refertur à Caſaubono in commentarijs ad Aeneam, nempe Iulium Africanum operis ſui tactici caput XLV inſcripſiſſe αὐτομάτῳ πῦρ ἅψαι, atque in eo docere rationẽ Pharmaci conficiendi, quo ſi arma hoſtium aut quæuis alia inungantur, obijcianturque poſtea radijs ſolaribus, incendio ſponte excitato, omnia ſint conflagratura. Eiuſmodi vero tela ignita, & faces ac pilas comburentes, & ſi nulla ratione poſſe cum bombardis noſtris conferri manifeſtum ſit, minimè tamen concludendum eſt, non excogitatas forſan quaſdam alias fuiſſe, quæ cum propius ad illas accederent, idcirco factum eſt, vt multi qui non ita curioſè in rerum differentias inquirunt, eaſdem omnino cum Bombardis

Lib. 6 de regno Italiæ.

lib. 3. de hiſt. cap. 6.

lib. 4. de arte militari.

dis fuiſſe exiſtimarint. Quanquam non ita cenſuit homo plurimum iudicij laude, & ſelectis quibuſdam obſeruationibus commendatus Vincentius Lupanus, qui in hæc verba Flauij Vopiſci *ignes etiam tormentis iaciuntur* ita ſubdit *ex hoc loco quis male ſanus colligeret, antiquis vſum fuiſſe æneorum tormentorum, quæ Artiliariam vocant*: quod tamen nec verum, nec vero proximum eſſe idem antea oſtenderat, in eleganti libello de magiſtratibus Gallorum.

Tum ex nominibus antiquis & ambiguis bombardarum, & canonum.

5. Secundum vero quod hominibus nonnullis perſuadere potuit, antiquiorem eſſe, quàm vulgo exiſtimetur, fulminalium vſum fuit nominum eiuſmodi *Bombardæ, & Canonum* antiquitas, cum hæc lythobolis omnibus machinis, vt Trabuchis, Biffis, alijſque enumeratis ab Aegidio Columna, & auctoribus qui circa eius ætatem floruerunt, nullo diſcrimine olim accommodarentur, & ab ipſis poſtea ad fulminalium inſtrumentorum deſignationẽ reuocata fuerint. Etenim cum abſque ſtrepitu maximo diſplodi non poſſent, credibile eſt impoſitam illis fuiſſe à vocibus eiuſmodi *bombilo, bombus, bombilatio*, quibus talis fragor deſignaretur, *Bombardarum* appellationem; vt *Canonum* ab ingenti trabe, quæ ad æquilibrium ſuſpenſa, ſurſum deorſumque inſtar lingulæ ſeu examinis, quod in trutina referente Gellio Græcis κανὼν eſt, mouebatur; aut ſi mauis à *Canone*, ſeu quadra inſtrumento fabrili, quo, tanquam libellà, totius machinæ librandæ ratio conſtabat. Nempe eo ſenſu accipiendus eſt Crantzius in Vvandalia ſua, cùm ſcribit Chriſtophorum Danorum Regem, ſub annum Domini MCCLXXX. ictu Bombardæ in prælio occiſum fuiſſe: & Froiſſardus nobilis ſcriptor rerum Gallicarum, dum refert Ioanne Philippi Valeſij filio natu maiore, & Normaniæ Duce, vrbem quandam Hannoniæ obſidente, anno ſupra iam elapſos mille, & trecẽtos, quadrageſimo eius incolas quibus *Artilliariæ* copia abunde ſuppetebat, prægrandes lapides ex *Bombardis*, & *Canonibus* in hoſtes euibraſſe, quibus certè nihil aliud quàm Bricolas, & Petrarias illum intellexiſſe. tam certum eſt quàm quod certiſſimum eſſe poteſt. Sed quod magis ſtupeas circumferuntur, duo epigrammata Græca ex verbis contortuplicatis, & inuicem connexis compoſita, quæ vt antiqua laudantur à Titio in aſſertionibus locorum communium, referunturque etiam à Michaele Neandro

vltima parte lib. de regimine cap. 18.

dro in erotematis grammaticæ Græcæ, editis circa annum MDLXI.; ita vt quemadmodum vult Scaliger, à Iacobo Scoto portentoſi ingenij Iuuene, omnino confingi non potuerint, in iis tamen *Bombarda* vox inter alias obſeruatur, vt ex hoc verſu conſtat, ad Græci fidem ſolerter expreſſo.

Bombardas, gladios, ſundhaſtas, flammiloquentes.

6. *Num vt volunt alij bello clugienſi primum inuenerint.*

Verum vt opinione longè falluntur, qui Bombardas noſtras antiquorum tormentis annumerant, ſic non minus aberrant à veritate, qui bello tantum *Clugienſi*, ſeu quod Veneti cum Genuenſibus ad foſſas Clodias, & circa Metamaucenſem ſtationem (ipſi Malamochum vocant) ancipiti Marte geſſerunt, circa annum MCCCLXXVII., illas primum vſu receptas fuiſſe arbitrãtur. Communis enim ille fuit magnorum virorum error Laurentij Vallæ in elegantijs; Platinæ in vita Vrbani VI., Volaterrani libro trigeſimo commentariorum vrbanorum, Polydorij Virgilij, Blondi Foroliuienſis, Franciſci Patricij, Riualdi à Flurenza, Antonij Guiberti, Horatij Turſelini, Vincentij Lupani, Belcarij Peguiloni, Forcatuli, & aliorum, qui communem hanc multorum opinionem nimis liberè confidenterque ſecuti, omnes ſenſim velut eodem vento in ſcopulos adacti, naufragium veritatis fecere cùm ex Petrarchæ libro de remedijs vtriuſque fortunæ, integrum ſit vnicuique videre, quomodo eius ætate, Bombardæ quales nunc apud nos vſurpantur, frequentiſſimæ erant, ſic enim ille. Gaudium. *Habeo baliſtas & machinas innumeras.* Ratio. *mirum niſi & glandes aneas quæ flammis iniectis boriſono tonitru iaciuntur, non erat ſatis de Cœlo tonantis ira Dei, niſi crudelitas iuncta ſuperbia, de terra etiam tonuiſſet? non imitabile fulmen, vt Maro ait, humana rabies imitata eſt; & quod è nubibus mitti ſolet, ligneo quidem ſed tartareo mittitur inſtrumento*; & aliquanto poſt *erat hæc peſtis nuper rara vt cum ingenti miraculo cerneretur, nunc vt rerum peſſimarum dociles ſunt animi, ita communis eſt, vt vnum quodlibet genus armorum.* Fatis autem conceſſiſſe Petrarcham ſub annum dumtaxat MCCCLXXIV. Matthæus Palmerius in chronico, & Iacobus Philippus Thomaſinus, cuius nunc ſtudijs, & diligenti calamo Patauij gloria, quæ multum quidem occumbente Pignorio obſcurata fuerat, auguſtior refloreſcit, in ſuo Petrarcha rediuiuo, tam accuratè luculenterque probauerunt,

De rer. Inu. lib. 20. hiſtor. in paralel. in miſcell. in epitom. de magiſtr. gallico. in hiſtoria libro 5.

Dialog. 99.

vt cum hactenus omnes iſtud pro vero perſuaſum habuerint, ita & in poſterum, nullus hoc ipſum reuocare in dubium poſſit. Eo vero facilius inducor, vt hoc ita ſe habuiſſe temporibus Petrarchæ, mihi perſuadeam, quod ex arbore bellicorum ſtratagematum, cuius auctor viuente Carolo Sexto Francorum Rege ſcribebat, id eſt ante Annum MCDXXII. apertè conſtet, omnis generis *fulminalia ærea*, quæ globos maiores lapideos etiã trecentorum pond o torquerent, vi pulueris pyrij parati vt nunc fit, ignemque attactu funiculi ſuccenſorij concipientis, in oppugnatione arcium & earundẽ etiam propugnatione, vſurpata fuiſſe; tum & minora quoque tormenta bilibres, & trilibres globulos emittentia; ita vt quantitas pulueris vnicuique Bombardæ neceſſaria, & currus, equi, homines ſingulis pertrahendis gubernandiſque idonei iam tum, eodem modo quo nunc à nobis fieri conſueuit, deſignarentur: vt minus veriſimile ſit, rem quæ ante viginti tantummodo annos inuenta primum & excogitata fuerat, tam breui tempore, eo incrementi ac perfectionis deuenire potuiſſe. Atque vt huic domeſtico teſti externus alter in eadem tamen cauſa adiungatur, refert Thomas Vvalſinghamius ad annũ MCCCLXXXVI. quod captis duabus Gallorum nauibus *diuerſæ machinæ ad iaciendum lapides, & muros conterendum, & grunnæ plures cum magna quantitate pulueris in Angliam deducuntur.* Quinimo diligẽtiſſimus ſcriptor Henricus Spelmanus earundem machinarum nomen in tabulis expenſarum militarium, & ciuilium Edoardi Tertij à ſe repertum docet, quamuis ne aliquid temere dicat, illud interpretari malit de petrarijs, & manganellis.
in gloſſario. Sed non deſunt alij qui fulminalium vſum referant ad Othonis
lib.16 de reb H ſp.cap.16 Quarti, & Innocentij Tertij tempora, id eſt ad annum circiter MCCXII. vt Ioannes Mariana & Nauclerus fecerunt, quibus fi-
In Chronico dem pariter aſtruit, Petrus Sublanciæ Epiſcopus ſcriptor geſtorum Alphonſi XI. Caſtellæ Regis laudatus à Magio in Miſcellaneis, vbi refert Barbaros anno à purpera Virgine MCCCXLVIII. & multis antea ſæculis, *dolia* quædam *igniuoma*, ſeu Bombardas informes in bello vſurpaſſe. Multi præterea cenſent Rogerio Bacconi Anglo ſub idem ferme tempus, puluerem pyrium innotuiſſe, quoniam in epiſtola de ſecretis operibus artis, & naturæ, ita videtur de ipſo loqui, *ſoni velut tonitrus & coruſcationes poſſunt*

fieri

Digitized by Google

fieri in aere, imò maiori horrore quam illa quæ fiunt per naturam; nam modica materia adaptata ſcilicet ad quantitatem vnius pollicis, ſonum facit horribilem, & coruſcationem vehementem, & hoc fit multis modis, quibus ciuitas, aut exercitus deſtruatur: nam & ſi verba hæc, Chymiſtis eo ſenſu dicta videantur, vt potius *auri fulminantis* vim exprimant; fatendum tamen eſt non magnâ vi opus eſſe, vt ad puluerem nitratum pertrahantur.

Quare cùm illud ſolemne ſit tam arti quàm naturæ, vt ab exiguis & rudibus principijs, ad perfectiora ſenſim procedant, expolianturque tempore, velut fabula eſt de vrſorum catulis, qui matris linctu ſenſim adoleſcunt, & muſica in primis, atque architectura id manifeſte in artibus oſtendunt, quarum hæc cùm ſtramineas caſas, & vilia tantum mapalia antiquitus erigeret, eadem nunc baſilicas, prætoria, & validiſſima palatià coagmentat: illa vero, quæ olim ſylueſtrem cantum tenuibus calamis ſociabat, æneis nunc & commenſuratis fiſtulis, modulatos concentus edit: propterea libenter adducor, vt idem quoque in militia factum exiſtimem, quæ vt lignea ſcuta, & pelliceas loricas quibus antiquitus pugnabatur, æratis clypæis, chalybeiſque thoracibus mutauit; ſic in Bombardarum inuentione, & elaboratione non ſtatim illarum aptam materiam, conuenientemque formam inuenit; ſed ex præcedenti aliqua cognitione ſemper ad vlteriora procedendo *falaricas* primum, & *tubos igneos* vetuſtiſſimis temporibus vſurpatos, commenta eſt; deinde *operoſiora* alia ex igne *machinamenta*; poſtea *dolia* illa igniuoma, mox ex illis informes *Bombardas*; Deinde vero perfectiores, ac tandem quales nunc habemus continua velut partium additione abſolutas, omnique arte, & induſtriâ perfectas confecit. Quare cùm nec vno tempore, nec ab eodem artifice iſtud inſtrumentum, vel de nouo inuentũ, vel ex rudi ac impolito in elegantius aliquod reformatum fuerit, nihil mihi inter tot diſcrepantes de hac re Bezoldi, Maioli, Panciroli, Maieri, Camerarij, aliorumque ſententias verſanti, conſultius videtur, quàm ſicut hactenus varijs rationibus oſtendi, nec adeo antiquam eſſe Bombardarum, ſeu fulminalium inuentionẽ vt multi credunt; nec etiam adeo nouam, vt ex aduerſa parte nonnulli arbitrantur, ita perpetuo de illis ſentire. Neque enim eodem modo ſe habent, ac librorum excudendorum præla, quorũ

7. *Et quid in hac opinionũ diuerſitate ſentiẽdum tã circa fulminalium inuentionem.*

quia nulla vnquam memoria ante annum MCCCCLXI. nullum ve artis iſtius veſtigium extiterat, procliue eam ob rem mihi fuit capite 7. in additamento ad hiſtoriam Ludouici XI. de eius primo inuentore, & inuentionis modo, ac tempore certi aliquid ſtatuere. Bombardarum autem cùm varia ſemper fuerint ante trecentos, vel quadringentos annos rudimenta, varia item ab omni ferme æuo machinæ igneæ, quæ progreſſu temporis in noſtras degenerarunt, quis tandem ſanus audeat primum in hac imitatione, vel auctorem, vel momentum aſſignare? Scio equidem ferme omnes in eo conuenire, vt Germaniæ inuentum iſtud fuiſſe tradant, vnde Michael Maierus hoc vt in hominum opinione ſtabiliret, librum edidiſſe videtur de tribus inuentis Germaniæ, & Philippus Beroaldus quem ſolum ex innumeris alijs proferam, illud idem aſſeruit in hendecaſyllo de laudibus Germaniæ, cùm ita de eius inuentis cecinit

O Germania glorioſa ſalue
Tu vaſa ex Orichalco, & apparatum
Menſarum nitidum ære, machinaſque
Ad nos belligeras ſubinde mittis.

Sed mihi conuenientius videtur, nullius nationis præiudicio, quæ ſibi forſan verius, inuentum illud tribuere poſſet, hoc tantummodo de eius vſu ſtatuere, quod Achilles Gaſſarus valde, mea quidem ſententia, probabiliter ad Sebaſtianum Munſterum ſcripſit; nempe vſurpatas primùm fuiſſe Bombardas, eo apparatu, qui noſtro ſimilis eſſet, apud mare Danicum anno MCCCL. celebres tamen non euaſiſſe, donec ad Clugiã pugnatum eſſet à Venetis & Genuenſibus; eo ſiquidem modo explicanda eſt communis auctorum omnium quos ſupra retulimus, de hac bombardarum inuentione ſententia. Quam tamen miror non confirmatam ſimiliter fuiſſe à Bartholomeo Facio, qui in libello peculiari de bello Veneto Clodiano, nihil aliud dicit quod in eius fauorem trahi debeat, niſi Bernabonem auxilio Venetis miſiſſe *quoſdam equites, qui magna parte ex Alemania petebantur*; & Petrum Auriam Genuenſium claſſis præfectum, in caſtri Brondoli expugnatione, *tormento* ictum, repente occubuiſſe; cuiuſmodi vero tormentum illud fuerit non explicat, & cùm paſſim mentionem de ſagittis faciat, nihil aliud in ſpecie de reliquis telis, & tormentis

additi;

addit; tantum abeſt vt cùm Platina conueniat, qui in vita Vrbani Sexti primus, vt exiſtimo, hanc opinionem diſſeminauit, quã certatim omnes poſtea conſecuti ſunt. Platinæ autem verba ſi quis ea ſcire deſideret hæc ipſa ſunt, *nulla erat ſcapha Venetorum, nullus lembus qui non duas Bombardas, & eo amplius haberet: quibus multi Genuenſes vt à re inſolitâ nec ad præcauẽdũ ſcita opprimebãtur, ſingulæ enim bombardæ vno ictu binos ternoſque plerumq; necabant.*

8. *Quam eorundem perfectionem qua maior fit in dies per mira cõpendia quorũ aliqua refer.*

Cæterum vt incertum eſt adhuc, ad quoſnam iſtius tormenti inuentio pertineat, ſic expoliti, adauctique gloria, nemini potiori iure quàm Germanis tribuenda eſt, qui pro ea qua maximè valent in ære tractando, ac flando, feriundoque facultate, multa ex ſuo ingenio his machinis addiderunt, quibus non diruendis tantũ muris, ſed ad campeſtres quoque pugnas magis expeditæ, ſua leuitate ac breuitate redderentur: incredibile enim eſt, quantum adhibità ad artem ſolerità, omnes hæ machinæ ſingulis diebus accipiant incrementi; quantumque vis ingenij humani per earum compendià, nouaſque rationes, & admirabilià plerumque ſecreta, eluceſcat. Et ſanè nihil æque iuuit ac promouit conatus prorumpentis in Italiam, eamque more fulminis è nubibus excuſſi, peruadentis Caroli VIII. quàm machinarum, quas ſecum habebat numeroſiſſimas, apta legitimaque conformatio: cùm Galli qui exactum illarum vſum habebant, non ferreas, nec vaſtæ molis, quales Italorum erant, ſed æreas dumtaxat, iuſtæque magnitudinis, & bigis ſœpius, nonnuquam etiam quadrigis impoſitas, tanta induſtria equis traherent, vt pari ferme cum reliquo exercitu celeritate, mouerentur; & ſuis fabris, foſſoribuſque ac omni alià ſuppellectile neceſſarià, vt conueniens erat, inſtructæ, circumducerentur; vnde facile quoquouerſum, & ad omnem motum, atque ad ictus denſiſſimè iterandos minimo negotio explicabantur; maximà Italorum admiratione, qui ſuas rudiores adhuc propter vaſtitatem ægre multiſque Bouum iugis circumferebant, nec exonerabant niſi tardiſſimè. Ac proinde ſi quæ laus eſt, tam dirum, & ferale tormentum, explicatius ad homin im perniciem feciſſe, eam noſtris quoque Gallis deberi, merito quis exiſtimare poſſet; cùm omnium primi in celeberrima illa expeditione, validum, & numeroſum omnis generis tormentorum apparatum, maximà celeritate, ac facilitate duxiſſe, etiam per lo-

ca auia,& aſpera ferantur. Poſtea vero vt eiuſmodi machinarum vſus magis inualuit, ita noua in dies excogitata ſunt compendia, quibus ille aut commodior fieret, aut vtilior; nã cùm olim perſuaſũ eſſet, eum canalẽ tantũ optimũ eſſe, qui rectus & vbique æqualis foret; ac totius machinæ rationẽ ad globi pondus, debere eſſe centuplã, vt ſi ſphera ſit põdo XX. machina pondo M.M. eſſe debeat; iſtud non vſquequaque verũ ac neceſſariũ eſſe, noſtris tẽporibus depræhẽſũ fuit, præclaro Philippi Comitis Mansfeldici inuento, qui *nouũ quoddã tormẽtorũ genus* commentus eſt, quæ maiorem haberent vſum mobilitatis, longiuſque globos permitterent minore pulueris diſpendio, cuiuſmodi nonnulla conflari fecit in nupera obſidione Bredana, que cum eſſent librarum non amplius CLXXX. ſingula globos emittebant pondo VI. ac alia item maiora librarũ ſingula DCCL. quæ capiebant pilas põdo XXV. & omnium vſus, & ſi pretio pluſquàm dimidiato minore, maior tamen erat atque conſuetorum: minuſcula quippe equis duobus, maiora non amplius quaternis celerrimè vehebantur, cùm vetera ſingula indigerent ſenis, denis, aut denis octonis; ſphæras item ferreas, adhibità tantum tertià pulueris parte iaciebant longius quam antiqua. Id autem compendium inquit Hermannus Hugo, Mansfeldicus arte faciebat; nam liquefactum metallum ita igne excoquere nouerat, vt minori æris craſſitudini, parem duritiem atque alijs tormentis maximis preſtaret; vnde leuitas tanto maior exiſtebat: pilæ vero etiam minori numero excuſſæ, ea tamen causà longius volabant, quod ænearum fiſtularum tubi, fundo non plano, ſed in cuſpidem excauato, ignem extrema fiſtulæ parte qua tubi centrum erat, compræhenderent, contra veterum tormentorum morem, quibus ſuperne inter pilam & planitiem fundi, ignis inferebatur; atque hinc nouorum vis maior, cùm ab extremo centro conceptus ignis in orbem, ſimul æquabili flamma perferatur, quæ cauo cuſpidis collecta, tanto vehementius celeriuſque pilas expelliт. Sed vlterius adhuc progreſſa eſt humana induſtria, & æs Cyprium mixtum plumbo alijſque rebus temperatum, quo in machinis conflandis vtimur, *corio pellibuſque* mutauit; inuentus eſt ſi quidem paucis ab hinc annis, modus Bombardas ſutiles ex corio faciendi, tanta duritie, ac firmitate compactas, vt nihil minus quàm ſi ex ære forent, globos

In obſidione Bredana.

bos

bos VIII. librarum iteratis frequenter ictibus, & eadem cum reliquis celeritate, ac diſtantia iaculentur. Cuius rei primùm, quod ſciam, Antuerpiæ periculum factum eſt à *Marino de Marinis* nobili Genuenſe, qui talem ex corio Bombardam, Sereniſſimæ Hiſpaniarum Infanti Iſabellæ Claræ Eugeniæ, adeo artificioſè elegāterque fabrefactam obtulit, vt ſua tantum leuitate materiam proderet, cùm vix trecentas libras penderet, & à duobus hominibus aut equo vnico facillime trahi, omnibuſque equeſtris militiæ munijs inſeruire poſſet. Quod inuentum quia eruditiſſimus Dominus Ioannes Rhodius ſuis ad me poſtremis literis ſcribit, peculiari nunc ſolicitudine à Venetis excultum amplexatumque fuiſſe, ita vt ſpes ſit, illud magis in dies propagatum iri, viſum eſt mihi propterea optimum factu, ſi quam epigraphen Marinus de Marinis, huic primùm à ſe fabricatæ, & excogitatæ *Sutili machinæ* appoſuerat, huc retulerim; ne ſi forte res ipſa in memoriam vſumque poſteritatis tranſit, eius auctoris nomen vt multarum aliarum fieri ſolet, æterna obliuione ſepeliatur, Hæc vero talis erat

Diuo Ioanni dicat. ann. MDCXXXII.

Ingenium non furor Arma miniſtrat

OMNIPOTENTI DEO IVVANTE
DEIPARA VIRGNE INTERCEDENTE.
MARINVS DE MARINIS IOVI SVO,
EX PROPRII INTELLECTVS FVCINA
ANIMI GRATIA DEPROMPTA
HAEC LEVIORA MINISTRAT FVLMINA
GIGANTEOS AVSVS CASTIGATVRA.

Pulchrum ſæpe nocet. in leuitate, & celeritate

Neque tamen his ſe inuentis continuit hæc pernices, & quaſi ſatis non eſſet in elementum vnum peccaſſe, aliud inſuper innocentiſſimum, aerem ſcilicet, in hominis ſalutem coniurare docuit, quandoquidem Riualtus à Flurenza excogitatum fuiſſe refert, ab Cadomenſi artifice mirà ingenij ſolertià prædito, modum *aereæ* cuiuſdam *Bombardæ*; id eſt quæ non ope ignis, vel pulueris nitrati, ſed ſolius aeris compreſſione, in tubis ligneis, aut ex

ferro in laminas ducto, globulos emitteret, tanto impetu vt tabulas ſœpiſſime tranſuerberent; quod item factū à Germano quodam fuiſſe refert Cardanus, ſed adeo rudi, & prægrandi tubo ligneo, vt pro eius grauitate, & magnitudine, nullum ex eo commodum ſequeretur: verum credibile eſt tentamentum illud fuiſſe ſingularis illius artificij, quod demum à Cadomenſi aliiſque ita ſedulo excultum fuit, vt paſſim ſclopi illi manuales aerei oblectationis gratiâ conficiantur, vſurpenturque nunc eodem pene modo, quo prius ſolebant ***baſtulæ illæ vitreæ oblongæ***, & in modum tubæ æqualiter perforatæ, per quas impulſo ſpiritu, emiſſiſque pilulis cretaceis, auiculæ certiſſimo ictu occiduntur. Iam vero infinitæ rei tractatio eſſet, recenſere velle quæcumque huius artis incrementa, ad hanc vſque diem excogitata ſunt; nempe vt ***tormenta pluresictus*** ſemel tantum accenſo puluere ex eodem tubo diſplodant; aut ex diuerſis, ſed alio artificio ignem concipientibus: vt ***tubæ ignem iaculantes*** ſimplices, & ſclopis armatæ conficiantur; vt ***pilæ ferreæ creperæ*** quæ diſſilientes in fruſta, luctu & ſtrage cuncta replent, non mortarijs modo, ſed æneis fiſtulis medias in vrbes, etiam ſi pondo amplius ſint, proijciantur elocis remotiſſimis; vt ***glandes*** præparentur quæ obuiam quamque materiam altius ſolito ſubire poſſint, & homines etiam confodere nullo relicto læſionis veſtigio in cute; vt ***globi candentes ferrei*** ex maioribus colubrinis in aggeres, & domos proijciantur, qui non ſolum ignita vi acrius penetrent, ſed repertâ materiâ apta, eam inflamment, maximaque incendia concitent: vt ***pulueris pyrij*** compoſitio certa ratione temperari poſſit, ad maiorem vel minorem ſtrepitum edendum; vt denique ***eo repleti cuniculi*** mœnia, & arces ſubuertant; & varia eius præparatione, mile aliâ noua, & inſolita huiuſmodi opera fieri poſſint, de quibus cùm pleni ſint aliorum libri, conſultius exiſtimo liberam illis tractationem relinquere, quàm paucula decerpendo, mutilum aliquid ac imperfectum huc affere, quod nec tibi Ludouice Comes, vel vſu commodum, vel doctrinâ ſuaue, aut iucundum eſſe poſſit.

ib. 2. de ſubt.

9.

Tum explicatur qualis & vnde ſit eius machinæ violentia & an pulueris ſilens dari poſſit.

Ceterum cùm eius machinæ inuentio, à qua ſenſim ad incrementum illius deuenimus, nulli plenè cognita ſit, & adhuc ſepulta lateat in ſpatijs tanſmiſſi temporis; ***violentiâ*** tamen ita ſe prodit, vt non hominum modo internecione, ſed ciuitatum euerſione

ne.

ne manifeſtius in dies euadat, quanto hæ machinæ vel baliſtis violẽtiores, vel catapultis concitatiores, vel quocumque alio tormentorum genere quod antiquis vſurpatum fuerit, rapidiores exiſtant. Hincque Mexicani, populi illi à Corteſio ſubacti, qui ligneis machæris, & præfixis cornu iaculis, ſagittiſque arundineis, & magna corporis parte nuda dimicabant; cùm Hiſpanos fiſſilibus machinis, & curulibus quoque tormentis armatos, cuncta, quibuſdam cum ſtrepitu, & fulgore glandibus emiſſis, ſternere viderent, Cœlo ab ipſis euocari fulmina, & àDijs benigne concedi aduerſus hoſtes arbitrabantur. Sed non tam hæc elicimus quam imitati ſumus, aut verius expreſſimus vim illam terrificam, impetum, impreſſionem, diſiectionem denique, & vaſtationem, idque etiam ſereno Cœlo: vt merito quidẽ apud Pamphilum Saxũ ita de ſe loquens fiſtula hæc chalybea introducatur

Vis, ſonitus, rabies, motus, furor, impetus, ardor.
Sunt mecum, Mars hæc ferreus arma timet.

nec minus grapphce Politianus in Ruſtico dixerit

tormentum figere ahenum,
Quod tonitru horrifico magnas quaſſantia turres,
Ardua fulmineo iaculatnr ſaxa rotatu.

Sed non Scaliger, non Forcatulus, non Iacobus Taurellus, aut Cataneus, quos hic vna cum duobus iſtis laudare poſſem, vim & perniciem huius inſtrumenti melius vnquam ſuis epigrammatis, aut argutius exprimere potuerunt, quàm fecit ante aliquot annos Ioannes Argolus, in hexaſtico quod lubenter huc afferam, nõ quòd ad me ſcriptum ab amiciſſimo, & eruditiſſimo viro, cùm Patauij iucundiſſima eius conſuetudine fruerer; ſed quòd ſummè laudatum ab omnibus; ſœpiuſque in publicis celeberrimorum virorum conſeſſibus recitatum, & auribus calamiſque exceptum, laudem vbique retulit, vbique plauſum, & admirationem quam merebatur conſecutum eſt

QVàm, Naudæe, caui damnanda eſt machina ferri,
Non tulit hòc maius terra, feretue nefas.
Credidit è Cœlo clypeos cecidiſſe vetuſtas,
Hoc puto ſed Stygio, de lare fluxit opus,
Huic rota cos, canis eſt; nempe das Syſiphe ſaxum
Tuque rotam Ixion, Cerbere tuque canem.

Verum

Verum quoniam paulo infra cùm de fulminalium, & ſagittarum inter ſe collatione dicetur, ſermo mihi iterum habendus erit, de eorundem pernicie, & impetu; videndum nunc qui fieri poſſit vt tantillus puluis longiori & admodum anguſto tubo concluſus, cauo ex gutture, dedolata in orbem immanis plerumque ponderis ſaxa emittat, quibus denſiſſimos quoſque muros perfringere, & opera quæque ſolidiſſima, ingenti cum fragore diſſipare, atque euertere ſolet. Horum vero mirabilium effectuum, quæ cauſa poteſt aptior effingi, quàm ipſius pulueris pyrij natura *ex ſulphure, carbone ſaligno, & halinitro* repurgato præparati? quæ omnia cùm in proxima & vltima diſpoſitione ſint, vt ex terra, ſub cuius forma continentur in auguſto loco recluſa, adiecto ab imo machinæ extrinſecus igne, illico accendantur, & locum centuplo maiorem requirant, vt ex eo patet, quod granum vnicum pulueris nitrati accenſum in dimidio nucis putamine, totum illud igne replet; propterea fit vt accenſus iam puluis, cùm in arcto ſit, violenter excutiat machinam vndique, nec alicubi faciliorem exitum inueniat, niſi qua parte ſphærula vi intruſa fuit, quam idcirco tanto conatu elidit per canalis longitudinem, indeque ad ſpatium aliquod externum, vt ſi minor eſt, ligneas tabulas craſſiores, & ferreas loricas, quaſi ex corio forent, ictu facillimo perforet, ſi vero craſſior, ac ponderoſior, mœnia quoque & turres frequenti verberatu deijciat. Atque vt compreſſus ſtrangulatusque intra nubes aer, ruptis valido impulſu carceribus, ſeſe latè explicat, eliſoque igne ſonitum horribilem edit, ſic in Bombardis idẽ vſu venire docuit Pandulphus Collenucius in eleganti Apologo de Bombarda: ſed ipſa quoque *pila* dum aerem velociter diuidit, ſtridulum quemdam ſonum efficere ſolet: tum vero *Halinitrum*, & omne ſalis genus, ſponte etiam in libero aere poſitum, non leuem ſtrepitum excitat, vt experimento conſtare poteſt omnino facili, & ſecus, nã ſi quis ſulphuri, carbonibuſque in puluerem contuſis, ignem admoueat, nihil præter pinguem ac male olentem flammam abſque vllo crepitu prodire conſpiciet; vnde qui volunt efficere puluerem pyrium vehementis ſtrepitus & operationis, maiorem tantum quantitatem halinitri, eo modo repurgati quo docet Vannuccius Biringuccius, ad reliquas ſulphuris, & carbonis partes addunt; & ex aduerſo qui puluerem

illum

illum quærunt, quem ita præparari poſſe docent Guibertus, & alij, vt ab eo in tubis incenſo, pila ſine ſtrepitu propellatur, hi vel halinitrum detrahunt, vel ſaltem illud debilitant, pingue aliquod quale eſt butyrum, vel auri glutinum, certa tamen & debitâ proportionè, admiſcendo; qua ratione certum eſt, puluerem parari poſſe, qui lentè & nullo ferme edito murmure, glandes ad duodecim paſſus emittat, qualem ab Alphonſo Ferrariæ Duce, excogitatũ aliquando fuiſſe, auctor eſt, magni nominis medicus Antonius Muſa Braſauolus in examine ſimplicium, agendo de ſalibus, vbi rem hanc de nitro, & puluere, non *albo quod* aliqui dicunt, ſed ſilenti & minime ſonoro ſic explicat, *in machinis bellicis bombardas vocatis bombum facit nitrum: nec vehemens eſſet ictus niſi nitrum adderetur, iamque puluis inuentus eſt qui glandem ſine bombo proijcit, non tamen vehementer, vt vel pullum interficere poſſet, illuſtriſſimus Alphonſus Ferrariæ Dux inclytus hunc puluerem inuenit, qui ſine bombo glandem emitteret*. Ex quo rectè concludit Cardanus quod puluerem eum inuenire qui magna vi feriat, & longius pilas vibret, id vero ex eorum genere eſt, quæ penitus fieri non poſſunt, quia generatim loquendo, quantum ex ſtrepitu, tantumdem & ex impetu detraxeris; qui talis eſſe ſolet vt propemodũ incredibile ſit quod de eo fertur à Tichonè Braheo, & Landgrauio certis rationibus obſeruatum fuiſſe, nimirum pilam bombardâ communi excuſſam, duobus horæ minutis, leucam integram Germanicam conficere; ita vt ſi corpus aliud pari celeritate moueretur vnius horæ ſpatio, iſtud triginta leucas Germanicas, ſeu quod idem eſt centum viginti milliaria Italicâ decurrere poſſet, quod videretur dictu mirabile, ni varijs experimentis, quorum aliqua paulopoſt in medium afferam, conſtaret euidentiſſime nihil in hoc priori, quod ſupra veri fidem ſit, dictum fuiſſe.

in Pyroth.

in poly hiſth. cap. IX.

lib. 2. de ſubt.

Porrò cum hic multa quæſita fieri poſſent, de quibus omnibus ſe tractaturum recepit Hugo Sempilius in dictionario mathematico, vt exempli cauſa an à celeritate motus fortitudo ictus dependeat: an vlla aliâ violentior machinâ excogitari poſſit: cur ante emiſſionem pilæ retrocedat tormentum; cur ab inferiori loco in ſuperiorem longius pilam proijciat, quàm à ſuperiori in inferiorem, niſi in perpendiculum fiat proiectio: quo in loco curſus ma- 10.

Item cur ma ius tormentũ rectius iacule tur.

iorē impetū pila obtineat; quomodo puluis pro varijs tormētorū generibus componatur: quomodo tubo & puluere dato, pondus, & proportio pilæ proijciendæ inueſtigari poſſint; quare pila grauior licet minus penetret leuiori, magis quatiat: quid maior vel minor aeris dēſitas, tormēti calor aut frigiditas, pulueris maior vel minor cōpreſſio, iuſta pilæ magnitudo, axis deformitas & conformitas, ventus ſecēdus & aduerſus, iaculo officiant vel efficiant; in qua eleuatione tormentū longius pilā proijciat: & vtrū de linea directionis recta, & curua certæ regulæ aſſignari poſſint; de his inquā omnibus ſentētiā viri illius doctiſſimi præſtolabimur: interim vero quorumdā aliorum rationem inueſtigabimus, de quibus niſi illūvideo propoſuiſſe. Ac in primis quæri poteſt, cur longius rectā linea minimi tormenti pilæ, quàm maioris emittantur, cur item tormentum validius murum aut propugnaculum aliquod, quàm nauem quatiat? ac denique quibus ſignis machinæ quæ fracturæ ſunt obnoxiæ, depræhendantur: ad primum autem quæſitum, nonnulli iſtud contingere aſſerunt, quia maius tormentum pilam grauiorem iaculatur, & cuius pondus multum celeritati officit, motumque propterea tardiorem ac breuiorem reddit: quod tamen ſi verum eſſet, ſequeretur pilas longius à minori tormento, quàm à maioribus emitti debere; cuius contrarium nemo eſt, qui quotidie non depræhendat; quare rectius alij contendunt, effectum hunc pendere tantummodo à proportione tubi, qui cùm in minoribus tormentis longior ſit, ſit inde, vt pila in eo concluſa, maiori impetu ab accenſo puluere impellatur, & diutius feratur per rectam lineam, quàm maioris tormenti globus, cuius grauitas nullius eſt in hac difficultate momenti, cùm tota illa actio in virtute materiæ internæ conſiſtat, & tormenti diſpoſitione.

Secundi vero quæſiti non certa aliqua ratio afferri ſolet, ſed multiplex à varijs proponitur, nam alij iſtud accidere credunt quia e longiori ſpatio diſploduntur in mari bombardæ, metu pilarum, ex aduerſa claſſe excuſſarum, quàm in terra vbi milites ſe ab illarum offenſione aggeribus, & propugnaculis tuentur: alij

11. *Cur maius, murum validius feriat cum in latera nauium*

cauſam ex eo repetunt, quod nauis huc & illuc fluctuet, nec pilis firmiter obſiſtat, quemadmodum muri, & parietes, qui nihil omnino ictibus cedunt, totamque vim ac impreſſionem ſuſtinent, non ex parte eludunt vt naues: alij denique ad materiam recurrunt,

runt, quoniam muri ex lateribus coctis, & ſaxis, ac lapidibus friabilibus erecti, longè facilius vehementi aliquo impetu in partes, & fruſta diſſiliunt, quam naues ex ligno compactæ, quod propter ſui lentorem, & cohærentiam partium, facilem tranſitum præbet volitanti globo, cæteris partibus quas ille non attingit illæſis inuiolatiſque.

12. *Quomodo machina fracturæ obnoxia deprehendatur.*

Quoties vero tormenta in diſploſione vehementer retro aguntur, præterquàm ſi parua ſint, milites qui ipſis vtuntur lædere ſolent, ſi vero maiora, incertos ictus edunt, curruſque ac ſuſtentacula ſua labefactant; illud inſuper ſignum eſſe quod breui in fruſta diſſilire debeant Cardanus aſſerit: quemadmodum eiuſdem quoque fracturæ periculũ in illis imminet, ſi non debita proportione conflata fuerint tormenta; ſi materia ipſorum fuerit ſquammoſa, aut minimè tenax, aut veſicis plena, rimamque contraxerit, ſi ærugine tententur, aut aquà madueriut; ſi ſphæra iuſto craſſior fuerit; ac tandem ſi puluis maiori copià quàm par ſit intrudatur, nimis enim aucto igne, nec per moram aut impedimentum aliquod exitum inueniente, frangatur machina neceſſe eſt. (libro 2.)

13. *Ac tandem quiſitat vt in iaculatione prius flãma emicet quam ſonitus audiatur.*

Quibus omnibus pro corollario, quæſitum aliud ex intimis philoſophiæ penetralibus depromptum ſubnectam, ſimul que eius rei cauſam afferam, quæ ad ſingulos tormentorum ictus, in omnium oculos non ſine ſtupore & admiratione incurrit; qui fiat nimirum quod licet vno eodemque temporis quaſi momento, & accenſi pulueris flamma emicet, & globus erumpat, tamen ante lux cernitur, quàm ſonitus erumpentis globi audiatur; non ſecus ac in nubibus fulgur prius oculis, quàm tonitru auribus percipitur; licet exhalatio vi maxima connitens, & egrediens ſonum edat, emicet vero tantum & coruſcationem pariat, poſtquàm eſt egreſſa; & eadem ratione nauigantium in alto remos ante referri videmus, quàm prioris impulſionis ſonus ad aures deueniat. Quare vt omnium ſimul cauſa afferatur, hæc primũ quidem ab organo ſiue oculo dependet, qui ita conſtructus eſt, eamque ſedem in corpore obtinet, vt rerum omnium etiam longo interuallo diſſitarum imagines lõgè facilius, & promptius recipiat, quàm auditus qui ſedem ſuam in extremo aurium receſſu habet, multis amfractibus ſinuoſiſque cauitatibus munitam, ita vt obiectis ſonorum, non niſi tardiſſimè ad illam aditus pateat, maximè cum ſo-

nus

nus diffundat ſe realiter, hoc eſt aeris partes immutando, continua quadam & ſucceſſiua motione, qua non item indigent ſpecies viſibiles, vt pote intẽtionales, & ſeparatæ ab omni re materiali: vnde viſio fieri dicitur per inſtantaneam productionem ſpeciei, auditus vero per ſpeciem coniunctam cum motu, ac proinde, etiam non niſi aliqua tẽporis progreſſione diffuſam, quæ cauſa eſt iſtius effectus à ſenſuum obiecto dependens, quemadmodũ prior alia deſumpta fuit ab organi diſpoſitione; vtque hæc à medicis, ſic altera ab iis, qui ὀπτικὴν profitentur, non copioſius modo, ſed certius quoque explicari ſolet.

14. *Damnantur tamen hæc arma tanquam indigna viro forti, non ſecus ac antiquorum tela & ſagittæ.* lib. 5. de milit. Roma. in paralell.

Enimuero licet eiuſmodi machinarum violentia talis ſit, qualem nos & hic diximus, & lectione rerum geſtarum, ac experientià ipsà quotidie depræhenditur, obtinere tamen illa non potuit ab eruditiſſimis, & magnæ apud omnes auctoritatis ſcriptoribus Iuſto Lipſio, & Franciſco Patricio, quin ei non ſagittæ modo ſed iacula, lapideſque fundis excuſſi; quaſi maiorem vim, & impreſſionem facientes, præferrentur. Quare vt in hac dubitatione excutienda paululum immorer, videntur mihi in primis hæc noſtra & antiquorum miſſilia in eo conuenire, quod ad exitium generis humani, corruptelamque veræ militiæ reperta ſint, quandoquidem ipſorum de cauſa, egregiæ virtutis decus, nequaquam ad fortem ſpectatamque duris in prœlijs dextram, & inuictũ corporis ac animi robur, ſed ad fortuitos volantium pilarum ictus, cæca ſemper ſorte, & in his temerarià ſœpe fortunà reuocetur: itaque merito apud Ariſtophanis Scholiaſtem in Acharnanis, & Euſtathium ſecunda Iliade, ars *Sagittandi* vt ignaua & carnificinę multum affinis damnatur, vt etiam apud Philoſtratum in Heroicis, & Dionem Chryſoſtomum, qui ipſam *ignaui militis opus* appellant. Vnde cum Dictis Cretenſis pugione interemptum fuiſſe Achillem à Paride dicat, potior tamen Ouidij ſententia hæc viſa eſt

Metamorphose 12. *Dixit, & oſtendens ſternentem Troica ferro*
Corpora Pelidem, arcus obuertit in illum,
Certaque letifera direxit ſpicula dextra.

Nimirum quia mollitiei, & imbelliæ *Paridis* conuenientior; Contra quàm fecit Sophocles qui cùm videret ſagittãdi peritiam crimini datam fuiſſe *Herculi* à Lyco, vt tale dedecus ab eximio

in Hercul. Furen. Heroe

Heroe auerteret, ei non modo arcum, ſed etiam clauam tribuit, & haſtam, vt minimũ ab eo Hercule differet, cui Tertullianus ex eo quod clauam, ſagittamque, & pellem Leoninam gereret, nomen impoſuit *Scytalloſagittipelligeri*. Sic apud Homerum *Areithus* laudatur cognomento clauarius, quoniam non arcubus pugnabat, lanceàque longà, ſed ferreà clauà rumpebat agmina. Sane alicubi legere me memini culpatos fuiſſe *credentes ſua vulnera ventis*; hincque factum exiſtimo, quod Torquatus Taſſus in illo pereleganti poemate, quo Gotifred, aliorumque principum chriſtianorum res geſtas in Hieruſalem expugnatione, feliciſſimo ſpiritu decantauit. *Gullielmum* inducat arcum ſuum abijcientem, velut indignum ex cuius perita tractatione gloriari deberet, & ex aduerſo eius tantũ vſum *Clorindæ* relinquat, tanquam apprime meticuloſis delicatiſque mulieribus conuenientem, & viris luxu ac ignauià perditis, quorum

Non vlli eſt animus ſtricto concurrere ferro,
Miſſilibus verum longe, & clamore faceſſunt.

quo genere pugnæ dolendũ eſt equidẽ fortiſſimos ſœpius milites, nulla virtutis edita ſignificatione, mixtoque cum ingnauiſſimis interitu, iniuſto vulnere proſterni; neque enim aliud ſibi voluiſſe puto *Lacedæmonium* quendam ex ijs qui ab Athenienſibus in Pylo capti ſunt, cum obijcienti cuidam *nimirum ex veſtris optimi, ac fortiſſimi quique ceciderunt*, argutè reſpondit, vt notat Thucydides *magnifaciendus eſſet fuſus ſi viros fortes diſcernere ab ignauis poſſet*, fuſum enim Lacedæmoniorum more vocabat ſagittam, & ſignificabat tam imbelles quam ſtrenuos eius cæco teme- lib. 4.
rarioque ictu, nullo diſcrimine proſterni. Vnde quemadmodum *Archidamus* vt primùm aduectam ex Sicilià catapultam vidit, exclamaſſe fertur, *perijſſe virorum virtutem*, quod fortiſſimus miles vix ab ignauo in pugna dignoſci poſſit, ſi non manu ſed tormentis bellicis res geratur: nec defuerunt etiam referente Iouio, noſtra ætate duces, qui de bombardis illis igniuomis, & ſub id præſertim tempus quo à Bartholomeo Coleono, paruis curribus inſertæ poſt acies aduehi, & in oppoſitos hoſtes dirigi cœperunt, potiori iure quererentur. Nam cùm in pugna ad Ricardinam Bononienſis Agri, hoc inuento emiſſa pila, Herculi Ferrariæ Principi calcaneũ deterſiſſet, maligne barbaroque

m-

more Coleonus feciſſe dicebatur, qui viros fortes gladio atque haſtà pro virtute, & gloria dimicantes, inuſitata atque horribili pilarum procellà, ſternendos curaret. Neque minus indignum iſtud viſum eſt *Paulo Vitellio*, qui Sclopetarijs hoſtium captis, erui oculos & præcindi manus iubebat, vulnus enim gladio inferre fortis eſſe cenſebat & generoſi militis, tormento autẽ vel catapultà, imbellis & ignaui. Quo ſenſu Agamemnon apud Homerum Græcos vocat ἰομώρους, quod ſagittis potius eminus, quàm gladijs cominus pugnare vellent; verè enim & ſtrenue is pugnare dicitur, qui præter arma habet, quod iactet; qui ſibi fidens, vulnerare inermis armatum audet; nunc vero fruſtra in arenam deſcendunt bellatores, poſtquam vincere ignauis licet; nec lacerti aliquid præſtant, aut nerui, vel quadrati corporis firmitas aliquid valet, contra imbelles qui alienis viribus ferociunt; & modo nocendi audaciam attulerint, fortes ſine viribus cluunt, proptereaque minori nunc quàm antiquitus conſueuerit cum honeſti, & decori obſeruatione, pugnas à nobis iniri fatendum eſt.

Iliade 8.

15. *Quæ male à Patricio & Lipſio fulminalibus conferũtur quaſi maiori velocitate ferrentur.*

An vero *deterius*, illud etiã ab ijdẽ auctoribus quos antea laudaui Patricio, & Lipſio, tantũ abeſt vt in controuerſiam vertatur, quod abſolutè pro antiquis concludunt, eoſque damnãt tamquam non minus iudicij, & bonæ mentis indigos, quam ignaros rerum veterum, qui fundas, iacula, ſagittas ludibrio habent præ noſtris bombardis, quaſi hoc fulmen, & tonitru nulla Romana acies ſuſtinere potuiſſet maximè ſi grãdiora illa accedererent, & quaſſatoria tormenta. His autẽ rationibus opinionẽ ſuam fulciunt, quas nos pone ſequentes, euertere conabimur, ducto eb ea exordio, qua contendunt, tantum fuiſſe in emiſſa peritè funda impetum, vt glans ſœpe liqueſceret in medio curſu cõcepto igne; hoc enim, & ſi ex antiquorum opinione dictum fuerit, oſtendimus tamen omnes auctoritates quas ad iſtud probandum afferunt, aut imitatione quadam poſteriorum auctorum ex primis, aut confidenter nimis, & parum conſideratè fuiſſe prolatas, ita vt prima hæc ratio nulla penitus cenſeri debeat.

16. *Facilius arma quæuis penetrarent, & noxia magis eſſẽt in bello.*

Addunt tamen in eius confirmationem adeo validum ictum fuiſſe telorum eiuſmodi, vt quod inquit Diodorus de Balearibus, ſuis lapidibus, & ſcuta, & omne armorum tegumentum perfringerent; imo ex ſtyrabone cataphractos: & à Plutarcho ſcriptum

eſt

Digitized by Google

eſt *Philopœmenẽ* per vtrumque femur ſimul iaculo amentato fuiſſe transfixum, quibus ego mantiſſæ loco addam ex Arriano, tela quæ *Indorum* ſagittarij mittebant, tanta vi ferri ſolita, vt non clypeus, non thorax, non aliud quicquam ſummæ firmitudinis, & quàm validũ obſiſtere obluctariue queat. Quod idem Olaus Magnus de *Septentrionalibus* populis teſtatur, qui baliſtis vtuntur validiſſimis, quas dorſo incuruato rotulis attractiuis extendunt, talique impetu ſagittas emittunt, vt virũ loricà ac duplici thorace munitum, velut mollem ceram penetrare conſueuerint. Quam vero *Parthi* Romanis, ob ſagittas quas grandinis inſtar emittebãt metuendi fuerint, indicat ſatis præter interitum Craſſi, vulgatum illud apophthegma de ſagittario, quod vt nimis tritum ac vulgare referre piget, maximè cùm ſuppetat aliud ex Cicerone in epiſtola ad Papirium Pætum non minus elegans *itaque* inquit *obtemperare cogito præceptis tuis; hoc amplius, nauicularum aliquid habere in ora maritima contra equitem* Parthũ, *negant vllam armaturam meliorem inueniri poſſe*, quia ſcilicet effugium ſemper hac ratione paratum eſt ab illa maximà vi ſagittarum *quæ* vt inquit Plutarchus *fortium atque magnorũ arcuum viribus contortæ, grauiſſimis* Romanorum *corpora vulneribus ſauciabant, ac ſorte perimebant miſerabili cum perfoſſis armis totũ etiam corpus penetrarẽt:* vnde idem de Parthis dici merito potuiſſet quod Sidonius de Hunnis protulit

Hec babet, & teretes arcus, & ſpicula cordi,
Terribiles certæque manus.

ſanè quantum illi hac arte ſagittandi valuerint, manifeſtum non ita pridem elapſis temporibus, fecit *Tamerlanus* notiſſimus ille Scytharum Imperator, quem hiſtorici referunt, cupreum mortarium pro ſcopo ſagittarijs in ludo Propoſitum, emiſſæ arundinis ſpiculo aliquoties perfodiſſe: cui ſimile quoddam habet nitidiſſimæ ſermonis arbiter, Ioannes Barclaius cùm aſſeri t ſe non ſine ſtupore vidiſſe *Chalybem* tres digitos latum, ab exigua ſagitta pertranſiri, & deſtitutum ferro telum, in modicæ arboris truncum altius penetraſſe, quæ ſapientiſſimi viri obſeruatio animum certè mihi facit, vt quod abſque hoc impulſu leuius duxiſſem, non hic modo prætermiſſum velim, nempe *Hallæ* quod oppidum eſt tertio à Bruxellenſi lapide, inter cætera quæ templo diuæ Virginis affixa cernuntur, haſtam è tholo pendere transfixam ex vtraque

cap. 2. lib. 7

lib. 9 epiſt. 17

In Craſſo.

carmine. 2.

in icone animorum.

Yy par-

parte telo, arcu vt vocant manuali emiſſo, licet craſſitie brachium fortiſſimi viri ſuperet. At enim cùm antiquitus omnes ferme populi ſagittis ad bellum vſi fuerint vt de *Indis* teſtantur Curtius, Plinius, & Prudentius in hoc verſu

lib. 16. *non decolor Indus*

lib. 8. *Tempora pennatis redimitus nigra ſagittis.*

cap. 36. De *Aethiopibus* Diodorus. De *Parthis* omnes ferme hiſtorici, & Poeta maximus in Georgicis.

lib. 4. cap. 1. *Fidentemque Parthum fugà, verſiſque ſagittis.*

lib. 3. De *Perſis* Heliodorus, Polybius, & Procopius initio belli Perſici, vbi poſtquam notauit Perſas arcus ſuos longè validiores in dextram vſque tendere aurem, demum addit *tali igitur niſu emiſ-*

lib. 1.

lib. 5. *ſam ſagittam, mirum non eſſe fruſtra non mitti, cui neque thorax vllus, neque ſcutum poſſit reſiſtere*. De *Sarmatis*, & *Getis* Ouidius

Iuncta pharetratis Sarmatis ora Getis.

de *Cretenſibus* Virgilius in Ceyri

Attica Cretea ſternebant rura ſagittâ

idemque de reliquis nationibus varij auctores teſtati ſint, quos nunc laudare non vacat, quis tandem modus eſſet narrationi, ſi ſingula exempla quæ in tãtà diuerſitate, haberi ab illis de mirificà ſagittarum vi atque pernicie, nullo negotio poſſent, in medium proferre vellem: ſane vel dies me deficeret, vel patientiâ tua abuti viderer, Ludouice Comes, quam vehementer dubito ne ſupra modum hactenus exercuerim. Quare vt finem his aduerſariorum rationibus faciam, vnica modo ſupereſt qua contendere poſſent, non à Parthis modo, ſed Gothis etiam fuſos profligatoſque ſagittarum vi Romanos exercitus fuiſſe, nam vt Paulus Diaconus inquit *ad primum Gothorum impetum perturbatæ ſunt Romanorum equitũ turmæ nudatoſque pedites deſeruere, qui mox equitatu hoſtium ſepti ac ſagittarum nubibus obruti ſunt*. nempe hi ſunt ſagitarum effectus mirifici, hæ clades luctuoſæ quas intulerunt, hæ iaculationes maximę, & inuſitatæ quarũ cauſa tã celebres olim in bellis fuerunt, & etiam nunc grauiſſimorũ virorum iudicio non indignæ ſunt, quæ fiſſibus noſtris machinis præferantur. Verum iſtud potius illos in errorem impulit, quod, ſecus tamen quam ipſi arbitrati ſunt, tales ictus non ab armi ſerant, ſed ab eorum lacertis quorum manibus arcus intendebantur, rotabatur funda,

lib. 11 hiſt.

aut

aut iaculum torquebatur; vt bene omnino prudenterque Lipſius exclamarit *per Deum quæ iſta manus? aut viribus, aut peritià valida, quam aſſiduum exercitium dabat.* cum tamen illud idem dicere non potuerit de armis, quæ à fœmina, aut puero, vel elangui milite viribuſque confecto vibrata, longe minorem plagam infligebant; ſecus profectò quam Bombardis noſtris accidit, quæ modo ſint probè temperatæ, eadem ſemper vi globulos emittunt, etiamſi à puero, aut fœmina diſploderentur. Vnde mirari ſatis non poſſum, tantum virum, quantus re vera Lipſius fuiſſe cenſendus eſt, in eum errorem deueniſſe, vt quod viris ipſis ac ne quidem omnibus, aut ſemper conueniebat, iſtud ad fundas, & arcus ac pila tranſtulerit, quorum nulla plerumque vis erat niſi mutuaticia, & ea quidem maior cùm à forti lacerto torquerentur, remiſsior autem cùm à debili, aut languido. Quanquam etiamſi æqualis omnium fuiſſet, adeoque violenta, & propria impreſsio, nihil tamen inde confici poſſet, aduerſus fiſtularum chalybearum lethales ictus, qui non cataphractos modò, ſed duos ſæpe milites, & binos equos tranſuerberant, vt in Ticinenſi pugna, & alijs præliorum occaſionibus obſeruatum fuit à Iouio; & experientia paſsim confirmat nullos eſſe tàm validos ex ferro thoraces, quos glandes plumbeæ ad ducentos paſſus non traijciant, & nonnunquam etiam ad quingẽtos, ſi ab *Vncinatis*, vt vulgò dicitur, *Arcabuſijs* euibrẽtur. Quinimo lõgè maius eſt, quod de machinis quibuſdam à ſe inuentis aſſerit Bernardus Mendozza, *Præſentaui*, inquit *eo tempore tormentum noui generis ſuæ maieſtati, ex metallo fuſum, cuius pretium eſt quadraginta coronatorum, pondus triginta librarum, glans quam eiaculatur eſt vnius libra, tanta autem violentià fertur vt murum duos pedes geometricos profundum pertranſeat, quod admirabile eſt, cùm adeo leue ſit inſtrumentum, & eius proportione globus ſit grauis, deinde haud facilè incandeſcit, quod magis faciendum eſt.* Cùm igitur infixus eſt lapis in media fronte Philiſtæi, ſi tormento vſus fuiſſet Dauid, totum caput penetraſſet ictus, longèque prouectus aliũ forte quempiam vulneraſſet; ſic aſſerem vnius digiti funda non traijciet, at glans ferrea multos ſimul pertranſibit. Vnde antiquitus pila & ſagittæ in ſcutis hærebant, adeo vt ſæpiſſimè grauarent ferentem, & ſcuta illa ex tabellis, corticibus, & corijs com- part. 1. c. 52.

pacta vt plurimum erant, quæ omnia quis ludibrio fore non videat ſi ad noſtram militiam referantur: denique quantacunque vi lapidem in arboris truncum funda torqueat, reſiliet ille, quemadmodum inquit Adamus Kontſenus, omnis autem minoris cannæ globus, altius in eum deſcendet, fixusque adhærebit. Porro quod ad maiores machinas, ſpectat videri poſſet Ioſephus illarum vim non minimum eleuaſſe, ex ijs quæ de Romanis ſcribit, tantam enim earum vim fuiſſe refert, vt quadam ex illis, excuſſa hominis caluaria, ad tria ſtadia continuato impetu tranſlata fuerit, & infans ex matris vtero ad ſtadij ferme dimidium fuerit item delatus; adeo nempe ſolers erat Romanorum ingenium ad cædes, vt parum etiam abſuerit à miraculis noſtrorũ fulminũ: ſed cùm hæc apud Ioſephũ lego, venit mihi primum in mentem, multa ab eo dici quæ licet ſeparata, ac diſperſa per hiſtoriam ſuam, lectori facile imponant, tamen ſi omnium ratio ineatur, dubio procul oſtendere non difficulter poſsint, ipſum ſinceræ veritatis non fuiſſe ſtudioſum; ſed ſubleſta, pene in omnibus, fide res Hebræorum longe aliter, quàm à prima origine ſe habuerint retuliſſe, ac ne quidem eas quæ ſuæ adminiſtrationi concreditæ fuerunt, abſque multa varietate, & mendacio conſcripſiſſe, quemadmodum me pluribus aliquando certiſsimiſque teſtimonijs demonſtraturum recipio; ſed demus rem illam, vt à Ioſepho refertur ita ſe habuiſſe, an propterea noſtrarum machinarũ vim imminuere poterit, quæ talis eſt, vt turres integras vno plerumque ictu deijciat. Obſeruauit Cardanus è turre vnica quæ ſola supereſt in Cardani oppido, *laterum pluſquàm duodecim millia*, excuſsà ſemel in eam Bombardà, ſolo æquata fuiſſe; *& octoginta homines* diſperſos in quodam nauali prælio, ab vnius tormenti diſploſione, tantam nimirum ſtragem ab vno telo editam, quantam aliquando integra acies non ederet, memoriæ ab eo auctore proditum eſt qui meditationes hiſtoricas concinnauit. Atque vt ex ducum inter ſe collatione, qui vel miſſilibus antiquorum, vel noſtrorum glandibus perierunt, quid etiam de militibus iudicandum ſit, & quænam inde tormẽta magis hominũ generi lethalia fuiſſe cẽſeri debeant, præclaro, & maximè illuſtri exẽplo innoteſcat, quis *Achillem* Ninum, *Iulianum*, *Valentem*, *Othomanum primum Alphonſum*

lib. 2

ſum Quintum, *Riccardum* Angliæ *Regem*, & non ita multos alios Imperatores, qui ſagittis aut iaculis confoſſi interierunt, conferendos eſſe arbitremur cum *Alexandro*, *& Camillo Triuultijs*: *Marco Antonio* Columna, *Ioanne* Paulo, *& Iulio Manfronis*, *Carolo Borbonio*, *Ioanne* Medice, Baiardo, *V*gone *Moncada*, *Mario Vrſino*, Rodulpho *Balione*, *Principe Aurangiæ*, *Ludouico Gonzaga*, *Palitia*, *Boniuetto*, *Tramulio*, *Ioanne Naldo*, *Hieronymo* Mendozza, *Aumalio*, *Ioyeuſa*, *Moenio*, *Popenaimo*, *Tillio*, *Toeraſio*, & innumeris alijs qui tum in his quæ in Italia multis annis acciderunt valde memorabilibus prælijs ad Marignianum, Rauennam, & Ticinum factis: cùm in omnibus quæ hucvſque per Europam geſta ſunt, fatalis pilæ impetum, ab eo quem nunquam in conſpectum habuerant, contortæ, ſunt experti. Sed amabo cur *Mario Sceuæ* Cēturioni Cæſareo, ſcutū centum, & viginti ictibus perfoſſum fuit; aut quomodo *Sceuola* eiuſdem Imperatoris miles tragulà femur traiectus, ſaxique pondere ora contuſus, galeà iam ictibus diſcuſsà, & ſcuto crebris foraminibus abſumpto, per vndas quas hoſtili cruore infecerat, ad ſuos enatauit, ſi ſagittæ adeo noxiæ & lethales erant? Et quamobrem nobis ſimiliter non licet tot pilas fulminales armis excipere vel repellere, ſi non his quàm antiquorum telis, maior vis ineſt obuia quæque perfringendi; rectius igitur cum Stephano Forcatulo dixeris.

Mortales finxiſſe luto, ſat præſtitit olim,
At nunc ſufficient ex Adamante magis.

Quid poſtea vertit ſe in aliam partem Lipſius, & quærit quæ noſtra Bombarda vltra ducentos, aut trecentos pedes tenorem, aut vim ſeruet, nec langueſcat, aut aberret, ſi longius protendas. Nempe vt hoc modo fundarum vim extollat, quorum tela ad trecentos pedes teſte Vegetio perueniunt. Vnde vt eius quæſito primum reſpondeam, peritorum omnium in hac arte, fidem oro obteſtorque, num inter minora etiam tormenta Archabuſij interiori cannæ ſuperficie ſtriati, & alij qui communiter vncinati dicuntur, multis paraſangis interuallum iſtud à doctiſsimo Lipſio aſsignatū nō tranſmittant? De maioribus vero quæ rotarum ope ſubuecta ducuntur, quid opus eſt dicere? cum pleraque XL pondo per quinque millia paſſuum iaculen- 17 *Lōgius etiam torquerī̄ntur.*

 tur;

tur; & hiſtorici omni exceptione maiores referant, Tolonæ in Galliâ quandam Colubrinam fuiſſe cognomine *Lacertam*, adeo eximiæ temperaturæ, mirabiliſque violentiæ, vt hoſtium nauigia ab acceſſu vel in triginta ſtadiorum diſtantia deterreret. Deinde quod ex Vegetio ſubdit ſagittarios, & funditores, ſcopas hoc eſt fruticum vel graminum faſces, pro ſigno poſuiſſe, *Ita vt ſexcẽtos pedes ab illo remouerẽtur*, non deſunt inter criticos, qui hoc minus prudenter à Vegetio dictum exiſtiment, cùm Patricius conſtantiſsimè neget, lacertum vllum tam validum eſſe, vt ſaxum aut telum aliud iaciat ad *quadraginta paſſus*, ex eoque non *ſexcentos* in Vegetio, ſed *ſexagenos* legunt, vt Pontanus, & alij; non igitur hæ longius quàm tormenta iaculantur.

18. Vtrum denique rectius, id ſanè cum Lipſio multi affirmant
Et certius ad collimandũ. Baleariũ inprimis exemplo, quos ita peritè ſe exercuiſſe cõſtat ad deſtinatos ictus hac arte infligẽdos, vt *Matres paruos filios nullum*
cap.16.lib.1. *cibum contingere permitterent, niſi quem ex funda vibrato lapide de-*
l.b 6. *iecissent*: quemadmodum inquit Vegetius, ex Diodori teſtimo-
in Georgic. nio, cui multum momẽti accedit ex alio Iunij Philargirij, aſſerentis quod apud Baleares fundarum vſus repertus eſt. Vnde cùm Gymneſiæ *ἀπὸ τȣ γυμνότητος* id eſt *à nuditate* prius dicerentur poſtea vero a Græcis occupatæ, quia earum incolæ cum fundis aduerſarios ſummouebãt *παρα το βαλλειν Baleares* fuerunt appellatæ. Sicut nunc à ſpatio ſeu ambitu inæquali *Maiorque Minorque* appellantur. Nec modo Baleares, ſed Iuuenes olim nobiles, ſagittandi, & deſtinata feriendi vſu exercebantur, vnde Caſſiodorus in prę fatione hiſtorię tripartitæ *Iuuentu inquit exercitia*
epiſt.2.lib.1. *arcum dirigere, beſtiam proſternere lanceam iaculari*; & Sidonius nihil in Theodorico Gothorum Rege æque ac ſagittandi peritiam laudat, vtpote in quo *rarius fallebatur figentis ictus,*
4. conſul. *quàm deſtinantis obtutus*. Quod idem Claudianus de Honorio aſſerit.

> *Quam fælix arcus certique petitor*
> *Vulneris, & iuſſum mentiri neſcius ictum.*

cap.20. Quin etiam in libris Iudicum laudantur ſeptingenti habitatores Gabaad quod eſſent viri fortiſsimi, ita ſiniſtrâ vt dextra præliantes, & *ſic fundis ad certum iacientes vt capillum quoque poſſent percutere, & nequaquam in alterum partem ictus lapi-*

dis

dis deferretur. Hinc præter exemplum D*auidis* quod Pruden- in Pſycomac.
tius ex fide ſacrorum codicum ſic eleganter expreſsit.

Vidimus horrendum membris, animiſque Goliam
Inualida cecidiſſe manu, puerilis in illum
Dextera, fundali torſit ſtridore lapillum,
Traiectamque cauo penetrauit vulnere frontem.

Duorum inſuper *Parthorum* meminit Iulius Africanus, quorum vnus ſagittis in clypeum emiſsis, eius in ipſo domini effigiẽ deſignauit: alter vero Vrſi ſocios inuadentis ambos oculos ſagittis confixit: vt nihil hic neceſſarium ſit in exemplum proferre vel I*ndum* illum ſagittarium, de quo percrebuerat fama apud Alexandrum Magnum, ſagittas ab eo tantà peritià dirigi, vt per annulum tranſirent. Vel *Domitianum* quem referente Suetonio, cap. 19. centenas varij generis feras, ſæpe in Albano ſeceſſu conficiẽtem, ſpectauere plerique, atque etiam ex induſtria, ita quarundam capita figentem, vt duobus ictibus, quaſi cornua effingeret; cùm interdum etiam maiori artis fiducià, in pueri procul ſtantis, præbentisque pro ſcopo expanſam dextræ manus palmam, ſagittas tanta arte dirigeret, vt omnes per interualla digitorum innocuè, euaderent. Vel G*ratianum* Valentiani ſenioris filium, qui tam ἴυςοχοσ hoc eſt in eo, quod iaculo petebat tangendo ita felix erat, adeoque bene, & peritè collimabat, vt quod aſſerit Cedrenus, aliqui dixerint eius tela eſſe mente prædita. vel H*ormiſdam* Perſarum Regis filium, quem Zonaras adeo peritum fuiſſe iaculatorem refert, vt prædiceret qua parte hoſtem tom. 3.
petiturus eſſet; vel demum *Arimaſpos* quos etiamſi Herodotus ſcribat viros eſſe Scitharum vnoculos, ſeu vt Aeſchylus eos in Prometheo vocat μονῶπας ita vt nomen illis ex re impoſitũ fuerit, quia Scythicà, ſeu mauis illarum gentium linguà, *Ari* vnum ſignificat, *maſpon* vero oculum, & idcirco Plauti dictum illud *De Coclitum proſapia te eſſe arbitror*, non de Romanorum Coclitum familia, ſed de Arimaſpis, vt notat Turnebus, intel- lib. 13. c. 16.
ligendum ſit. Nihilominus tamen quibus cura fuit, veritatem rerum diligentius indagare, eam gentem arcu & ſagittis excelluiſſe memorant, quo in ſtudio, cùm aſſiduè verſarentur Arimaſpi, alterumque vt fit in earum directione oculum clauderẽt, propterea dicti ſunt vno tantum oculo vti. Verum,

Quid moror exemplis, quorum me turba fatigat?

Dicendum potius, quod etiam ſi longè plura eſſent, nihil tamen aduerſus fulminalia noſtra concluderent, quorũ aut libratis aut deſtinatis tantum oculo ictibus, hoc omne proſternitur quod in debita diſtantia conſtitutum eſt: nihil enim erat tam paruum, tamque propemodo nullum, quod Andreas Agidarius plumbeà ænei tormenti pilà non feriret, modo illud oculis conſequi poſſet; & quam certo proſternantur eiuſmodi tormentis non homines ſolum, aut feræ maiores, ſed minimæ etiam auiculæ per altiſsimarum arborum cacumina volitantes, tam eleganter iſtud expreſſit, qui vnus in paucis Vates hac tempeſtate feliciſſimus, & cultiſsimus habitus eſt, Hieronymus Fracaſtorius, vt non poſsim eius carmina, quoniam mirificè Bombardarum noſtrarum inuentionem, vſum, temperationem, omnemque rationem exprimunt non huc referre; ita igitur ille de Solis auibus loquens. (lib. 3. Syphil.)

Has Iuuenum manus vt ſyluas videre per altas,
Continuo caua terrificis horrentia bombis
Aera, & flammiferum tormenta imitantia fulmen
Corripiunt. Vulcane tuum dum Theutonas *armas,*
Inuentum, dum tela Iouis mortalibus affers.
Nec mora, ſignantes certam ſibi quiſque volucrem,
Incluſam ſalicum cineres, ſulphurque nitrumque
Materiam, accendunt ſeruatà in reſte fauillà,
Fomite correpto diffuſa repente furit vis
Ignea circumſepta; ſimulque cita obice rupto
Intruſam impellit glandem, volat illa per auras
Stridula, & exanimes paſsim per prata iacebant
Deiectæ volucres: magno micat ignibus aer
Cum tonitru, quo ſylua omnis ripæque recuruæ
Et percuſſa imo ſonuerunt æquora fundo.

Sane nec *Alcon* ille Cretenſis cuius nomen tot laudibus cumulatum manauit ad poſteros, quod illæſo *Phalero* filio draconem magnis illi implexum orbibus cecidiſſet, ita vt Sidonius non potiorem alium habuerit pro exemplo peritiſsimi ſagittarij (in Panegir. Maior.)

Non ſic librauit in hoſtem
Spicula, qui nato Serpentis corpore cincto

Plus

Plus timuit dum ſuccurrit, dum ictibus iiſdem
Interitum, vitamque daret ſtabilemque teneret
Corde fremente manum, totamque exiret in artem.

Nec præſt antiſsimus Heluetius ille Guillielmus Tellius, qui malum ſupra filij caput ab iniuſto præfecto poſitum hoc illæſo ſagittà excuſſit, nec reliqui omnes ſupra enumerati, inſigneſque ſagittarum certiſsima directione homines, cum noſtris vllatenus conferri debent qui præteruolantes aues, & pernici curſu fugientes damas, aut lepores, prima ſtatim glandis directione, ictuque certiſsimo perfodiunt. Sed quid maius in conſummata huius artis induſtria excogitari poteſt, quàm cum libratores vel à tribus paſſuum millibus rectam lineam ducunt, vt globos e Bombardà in caput hominis, aut rem aliam quæ deſtinato ictu petitur, tranſmittant, aut cùm ijdem modo hoſtiles machinas videant, tam peritè in earum fauces ſeu concauum ſpiraculum, pilas e ſuis contorquent, vt illæ poſtea vſui ineptæ fractæq. ac mutilæ relinquãtur: hoc vero tã frequẽter in obſidionibus cõtingere hiſtorici teſtãtur, vt cùm miraculi inſtar ſub initium eſſet, poſtea & in Mauricianis caſtris ad *Groningam*, & paſſim in alijs, pro artis tantum experimento certiſsimo haberetur. 19.

Quamobrem cùm ex ijs quæ hactenus dixi, nemini obſcubſcurum eſſe poſsit, quin tormenta noſtra miſsilibus antiquorum multo magis noxia, & lethalia ſint, non poſſum conijcere vnde iſtud in mentem Thomæ Moro venerit vt Vtopienſibus ſuis *Tela eminus voluerit eſſe ſagittas, quas acerrimè ſimul, & certiſsimè iaculentur, non pedites modo ſed de equis*. niſi forſan eiuſdem opinionis fuerit, cum maximis illis hominibus Iuſto Lipſio, & Franciſco Patricio, qui paradoxum illud de præſtantia antiquarum machinarũ ſupra noſtri æui fulminalia, primi in medium protulerunt: Ego vero & ſi contrarium plane ſentiam, non tamen ab illis ita diſſentio, quin aperte fatear, multa antiquioribus illis tormentis, & ijs quæ poſterior ætas inuexit, fuiſſe communia. Etenim cùm Liuius verbi causà meminit duorum generum Scorpionum maiorum ſcilicet, & minorum, quis inde mentem non reflectat ad maiora, & minora noſtra tormenta? cum idem inquit, *capta vrbe maiores minoreſque ſcorpiones ad* LX. *captos ſcripſerim ſi authorem Græcum*

Denique proponuntur ea quæ tormentis antiquorũ noſtriſque cõmunia fuerunt.

lib. 2.

cum ſequor Silenum: Si Valerium Antiatem maiorum Scorpionum ſex millia minorum XIII. quis ex eo non inferat maiori in numero quàm ſint hodie apud nos tormenta ſeu muralia ſeu manualia, fuiſſe etiam apud antiquos Scorpiones? Cùm addit ibidem de Archimede Syracuſano loquens *Murum ab imo ad ſummum crebris cubitalibus fere cauis aperuit, per quæ caua pars ſagittis, pars Scorpionibus modicis de occulto petebant hoſtem;* & cum prætere addit Ioſephus de oppugnatione, Iotapæ loquens, *miſſaque machinis ſaxa & murorum minas auferebant, & frangebant angulos turrium,* quis non dicat eundem fuiſſe vtriſque vtendi modum? cùm denique hæc à Cæſare referuntur. *Quidam ante portam oppidi Gallus, qui per manus ſeui ac picis traditas glebas in ignem è regione turris proijciebat, Scorpione ab latere dextro traiectus exanimatuſque concidit. Hunc ex proximis vnus iacentem tranſgreſſus eodem illo munere fungebatur, eadem ratione ictu Scorpionis exanimato altero ſucceſsit tertius.* quis etiam non continuo arbitretur idem vtrobique fuiſſe periculum: quandoquidem neque etiam nunc certius confici homines, minoribus fiſtulis poſſent. Verum vt hæc omnia de modo, de numero, de effectu, ita ſe habeant, multa tamen ſunt, eaque omnium oculis conſpicua, quibus noſtra, hæc ſuperioribus longo interuallo tam ictu, quàm motu vehementiora magiſque noxia iudicari poſsint. Vt prætermittam modum penitus ab antiquis machinis diuerſum, quæ abſque ignea combuſtione necabant. Vnde quemadmodum frugibus inuentis glandes exaruerunt, haud ſecus Fundæ, iacula, ſagittæ, merito deſierunt vſurpari, poſtquàm eo prouecta eſt hominum induſtria, vt Iouis æmulatione idque etiam ſereno cœlo tonare, & fulminare poſſint.

lib.4.decad.3

lib.3.belli Iudaic.cap.9.

lib. 7. belli Gallici.

20. Cœterum vt in minoribus tormentis non mihi bene conuenit cum Lipſio, & Patricio, ita penitus illis aſſentior, dum in ſententiam acuti Hetruriæ doctoris concedunt, maioraque ſeu vt vocant muralia ac curulia ex bellorum vſu reijciunt, velut quæ aſpectu illo igneo, terrorem potius quàm damnum hoſtibus afferant, ſuis vero ob innumera impedimenta quæ ſecum trahunt, itinerum moras, aut ſumptus immenſos, non etiam valde ſint vtilia, aut commoda. Quãuis enim Fabricium Columnam militaribus in proloquijs frequenter dicere ſolitum acceperim, tormenta

Et maiores bõbardas ſeu curules quod non modo nibiliuuent, ſed multum præterea ſuis efficiant varijs rationibus à bellorum vſu reijciendas ſuadeo.

menta maiora pro vrbium, & caſtrorum hoſtilium clauibus haberi, nihilque tutum vel egregium poſſe geri, niſi vel in paruis expeditionibus tormenta ipſa, quæ cuncta penitus aperiant couehātur;& multæ vrbes cùm expugnatæ,tum etiā defenſæ horum beneficio fuerint, nonnullæque ſtatariæ pugnæ ſuperatæ, nihilominus tamen, cùm attentius in rem ipſam conſidero,multa mihi videntur, propter quæ ſubducta diligenter compendij cum diſpendio ratione, plus in ſpeciem quàm in ſummam belli, conferre hoc nouum tormenti genus exiſtimatum ſit. Atque vt rationes proferam,quæ me ad iſtud contra multorum opinionem ſentiendum inducunt; ſtatuendum eſt in primis Bombardas craſſiores, quemadmodum ſupra demonſtrauimus, in mari tantam vim non habere quantam in terra, cedentibus nimirum nauibus, vt potè minus ſolidis ac firmatis ad reſiſtendum,atque eam ob rem minùs etiam certò pilæ iaculari poſſunt, vt omnino difficile ſit,eas ſecundum aquæ ſuperficiem fluctuantis, ad naues pertingere, quo tamen ferri, & ferire illis neceſſe eſt, vt damnum aliquod notatu dignum inferre poſſint; quāuis enim perniciosior ictus eſſet in parte nauis quæ ſub aqua mergitur, malunt tamen periti ab eo abſtinere;ne pilæ vis atque impetus aquæ occurſu elangueat, nauimque ſupra aquam, feriunt humiliori qua poſſunt parte. Vnde ſi octoginta remiges in quadam nauali pugna ſolo pilæ maioris ictu ſemel confecti ſunt, aut quid aliud ſimile contigerit, plus in hac re caſui tribuendum eſt, quàm certæ cuidam rationi,aut indubitato experimento, quæ tamen ſola in bellorum ratione, vtramque apud optimos duces paginam facere ſolent. Imo licet tam certo pila in mari, quàm in terra iaculari poſſet,inuenta tamen ratio eſt naues ea arte fabricandi,vt trabibus firmiſsimis, & intermixtà lanà, aliiſque rebus idoneis compactæ, omnem vim hoſtilium tormentorum, munitiſſimæ arcis inſtar eludant:cuiuſmodi in bello illo diuturno Danorum cum Suecis nauem Mageleſam fuiſſe auctor eſt Camerarius; & ſimilem aliam Hieronymus Oſorius deſcribit quum prælium nauale Luſitanorum cum Dienſibus qui Mamalucos in auxilium accerſiuerant prolixè recenſet *relinquebatur* inquit, *vna nauis quæ adhuc expugnata non fuerat, erat enim altiſsima, & munitiſsima corijs crudis, vt ſi noſtri*

Tom. 1. med. cap 26.

lib. 6. de rebus iudic.

noſtri in eam ingredi vellent eorum veſtigia labarent, obducta; & ſimiliter ſi faces conijcerent incendium excitari non poſſet. Vtrumque autem latus tanta erat craſsitudine, & firmitate præditum, vt nullis globorum ictibus vulnerari poſſet; idemque Oſorius eo loci de quadam alia naue ſcribit, quę tanto robore, & craſſitudine erat, vt omnes globos non minus quã ſi è ſilice facta eſſet, repelleret. Ex quibus vides iam Ludouice Comes quid de Bombardarum vſu in naualibus prælijs ſit cenſendum, quantumque ex illis, vel aduerſus *ligneos muros*, vt oraculum naues appellabat, commodi ſperandum ſit. In terreſtri vero pugna, ſi illa leuior ſit, & velitaris tantum, profecto ridiculum foret, diſperſos hinc & inde milites, nulloque inter ſe ordine procurrentes, deſtinatis tormentorum ictibus configere velle, cùm hæc in confertas hoſtium legiones ſolummodo vibrari debeant, vt in ſtatarijs ſeu campalibus pugnis fieri amat: quanquã ſi non vano, & irrito conatu, ſaltem multum ancipiti dubioque hoc in illis quoque fieri conſueuerit. Negant ſiquidem apud Lipſium, rei militaris periti, vidiſſe ſe vllam aciem hoc genere teli ſolutam; ſed eo multum æquior Patricius, *tres* in quibus tamen maiores erant equitum quam peditum copiæ, eius ope fuſas agnoſcit, nẽpe Hiſpanorum ad *Rauennam*, & Sophi ac Campſonis Gauri in *Perſide*, & *Aegypto* aduerſus Selymum Turcarum Imperatorem pugnantium; hoc vero quantulum eſt ſi tot aliæ pugnæ numerentur, quæ à ducentis annis abſque fulminalium maiorum ope in diuerſis Europæ partibus, & huic aut illi principi bene feliciterque ceſſerunt: certè quantum illa valuerint in nobili quam ad *Tarum* Carolus VIII. vicit, & in qua cum multis Italiæ proceribus, cecidit quoque vnus ex tuis *Robertus à Balneo*, eius, qui illi interfuit, Philippi Cominæi verbis explicandum duxi, *Summa* inquit, *omnium interfectorum fuerunt ad tria millia, & quingenti*. demum vero ſubiungit, *Et quod mirum eſt omnes manu & cominus pugnando fuerunt occiſi, tormentis enim vix decem opinor vtrinque ſublatos*. Nec ſi minores etiam fiſtulas plus edere ſtrepitus quàm ſtragis in pugna, contendere vellem, ſummorum ducum auctoritate deſtituar, qui facta ipſarum prima diſploſione, eaque ad ſpeciem tantummodo, gladijs cominus in hoſtes pugnare, & ſtricto decernere ferro ſatius habuerunt,

lib 4. de bell. Neapol.

buerunt, vt *Iulianus* Caroli Cæſaris atque etiam Philippi filij præfectus peditum; & *Henricus* IV. inuicti nominis rex;ac multum prælio, non fiſtulis ſed gladijs ad Carignanum ſuperato, celebris *Monmorantius*. Sed quoniam non planè cum illis in hac opinione conuenio, mihique perſuaſum eſt fiſtulas minores vtiliſsimas fore, ſi tempeſtiuè diſplodantur, idcirco de maioribus tantum dicere pergo, quarum commodior forſan videri poſſet opera, ad expugnationes, propugnationeſque oppidorum, poſtquam ad id vnum, momenti certè non parum, olim obtinuiſſe viſæ ſunt:& quidem non dubito quin eundem adhuc vſum habere poſſent,ſi ea muris cingerentur ex quadrato lapide ad perpendiculum erectis, nec vllo alio propugnaculo munitis, ſed pinnas ſeu *minas* vnde propugnatores hoſtibus *minantur*,& de quibus intelligendi ſunt verſus hi Virgiliani

iacent opera interrupta minaque
Murorum ingentes,

dumtaxat habentibus ſuperne, turreſque æqualibus toto circuitu interuallis, ac dimidiati circuli formà in foſſas prominentes, ad maiorum ornatum quàm vſum, quales cùm eſſent ferme omnes, ſub illud tempus quo primum turres quati fulminalibus illis cœperunt, non mirum eſt proptera, ſi quod illas nullo negotio deijcerent, magnæ ſtatim apud omnes fuerunt admirationi; in qua etiam nunc perſeuerarent, niſi homines de propria ſalute & conſeruatione magis quã antea ſolliciti,adeo valida aduerſus communẽ hãc perniciẽ remedia excogitaſsẽt ex propugnaculorum debita ſtructura, vt illã nihil fere ad expugnandas arces ſi modo paulo munitiores ſint,& rerum victui neceſſariarũ non indigeant,prodeſſe,experientià cognitũ ſit.Et re vera plurimæ ſunt vrbes ne dicam infinitæ, quæ ſi mille tormentis bellicis aſsiduè quatiantur, nulla ratione per vim expugnari valeant: ſexaginta maioribus diuerberata abſque vlla intermiſsione *Rupella* primam obſidionem pertulit, quis vero dubitat quin ſecundam pariter eluſiſſet, niſi fame & iactis in altum molibus, ſapientiori conſilio fuiſſet tentata? *Area illa parua ducum Oſtenda*, totus quam per triennium orbis reſpexit, quid cauſæ putas fuiſſe cur infra Troianæ obſidionis terminum ſuccubuerit? lateres illi, terra ceſpites, excitandis aggeribus defuerunt. Sic *Vienna* in-

caſſum-

caſſum Suley manus centũ Bombardas admouit; ſic *Melitenſium arces* octoginta mille globis ferreis verberatæ, non propterea in Turcarum poteſtatem conceſſerunt. Nec *Famaguſtani* cùm centum, & quadraginta mille ſuſtinuiſſent, idcirco iſtorum metu, atque diuerberatione continua, ſed fame aliiſque Turcarum artibus, ad deditionem compulſi ſunt. Non item *Budà* à Rochandulpho Cæſariano duce obeſſa & maioribus tormentis ac libratis ad tectorum excidium ingentibus mortarijs vexata, tantum ab illis damni ferebat, quin Georgius Antiſtes Varadienſis eius vrbis propugnationi ſub Iſabella Regina, & Ioane Infante præfectus, vt erat pervrbano & dicaci animo, miruſque Germanorũ contemptor, minanti aliquoties Rochandulfo, cuncta ſe illis fulminibus proſtraturum, ni deditionem faceret, in hunc ſenſum reſponderit. *Deſineret ipſe viros fortes pro patria Regeque Hungaro aduerſus temulenta agmina ſobriè pugnantes, terrere: nihil enim eos immanium globorum ſtrepitu commoueri. Verum ſe vnũ ex omnibus à Rochandulpho priuatæ humanitatis iure comiter poſtulare, vt tormenta aliquanto minus diſploderet; eſſe enim ſibi Scropham domi vnicam prægnantem* verba ſunt Pauli Iouij, *quæ tot ſclopis & bombis exterrita, abortum, magno conuiuarum ſuorum dolore factura videretur.* Quid plura, in noua obſidione *Louanienſi*, ſi tamen Erycus Puteanus qui eius hiſtoriam elegantiſsimè contexuit, nihil partium ſtudio ſupra veritatem auſus eſt, globis plus mille quadringentis, vix ſeptem in vrbe præſidiarij abſumpti ſunt; & quadam die cùm ictus hoſtiles numerati fuiſſent ad centum triginta, quorum minimæ pilæ libras pendebant quinque, maxmiæ quaſi triginta, irriti tamen omnes præterquam in duas mulierculas, & totidem gregarios cecidere: nec in bellis quæ plurima hodie per totam Europam geruntur, aliquid diuerſum de ipſis tormentis, aut ſperatur, aut habetur; ſemper enim incaſſum tonãt, & cum ſub initia plurimum terroris inani ſuo boatu incutiant, progreſſu tamen temporis, ſic irrita eſſe & vana illorum molimina deprǣhenduntur, aduerſus tum obſeſſorum aggeres & propugnacula, tum obſidentium foſſas, & occulta per terram itinera, & viciſsim ex vtraque parte deſignatas excitataſque ligonum operà munitiones; vt non modo viliſsimus quiſque cacula qui tres menſes in caſtris vixerit, illorum eiaculatio-

lib 39. hiſtor.

lationes vt veſicæ crepitus floccifaciat, eaque ex ſplendore ignis in fomite ſuccenſi, non ſecus ac Mexicani facere didicerant, & Vaſtius etiã Marchio, ac Laurentius Medices, eludat: ſed duces etiã ipſi cùm magnà prius impenſà & ſolicitudine tormenta eiuſmodi in ſuo exercitu habere curauerint, ab ipſis demũ abſtinere & eo tandem cogitationem ac induſtriam omnem reducere cogantur, vt in vrbium obſidionibus circumuallatio fiat, in qua mutuis prçlijs iuſtitium indicitur, celebranturque tantũ ab ignauis militibus *eſuriales feriæ*, quas qui tolerare diutius poſſunt victores demum euadunt, inſignemque referunt, non de virtute, ſed de fame & egeſtate triumphum. Ecce igitur quomodo tales machinæ vſu nullo, & euentu plerumque infauſto, vſurparĩ ſolent; videamus nũc quot & quanta ſecũ habẽt incõmoda, quibus optima quæque ſalutaria cõſilia, aut eludere, ac fruſtrari, aut ſaltẽ retardare ſolẽt: atque vt de sũptibus nihil dicã, quos in ipſis fundendis, conflandiſque perferre oportet, quales Deus bone ſunt illi, qui quotidie inſumuntur in equis, foſſoribus, aurigis, fabris, & alijs rebus neceſſarijs, vt ex armamentario educi in hoſtes poſſint? etenim ſi ex Praiſſaci auctoris in hac re verſatiſſimi ſententia, Bombarda vnica iuſtæ magnitudinis, quales ſolent eſſe quæ muris concutiendis vulgo vſurpantur, decem bouum vel equorum iugis, & quatuor ſaltem aurigis indiget, quibus pertrahatur; triginta foſſoribus qui viam illi muniant, duobus libratoribus, tribuſque eorum miniſtris, qui illam cùm opus eſt puluere nitrato & globis temperent; ſex plauſtris, totidemque aurigis, & duodecim alijs equis bijugis, qui res illi ad vnius diei eiaculationem neceſſarias conuehant; ſequitur omnino ſi decem tormenta in exercitu habeantur, cum globis & puluere qui ad decem dies ſufficiant, DC. plauſtris ad id opus eſſe, hominibus vero DCCCCXC. præter milites qui eorum cuſtodiæ deputantur, & fabros qui damna reparãt; equis autẽ MCCCC.XC. Vnde ſi maiora tormenta ducãtur, ſi numeroſiora aut ad plures dies, vel etiam menſes rebus neceſſarijs inſtructa, cogitandum eſt de integro alio exercitu, bombardarum tantum & machinarum gratià, parando; quemadmodum feciſſe Carolũ VIII. in expeditione Neapolitana Belcarius, Peguilionus refert, apud quem aurigarum quatuor, equorum vero

lib. 5. com. enc. gall.

vero octo millia, his machinis conuehendis quas Rex ſecum habebat attributa fuiſſe produntur; quamuis permultas alias claſſe exportaſſet. Qua in re quantum iniquius nobiſcum agatur quàm olim cum Romanis, vel ex eo patet, quod hi non ſecum in itinere tot impedimenta trahebant, ſed vbicumque conſederant illic ſuas turres erigere, ſuos arietes, muſculos, ſambucas fabricare poterãt; nobis vero cũ tardiſſimo ſemper machinarũ noſtrarum apparatu luctandum eſt, in quo ſi bos aut equus ceciderit, ſi rota frãgatur, vel paxillum ſuum amiſerit, ſi non bene iuncta aut ſufflaminata fuerit, vniuerſo exercitui conſiſtendum eſt, donec prolapſa bombarda varijs machinamentis erigatur: dilabente interim rerum bene gerendarum occaſione: quemadmodũ *Franciſco Mariæ Feltrio* Vrbinatium Principi, ex ſimili impedimento contigit, ne hoſtes quos facili negotio profligare poterat, tempeſtiuè aſſequeretur, & eadem ratione *Antonius Borbonius* ob diffractũ maius tormentum, in poteſtatem Leuæ cũ ſuis militibus venit; nec felicius ceſſit *quinque millibus Vaſconũ*, quod à tumultuantibus in Gallia ſectarijs accerſiti, duas minores bombardas ſecum adducere in eorum ſubſidium voluiſſent, iſtis enim retardati, in Monlucium inciderunt, qui cunctos internecione deleuit. Iam vero quoties fugam maturare oportet, & ipſa grauiora tormenta quæ feſtinantes maxime retardare ſolent vel in poteſtatem hoſtium deueniunt, vel multo igne ſubiecto liquantur, confringunturue in fruſta, quo metallum à ſarcinarijs iumentis facilius deferatur, quæ maior calamitas excogitari poteſt? equidem tantum ineſt his machinis ab immenſo pondere & infinita prope ſarcinarum quantitate impedimenti, vt ſæpiſſimæ dubitauerim, nũ tanta vt vulgo creditũ eſt ſubtilitate ac ingenij laude excogitatæ fuerint, quoniã vt de Baliſta fulminali dicebat Anonymus qui ad Theodoſij filios libellum de machinis conſcripſit, *quod quanto minus ad armandam ſe virorum miniſterium quærit, tanto eſt ingenij virtute præſtantior: quicquid enim opis in ea numeroſior manus afferre potuiſſet, id ſibi artis ingenio dotata largitur*, ita contrarium de his merito quis dixerit, pro quibus cogẽdus eſt pilarum ferrearum lapidearumque aceruus; excoquendus incredibili quantitate & grauibus impenſis puluis nitratus; conducendi fuſores, qui nouas atque quaſſatas machinas

nas fundant; habenda vehiculorum,& omnis generis ferramentorum aliorum vis maxima, equorum etiam, aurigarum, fabrorum lignariorum, ferrariorumque,& libratorum grex, infinitus alendus eſt; præter magnam illam foſſorum cateruam, ex agreſtibus comparatorum ad complanandam viarum aſperitatem,quos *Guaſtatores* communiter vocant, & vulgus Francicũ corruptè *Caſtados*, quaſi dicere vellet *Guaſtados*, quia vt rectè obſeruat Vincentius Lupanus,Itali *guaſtum*, quod Latini ***vaſtum & ruinam***, appellant, vt Marchionem *Guaſti* pro Marchionem Vaſti Ammonis: & *Guaſtum* Bentiuolorum Bononiæ, ruinam domus Bentiuolorũ: & facere guaſtum pro vaſtare,& populari. lib. 1. de magiſtra. gallor.

Sed demus hæc omnia impedimenta nulla eſſe, & Bombardæ ſuis tumulis ſuggeſtibuſque erectæ conſiſtant, quantà,oro obteſtorque,& morà opus eſt vt impleantur? quàm trepidè longis interuallis exonerantur? quoties irrito incendio foculus deflagrat; quàm facile reſidet in tubo ferrum, omniſque per luminis aditũ ſtridenti cum ſibilo, impetus euaneſcit? quot denique illis remoræ offeruntur ab imbre, & quo non alio caſu? qui etiamſi minimus, librationem continuò retardat, imo vero leuis colliculus, agger, aut margo foſſæ interiacens; & quanto magis accuratiſſimè deſignata in omnes arcium frontes, & frontium communes angulos laxa & celſa propugnacula,& præ iſtis propioribus alia exteriora, & hiſce medijs ſuccedentia alia, quæ hoſtem propinquiori aditu ſummoueant, qualia nunc moris eſt in oppidorum munitionibus vſurpare, omnem earum vim, & impetum eludere poſſunt. Vt nihil hic referre neceſſe ſit, quomodo præterea mille doloſis artibus intercipi ſolet illarum impetus,ne effectum conſequatur, ſeu per proditores aut hoſtes, claui in igniuomum ſpiraculum malleorum vi adiguntur; ſeu per libratores qui minus onerant, vel parcius aut altius eleuant deprimuntque machinas; ſeu per oppoſita hoſtium tormenta, quorum contrarijs ictibus interturbẽtur, diſiectiſque & dilaniatis canterijs, ineptæ prorſus ad alias eiaculationes euadant; ac tandem ſi in officio perſeuerent, quid frequentius accidit, quàm vt hebetato ad irrequietam diſploſionem metallo frangantur? Atque hæc in opere incommoda, extra opus vero, quantam hominibus calamitatem inferant, etiam in media pace, tuncque

Digitized by Google

cum minus de illis cogitatur, teſtes ex innumeris laudare poſſem Gaguinum, & Belcarium rerum noſtrarũ hiſtoricos, qui referũt bombardã miræ magnitudinis in Turonibus fuſam & Lutetiã aduectã, quę pilã D. pondo euomebat cùm, ad D. Antonij portã periculi faciendi gratià iuſſuque Ludouici Regis exoneraretur, pilę dũ immitteretur colliſione, ignẽ concepiſſe, & architectum ipsũ, ac XIV. præterea qui forte aderant, omnes in fruſta diſcerptos paſſim diſieciſſe. Sed paruum in hominibus plebeis vitæ neciſque momentum ineſſe permulti arbitrantur; Principes igitur affero equitem ſcilicet Guiſium, ex tribus fratribus quorum nunc ſolus dux ſupereſt, iuniorem, qui paucis ab hinc annis maxima vniuerſæ Galliæ conſternatione, à diffracto tormento æneo malignè percuſſus obijt; ac Stuartum huius nominis ſecundum Regem Scotiæ; quem eiuſdem lethi genere, poſterioribus ſæculis interemptum, narrant hiſtorici qui rebus Scotorum memoriæ tradendis incubuerunt. Verum non homines modò, ſed integræ quandoque ædes, naues, arces, imo etiam ampliſſimæ, ciuitates ſuccẽſo caſu aut de induſtria, in ijs locis in quibus ſeruabatur, puluere ſulphureo, quaſi funditus dirutæ, ac ſubuerſæ fuerunt. Cuius rei experimentum *Pariſijs* quidem viſum eſt, cùm turris Biliaca ad Sequanam, pulueris pyrij confecti, nitrique & ſulphuris cuſtodiæ deſtinata, de cœlo tacta, penitus cum vicinis aliquot palatijs euerſa eſt; quod idem etiam Patauij contigit anno MDCXVII. pridie illius diei quo feſtum corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti celebratur, & poſt aliquot annos *Veronæ*, vtrobique incredibili hominũ iactura, & ædium tam ciuilibus quam ſacris vſibus deſtinatarum ſubuerſione. Sed nulla vnquam vrbs ſæuiorem ab hoc horrendo puluere tempeſtatem experta eſt, quam *Meclinia*, in qua delapſum cœlo fulmen, in locum vbi puluis tormentis bellicis præparatus publico decreto ſeruabatur, octoginta doliola eo repleta ſimul accendit, totque ruinas & ſtrages edidit, vt poſt hominum memoriam, nihil vſquam alibi adeo miſerum & horrendum credatur contigiſſe. nam præter ſeptingentas domos conquaſſatas, & oppreſſos inter earum rudera penituſque exanimatos trecentos homines, ac ſemineces repertos vltra centum & quinquaginta alios, qui maxima parte in noſocomijs poſtea interierunt; nihil in ea vrbe ſyderata,

rata, quod antiquum decus priſtināque dignitatem ſeruaret, relictum eſt; tantoque in eam pulueris iſtius ſuccenſi impetu ſæuitum fuit, vt illinc procul ad octo millia paſſuum, reperti ſint prægrandes ædificiorum lapides, eo tempeſtate delati. Ex omnibus igitur quæ huc vſque de tormentis dicta ſunt, integrum eſt vnicuique videre, quàm anceps iſtud rebus humanis inuentum extiterit, quamque iſtis præſertim temporibus, ob excogitatum longe validius ac potentius periculo quod ab ipſis impendebat, remedium, tota eorum vis quaſi proprio vigore deſtituta elanguerit, aut minus plerumque in hoſtes quam in ſuos deſæuiat. Quamobrem conſentaneum eſſet vt multarum rerum exemplo quæ ſolerter primum inuentæ, ſapientiori demum conſilio in militię vſu antiquatæ ſunt, quoniā vt ſapiēter monuit Lucretius.

Sic voluenda ætas commutat tempora rerum.
Quod fuit in pretio fit nullo denique honore.

ita quoque tormentorū curulium abuſus, & rudis ineptaque moles, ab eodē prorſus auferretur. Etenim ſi *Elephātes* antiquiſsimis primùm temporibus in bello vſurpati, ea tandem ratione neglecti ſunt, quia frigoris minime patientes exiſtunt, & inhabiles ſunt ob corporis molem vt facilè regantur, nec vllus eorum vſus eſt in repentina ac tumultuaria pugna, vt Liuius annotauit; in ſtataria vero anceps genus auxilij præbent, quod in hoſtes imperio, in ſuos pauore impellūtur vt idcirco Lucretius eos *commune malum* appellarit libro v.

Vt nunc ſæpe Boues Lucæ ferro malè mactæ
Diffugiunt fera facta ſuis cùm multa dedere.
Sic fuit vt facerent. Sed vix adducor, vt ante
Non quierint animo præſentire atque videre
Quàm commune malum fuerat.

Si *curulis pugna* Græcis olim ac Perſis & Britannis vſurpata, *falcatæque quadrigæ* omiſſæ item fuerunt, quod locis horridis, aut inæqualibus, cœlo pluuio, palis ab hoſte in terram defixis, aut tribulis ac muricibus diſſeminatis, vel aperto agmine, inutiles reddebantur, imo clamore terrore, fremituque vociferantium nonnunquam in ſuos vertebantur, vt Virgilius de Niphæi curru ab Aenea territo notauit. Aeneide x.

quin ecce Niphæi

Quadriuges in equos aduerſaque pectora tendit;
Atque illi longe gradientem & dira frementem
Vt videre, metu verſi retroque ruentes,
Effunduntque ducem, rapiuntque ad littora currus.

Si denique *clibanariorum*; arma ſi equeſtres *haſtæ*; ſi equorum *Bardæ* & Sclopetariorum caſſides ac *loricæ* aut ſenſim exoleſcunt aut exoluerunt iam antea, quia oneri ſunt & impedimẽto: qui fieri poteſt vt his omnibus rebus ineptiores Bombardæ, quæ tot impedimenta ſecum trahunt, tot ſumptibus occaſionem præbent, adeoque parum vtilitatis afferunt, non etiam velut communi gentium ac ducum & militum conſenſu, ab omnibus bellis exulent; maxime cùm referente D. Auguſtino in epiſtola ad Marcellum *quod etiam recte ante fuerat, ita mutari vera ratio plerumque flagitet, vt cùm ipſi dicant recte non fieri ſi mutetur, contraria veritas clamet, recte non fieri niſi mutetur, quia vtrumque tunc erit rectum, ſi erit pro temporum varietate diuerſum.*

XII. Porro quia res militaris vt Latinorum vates celeberrimus egregij ſui carminis teſtatur exordio, *armis* conſtat atque *viris*, & de illis hactenus quantum opus erat dictum fuit: conſequens eſt vt in præſentia, ſermo à nobis de *militibus* inſtituatur à quibus omne conſilijs bellicis robur, & ſine quibus nummi, commeatus, arma & quidni regna etiam quantumuis ampla, & egregia inualida ſunt; vt apud Dionem præclariſsimè diſſeruit Mecœnas in oratione ad Auguſtum. Viris nimirum opus eſt per quos in pugnis omnia gerantur, & in locorum obſidijs muri, ac foſſæ defendantur; niſi potius ipſi murorum inſtar eſſe poſſint, ex Ageſilai opinione, qui interrogatus cur Sparta ſine muris eſſet, armatos milites oſtendens ſcite reſpõdit *ταῦτα ἐςι τα λακεδαιμονήον τείχη* videbat enim prudẽtiſsimus dux, non tantum momẽti in locorum munitionibus, quantum in militum virtute eſſe poſitum. Atque huc pertinet etiam, quod apud Senecam fingitur dicere declamator nomine Laconis, *non eſt Sparta lapidibus circumdata, ibi muros habet, vbi muros non habet*: vnde Ouidius *immunitam Spartam*, & Claudianus *nudam* hac eadem de cauſa vocarunt

1. Vltima denique pars apparatus ſunt milites omnino neceſſarij.

Suaſor. 11.

10. met.

lib. de man'ij Taeod. conſ.

Ciuibus & vetitis ignauo credere muro,
Tutius obiecit nudam Lacedæmona bellis.

Quod

Quod item Epictetus & Tzetzes præclarè obſeruarunt, ille apud Stobæum, hic vero in chiliadibus, carmine Græco quod ad verbum ita interpres reddidit.

Olim quidem Spartiatæ & genera (progenies) Laconum
Optime ratiocinati ſapienti cogitatione,
Quod viri cuſtodes murorum, non virorum muri;
Armis atque corporibus, pugnis turres fabricabant,
Mœnia autem vrbium ſæpe deſpiciebant:
Ne forte fidentes in ipſis quietem haberent armorum.

Quin ſemper Lacedæmonij vt ignauos deſpiciebāt eos, qui muris ciuitates cinxerūt, vt ex Ageſilao patet, qui monſtrante ei quodā, vrbis alicuius muros extructos magnis ſumptibus, munitoſque ſuis turribus & minis, ac quærente pulchros ne eos iudicaret, reſpondit *ita per Deos, ſed non vt viri, verum vt mulieres intus habitent*: proptereaque non mirum eſt ſi Τειχομαχία ſeu *murorum & turrium expugnatio* Lacedæmonijs, vt Herodotus notat, minus quàm Athenienſibus cognita & vſitata fuit. Sed nec ipſā opus habuerunt, cùm Lycurgi in ea lege ſancienda inſtitutum fuerit, ne ex aris & focis Spartani contra hoſtes dimicarent, ſed vt arma potius extra fines ſuæ regionis efferrent; quemadmodum certè & illud ſemper ab ipſis factitatum fuit, nemine ante Epaminondam, annis fere ſexcentis, ipſorum agros incurſante, vt eſt apud Plutarchum in Ageſilao. Hoc autem omne ſicut de arcibus verum eſt, ita de nummis quoque, & commeatu dici non abſurdè poſſet, quandoquidem Carolus V. Imperator, ita plerumque de illis ſtatuebat, quod ſi aliquo iſtorum, vel militibus carendum ſibi foret, Veteranos potius eligeret, quorum induſtriā, & promptitudine, reliqua duo ſe ex hoſte comparaturum non diffidebat; ita nimirum maximus Imperator militum virtutem commendauit, quæ nō minimum etiam illuſtratur verſibus Euripidis in Andromacha, quos expreſſit non intellexit ſolum Quintus Curtius, vbi commemorat, quomodo Alexander necem Clyto intulerit, inquit enim in media expoſitione triſtiſſimi illius facti, *tum Clytus nec ipſe quidem ſatis ſobrius, ad ipſos qui infra ipſum cubabant conuerſus, Euripidis retulit carmen, ita vt ſonus magis quàm ſermo exaudiri poſſet, quo ſignificabatur malè inſtituiſſe Græcos, quod trophæis, Regum dumtaxat nomina inſcriberēt,*

ib. 9.

alieno enim ſanguine partam gloriam intercipi; nemo enim non cum intelligendum eſſe cenſet de militibus; quantumuis Cicero in ducum fauorem ſcripſerit, *bellicas laudes ſolent quidam extenuare verbis, easque detrahere ducibus, communicare cum multis ne propriæ ſint imperatorum.*

Pro Marcel.

2.

Legendique ex ciuium & incolarũ frequẽtia cuius idcirco parãdæ varij modi proponuntur.

Milites autem intelligo tam equites, quàm pedites, tam exteros, quàm domeſticos, & ordinarios vel ſubſidiarios, vt ab illis quæſtionibus abſtineam quas partim polemici, partim etiam politici ſcriptores quotidie ſuis in libris agitant de horum vel illorum maiori vtilitate & præſtantia; mihi enim ſatis erit nonnulla monuiſſe, quæ primùm quidem ad Principem ſeu Rempublicam ſpectant, mox vero ad Imperatorem etiam ac ducem militum referuntur, quo ſufficientes copias habere poſsit, & acceptas clades, quoties neceſſe erit, reparare. Hoc autem eſt quod Seruius Tullius non minus meâ ſententiâ verè quàm ſapiẽter dixiſſe fertur, nimirum ciuitati ad magna contendenti, nihil vtilius eſſe ciuium frequentiâ & multitudine, quorum operâ in militaribus expeditionibus vti illa cum fiducia poſsit: ſi enim pauci fuerint Regni aut ciuitatis alicuius principalis accolæ, facile abſumi poſſunt contagione, fame, clade, aliaue publica graſſante calamitate, vnde poſtea idem illi quod *Spartanis* continget, qui Leuctricâ pugnâ à Thebanis ſuperati, cum amiſsis in ea mille circiter & ſeptingentis ciuibus, nullos haberent quos eorum loco, tanquam plantaria ex ſeminario ſufficerent; Græciæ imperium amiſerunt. Et eodem errore, deuicti ſemel à Philippo Macedonum Rege ijdem *Thebani Athenienſesque*, continuo in victoris libidinem conceſſerunt. *Romani* vero etſi conſtanti inuictoque robore animi plura bella confecerint, fatendum eſt tamen, quod niſi ſuorum ciuium incredibili numero vſi fuiſſent in reparandis cladibus, ac conſcribendis militibus, quos eodem tempore in loca toto cœlo diuerſa tranſmitterent, non adeo prõpte feliciterque de orbe deuicto triũphaſsẽt. Atque vt vnius belli punici exemplo fidem reliquis aſſeram, conſtat ſanè, ſi cladium quas vtrimque pertulerũt Romani ſimul ac Pœni rationes ineãtur, plures abſque dubio Romanorum quàm Carthaginenſium, omnibus in bellis, quæ terra marique geſta ſunt, occubuiſſe, quod vero nihilominus penes illos victoriâ remanſerit, hoc certo non

cui-

cuiquam rei debet potius quàm inexhauſtis copijs & renouatis ſubinde legionibus acceptum referri. Alioquin cùm Annibal, vt res ipſa propioribus adhuc exemplis deſignata, magis innoteſcat, in ſola Italia, trium aut circiter annorum ſpatio, ſupra ducenta millia hominum deleuerit, ſupra quinquaginta cœperit, quomodo ſteriſſet res Romana, niſi alij delectus quamprimum poſt tantas calamitates haberi potuiſſent? & in bello aduerſus Pyrrhum, cùm eadem celeritate poſt ingentem cladem ſuas vires reparaſſet, Rex ipſe quanquam ingenti prælio victor, adeò animum deſpōdit, vt tutius fore ſibi crediderit cū *Hydra illa Lernæa*, quomodo Romam Cyneas appellabat, honeſtis conditionibus paciſci, quàm tot exercitus quos velut ex ſuo ſinu quotidie fundebat, debellandos ſuſcipere. Ex eoque factum eſt vt Romani ipſi, cùm certo cognoſcerent, Reipublicæ, & Imperij ſalutem incolumitatemque in eo conſiſtere, vt vrbs militari iuuētute augeretur, quæ Veteranorū mortuorum vices complere poſſet, tantam ſemper de maritandis ordinibus curam habuerunt, vt præter leges Iuliam & Pappiam, præterque Metelli Cenſoris orationem, & conceſſa ab Auguſto Priuilegia, agros inſuper ex publico pauperibus aſsignarint, quo libentius ſoboli procreandæ, non omnino extra vitæ commoda delitiaſque conſtituti incumberent, multaque alia ab eis ſancita ſunt in fauorem trium liberorum, quæ diligenter & accuratè ſuo more collegit doctiſſimus Lipſius in commentarijs ad Annales Taciti. Verum præter hanc rationem augendæ ciuitatis, aliam quoque iniuerunt ex receptione hoſtium debellatorum in ciues, inſtitutà quidem primùm ita ſuadente neceſsitate, à Romulo, vt cenſum qui per initia tenuiſsimus fuit, hac arte augeret; ſed conſultò poſtea ab eius ſucceſſoribus retentà, & laudatà, cùm ab alijs tum vero ab Imperatore Claudio apud Tacitum. *Quid aliud*, inquit, *exitio Lacedæmonijs & Atheinienſibus fuit quanquam armis pollerent, niſi quod victos pro alienigenis arcebant, at conditor noſter Romulus tantum ſapientià valuit, vt pleroſque populos eodem die hoſtes, dein ciues haberet*; ac demum Seruij Tullij conſtitutione, tertiò huic eidem rei conſultum fuit, dum humanum bonumque putauit, ſeruos in ciuitatem recipere, qui à dominis manumiſsi eſſent: nam quod Romanis moribus ingenijſque aſſuefacti iam erant, ſic fore putauit,

lib. 3.

tauit, vt ſemper tanquam ex fonte domeſtico proles ſcaturiret ad bellorum vſus aptiſſima. Atque his artibus Romani tandem conſecuti ſunt, vt cùm Romulus bina tantum, aut ad ſummum terna peditum millia, & equites trecentos ſecum naſcentis imperij exordio habuiſſet; *temporibus* deinde *Claudij Tyberij facta hominum armigerum oſtentatione in* Roma *ſepties decies centena millia*
epiſt. 34. *LXXXVII.* reperta ſint, ita enim lapis Romæ quondã ad D. Gregorij in velo aureo erutus, ſed tamẽ *ſuſpectus* Lipſio, & *adulterinus* etiã Pignorio cẽſoribus idoneis. Quare ne lapidibus tecũ agã Ludouice Comes, qui tantũ lapides ſint, aut ad diuerſos cẽſus recurrã qui plane apud literarum anteſignanos incerti feruntur, monebo te potius, vt ad innumerabiles copias, quas toto imperij tempore Roma conſcripſit, & ad numeroſiſſimas colonias quas per totum orbem trãſmiſit, mentem animumque aduertas, quo ex incredibili ciuium multitudine, quos vna ſola fouit, coniecturam de reliquis Italiæ incolis facias, qui certè tot priuilegijs & S. C. inuitati frequentiſſimi eſſe debuerunt. Atque vtinam nunc eadem mens eſſet principibus Italis, quorum arua videre eſt.

Non raſtris hominum, non vlli obnoxia curæ,
Rarus, & antiquis habitator in vrbibus errat.

vt mihi plus propemodũ ſoli *Samnites, Volſcique* aduerſus Romanos pugnantes, valuiſſe videãtur, quàm integra noſtris tẽporibus
lib. 1. de præſt. Cæſar Italia, in qua vt Franciſcus Floridus ait, ſi quinquaginta militum millia vno delectu cõſcribas, aduerſoque prælij euẽtu omnes cedãtur, quo pacto ceruicẽ iterũ poterit erigere? vbi vires cõfirmabit?

3 *Oſtenditur que tẽpus delectus faciendi & modus etiam qui liber aut violentus eſſe ſolet.*

Ex illa vero militũ frequẽtia, aut ſi ea per ſe non ſufficiat, ex vicinis alijs & confœderatis populis, eodẽ modo quo apud Virgiliũ,

Æneid. 8. *Mittitur & magni Venuleius Diomedis ad Vrbem*
Qui petat auxilium,

oportet ducem cùm primùm bello ſe accingit, tot militum legiones conſcribere, vt negotio, quod conficiendum ſuſcipit pares eſſe poſſint, ita enim Deus Moſi, & Eleazaro filio Aaronis faciendũ
Numeror. 1. 26. eſſe his verbis præcepit *numerate omnem ſummam filiorum Iſrael à viginti annis, & ſupra per domos & cognationes, cunctos, qui poſſunt ad bella procedere*. idemque rurſus per parabolam exprimit
cap. 14. apud D. Lucam: & Abraham profecturus aduerſus quatuor Reges confœderatos, qui Loth fratrem ſuum cum tota eius familia

capti-

captiuum detinebant, *numerauit prius expeditos vernaculos ſuos trecentos decem, & octo* quorum ope victoriam conſecutus eſt. Sed Romanorum in hac re procuranda, mirabilis omnino erat ſolicitudo, bello ſiquidem denunciato, & creato Imperatore, proximum apud illos erat, vt militũ delectus haberetur, ſeu ille *coniuratione* fieret, vt in Italico vel Gallico tumultu, cùm propter mali præſentiam, feſtinato remedio opus erat; & ductor exercitus prolatis è Capitolio duobus vexillis, vno *roſeo quo* pedites euocabat, altero vero *ceruleo* quod erat equitum, alta voce clamabat, *qui vult* R*empublicam ſaluã eſſe me ſequatur*: ſeu *euocatione*, cùm per diuerſa loca diuerſi quos Liuius *conquiſitores* vocat, ad cogendum mittebantur exercitum: ſeu denique *ſacramento*, vt in legitima militia, cùm ſinguli iurabant ſe pro Republica pugnaturos, nec diſcedebant niſi ſtipendijs completis, hi enim ſunt tres modi, quos Seruius ad viij. Aeneidos ſcribit, Romanis in libero militum delectu obſeruari ſolitos; præter quos alius fuit violentus, cuius exemplum cùm in alijs Italiæ neceſſitatibus, tum vero præſertim bello Punico ſecundo editum fuit, quando Senatus ex eo quod Conſules ob inopiam iuniorum ægre delectum conficiebant, Triumuiros binos creari iuſſit, alterum qui citra, alterum qui vltra quinquageſimum lapidem in plateis, foriſque & in conciliabulis omnium copiam ingenuorum inſpicerent, ac inter eos qui roboris ſatis ad arma geſtanda habere viderentur, ad populum deferrẽt, vt qui minores ſeptem & decem annis ſacramentum dixiſſent, ijs perinde ſtipendia procederent, ac ſi ſeptem & viginti annorum aut maiores, milites facti eſſent. Ad euocationẽ vero potius quàm ad hunc poſteriorem, & violentum delectum pertinebat Tyronum indictio, vt ex Symmacho patet, ſcribente ad Nicomachi filios *Legati ordinis noſtri ex vſu actis omnibus reuerterunt, nam & Tyronum conquieuit indictio, & argenti nobis gratia facta eſt*. quæ poſtrema verba vt intelligantur, aduertendum eſt quod ampliſſimus ordo de quo hic agere videtur Symmachus, nonnunquam à Principe poſtulabat, vt pro Tyronum indictorum corporibus pretium acciperet potius, quemadmodum conſtat ex lege xiij. & xiv. C. Th. de Tyronibus, idque beneficij loco concedebatur; nam præbitio militarium virorum adeo neceſſaria Republicæ cenſebatur, vt neque domum Principis, neque vllam perſonam excuſaret,

14. Geneſ.

epiſt. 61. lib. 6

ſaret, quẽadmodum poſt editas nouellas Theodoſij non eſt quod quiſquam de ea re dubitare poſſit. Adeo vero ſemper acerbus fuit populis eiuſmodi delectus, vt nonnunquam parum abeſſent à periculo conquiſitores quibus eius habendi, aut potius illud faciendi de quo Poeta conqueritur

vndique cogunt
Auxilia, & latos vacuant cultoribus agros,

lib. 21. cura à Republica committebatur: vnde Liuius refert duos populos delectus acerbitate conſternatos, metum defectionis feciſſe; & Ciuilis cùm ad rebellionem Batauos inuitat, inter alias cauſas hãc affert *inſtare delectum, quo liberi à parentibus, fratres à fratribus, velut ſupremùm diuidantur*. Quinimo tanta fuit reliquarum nationum in cogendo milite ſeueritas, vt ad immanitatem propemodum accederet; nam *Galli* quoties arma pro communi ſalute accipiebant, qui omnium nouiſſimus acceſſiſſet, eum referente

lib. 5. belli Gallici. Cæſare diris cruciatibus affectum necabant: *Darius* vero roganti Oebazo ſeni, vt vni ex tribus filijs ſuis, militiæ vacationem concederet, omnes ſe relicturum ſpopondit, & occiſos in conſpectum

libro 4. exercitus proijci iuſſit, vt Herodotus affirmat: neque minori etiã crudelitate *Xerces* in hoſpitem ſuum Lydum fuiſſe cenſendus eſt, cùm vnum ex quinque filijs ſuis iam antea militiæ aſcriptis, quem ſibi ad inclinantis vitæ ſolatium relinqui poſtulabat, medio diſſectum, vtrimque ad viam proijci iuſſit, vt inter partes illas tranſiens exercitus, ferali hoc luſtro, Dijs, deabusque inferis ſacraretur. Nẽpe turbæ illæ & copiæ inconditæ, quas ſecum Barbari Reges trahebant, talibus exemplis opus habuère, non modo vt in ordines referrentur, ſed ne elati, quotidie aufugerent, elaberenturque.

4 *Tum etiam quæritur an pauci milites legendi ſint, aut multi.*

Exercitus ergo modis omnibus parandus eſt, ei qui bellum aliquod gerendum ſuſcipit, ſed quo numero, quaue copiarum multitudine, non ita certum eſt apud omnes, nec ita quidem facile definiri poteſt, quoniam magnum in hac re ſtatuenda momentum ſibi vendicant ipſa tempora, regionum, ac locorum ſitus, & hoſtium copiæ quæ ſuſtinendæ, vel laceſſendæ ſunt, quibus omnibus ita ſe prudenter accommodare debet Imperator, vt ſi pauciores milites ſecum duxerit, non obruatur maiori hoſtium numero, non irrito conatu multa tentet & aggrediatur, aut à tranſfugis vel inualidis militibus inter pericula deſeratur; ſi vero amplio-

pliores copias conſcripſerit, cauendum pariter de rei frumentariæ, aut aquationis difficultate laboret; ne moras quæ ex impedimentis in itinere anguſto obſeptoque, aut fluminibus tranſeundis opinione citius accidunt, reformidet; non fugæ aut accelerati reditus confuſionem incurrat; nec alijs caſibus ſe exponat, qui maiores plerumque ſolent exercitus fatigare; *veteres* tamẽ, vt inquit, Vegetius, qui *remedia difficultatum experimentis didicerant, non tã* lib. 3. c. 1.
numeroſos, quàm eruditos armis exercitus habere voluerunt, quoniã vt rectè Syneſius χειρῶν δεῖ τῷ πολέμῳ, καὶ οὐκ ὀνομάτων πολλῶν *manibus* epiſt. 79.
opus eſt in bello, non multis nominibus, cùm turba vires non habeat ſed pondus, & maiori ſit impedimento quàm auxilio, quia vt concludit Tacitus in maximis etiam pugnis *pauci ſunt, qui prælia profligant*; multique magni exercitus, vt notat Thucidides in Phor- libro 2.
mionis cõcione, à minoribus, alias propter imperitiam, alias propter timiditatem deleti ſunt. Et re vera ſi quis aciem Macedonum intueatur, qua fretus Alexander totum Orientem, & animo concepit generoſè, & ſtrenuè fortiterque imperio adiecit, multum illa Perſarum ingẽtibus copijs diſpar erat *equis, viriſque* vt Curtius libro 3.
aſſerit *auro non diſcolori veſte, ſed ferro atque ære fulgentibus; agmen & ſtare paratum, & ſequi, nec turbà nec ſarcinis prægraue, intentum ad Ducis non ſignum modo ſed nutum; & caſtris locus, & exercitus commeatus ſuppetebant*: vnde cùm hæc triginta quatuor peditum, & quatuor equitum millibus tantum conſtaret, nihilominus tamen ad *Granicum* amnem ſexcenta millia Perſarum; ad *Iſſum* cẽtum triginta millia; & ad *Gangamela* iterum fugato Dario, quadraginta millia penitus deuicit, ac profligauit: nempe Alexandro in tam exiguo ſed audaci, & bene munito veteranorum lacertis, & conſilijs exercitu, miles nunquam defuit, Darius vero tantæ multitudinis Rex, locorum, in quibus pugnabat anguſtijs, redactus eſt ad paucitatem, quam in hoſte contempſerat; non ſecus ac Tigranes Armeniæ Rex, & Mithridatis, gener cũ exercitu CC. M. peditum, & equitum L. M. contra Lucullum proficiſcẽs, in cuius exiguas copias, ita referente Xiphilino, ludere ſolebat, vt diceret in Pompeio.
ſi Legati veniunt Romani nimis multi ſunt, ſi hoſtes nimis pauci, ab exiguo tamen illo exercitu, ſemel iterumque profligatus eſt. Quamobrem ſapientius Galli cùm Alexia obſidione à Iulio Cæſare premeretur, non omnes vt Vercingetorix ſtatuerat, qui arma

ferre

ſere poterant, ſed certum numerum cuique ciuitati imperandum duxerunt, ne tanta multitudine confuſa, nec moderari, nec diſcernere ſuos, nec frumentationem habere poſſent; quo etiam conſilio, Annibal in Italiam mouens, ſeptem millia hominum ſacramento abſoluit; permiſitque ſuas vt in domos redirent, exiſtimans ſcilicet eiuſmodi milites, quos ipſe grauari non nihil militià ſenſerat, plus conſilijs ſuis detrimenti quàm commodi eſſe allaturos. At vero quodnam iſtiuſce rei argumentum præſtantius quàm ab Romanorum conſuetudine, & recepto more haberi poſſet, quorum imperij magnitudo licet talis fuerit amplitudine prouinciarum, potentià bellicà tam terreſtri quàm maritimà, & incredibili ſignatæ pecuniæ copià, vt innumeros exercitus facili negotio conſcribere potuerint, ipſa tamen ſummà rei militaris experientià ducti, *in leuioribus bellis vnam Legionem mixtis auxilijs, hoc eſt decem millia peditum, & duo millia equitum crediderunt poſſe ſufficere*, quemadmodum inquit Vegetius, quem
lib. 3. cap. 1. nihilominus vt Sepuluedam quoque & alios qui ipſum ſequuti ſunt, in his quæ poſtea ſubiungit, de duobus iuſtis exercitibus, vtroque ſcilicet ex peditum viginti & equitum quatuor millibus compoſito, qui binis ducibus tradebantur, ſi quando infinita multitudo ex gentibus pugnaciſsimis rebellaſſet, non mediocriter lapſos fuiſſe conſtat, ſiquidem Romanorum exercitus, non ſolum quatuor illis legionibus, quarum ſinguli Conſules binas ducerẽt, componebatur, ſed plures alias obtinebat, quæ à Præſidibus, Proconſulibus, Prætoribus, alijſque eiuſmodi ducibus pendebant; nam bello Punico ſecundo duodeuiginti legionibus bellum geri placuit, quamquam, vt teſtatur Liuius binas tãtum ex ipſis Conſules ſibi ſumpſere ſinguli, reliquæ autem inferiorum ducum fidei cõcreditæ, varijs in partibus militarint; quin
lib. 23. etia narrat Plinius; quod nũciato Gallico tumultu L. Papo & Attilio Regulo Coſſ. ſola Italia ſine externis vllis auxilijs, atque etiam ſine tranſpadanis, equitum octoginta, peditum verò ſeptingenta millia armauit. Iam vero per bella ciuilia quæ copiæ? Appianus auctor eſt, ſoli Octauiano Cæſari fuiſſe quadraginta Legiones, cùm bellum pararet in Antonium; & ne quis iſtud nouum atque inſolens fuiſſe exiſtimet, ſolebant Patres ſtatim poſt creatos conſules & Prætores, cùm de eorum prouincijs delibera-

tio

tio in ſenatu proponeretur, ſimul ſtatuere, quot legionibus Reſpublica ſequente anno adminiſtranda eſſet, id quod Liuius in hiſtoria ſingulorum annorum diligenter interdum notat, vt libro vigeſimo ſeptimo, *vna, & viginti legionibus defenſum Romanum Imperium eſt*; & initio trigeſimi, *viginti omnino legionibus & CLX. nauibus longis res Romana eo anno geſta*; ac iterum libro ſequente, *ſex legionibus Romanis eo anno vſa Reſpublica erat*. Ita vt certum ſit pro varia conditione temporum, non vnum etiam ac determinatum fuiſſe apud Romanos legionum numerum. Quare cùm Polybius & Vegetius aſſerunt, quatuor dumtaxat legiones ſolitas conſcribi, rectè monet Caſaubonus, hoc ad antiquum Pop.Rom. inſtitutum pertinere, quod multo ante obtinuit quàm ex Italia pedem efferrent Romani, & à quo illud etiam retinuerunt, vt creſcente eorum imperio, licet maiores copias conſcriberent, adijcere tamen illas veteri exercitui conſulari viderentur, cuius ſemper verus, & legitimus modus fuit duarum legionum; ſicut in leuioribus bellis putabant ſatis eſſe exercitum conſcribere, qui ex vna legione cum admixtis auxilijs conſtaret; hincque Vulpianus exercitui præeſſe eum dixit qui vel vni legioni cum auxilijs præeſt, & Liuius etiam in octo millibus ſpeciem ponit iuſti exercitus, nec immerito ſane quandoquidem Romani eo ſolo numero freti, occaſionem Catoni dederunt vt apud Saluſtium diceret *paucorum ciuium egregia virtus præclara quæque ſemper patrauit*; haud ſecus ac in Pelopidæ vita, qui paucis amicis ſtipatus patriam libertati aſſeruerat, Valerius Probus notat quod *magnæ ſæpe res non ita magnis copijs ſunt geſtæ*. Sed non Romæ modo, aut in Græcia temporibuſque antiquis experientià comprobatum fuit, ignauorum hominum quamlibet multitudinem, fortium virorum iuſto exercitui minimè parem, ſed nedum pertimeſcendam fore, nam vt *Hecdicium* omittam, quem Sidonius Apollinaris ex eo ſummopere laudat, quod ingentem vim hoſtium fuderit profligaritque, *cùm illi non daret tot pugna ſocios quot menſa conuiuas*, quis vnquam ſibi perſuadeat *Carolum* Pipini nothum, cui à viribus Martijs *Martelli* cognomentum inditum eſt, cùm in Thuronibus ad agrum S. Martini, Sarrecenorum qui ab Eudone Aquitaniæ duce in Galliam euocati fuerant, incredibilem ſtragem

lib. 2. de ijs qui inf. not.

lib. 25.

Digitized by Google

gem edidit, pares cum illorum exercitu, qui ad quadringenta millia hominum accedebat, copias habuiſſe: aut potius quis neſcit *Georgium Caſtriotum Scanderbechum* Epiri principem, nunquam auctis ad extremum copijs, maius militiæ robur, quàm ſena equitum ternaque peditum expeditorum millia, vel Amurathi, vel eius filio Machometi, aut ſeptem Othomanici nominis clariſsimis ducibus è purpuratorum Baſſarum ordine aduerſus ipſum delectis oppoſuiſſe. Hincque referunt multi auctores, nulla potiori ratione inductum fuiſſe *Baiazetem* primum vt reluctātibus atque inuitis ſuis ducibus, in prælium cum Tamerlano deſcenderet, quàm quòd illi nequaquam poſsibile videbatur, tantam hominum colluuiem, quantam ipſe Scytharum imperator ad cētum myriadas peditum, & equitum ſecum ducebat, abſque maxima confuſione cogi in aciem poſſe; quod equidem etſi ſecus acciderit, non propterea tamen iudicandum eſt, Baiazetem non optima ratione fretum, ita apud ſe de huius prælij euentu conſtituiſſe, quum Mithridatis, Tygranis, Darij, Cimbrorum, Abdomaræ, reliquorumque principum qui innumerabiles copias duxerunt exempla relegenti, euidēter conſtare poſsit *nimiū copioſos exercitus magis propria multitudine quàm hoſtium virtute fuiſſe depreſſos* vt præclarè monet Vegetius. Quare paucis fidendum, ſed legitimis probatiſque militibus, atque vt ita dicam verè Martis pullis, qui ex proprijs ſubditis, aut externis delecti in ſpem victoriȩ formentur omni armorum exercitio, vſuque caſtrorum, & vno verbo diſciplinà militari: iſtis enim prout nunc ſunt res & tempora, ad tres aut quatuor myriadas conſcriptis, ordinatiſque ſub Imperatore quodam ſagaciſſimo, qui opportunè caſtra metari, & pugnare, aut quieſcere, hoſteſque laceſſere, ac omnia demum tunc cum maximè opus eſt facere norit, nullum ego exiſtimo exercitum alium obijci poſſe, quantumlibet copijs aut armis formidabilem, cuius vim omnem ac conatum facili negotio eludere, & fruſtrari non poſsit, quoniam vt ſapienter ab Horatio dictum eſt.

libr. 3. cap. 1.

Ode 4. lib. 3

Vis couſilij expers mole ruit ſua
Vim temperatam Dij *quoque prouehunt*
In maius.

neceſſe vero eſt exercitum omnem qui totas nationes quaſi ſeſedi-

ſedibus auulſas ſecum trahit, quocunque tandem locorum conſiſtat, expertem eſſe conſilij & ferme dicam rationis, propter incommoda locorum, ordinis, pabulationis quæ etiam ſi ab hoſte, cauto & prudenti, quibuſuis artibus non inijcerentur, ipſa tamen ſponte ſeſe offerunt; cùm è contra nihil quicquam horum in mediocri, & probè commenſurato exercitu reformidandum ſit, qui & expeditè progredi, & tutò conſiſtere, & certo ordine pugnare, & feſtinare quando opus eſt, ac opperiri tempus, & occaſiones ſine tumultu, nec in menſes tantum, ſed in annos cum ſtipendio & commeatu ſufficienti, durare poſsit. Porro vt maximos illos & minimè ſui compotes exercitus reijciendos ab vſu militiæ cenſeo, ſic nullatenus probare poſſum quorundam ducum inconſultam audaciam, qui cum paucis militibus, illuc ſe inferunt, vnde poſtea pedem ſine damno referre non poſsint, & vtinam Leonidæ exemplum, qui trecētos aut ad ſummum quingentos Lacedæmonios, in decies centena Perſarum millia præcipites impulit, laudeſque quas illi, & militibus ſuis conferunt Cteſias in Perſicis, Herodotus, Diodorus, Iuſtinus, Valerius, lib. 7. lib. 11.
Poetæ græci in Anthologia, & Simonides qui illis Epithaphium lib. 2.
duobus grecis verſibus compoſuit, totidem poſtea numeris à Cicerone conuerſum 1. Tuſcul.

Dic hoſpes Spartæ nos te hic vidiſſe iacentes,
Dum ſanctis patriæ legibus obſequimur.

Vtinam inquam hæc encomia & exempla, non multos quotidie impellerent, vt inſanos eiuſmodi conatus, tam nullo ſuo honore, quàm certa & euidenti pernicie, tentarent; neque enim milites, ſunt tanquam Rhodij illi Traſones, de quibus prouerbiū in eos fertur qui nimium ſuis viribus tribuunt *ἡμεῖς δέκα ῥόδιοι δέκα νῆες*, quaſi vero *decem homines* opponi *decem nauibus* legitimè poſsint, aut quingenti, centum myriadas ſuperare debeant. nec etiam ducis optimi officium eſt, ſuo arbitratu deuouere ſe; aut ſuos milites in apertam mortem, quaſi in Erebi fauces præcipitare, niſi certiſsimis rationibus conſtet, quantū inde emolumēti ad principem ſuum, vel damni in eius hoſtes redire poſsit: ſed amabo quam Imperatori ſuo gloriam, quam hoſtibus iniuriam cæca eorum temeritas afferre poteſt, quibus iſtud ſemper in ore.

moria-

moriamur, & in media arma ruamus?

At ſi neſcis miles inconſultè tam in culpa eſt apud principem mori quàm fugere, ſi vtrumque abſque modo aut ratione facis; nec ipſe te conducit vt moriaris tuo modo, ſed ſuo; nec quoties tibi viſum erit, ſed quando illi opus eſt; imo vero te ſaluum vult te incolumem, te viribus vigentem & animo, vt quàm plurimos hoſtium ſuorum cædere poſsis, aut te ipſum honeſtè ab illis defendere, & meliori occaſioni ſeruare, ſi quando Martem iniquũ experiaris; hoc vero vt facias non debes ſolus in omnes pugnare, nec quouis loco, aut tempore, niſi tuus Imperator ad hoc te impellat, imo ducat; ſed tunc culpa ſua erit non tua, & ipſe grauiter in principem offendet, cuius copias ſic ad cædem & lanienã ducit, non ad pugnam.

5. *Et an eiuſdẽ aut diuerſa nationis.*

Enimuero quæri etiam hic non incommodè poteſt, an ſocialem exercitum ex vna tantum gente conſcribere vtilius ſit, aut ex diuerſis nationibus, quarum ſingulæ ſuos mores habent diuerſos, ſuum ſermonem, & quidni etiam viuendi ac pugnandi modum à cæteris diſtinctum, itaut iucunda quadam vicißitudine in eo ſpectentur

Aeneid. 8.

longo ordine gentes

Quàm variæ linguis, habitu tam veſtis, & armis.

cuiuſmodi multas in exercitu Troianorũ fuiſſe, docet Tryphiodorus in Ilij. excidio dum copias illorum vocat πολυγλώσσων ἐπικούρων id eſt *auxiliatorum* non vna ſed *diuerſa lingua loquẽtium*, quod non omnes eſſent Troiani, ſed aliunde alius adueniſſet auxiliatum Troianis; vnde paulo poſt eundem exercitum πολύξεινον dicit, quoniam conſtabat ex multo peregrino milite. Et ſanè arbitrari primùm aliquis poſſet, vtiliorem eſſe exercitum qui minus peregrinæ gentis admixtum habet, eo quòd facilius regi ab imperatore, & ſermone duci in quamcunque partem voluerit, commodius poteſt: verumtamen diuerſarum quoque Gentium legiones non malè inter ſe conuenire, & promptiſsimè etiam obtemperare ducibus ſuis, memorabili exemplo *Annibal* docuit, qui tametſi exercitum non ciuilem, ſed mixtum ex Numidis, Mauris, Chartaginenſibus, Hiſpanis, Gallis, Italis, Græcis conſcripſiſſet, quibus non mos, non lingua, non veſtis, aut arma communia erãt, omnes nihilominus vno eodẽque quaſi vinculo

ita

Google

ita inter ſe coniunxit, vt victorias prorſus inſignes illorum ope adeptus ſit, nec totos quindecim annos quibus illis ſummo imperio præfuit, ſeditio vlla militum inter ſe, aut aliquorum à ſuis partibus defectio excitata eſt, niſi forſan equitum aliquot tum Hiſpanorum, tum & Numidarum, qui ſupra trecentos, tertio poſt pugnam Nolanam die, cùm ad Marcellum transfugiſſent, Plutarchus ab indigno illo paucorum facinore, reliquorum fidem, & virtutem, ſimulque Annibalis ſolertiam commendauit in hunc modum, *is*, inquit, *tunc primùm Annibali caſus obtigerat, qui ex tam diuerſis, multifarijſque moribus, in vnum quidem, & barbaricum congregatas gentes exercitum, vnanimes tamdiu conſeruaſſet:* quod pariter de *Viriato* teſtatum reliquit Appianus, breui hoc elogio, quod ſi non Duci, ſaltem prædoni maximo, & fortiſſimo ſatis eſſe poſſit, *hoc ſui deſiderium reliquit Viriatus, vir, (vt inter* Barbaros*) imperio digniſſimus, in adeundis periculis nulli poſterior, in præda diuidenda æqualitatis ſtudioſiſſimus, nam ampliorem partem vel offerentibus amicis nunquam abſtulit, & eam ipſam fortibus viris diſtribuebat, quo id aſſecutus eſt (vt quod difficillimum factu eſt, & neſcio an alij* Duci *contigerit, vt cum exercitum haberet ex diuerſis gentibus conflatum, tamen annis octo, quibus bellum geſſit, nulla ſeditio in eius caſtris orta ſit, ſed militem ſuum habuerit ad omnia obſequentem, & ad ſubeunda pericula impigrum*. Atque vt horum exemplum ſequuti ſunt *Cæſar*, *& Labienus*, dum Numidarum ope in Gallia, & Gallorum in Italia vſi ſunt ita non deſunt multæ rationes, quibus iſtud noſtra etiam ætate faciendum eſſe, præclariſſimi Duces ſuadere conati ſunt, quaſi nulla vi, aut admodum elangui ſit exercitus, qui non componatur ex militibus ingenio, non minus quàm linguà, & vitæ conſuetudine diuerſis, etenim præterquàm vt affirmat Polybius, neque conſpirare inter ſe facile variæ gentes poſſunt, & mandatis Ducum facilius obtemperant, illud inſuper commodi ex illis habetur, quòd cùm variæ ſint populorum ad varia munera & officia propenſiones, ita vt alij quemadmodum Heluetij, & Gallorum cataphracti in pugna ſtataria meliores ſint, alij vero vt Itali, & Hiſpani felicius in vrbiũ obſidione versẽtur, & ſinguli alij ſingulas dotes ſibi proprias habeant; eam ob cauſam fit vt cùm omnes ſimul in exercitu ſtipendia merent, nihil tam arduum offerri poſſit, quod Dux

in Marcello.

in Hiſpanic.

Google

habito prius militum delectu, ſumma eius facilitate non perficiat. Imo vero contingit, vt in quauis militari actione, vbi diſcretus labor fortes, ignauoſque diſtinguit, atque ipſa contentio decoris, animos inflammat, quemadmodum certè in militibus, qui magis affectibus, quàm ratione ducuntur, frequenter euenit, fit inquam vt adeo impatienter ferant ſingulæ nationes, alias ſibi priores haberi in omni palæſtra honeſtæ actionis, quòd dum vnaquæque pro laude, & exiſtimatione retinenda, acerrimè contendit, victoria interim in Ducis partes concedat. At vna eademque natio ſi ſola ſit, & æmulis, qui ſuæ virtuti calcar addant, deſtituatur, vbi res vel paululum labaſcere incipiunt, ſtatim animum deſpondet, tanquam communis ignauiæ victima, & ad iſtud tandem conſilij ſe reducit, quod licet turpiſſimum ſit, intelligit tamen à præſtātioribus alijs culpari non poſſe. Quæ cauſa fuit meo iudicio, cur *Lycurgus* locum in ſua Republica æmulationi eſſe voluit; & *Romani* ſuo in exercitu, non modo nationibus integris ſtimulum hunc addere voluerunt, ſed inter equites, & pedites, interque diuerſas legiones, & ſœpius inter eiuſdem legionis Principes, haſtatos, triarios, perpetuo fouerunt generoſas illas de gloria concertationes, quarum is demum fructus eſt vberrimus, vt virtus omnis clarior, atque illuſtrior per ipſas reddatur: *alit enim æmulatio ingenia*, quẽadmodum inquit Velleius Paterculus, *& nunc inuidia, nunc æmulatio incitationem accendit; naturàque quod ſummo ſtudio petitum eſt aſcendit ad ſummum*. Et vero quam ſapienter Romani iſtud fecerint, vel vnius Cæſaris exemplo probari poteſt, qui in magna cōſternatione ſui exercitus, ob Germanorum virtutem, qui propediem magnis copijs adfuturi credebantur, nihil præſentius habuit, quo perterritos milites, & tantum non ſolutos fugienteſque in officio contineret, quàm obteſtari decimæ legionis fidem, & audaciam, qua ſola, etiam ſi reliquæ honori ſuo conſultum nollēt omnes hoſtium conatus repræſſurum ſe non dubitabat. Illud tamen incommodi ſecum habent variæ nationes, quæ in vno eodēque exercitu merent, quòd ſicut ob æmulationem & linguæ morumque differētiam raro inter ſe contra Principem conueniunt, ita difficillimus labor eſt, vt inquit Polybius, eaſdem ad officium reducere, quoties ab illo per ſeditionum nefas diſceſſerint, cùm tūc neque mulcere quemquam, neque alicui legem aut modum impo-

libro 2.

imponere liceat, in tanta gentium & voluntatum diſſentione; ſed remedium huic malo vnicum eſt, nec ſemel iſtis quoque temporibus felici euentu probatum, ſtipendia nec intercipere, nec morari; etſi enim variæ continuo ſuppetant tumultum cauſæ, ſimul armatis & viuentibus, quibus nequidem ſeiunctis, & in pace ob nationum inter ſe odia rectè conuenit, ac omn nc arduum ſit Imperatori, eodem modo cum militibus ſuis viuere, quo Titus Pomponius Atticus cum amicis, qui, referente Cornelio Nepote *id quod erat difficillimum efficiebat, vt inter quos tātæ laudis eſſet æmulatio, nulla intercederet obtrectatio*: facile tamen eſt motus eiuſmodi componere, & pene dixerim idem in illis facere, quod in Apum ſtrepitu, & bombilatione Virgilius faciendum monuit

Hi motus animorum atque hæc certamina tanta,
Pulueris exigui iactu compreſſa quieſcent.

modo vehementiores alij non vrgeant, à ſtipendiorum mora, aut tenuitate. Quãobrem id prudentiſſimè cauit in Belgio fortiſſimus Heros Ambroſius Spinola, vt ſtipendijs in tempore numeratis, omnes in poſterum flagitioſos militum conatus, furentemque eorum per continuas defectione audaciam comprimeret.

Cæterum quæſtioni huic appendicem facio ex controuerſia, quæ diutiſſimè celeberrimorum hominum mētes ſermonesque exercuit, de Iudæorum militia, an ſcilicet ipſi ſub externis Principibus, quemadmodum reliquæ fermè nationes omnes facere ſolitæ ſunt, militarint, videtur ſiquidem illud haud iniuriâ in dubium reuocari, ex literis Dolabellæ ad Epheſios, in quibus Iudæi ob ſequentes rationes immunitatem ab expeditionibus militaribus poſtulabant; nempe quod externis permixti, non ſatis ritus legis ſuæ obſeruare poſſent, & quia ſabbatis ferre arma, & magna itinera facere cogerentur; quas ob cauſſas miſſionem Iudæos à L. Lentulo impetraſſe docet Ioſephus, qui alibi etiam narrat, cùm Iudæi Romana Vrbe iuſſi eſſent excedere, quoſdam militiæ adſcriptos, alios punitos quod militare nollent, patriarum legum reuerentiâ; quibus exemplis, & rationibus, eo tandem cum multis deuenit auctor damnatus paraphraſeos in Lucam vt diceret *bellaſſe Iudæos legimus, ſtipendijs meruiſſe ſub alijs Ducibus non legimus*. Verùm ſi quàm belle iſta conueniant cum veritate, aut potius cum ipſomet Ioſepho, alijſque hiſtoricis, inquiratur, patebit

6 *Vbi diſcuſſum nū Iudæi ſub externis principibus militarint.*

omnino contrarium potius eſſe ſuadendum; nam vt ab vltimis tẽporibus ad antiquiora progrediamur, Conradus Peutingerus in epitome de inclinatione Romani imperij, auctor eſt *Saulum Hebræum* copiarum Ducem, qui pro Stilicone militabat, profligatũ ab Athalarico fuiſſe; & *Herodes* copijs ſuis Antonium iuuit aduerſus Auguſtum in Actiaco bello dimicantem, vt refert Plutarchus in Antonio; ſic in exercitu *Aelij Galli* ciuis Romani, quingentos Iudæos fuiſſe, patet ex Strabonis teſtimonio; ijdemque

libro 15. apud Ioſephum ſub *Xerce* Græciam inuadente militant; & in li-

1. in Appione. lib. 1 cap 8. bris Machabæorum fœdus iciunt cum *Romanis*, cum *Alexandro*

10.11.12. Antiochi filio, cum *Ptolemæo*, & *Demetrio* Aegypti regibus, quibus auxilia miſerunt quoties opus fuit, ac poſtremus inter alios, qui tria millia virorum fortium à Ionatha in ſubſidium acceperat,

cap. 11. cùm premeretur ab Antiochiæ populo, ipſe *vocauit Iudæos in auxilium, & conuenerunt omnes ſimul ad eum, & diſperſi ſunt omnes per ciuitatem, & occiderunt in illa die centum millia hominum, & ſuccenderunt ciuitatem & cœperunt ſpolia multa in illa die, & liberauerunt Regem*, quæ cuncta referuntur pariter à Ioſepho in antiquitatibus Iudaicis, & ab Euſebio in libris de præparatione Euãgelica: Ac propterea non eſt dubium Iudæos ſub externis etiam Principibus meruiſſe, licet multa in ſe, & in legibus ſuis haberent, quæ ſi verum fateri volumus, potius impedimento illis eſſe debebant, ne iſtud facere debuerint. Nam vt de corpore prius dicam, tam infelici illo fuerunt, vt ſeu à natura vitium hauſerint per parentes in filios deriuatum, ſeu quod verius exiſtimo, à prauis edulijs, & illuuie ac imbalnitie illud cõtraxerint, quemadmodum videntur etiam cenſuiſſe Franciſcus Philelphus in epiſtola, qua reſpondet quæſtionibus à Catone Sacco Ic. & oratore ſibi propoſitis, & Baricellus in opere de ſudoribus, certè conſtat omnes grauem, tetrumque odorem ex ſe, tanquam ex Camarina quadã antiquitus profudiſſe, qui cæteris hominibus ita moleſtus erat, vt nulli lubẽter cum ipſis, vitæ ſocietatiſque humanæ communibus officijs, iungerentur; omnes vero illos vitarent fœtidos, olenteſque, ſi non re ipſa, at ſaltem communi hominum exiſtimatione:

libro 22 ſic enim Ammianus Marcellinus de illis, *cum* Marcus Imperator, *Palæſtinam tranſiret Aegyptum petens, fœtentium Iudæorum, & tumultuãtium ſæpe tædio percitus, dolenter dicitur exclamaſſe*, O *Marcomanni:*

comanni: o Quadi: ò Sarmatæ tandem alios vobis inquietiores inueni; ſic Martialis ab ipſorum fœtore argumentum ſumit alterius augendi epigram. 4. lib 4.

Quod ſiccæ redolet palus lacunæ,
Quod ieiunia Sabbatariorum,
Mœſtorum quod anhelitus reorum.

Rutilius ſimiliter obſcœnos eos vocauit lib. 1. Itiner.

Reddimus obſcœna conuitia debita genti,
Quæ genitale caput prodigioſa metit.

& Venantius Fortunatus in carmine de Iudæis cõuerſis per Auitum Epiſcopum, huic malo, præſertim, remedium fuiſſe dicit, ſi ſacro baptiſmate tingerentur libro 5.

Abluitur Iudæis odor baptiſmate diuo
Et noua progenies reddita ſurgit aquis.

quæ Fortunati ſententia, poſtmodum à Theodoro Balſamone variiſque aliis auctoribus, & communi ferme Chriſtianorum omnium conſenſu, comprobata fuit; vt proinde certum ſit Iudæos cùm iſtius rumoris, qui de illis iure, an iniurià non hic diſputo, circumferebatur, probè conſcij forent, libenter ab aliorum populorum caſtris temperaſſe, in quibus nihil propius erat, quàm vt ex militum petulantia, continuis dicterijs & conuitijs peterentur. Sed præter hanc cauſam quæ libera fuit, alias quoque à lege habuerunt magis vrgẽtes, & pene dixerim neceſſarias, vt ſe ab armis ſocialibus continerent, nam cùm tot præcepta ſeruare cogerentur in ciborum delectu, quot illis in Deuteronomio à Moſe relicta ſunt: cùm tot feſtos, feriatoſque dies & ieiunia celebrare deberẽt, penitus ab aliarum gentium ceremonijs diuerſa: & ſabbatis maxime non iter ingredi, non arma ferre vt ex Dione in Pompeio patet, & nequidem domeſtici vſus causà ignem accendere poſſent, ſaltem vt ipſi præceptum Exodi interprætati ſunt *non ſuccendetis ignem in omnibus habitaculis veſtris per diem ſabbati*, quod capite 31. tamen datum à Moſe fuerat, non in omne tempus futurum, ſed quamdiu opus tabernaculi duraret, quod conſtruebat in deſerto, vt eſſet diſcrimen inter domum Dei, in qua ignis continuo arderet fundendis metallis, aliiſque rebus præparandis, quæ ad tabernaculi fabricam ex auro, argento, & ære abſoluendam, neceſſariæ forent; & cuiuſque Hebræi atrium, quod eiuſmodi conti-

nuis ignibus non lucebat aut, certè Moſes ſi præceptum illud perpetuò ſeruari volebat, non intelligendus eſſet niſi de igne à quo lucrum aliquod ſequi poteſt, vt quādo coquuntur lateres, & calcis fornax accenditur; ſecus quàm Hebræi fecerunt, qui vt nudam literam ſequuntur, ſic in eo etiam nunc errore verſantur, vt ignem vitæ vſibus neceſſarium, ſi quando in Sabbatis eo opus habent, non ipſi per ſe, ſed hic in Italia per Chriſtianum aliquem excitent. Ex quibus patere iam vnicuique arbitror, Iudæos ea tantum de cauſa, non ita frequenter ſub exteris principibus militaſſe, quemadmodum reliqui populi ſolebant, quod vel ab illis non conducerentur, eas ob cauſas quas ſupra retuli, vel ipſimet externam militiam detrectarent, tanquam ſuis legibus & inſtitutis penitus aduerſam, quorum ritus & ceremonias non ſatis commodè inter alienigenas ſeruare poſſent; alioqui quoties hæc incommoda cauere poterant Iudæi, militabant, etiam ſub externis Regibus, ſed *perſtantes in patrijs inſtitutis, & ex eorum præſcripto viuentes*, quod paciſci prius ſolebant, vt referunt Ioſephus, & alij antiquitatum Iudaicarum ſcriptores.

7. *Ac tandem num fœminæ bellis idoneæ ſint.*

His quæſtionibus affinis eſt alia, cui vt bellatrices illæ fœminæ quæ vulgo dicuntur *Amazones* occaſionem dederunt, ita pondus & auctoritatem poſtea adiecit, ſuſcepta à grauiſsimis, & præſtantibus viris diſceptatio, an videlicet ſegnior illa & quietis ac otij amans fœminarum turba, tam ab armorum vſu, & tractatione aliena ſit, vt præter naturam, & conſuetudinem exiſtat quando ſe muneribus eiuſmodi addicunt, & bellico labori cruētiſque vulneribus tenerum corpus ſubijciunt, quod ad omnia ferme præterquàm virorum ſarcinas deprehenditur inualidum: qua de re quoniam eruditiſsimus Rigaltius multa iam ex amœnioribus literis cōgeſsit, quæ mulieres naturali quadam infirmitate, minus ad bellum idoneas eſſe, prima ſtatim fronte in illius notas ad Onoſandri Strategicum inſpicentibus, ſuadere poſſent, non hæc ſuo loco mouere conſtitui; ſed aliorum rationes qui in eadem opinione verſantur hic adijciam, vt ex ipſarum omniū cum aduerſis comparatione, quid tandem in hac quæſtione ſtatuendum ſit clarius innoteſcat. Prima igitur *Lex* quæ fœminas à bellorum vſu ſummouet, videtur eſſe *Cenſoria*, quia fœminas, vel incenſas relinquebat, vel ſi illarum etiam in cenſu rationem

habe-

Digitized by Google

habebat, quod valde quidem probabile eſt, cùm apud Cenſores, non modo ciuium, ſed etiam ſeruorum, & pecudum ſingula capita profiteri neceſſe fuerit; non eas tamen vt bello penitus ineptas, in eorum numerum referebat, qui arma ferre poſſent: ſed neque aliter de illis cenſuit Aegyptiorum Rex *Seſoſtris*, quem Herodotus refert in vrbibus, quas nullo negotio cœpiſſet, muliebria genitalia inſculpere ſolitum, vt virilia in ijs in quibus ſibi cũ viris rem fuiſſe exiſtimabat; ex quo conijcio argumentum poſtea fuiſſe ſculptoribus, vt *Hermas* præſtantium olim literis aut armis virorum, ſine manibus & brachijs cuiuſmodi Mercurios fingi, inquit Dio, omnium etiam effinxerint *mentulatiſſimos*, quales præſertim Catonis Cenſorij cernuntur apud Fuluium Vrſinum. Hincque ſapienter *Charondas* vt refertur à Diodoro Siculo, nullum cenſuit grauius ſupplicium irrogandum ijs, qui vel in prælijs ordines deſeruiſsẽt, vel patriæ causà armorum periculum ſubterfugiſſent, quàm vt in certiſsimum timiditatis & inertiæ teſtimoniũ, muliebri ſtola exornati, in medio foro omnium oculis exhiberentur; quod vſu deſuetum rurſus ſub Conſtantino obſeruatum fuit, vt auctor eſt Euſebius in eius vita, & ſub Iuliano etiam quæmadmodum ab alijs ſcriptoribus memoriæ proditum eſt. Imo vero Perſarum Rex *Ormiſdas* cùm, referente Theophilacto Symocata, inſigni quadam contumelia vellet afficere Baramum copiarum ſuarum præfectum, quòd à Mauricio Imperatore cæſus profligatuſque fuiſſet, non aliam excogitare potuit; quæ magis animum ſuum expleret, quàm veſtem illi muliebrem mittere, ratus militari viro & ambitioſo, huiuſmodi pœnam & ſupplicium licet primò aſpectu leue, morte tam n grauius futurum; cur ita? quia tam imbecillum animal fœmina, tam nauci flocciquein bellorum ratione faciendum, vt eius veſtis, aut nomen, pro ſymbolo imbelliæ, timiditatis, ignauiæ poſiſitum ſemper fuerit: atque homines ignaui & timidi non viri ſed *fæminæ* vocati ſint; vt Græci apud Homerum, quos Therſites his verbis increpat *O Pepones mala probra, Achaides non Achiui*; quem imitatus eſt poſtea Numanus, dum Troianos apud Virgilium hunc in modum laceſsit *o verè Phrygiæ, neque enim Phryges*; & vtriuſque imitatione celeberrimus poeta Taſſus Argãtem inducit *non Francos ſed Francas* vocantem, quo pertinet etiam

lib 2.

lib 12.

Aeneide 9.

Satyra 27. Lucilianum hoc *inſanum vocant quem maltam ac fœminam dici*
vident. Cùm ex aduerſo virorum tam propria ſit fortitudo, vt
eorum appella ione generoſi milites, & valde audaces veniant;
cap.70. vnde Cæſar ſuis militibus iratus, eos *Quirites* appellabat, ex Sue-
tonio in eius vita, quo nomine quid ſibi voluerit habetur magis
lib.5. diſtinctè ex Lucano

Diſcedite caſtris,
Tradite noſtra viris ignaui ſigna Quirites

Polyb. lib.3. & eodem loquendi modo vſus eſt Paulus Aemilius ad milites *ſi*
viri, inquit, *eſtis nihil obſtat quin pulcherrimâ victoriâ potiamur*,
quemadmodum Horatius cùm dixit

Tyrteuſque mares animos in Martia bella
Exacuit.

audaces modo & generoſos intelligit, non ſecus ac alibi *ruſtico-*
rum maſcula proles militum dicitur ab eodem, pro forti & robu-
ſta; vt proinde Varro non abſurdè *Martem* dictum putarit, quòd
lib.4. de Lin. lat. *maribus in bello* præſit. Certè non alia ratione fœmina apud Gal-
los, non *lege Salica* quæ nihil aliud erat quàm ius ciuile, quo Frã-
ci antiquitus vtebantur, ſed quadam alia vetuſta conſtitutione,
imperio, quod virilis officij munus eſt æternum, excluduntur,
niſi quod homines illi, vt omniũ longè ſemper bellicoſiſſimi fue-
runt, ita eum tantummodo ſibi pro Rege dari vellent, quem
in prælia ruentes, ſuæ virtutis teſtem, participemque laboris, &
diſcriminum habere poſſent. Hoc autem à fœminis quæ com-
muniter bella deteſtantur, prælia exhorreſcunt, euenta dubij
Martis ſupplicibus votis deprecantur, tantùm abeſt, vt ſperari
debeat, quod Artemiſia contra Græcos pugnante, quaſi mon-
ſtro territus Xerces exclamauit Ω Ζεῦ πεὺ μὲν ἄνδρας γυναῖκας πε-
ποίηκας, τὰς δὲ γυναῖκας ἄνδρας, vt refertur à Polyæno in vltimo ſtra-
lib 1.cap 3. tagematum: nempe quia ex Ariſtotele in politicis, *mulieres ſunt*
infirmæ, & imbecilles corpore, animo inſtabiles, actione minus cau-
tæ, pugnâ feroces & temerariæ, ingenio pauidæ, ancipites conſilio, &
rei militaris imperitæ. Quamobrem officium illarum penes di-
uerſas nationes ſemper fuit, rei familiaris cura, & id quod Pene-
lope, quod Lucretia, quod reliquæ caſtiſſimæ matronæ, domi fa-
cere cõſueuerũt; meritoque illis omnibus dici poſſet, quod Latreus
Centaurus ad Cœneũ in virum à Neptuno conuerſum vſurpauit.

Quid

Digitized by Google

Quid ſis nata vide, vel quid ſis paſſa; columque Ouid.lib. 12.
I cape cum calathis, & ſtamina pollice torque:
Bella relinque viris.

quo ſenſu dicebat Ouidius ex Romanorum inſtitutis loquens,

Quid iuuat immunes bello ceſſare puellas, Eleg. 14 lib. 2. amorum

& Propertius

Quod ſi Romanæ comitarent caſtra puellæ. Eleg. 2. lib. 7.

vetitam enim fuiſſe militiam Romanorum fœminis, indicant apertè Valerius Tribunus plebis in oratione contra legem Oppiam, quæ tota refertur à Liuio, & Seruius in uerbo *caſtra*, ac Iſidorus, alijque rei Romanæ Scriptores. (decad. 4. lib. 4) Hoc vero vt facerẽt, puto adductos illos fuiſſe cõmuni ea ratione, quam & cæteræ nationes habuerunt, vt idem quoque in præiudicium fœminarum ab illis ſtatuereretur; nimirum quod vis animi, roburque corporis, & audacia quæ bellorum admininiſtrationem in ſe continet, hæc omnia ab robuſto & optimè ſubacto cordis calore dependent, vnde cùm Hippocrates & Galenus minus fœminas eiuſmodi temperamento quàm mares pollere doceant, & ex ipſarum generatione, conformatione, ac perfectione, diſcrimen illud clarè euidenterque ſe prodat, quoniam mares ex calidiore ſemine procreantur, celerius formantur, & mouentur in vtero: habitu ſunt graciliores, fælicius nutriuntur, mouentur expeditius, viuuntqe diutius. (lib. de diæt. lib. 2. de temperam.) hinc eſt quod fœminæ, vt iſtius caloris temperati beneficio mares ſuperant aſtutià, ſolertià, cupiditate, auaritià, verſutià malitià & ingenij docilitate, eandem tamen ob cauſam, robore, audacià, magnitudine corporis & animi, & ratiocinandi præſtantia longe à maribus ſuperentur. Hæc autem etſi communis ſit, ac peruagata multorum de fœminis procul à bello ſummouendis ſententia, diuerſum tamen imo penitus contrarium fuit, cùm Platonis in primis, tum aliorum ſapientiſsimorum hominum de hac controuerſia, iudicium; hic enim in Alcibiade primo, rem bellicam non virorum magis quàm mulierum: nec virilem adeo ſed humanam dici debere contendit, vnde libro quinto de legibus, nudanda mulierum corpora præcipit, bellicisque ſtudijs obduranda; & in ſeptimo publicos magiſtratus habendos decernit, qui Gymnaſticam pueros atque puellas & virgines doceãt, quo facilius poſtea militarium rerum peritiã aſſequantur; ac demum

cum

cùm de ſingulis gymnaſticæ partibus tractat, quæ bellis idoneos homines efficiũt, puellas ſemper æque ac adoleſcẽtulos in illis exercendas eſſe præcipit, vt memini me de ſingulis antea probaſſe in huius ſyntagmatis libro primo. Nec iſtud quidem fruſtra ſtatuiſſe Plato videtur, cùm Spartiatæ, referente Tullio, hanc nomothetarum Græciæ legem, qua iuuenum corpora firmari labore voluerunt, etiam in fœminas tranſtulerint, quæ cæteris in vrbibus molliſſimo cultu in vmbra, & Gynecæorũ ſeptis cõtinẽtur, illi autẽ voluerũt nihil ſimile eſſe apud Lacęnas virgines, quas ſeuerà ac caſtrenſi educatione, tã robuſtas animo faciebãt, ad quęuis pericula intrepidè ſubeũda, vt ipſæ nõ minus Rẽpublicã iuuarint præclaris adhortationibus, quas ad filios ſuos, & propinquos habebant, cùm ad bellum proficiſcebantur, quàm ſi cum ipſis in acie decertantes, rem gladijs, & contis ſtrenuè fortiterque geſſiſſent, vt ex Plutarcho in Apophtegmatis Laconum patet, & ex Iuliani, ac Palladæ epigrammatis, quæ in primo anthologiæ referuntur: quo pertinet etiam Seneca ſuaſoria ſecunda de Lacedæmonijs agens, *referam*, inquit, *præcepta matrum aut in his, aut cum his*, nimirum quia ſolebant matres filijs ad bellum proficiſcentibus, hoc poſtremum illis documentum vna cum ſcuto tradere *ἢ ταὶ ἢ ἐπὶ ταῖ*, idest, *aut hoc reporta, aut ſuper hoc morere*. Et vero licet fortitudo animi pendeat à corporis temperamento calido, & ſicco, cordeque compacto, ſolido, & ſpirituoſo, quale in fœminis haud ita frequenter obſeruatur, non eſt tamen vt fieri non poſſit, quod aliquæ cùm propius ad eiuſmodi temperiem accedunt, præclara multa ſtrenuè fortiterque agere poſſint; maximè cùm in reliquo animalium genere plerumque contingat, vt *fœminæ* non modo poſt partum, ſobolis conſeruandæ deſiderio, ſed omni alio tempore facilius in iram, ac furorem concitentur, quàm mares eiuſdem ſpeciei, nam hoc modo ſerpentes fœminæ maribus ſuis ſæuiores ſunt, ac maiores etiam, & viuaciores, & in omni genere piſcium, ac inſectorum, atque rapacium auium, ferarumque immanium, cuiuſmodi eſt Vrſa, Panthera, Tigris corporea vis minor eſt in maribus, quàm in fœminis; vt ex eo patet quod fœmina maris percuſſorem in turba confertiſſima vnum conſectatur, ac Sæpia quoque fœmina marem percuſſum, vlciſcitur, mas vero percuſsà fœminà fugam arripit, vt in libris de hiſtoria

Tuſcul. 2.

ſtoria

ſtoria animalium ab Ariſtotele traditum eſt. Præterea cùm fœminæ conferantur ab eodem Ariſtotele, & Galeno ob frigidam corporis temperiem, cum *Eunuchis*, quibus vnà cum decisa virilitate, calor omnis elanguit; & ſi rem propius inſpicias, non toto cœlo diſtinguantur ab Recutitorum natura, quos multis humoribus crudis, & indigeſtis ſcatere paulo ante dicebamus; vtroſque vero non adeo ſiniſtro Marte natos oſtenderim, quin multis bellorum occaſionibus inclaruerint, cur de fœminis idem quoque iudicium ferri non debeat, equidem non video. Itaque putandum eſt mulieres primo ſtatim armorum aſpectu, vt rebus nouis, & inſolitis, ſi præſertim cum periculo coniunctæ ſint, fieri amat, exhorrere, ac perturbari non mediocriter, omniaque tumultu, & rumoribus complere, nam & ipſa gladiorum micatio per ſe ſemper dira, atque horribilis eſt: at vero poſtquam rationem ad conſilium vocauere, & animus vires ſuas collegit, tum demum ſeu alia de cauſa, ſeu, quod Liuius de Sabinis inquit, *victo malis muliebri pauore*, audent ſe inter tela volantia inferre, dirimere infeſtas acies, & idem cum viris fatũ ſubire victoriæ vel necis, tantà nonnunquã ſecundæ fortunæ aurà vt vſurpari Virgilianũ illud merito poſſit. Aeneid 6.

lib 9 cap. 1. 4. de gener. animal. c. 1. lib. de ſpermat. cap. 4.

Fœmina palantes agit, atque hæc agmina vertit.

Quemadmodum de T*egeatibus* fœminis, refert Pauſanias, quod maritos armatos contra Charillum Lacedemoniorum Ducem ſequutæ ſunt, atque tam opportunè ex inſidijs eruperunt, vt hoſtes facillimè in fugam verterint, ex eoque poſitum fuiſſe in foro Martis ſignum inſculptum pilæ, quam ab hoc euentu *Gynæcothœan* nominarunt. Atque vt ſimilibus exemplis cumulatè probem quod rationibus forſan haud ita plenè perfectèque demonſtrari poteſt, non hic de B*ritannorum* fœminis teſtem laudabo Cornelium Tacitum, vtpote quem antea cùm de militis ornatu tractarem, non indictum reliqui, ſed ad manum mihi eius loco Appianus in Hiſpanicis vbi refert quod *latronum vxores*, qui Viriati exemplo Luſitaniam incurſionibus vaſtabant, tantis animis arma aduerſus Sextum Iunium Brutum capeſſebant, *vt ne media quidem cæde vocem ederent*; ſed maius eſt quod paulo poſt de quibuſdam alijs idem Auctor ſcribit, *ei quoque Genti* Bracaris ſcilicet, *in aciem armatas vxores educere mos erat, tantàque pertinacià tum viri tum mulieres dimicabant, vt potius mortem occumberent,* quàm

in Arcadic. annal. lib. 14.

quàm aut terga verterent, aut vocem vllam indignã emitterent, quin etiam fœminæ dum captiuæ abducerentur, aliæ ſibi manus afferre, aliæ ſuos metipſæ liberos iugulare, mortemque ſeruitio potiorem cenſere. Sed quis non adhuc meliori iure miretur *Cymbrorum vxores*, quas poſtquam innata genti fortitudo ſolicitauit, vt præſentes conflictui omnium luctuoſiſſimo intereſſent, & oculis haurirent vulnera cedentium ex acie, obtrectarentque manibus ad opem & auxilia promptiſſimis, illud etiam tantis virtutibus addiderunt, vt imitarentur maritorum animos, & fortunam ſuperarent inuicta ſui animi virtute, quæ vt ab alijs quàm à ſeipſis vincerẽtur, nõ permiſit. Quid plura Nicolaus Damaſcenus refert de quibuſdam Scytharum populis, qui ab eſu lactis frequẽti *Galactophagi dicuntur*, quod *eorum mulieres non minus bellicoſæ ſunt quàm viri, quæ & vna in prælium eunt, quum ita facto opus eſt, adeout progreſſæ ſint cum exercitu olim Athenas, & in Ciliciam vſque*: nec minus conueniẽter huc pertineret, quod Lõgobardicæ mulieres feciſſe dicuntur, capillis in modum barbæ compoſitis, quo numeroſioris exercitus ſpeciem præberent, ni qui eius gentis hiſtoriam conſcripſit Paulus Diaconus, fabulam hanc ceu anile commentum exploderet. Et vero ſi omnibus in confeſſo eſſet quod inquit Aeneas apud Virgilium

lib. de moribus gentium.

Aeneide 2.

nullum memorabile nomen
Fœminea in pœna eſt, nec habet victoria laudem

acerrimus ille pugnator Aurelius Auguſtus minimè ſibi triumphandum duxiſſet de Zenobia Palmyrenorum Regina, cuius laudes bellicas qui videre velit, is Trebellium Pollionem adire poteſt: neque idem in triumpho decem mulieres duxiſſet, quas virili habitu pugnantes in acie cœperat, cùm multæ aliæ fortiter dimicantes cecidiſſent, quas omnes originem ab ipſis Amazonibus ducere titulus indicabat. Quales autem Amazones fuerint, licet apud me nõdum planè exploratum ſit, qui Srabonem varioſque Auctores de illis dubitaſſe video, facit tamen diuini Senis auctoritas, qui de illis libro de aere locis, & aquis, ac etiam in opuſculo de articulis meminit, ne quamquam valde inflata ſunt, non tamen falſa prorſus eſſe cenſeam, quæ de illarum virtute bellica, & inuſitata fortitudine, cùm ab alijs paſſim, tum vero præſertim à Virgilio eleganter referuntur

libro 11.

Aeneide 10.

Qua-

Quales Threiciæ cùm flumina Thermodoontis
Pulſant, & pictis bellantur Amazones armis.
Seu circum Hippolitem, ſeu cùm ſe Martia curru
Pentheſilea refert.

Sanè non multum differt à rebus geſtis Amazonum, id quod Aeneas Syluius, qui poſtea Pij Secundi nomine inter Maximos Pontifices ſedit, paulo ante ſua tempora in Boemia contigiſſe aſſerit, vbi mulieres Duce *Valaſca* ſeptennium integrum viros ſibi in imperio ſubeſſe coegerunt, multos interim illorum ferro inuadentes, fundenteſque per apertam vim agmina omnia, quæ ſibi obuiam habuere, non aliter quàm ſi fœminæ viriles animos, viri autem muliebres induiſſent, atque vtriſque conueniret, id quod Imperator quidam apud Ennium militum ſuorum ignauiam increpans dicebat: de rebus Boem cap. 7.

Vos etenim iuuenes animos geritis muliebres
Illaque virgo viri, & ſi quid eſt huiuſmodi
Salmacida ſpolia ſine ſanguine, & ſudore.

Denique refert Albertus Crantzius illud memorabile exemplum de fœminis Gothorum, quod maritis abſentibus, cùm hoſtes ferociter toti Prouinciæ inſultarent, ipſæ ſe illis magno, armatoque agmine oppoſuerunt, & confecto prælio, verterunt eos in fugam. lib. 1. Suec. cap. 6. Vnde vides profecto, Ludouice Comes, quàm illuſtris ſit, & peruagata, bellica mulierum virtus, quæ tot exemplis confirmatur, non huius quidem aut illius fœminæ, quæ ſupra ſexum aliquid auſa fuerit, ſed nationum ferme omnium, quę in toto orbe ſunt præclariſſimæ, fortiſſimæque. Quamquam ſi lubet in priuata quarundam aliarum mulierum facinora paululum diuagari, tot illa ſtatim ſeſe obijciant, vt cùm ſingula referri non poſſint, mihi tantummodo laborandum ſit in delectu præclariſſimorum; cuiuſmodi puto fuiſſe illud quod à Scholiaſte Callimachi refertur de *Deianira*, quam Hercules aduerſus Thiodamantem pugnaturus, & magno hoſtiũ circumuentus numero, cùm aliud auxilium præſentius non haberet, armare, & in ſubſidium ſibi aſciſcere nõ dubitauit; ſed hæc pugnauit tantum, aliæ etiam ferociſſimos hoſtes trucidarunt, tantâ plerunque hominum inuidiâ, vt *Pyrrho* intra Argiuam vrbem pugnante, occiſoque à muliere, factum iſtud à Cerere dixerint, quæ muliebri forma templum ſibi in ea vrbe dica-

Iudic. c. 11. dicatum tutari volebat, verum an idem dicere habebunt de *Abimelech* qui obſidens oppidum Thebes, accedenſque ad turrim altam, quæ in media ciuitate erat, vt oſtio ignem ſupponeret, *ecce mulier fragmen molæ deſuper iaciens, illiſit capiti Abimelech, & confregit cerebrum eius*. Quid igitur reſtabat niſi vt mulieres poſt pugnam, poſt cædem, victoriâ quoque potirentur; at iſtud fecit libro 2. *Fuluia* Antonij vxor, quæ vt inquit Velleius *nihil muliebre præter corpus gerens omnia armis, tumultuque miſcebat. hæc belli ſedem Præneſte cœperat*; fecit & *Iana* Gallica puella quæ tunc ſubueniẽs rebus Gallicis, cùm deploratæ fermè viderentur, maximam Anglorũ Fortunæ occaſionem attulit, vt quotidie laberetur in deterius; fecit denique *Marulla* virgo in Ceceni, quod oppidũ eſt Mytilenes, expugnatione à Mahomete tentata, cùm enim patrem in oppidanorum eruptione amiſiſſet, ipſa paterno clypeo, gladioque armata in aciem prodijt, & cùm reliqui ob ſæuientem ſtragem, ac interitum terga darent, ſola in acie confertiſſima præliãs, nec iaculorum ſagittarumque nimbis ceſsit, nec catapultis, aut tormentorum ictibus deterrita, animo inuicto, & infracto acriter pugnando, hoſtem qui ſe iam intra mœnia irrupturum ſperabat, vera virtute à muris repulit; quo facinore etſi nullum illuſtrius legi poteſt in memoria ſæculorum, itaut omnium inſtar eſſe poſſit, quæ communiter ab auctoribus afferuntur, in diſcutienda hac de militari fœminarum virtute controuerſia, non committã tamen vt hic alia reticeantur, quæ non ita vulgaria ſunt, quemadmodum ſibi forſan aliquis perſuadere poſſet, primum vero eſt noſtratium fœminarum, quæ oppidum *Riquerium* in Piccardia, quo tempore bella inter Carolum V. Imperatorem, & Franciſcũ primum exardebant, tanta virilis, & conſtantis animi ſignificatione aduerſus Cæſarianos propugnarunt, vt illos, tanquam Lacænæ quædam fortiter à muris repulerint, ereptaque ipſis ſigna duo in ciuitatem retulerint, quæ poſtquam hoſtis ſemel atque iterũ recuperare tentaſſet, toties muliebri pertinacia fractus, re tandem infecta, diſcedere inde maximo ſuo cum pudore, & incredibili damno coactus eſt. Alterum autem facinus *Senenſes* fœminas nobilitat, quarum tres poſtquam Senæ in Gallorum obſequium conceſſerant, atque prementibus Hiſpanis de obſiſtendo illorum conatibus ageretur, ſumpto ſingulæ vexillo euocarunt

runt in publicas operas ad tria millia fœminarum, quæ aggeribus excitandis, materiam vſque adeo libenter deferebant, vt ſacris deuotas virgines in id etiam opus exſciuerint, ex tribus vero illis Heroinis, ei cui vexillum album erat nomen fuit *Liuiæ Fauſtæ*, alteri cui rubrum, *Fauſtæ Picolhomineæ*; tertia denique ex *Forteguerrenſi familia*, cœrulei coloris vexillum gerebat. Atque his exemplis quibuſcum optimè conueniunt alia, quæ velut in horũ anteceſſum, agendo ſupra de Tyronum delectu protuli, ſufficienter probari cõfido, quod licet fœminæ, ob innatam corporis mollitiẽ, & cõtinuas vitæ tranquillioris, ac otioſæ remiſſiones, minus quàm viri pugnaces ſunt, non tamen adeo infirmæ cenſeri debent, & ad bellorum munia prorſus ineptæ, vt quemadmodum ab Onoſandro factum eſt, *puerulis, & inualidis, ac decrepitis ſenibus* annumerandæ ſint, cùm modeſtiâ potius, ac virorum imperio, quàm metu aut μικροψυχίᾳ ab armis temperent, & multæ in illis Priſcillæ ſimiles reperiantur. capite 11. imo. Statius v. ſyluar.

Quæ ſi caſtra darent, vellet geſtare pharetras,
Vellet Amazoniâ latus includere peltâ.

7 Vltimum agmen militum claudent *Canes*, licet à Polluce prætermiſſi in eorum animalium cenſu, quæ bellis inſeruiunt, forſan quia minimè geruli onerum, aut hominum, vt aſini, equi, cameli, elephantes de quibus eo loci ſibi dicendum propoſuerat: vnde non hic pedarius ero Iulij Pollucis, ſed Plinij, qui quam in bellis vtilitatem canes afferant his verbis declarat *Garamantum Regem canes ducenti ab exilio reduxere, præliati contra reſiſtentes, propter bella Colophonij, itemque Caſtabalenſes, cohortes canum habuere: eæ primæ dimicabant in acie nunquam detrectantes: hæc erant fortiſſima auxilia, nec ſtipendiorum indiga. canes defendère Cimbribus cæſis domus eorum plauſtris impoſitas*, & ipſemet Pollux alibi teſtatur, *Magnetes iuxta Meandrum canes aluiſſe bellorum armigeros.* quod Aelianus ſic ab illis factum fuiſſe narrat, vt canes quoſdam venaticos inter equites pugnare docuerint, itaut nec equi canibus, nec canes equis impedimento eſſent; cuiuſmodi pugnæ ſpecimen primum ediderunt aduerſus Epheſios. Eodemque modo *Halyattem Lydorum* Regem, Cimmerium bellum confeciſſe, multis hoſtium à præferoci canum turba laceratis, refert Polyænus in libris ſtratagematum, vbi & de *Philippo* addit quod Arbelios in *Num etiam canes.* lib. 1. cap. 10. lib. 8. c. 11. lib. 5. cap. 5. lib 14. de hiſtor. animal. lib 7. ſtratag. libro 4.

opacis

Digitized by Google

opacis nemoribus latitantes, canum venaticorum ope depræhendit: nec ſi quondam *Capitolij* tutelæ præfecti minus ſtrenuè, minuſque diligenter munus illud curarũt, propterea ſtatim exauctorari debent, quandoquidẽ flagitiũ quod in veteri Roma cõmiſerant, illud idẽ poſtea in *Iunioris*, quæ forſan Byzãtij, aut Cõſtantinopolis appellatione magis innoteſcet, conſeruatione, eluerũt, ſolique latratibus opportunis in cauſa fuerunt, ne à Philippo noctu interciperetur, vt ex libro Heſichij Myleſij de rebus Conſtãtinopolitanis, vtriuſque eruditionis Græcæ, Latinæque promus condus Leo Allatius ad Euſtachij Hexaemeron retulit. Quinimo non Byzãtij modo cuſtodia illis cõcredita fuit, Sed D. *Petri caſtellum* in Caria quod Rhodienſum erat; & *Regiam Monomotapæ* in Mexico; ac *Maclouium* vrbem munitiſſimam vlterioris Britãniæ inuenio apud Sabellicum, & Camerarium fidiſſimo canum præſidio, ita etiam num tutari conſueſſe, ſaltem quantum ad Sancti Maclouij fanum ſpectat, vt occluſis noctu portis, & canibus ad ſolitas ſtationes ire iuſſis, nemo ſit tam confidenti animo, qui vrbem hanc adire volens, non vehementer ſibi timeat *κυνῶν ἀπὸ καρχαρόδοντων à canibus qui aſperis dentibus infrendent*. Et vero, quando huc ſenſim de canibus dicendo prolapſus ſum, vt noſtris quoque temporibus maximo illos vſui fuiſſe in bello gerendo exemplis aliquot oſtenderim, permitte Ludouice Comes, vt quorundam aliorum enumeratione, rem quæ mira forſan, & noua videri poſſet, ita veritati aſſerã, vt dubitare de ea nemo poſſit. Nam et ſi Andræas Theuetus, & Olaus Magnus ſubleſtæ fidei teſtes habentur in rebus diſſitis, & quarum non item exempla apud nos obſeruantur, certè in hac militari canum diſciplina, quę in pleriſque etiam Europę partibus obtinet, non eſt quod eorum relationes malignè quis interpretari, aut ſugillare debeat: ſcribit igitur hic in hiſtoria Septentrionali, *Finlandos*, canes ferociſſimos in eum finem alere, vt in pugna ſaltu mordicus arripiant equorum, quibus aduerſarij inſident, nares, eoſque hoc inſultu conſternatos excutiant: ille vero de *Rege Cephaliæ* aſſerit, quod multa agmina canum audaciſsimorum conflicturus cum hoſtibus, inter aciem ſuorum militum admiſcere ſoleat, præter quæ exempla conſtat ex omnibus rerum Indicarum ſcriptoribus, *Vaſconem Nunneſium Valboam* qui in nouo orbe ab Hiſpa-

Decadis 3. lib. 7. tom. 1 cap. 4

in Coſmographia.

Hiſpanis domito exiguum haberet militum numerum, canes ad bellum aſſueſeciſſe, eorumque operà, & auxilio contra barbaros feliciter vsũ fuiſſe; vnde notiſſima sũt in eiuſmodi hiſtorijs nomina *Vezerilli* & *Leoncilli* qui duo ferociſsimi canes fuerunt, aliquoties etiam ſtipendio, ob egregiè nauatam in hoſtes operam, donati, cùm non ſecus compoſitè in illos ferrentur & aperto Marte, aut ex inſidijs pugnam inirent, quàm ſi Veterani fuiſſent ad omnem diſciplinæ caſtrenſis rationem, longo vſu & experientià facti. Denique memoriæ conſignatũ eſt ab Olao Magno ex cuiuſdam Legati Anglici literis, ***Henricum Angliæ*** Regem huius nominis octauum, Carolo Quinto Imperatori aduerſus Franciſcum Galliæ Regem, miſiſſe quaſdam auxiliares copias, in quibus quadringenti milites ac totidem canes more gentis torquibus ferreis armati, conſpicerentur, dubià relictà hominum opinione, an ad vigilias exercitus, aut ad inſigne aliquod ſtratagema acquirẽdæ victoriç causà miſſi eſſent: Quemadmodum etiam *Comes Eſſeccius* cùm aduerſus Hybernos ex Eliſabethæ Reginæ mandato proficiſceretur, octingentos Anglicos moloſſos ſecum duxit, non modo vt cuſtodes caſtrorum eſſent, ſed etiam vt addit Camerarius, quo in hoſtes maiori ex parte nudos irruerent, eoſque in latibulis & antris ſyluarumque ſeceſsibus deliteſcẽtes, abditoſque, latratu ſuo proderent; additque demum Camerarius, in finitimis munitionibus Dalmatiæ & Croatiæ, etiamnum iſtis temporibus, canes generoſos ali contra Turcarum inſultus, ſed diuersà penitus ab Anglicis ratione, cùm hi non ad pugnam inſtituantur, ſed tantummodo vt acutæ naris indagine, Turcas ſicubi latent in ſyluis aut excubijs inueſtigent; detectiſque feſtino ad ſuos reditu & latratu, continuo indicent hoſtes non procul abeſſe; Ac in ſumma tam confidenter canum miniſterio homines quotidie vtuntur, vt ipſos non modo caſtrorum, ſed rerum ferme omnium cuſtodiæ, & defenſioni præficiant: nam illis greges tutandos committunt, maximè autem ouillum & caprinum pecus, quod Lupi inprimis captare ſolent niſi canes oppoſitantur defenſores Vnde Horatius dixit

lib.17.cap.6

Tom.1.c 94.

Ode vi. lib. epod.

Quid immerenteis hoſpites vexas canis
Ignauus aduerſum Lupos.

Suas item domos vt ex Petronio patet *ad ſiniſtram intrãtibus non*

longè ab oſtiarij cella canis ingens catenâ vinctus, ſed pictus hic & fidẽ aliquibus nõ faciet, quare de viuo Suetonius *confugit in cellulam ianitoris religato pro foribus cane*, & Virgilius

In Vi eilio in Bucol.

Neſcio quid certè eſt & Hylax in limine latrat.

Sua templa, qua ratione Scriptor optimus & eloquentiſsimus noctium Atticarum Agellius refert *Aedituos templi ſæpe eſſe demiratos, quòd ſolùm Africanum noctu in Capitolium ingredie̅tem canes ſemper in alios ſæuie̅tes, neque latrarent, neque incurrere̅t*, hæc enim de Capitolino templo intelligenda veniunt; imo ſua cubicula & ſeipſos, quia ad miraculum vſque φιλοδέσποτοι ſunt, cuſtodiri ab illis voluere, ſic enim Plutarchus in Pelopida *cætera ædium tyranni ſtatio excubantium ſeruabat, cubiculum vero vbi ſolebat quieſcere, in edito erat, pro quo canis deligatus omnibus niſi ipſi & vni ſeruo qui eum curabat horrendas agebat excubias*; quæ Plutarchi verba tam ſimilia ſunt ijs quæ de Andronico Imperatore Conſtantinopolitano referuntur à Niceta in ſuis annalibus, vt nihil aliud præter nomen in vtroque ſit diuerſum, niſi quod Andronici canis ferocior erat, & aſſuetus Leonibus congredi, & armatum hominem ex equo deijcere; ac in ſumma *nihil m.li eſt*, ſicut dicebat Cicero, *canes ibi quamplurimos eſſe vbi permulti obſeruãdi, multaque ſeruanda ſunt*. Vt merito Columella canes *mutos cuſtodes* appellarit; & Spartæ vtraque Epheborum claſsis antequam pugnas ſuas in Euripo committerent, caninum Catulum Marti Enyalo mactabant, *fortiſsimo ſcilicet Deorum*, vt inquit Pauſanias, *victimam ex eo animalium genere illi acceptam exiſtimantes, quod manſuetis omnibus fortitudine præſtat*. Sed ritus qui veteri Francorum & Sueuorum conſuetudine inualuerat puniendi rebelles & ſeditioſos, huius animalis pugnacis & tumultuoſi geſtatione, dignus eſt omnino qui hic à me nõ omitta ur, hũc vero refert Otto Friſingenſis à Friderico Barbarouſſa ſeruatum fuiſſe, cùm *Hermannum comitem Palatinum Rheni, & decem ſocios comites, alios* quod ſe in Italia abſente, prædationibus & incendijs pacem publicam turbaſſent, per integrum milliare Germanicũ canem portare coegit. Ex quibus licet vnicuique æſtimare, quod canum fida cuſtodia, amans dominorum adulatio, odium in exteros, incredibilis ad veſtigandum & perſentiendum ſagacitas, alacritas in curſu, ferocia, *animuſque in pectore latrans* in inſultu

l.b.7.cap.1.

Orat.pro Sex Roſc.

In Laconic.

De Frider. 1. lib.2.cap.28.

magnæ

Digitized by Google

magnæ ſunt, & præclaræ dotes, ſi quis ipſas ad bellorum artem, quemadmodum feciſſe multos oſtendimus, transferre velit.

Quamobrem ſupereſt modo, vt quæ cura in ipſorum delectu habenda ſit breuiter aperiam. neque enim *Melitæos* catellos qui potiſsimum in delicijs Heroinarum ſunt, huic negotio aptos quiſquam dixerit, præter vnum Petrum Aponenſem, qui *Melitæos* quaſi *militares* interpretatus eſt, oſcitantiâ propemodum incredibili in homine linguarum & regionum perito, quare hunc merito ſugillat, & naſo ſuſpendit adunco Antonius Ludouicus; quamquam nec ipſe immunis ab errore, dum Miletum, vrbem in finibus Ioniæ & Cariæ, patriam fuiſſe Thaletis, non autem Melitam inſulam neſcit, magno certe documento imbecillitatis mentis humanæ, quæ vbi aliorum errores præclarè notat, illic nouos & ipſa committit, qui poſtea aliorum caſtigatione indigeant; melius ergo conſulit Oppianus vt *qui impetuoſos canes velit, & quibus hoſtem ſuſtinens robur inſit, eos præſertim eligat quibus forma eſt quàm maximè ſimilis feris crudiuoris, ouicidis Lupis, aut Tigribus rapidis, aut qui frumento geminum colorem habent flaui*: ſed Terentius Varro ad patriam potius reſpexit, vt *Laconicos* & *Epiroticos* canes velut fortiſsimos, & audaciſsimos reliquis præferret, qua in opinione conſentientes habuit Virgilium in hoc verſu

8. *Et quinā præſertim ad hoc opus deligēdi.*

In comment. ad problem. Ariſt.

lib. 1. Cyneg

lib. de re ruſt.

3. in Georg.

Veloces Spartæ catulos acreſque moloſſos.

Et Horatium cùm dixit

lib. 5. epod. Ode 6.

Nam qualis aut Moloſſus aut fuluus Lacon
Amica vis paſtoribus.

Moloſſi enim ex Moloſſia Epiri regione mittebantur, à qua & nomen acceperunt; at vero quàm bene hic, & prope dixerim ſub acumen calami, ſeſe inſinuat Aureliani Nemeſiani dictum

in Cyneg.

Sed non Spartanos tantum, tantùmque Moloſſos
Paſcendum catulos, diuiſa Britannia mittit
Veloces, noſtrique orbis venatibus aptos.

Nam ſi quæ vſquam regio canes robuſtos, audaces, ac prodigioſæ magnitudinis fouet, ea certè Britannia eſt, ſimulque vicina ei Scotia; vnde Strabo Britannicorum canum laudem in eo conſiſtere dixit, quod *milites* ſint, & Symmachus quantum olim Scoticorum canum ferociam Roma admirata ſit, his verbis do-

lib. 4.

epiſt. 77. lib. 2.

cet, *vt nunc ſeptem* I*talicorum canum probauit oblatio, quos præluſionis die ita Roma mirata eſt, vt ferreis caueis putaret aduectos:* nec ſane Claudianus in præſtantiſsimorum canum enumeratione Britannorum oblitus eſt

Magnaque T*aurorum fractura colla Britannæ:*

lib. 6. Et Hector Boethius in hiſtoria Scotorum, quam ſatis elaborata dictione conſcripſit, ac Cambdenus in Britannia, tot de illis dixerunt, vt mihi non magnopere laborandum ſit, quo noua quadam auctoritatum acceſſione, partum illis aut potius innatum decus conſeruetur. Illud tamen minimè duxi omittendum, quod variæ, & iucundæ eruditionis in ſe plurimum habet, nimirum locum hunc ex notitia Imperij *Procurator Cynegij in Britannis Ventenſis* quem Cuiacius & Guidus Pancirolus deprauatum exiſtimabant, pertinaciter defendi à VVolfango Lazio & Cambdeno, atque ita explicari ab iſtis, vt procurator intelligendus ſit, qui eo loci canes imperatoribus curabat, non vero is quem leui correctione *Cynegij* in *Gynæcij*, reponunt duo illi antiſtites legum & humanioris doctrinæ, vt ſacrum textrinũ in illis inueniãt, ſeu Gynæcia quæ conſtituta erant *texendis principis militumque veſtibus, nauium velis, ſtragulis linteis, & alijs ad inſtruendas manſiones neceſſarijs*, quod ego etſi iuxta cum illis verum exiſtimem, facit tamen locus Symmachi laudatus ſupra, & Suidæ auctoritas, qui *Cynegium* locum eſſe dicit in quo ferę conficiebãtur, à canibus ſic appellatum; vt qui contrarium ſentire volunt & à partibus Lazij aut Cambdeni ſtare, iſtud non ſine probabilibus argumentis facere poſſint. Cæterum quia præter Britannicos canes, multi ex alijs prouincijs, ad eiuſmodi munus bellicum non inepti eſſe feruntur, modo quis eos ex forma & alijs notis ſeligere poſsit, præſtat idcirco ex generali canum qui ad vtilitatem parantur diuiſione in *Venaticos*, *Oecuros & Pecuarios*, ſiue villæ & gregis cuſtodes, ita delectum hunc facere, vt è venaticis optimi putentur, qui *ſanguinarij* dicuntur, & *Numellarij* à numella quam Feſtus vinculi genus eſſe aſſerit, quo canes ſolent alligari, bellum enim hi cum Apris & maioribus feris continuo gerunt, à quibus non difficile ſit eorum feritatem, in equos aut hoſtes armatos cõuertere, in duabus autem alijs differentijs, præſtantiores ſunt grandi & vaſto corpore, voce grauiſsima, formà

In paratit ad titul. 8. cod. lib. 11.
In votis ad Not. cap. 38.

qua-

quadrata, capite magno, oculis acribus & radiantibus vel rauis rictu amplo, mento ſuppreſſo & ex eo enatis duobus dẽtibus dextra & ſiniſtra paulo eminulis, villo ab imis coſtis ad aures aduerſus tendente, eoque aut nigricãte aut furuo, & *mellũ* ſeu circulum ex corio firmo, munitoque prominẽtibus ab exteriori parte clauis, geſtare conſuetis: hi enim omnes licet minoris ſint ſtaturæ, quàm *Alani* aut *Corſi*, ferociſsimi tamen ſunt, & alacriter cum Lupis congrediuntur, eoſque iugulant, quemadmodum *Laconici* qui ab his differunt caudà tantum, quam villoſam gerunt, & auribus quas habent demiſſiores. Verum vtcumque minoribus iſtis animus inſit acer, ferox, indomitus & dens qui non impune laceſſentes ferat, propriè tamen bellicum eſſe genus illud cenſendum eſt grandiſſimorum canum, qui bouem artubus repræſentant, magnitudine vituli trimeſtris, rictu vaſto & maxillis vtrinque pendẽtibus, ac paululum inuerſis quos alij *Alanos*, alij *Corſos*, alij *Dogas* vocant præſertim ſi ex Anglia, & *Moloſſos* cùm ab Epyro veniunt: eiuſmodi enim naturam, & formam fuiſſe exiſtimo eorum, quos Indiam petenti Alexandro magno, Rex Albaniæ dono dederat, addens mandata *ne in paruis eos experiri vellet, ſed in Leone Elephantone* vt refertur ab hiſtoriæ naturalis Scriptore latino. Sed nõn ſatis eſt optimos à natura habere, niſi idonea diſciplina vim inſitam promoueat, ne ſi praua educatio fuerit, offam potius in culina ſectẽtur quàm Lupum in ſylua, quamobrem irritandi ſunt ſubinde, auribus vellendi, complauſuque ad mutuam pugnam incitandi, & adiuuandi ne ab aduerſarijs opprimantur, hoc enim modo redduntur audaciores & interriti, atque ad pugnam & rixas aſſuefiunt, ferociſsimamque naturã induunt, quam ſi ita lubet, interdiu cane ad Palum religato prohibitoque ad ipſum aditu augere etiam poſsis. lib. 8. cap. 40

XIII.

1. *Alterum quod in bello gerendo deſideratur ſunt conſilia de quibus primum quidem in genere dicitur.*

Hæc ergo, de apparatu ſeu primo belli gerendi inſtrumento per tot quæſtionũ difficultates, quibus res per ſe varię, nec adhuc ab vllo, quod ſciam, ſatis illuſtratæ, quantum in me eſſet lucem aliquam afferre ſum conatus, dicenda habui. Sequitur alterum *conſilia* videlicet, quæ ſi quis parum neceſſaria putat, ne ille profecto multum à Cicerone diſſentit, cuius ex oraculis vnum iſtud eſt communi omnium voce & rerum experientia celebratum *parua eſſe foris arma, niſi conſilium ſit domi*: quid enim apparatus 1. officior.

In ſenect. omnes ei qui quomodo ipſis vtendum ſit neſciat? fumus reſpondet Lipſius, quid viri? funus; neque enim vt idem Tullius addit *viribus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur, ſed conſilio, & & auctoritate & ſapientiâ* quibus rebus victrix illa terrarum Roma iſtud tandem conſecuta eſt, vt dum latè per regiones omnes nomen circumferebat ſuum, & tanquam in opima meſſe lauros & palmas colligebat, interim tamen omnium vox eſſet *Romanos ſedendo vincere*, quod nimirum domi opus eſſe conſultò intelligebant, facto autem in caſtris, nec tam militum fortitudine quàm Senatorum matura deliberatione imperij fines propagarent. Vnde ſi rectè fabula conſideretur, quàm ab Heſiodo mutuatã, Galenus libro tertio de decretis Hippocratis & Platonis, ad artium omnium diſcendarum methodum tranſtulit, profecto nõ eſt dubium quin ipſa longè commodius de ſola militari, prudentià & conſilij regulis adminiſtranda, intelligi debeat, quàm de reliquis, in quibus non tam ſera eſt quàm in bello pœnitentia;

In Catilin. *nam cætera maleficia*, vt dicebat Cato apud Saluſtium, *tum per ſe quare vbi facta ſunt, hoc niſi prouideris ne accidat, vbi euenerit fruſtra iudicia implores, capta vrbe nihil reliqui fit victis*. In hac igitur fabula Iupiter qui vt Poetis, ita nobis etiam principis aut ducis alicuius ſupremi loco habendus eſt, *Metim* quæ prudentiam & conſilium ſignificat, quod rebus gerendis adhibetur, non modo in vxorem aſſumpſit, ſed illam præterea cùm iam iam Mineruam paritura eſſet, deuorauit, nimirum quia ducem non ſatis eſt prudentiam ipſam perpetuo comitem, & velut vxorem habere, niſi priuſquam in campum deſcendat, & manus cum hoſte conſerat, belli ipſius gerendi conſilium, rationemque omnem de nouo apud ſe reputet, ac velut in ſuum pectus, & caput recondat, vt quemadmodum poſtea Iupiter

de vertice Pallada ſacro
Edidit armipotentem, horrendaque bella cientem.
Militiæque ducem intactam, cui clanger & ingens
Armorum ſtrepitus, clamoſaque prælia curæ

Sic ille bellum quod animo meditatur, vt ſapientibus conſilijs ſuſcipere, ita gerere fortiter, ac fauſtè feliciterque terminare poſſit. Huic autem meæ interpretationi, fidem aſſerit Themiſtius in oratione de pace ad Valentem Imperatorem his verbis,

quæ

quæ ad meum omnino ſenſum prolata videri poſſint, *quo adludentes veterum auctores fabularum*, P*allada Iouis è capite prognatam commenti ſunt, id rectè ſapienterque intuentes imperatoriam maieſtatem neque arma ſine conſilijs, neque conſilia ſine armis decere ſuſcipere, ſed ante facta maturam inſtituere deliberationem, huicque mox executionem ſuccedere debere*. Quapropter Vlyſſi apud Homerum & Sophoclem, perpetua comes atque gubernatrix in rebus omnibus additur Minerua, ſiue prudentia, cuius vt præclarè luculenterque Apuleius in libro de Genio Socratis explicat, proprium eſt ardua pericula & aduerſa quæque ſuperare; vt non immerito Vlyſſes de ſe apud Ouidium in concione lib. 12 metam. pro armis Achillis aduerſus Aiacem ſuſcepta, hoc ſolo prudentiæ nomine ſe dignum eſſe qui illi præferatur oſtendat

> *Quippe*, vt inquit, *manu fortes, nec ſunt tibi Marte ſecũdi*
> *Conſilijs ceſſere meis, tibi dextera bello*
> V*tilis, ingenium eſt quod eget moderamine noſtro.*
> *Tu vires ſine mente geris, mihi cura futuri eſt.*
> Tu *pugnare potes, pugnandi tempora mecum*
> *Eligit* Atrides, *tu tantum corpore prodes*
> *Nos animo.*

quibus verbis, quid aliud Vlyſſem ſibi voluiſſe putes niſi quod poſtea dixit Euripides καὶ μὴν νικᾶν ἐστι πᾶν στρατηλάτου εὐβουλία *atque victoria eſt tota ſita in bona conſultatione*: aut illud quod Iulius Cæſar primus auctor fundatorque Romani imperij, crebris 1. comment. bell. ciuil. vſurpare ſermonibus ſolebat, *non minus eſſe* Imperatoris *conſilio ſuperare quàm gladio*. At vero quia eiuſmodi celebrium virorum auctoritates imminui tamen vt humanæ à quibuſdam poſſent, en diuinam profero Eccleſiaſtis ſcilicet, cui non aſſentiri, nefas, refragari etiam piaculum eſt, hic vero diſertis verbis aſſerit *meliorẽ eſſe ſapientiam fortitudine* & rurſus ibidem inquit quod *melior eſt ſapientia, quàm arma bellica*. Proindeque Chartaginenſes capite 9. tanti ſemper conſilium fecerunt, vt quemadmodum tradit Valerius Maximus, *duces prauo conſilio rem gorentes, etiamſi proſpera fortuna ſubſecuta eſſet, cruci tamen ſuffigerent, arbitrati quod bene geſſerant* Deorum *immortalium adiutorio, quod male commiſerant ipſorum culpæ imputandum*, nempe quia non modo in homines lib. 2. cap. 7 ſed in deos peccat, qui illuc volens deuenit, vnde abſque deorum

auxilio minimè ſe explicare valet: tum etiam quia in rebus arduis, in ijs quæ ſummam Reipublicæ continent, in bello ipſo cuius parua ſæpe momenta maximas rerum conuerſiones inducunt, non licet bis eundem errorem committere. Sic enim *Annibal* ſi Maharbalis conſilijs auſcultaſſet, & à Cannēſi pugna protinus exercitum mœnibus vrbis admouiſſet, actum erat de imperio Romano; ſi *Charthaginenſes* tempus arripuiſſent, quo magis dare pacem quàm accipere poterant, fatum quod ipſis imminebat in hoſtium ceruices forſan auertiſſent; ſi *Samnites* clauſum ad furculas caudinas Romanorum exercitum, aut integrum ſoſpitemque dimiſiſſent, aut internecione deleuiſſent, bellū ex eo fuiſſet in multas ætates dilatum, ſed mens interdum læua, & quomodo eorum qui fulmine tangi debent mentes hebetantur, ſic in ſuam perniciem ruituras, conſilia plerumque deficiunt. Opus eſt igitur in his eà prudentià, qua Milciades obtinuit, vt collegis omnibus, ſuam in illum, quem ſibi rei militaris peritia antecellere non dubitabant, auctoritatem conferentibus, ſolus bello quod tunc à Republica gerebatur præeſſet, & glorioſam de Medis victoriam referret. Prudentiam vero cum dico tam *ἀβουλίας* ſeu *conſilium* intelligo, quod à Cicerone ſecundo rhetoricorum definitur, *aliquid faciendi vel non faciendi verè excogitata ratio*, quàm habitum ipſius prudētiæ proprium, quæ actiones componit, reſpiciendo particulares ipſarum circumſtantias, qua rum cùm natura aut mutua inter ſe conuenſio, vel diſcrepantia, certo aſſignari niſi in ipſo negotio non poſſint, accidit propterea vt difficillimum ſit antequam res ipſa fiat, quid facto in ea opus ſit lib. 22. præuidere; quoniam *conſilia*, vt inquit Liuius, *magis res dant hominibus, quàm homines rebus*; & bellum præſertim minimè omnium ex decretis procedit, ſed ipſum multa ex ſe inuenit, multa monet, quæ priuſquàm appareant, nemo vnquam arbitratus fuiſſet ita fieri, aut ſuccedere potuiſſe.

2. *Poſtea in ſpecie tria proponūtur, vulgaribus alijs omiſsis.*

Hanc ob rem igitur cùm homines de ſingulis rebus ſtatuere non poſſent, quaſdam ſententias vniuerſales, ſeu pronunciata excogitarunt, quæ poſtea facillimum ſit vnicuique, in rem præſentem, cùm opus eſt accommodare cuiuſmodi ſunt hæc in arte militari, fidem eſſe ſeruandam; fœdera ſancienda; famæ ſeruiendum; fugiendam ſecuritatem; inquirendum in omnia; callidè agen-

agendum, nec minus ſecretè; hoſtem ſemper præueniendum; cunctatione aliquoties frangendum, deſperandum nunquam; caſtra opportunè metanda, non temerè pugnandum, nec intempeſtiuè, aut loco iniquo, & ordine inepto; vtendum occaſione; victori cedendum; acriter ſucceſſus vrgendos; conſilia ad rerum euentus flectenda; militem non fruſtra periculis obijciendum; cohibendum à præda, incitandumque præmijs, & id genus ſimilia quorum explicationi non immoror, cùm nobis ipſam præiuerint præripuerintque ſcriptores politici famà celebres, eruditione conſpicui, & quod omnes à ſimili conatu impoſterum deterrere poſſit, numero propemodum infiniti: qui ſuis diſcurſibus, aut proprio Marte, & libero iudicio editis, aut in hunc vel illum auctorem concinnatis, nullum reliquorum induſtriæ, in hac materia pertractanda, locum reliquere. Quare ne vel tuà patientià abuti videar Ludouice Comes, vel me tibi alijsque lectoribus naſutis deridendum ſiſtere, ſi rurſus in hac communi literatorum meta deſudarem, ab illis prorſus temperabo calamum, & ex magno eiuſmodi monitorum aceruo, tria tantummodo proponam, quorum etſi duo priora maiorem in modum Duci neceſſaria ſint, neſcio tamen quomodo tot præſtantium ſcriptorum diligẽtiam effugerint. Tertium vero quod errore potiuſquàm iudicio in hominum mentes irrepſiſſe certum eſt, procul à militari diſciplina ablegandum eſſe, pro virili perſuadere contendam.

Primum igitur monitum, ſiue conſilium quod hic exhibeo, illud idem eſt, quod Leo Imperator ducibus ſuis ſeruandum præcepit, nempe, vt ante res quaſcunque ſuſcipiendas, maximè vero bellicas, conſilium cum ijs præſertim haberent, quos continua rerum experientia, magis ad iſtud muneris idoneos fecerat; etenim cùm inconſulta bellorum tractatione omnia ſtatim in peius conuertantur, & maximum felicis militiæ inſtrumentum aliud eſſe non poſſit, quàm bonum conſilium; quis eſt obſecro tam lyncæus, vt omnia media, quæ ad ipſum neceſſaria ſunt, per ſe ſolus inuenire poſſit? quis adeo prudens, vt de præſentibus, ac futuris ex ſuo tantum ſenſu iudicare audeat? quemadmodum ergo ſapientiſſimus ille habendus eſt, cui quod opus ſit, ipſi ſua ſponte veniat in mentem, ita ex Zenonis inuerſione in ſecundo gradu conſiſtit, qui alterius bene inuentis obtemperare non recuſat,

3. *Nempe vt cõſilium in omnibus petatur à peritis.*

quo-

quoniam vt dicebat Philippus Cominæus, *nullum maius indicium bonæ mentis princeps poteſt oſtendere, quàm vt adiungat ſibi familiariter viros virtute celebres nam omnes ſtatim iudicabunt talem eſſe quales ij ſunt qui apud illũ verſantur.* Vnde Mamertinus Iulianum ab hac potiſſimum laude commendauit, *omnibus*, inquit, *nugis remotis, optimum, & doctiſſimum quęque requiris, ſi quis præſtat virtutibus bellicis & laude militiæ in amicis habetur, vltro ad familiaritatem vocatur*. & Caſſiodorus breuiter ſed acutè dixit ad ornamentum palatij pertinere aptos dignitatibus eligere: imo vero plerumque contingit, vt quo aliquis ſapientior eſt, eo minus propriæ opinioni confidat, eamque aliorum ſapientum iudicio lubentius ſubmittat; ita enim *Auguſtus*, qui in gerenda Republica parem habuit neminem, præter Senatum, quem ſexcentis Senatoribus compleuerat, ſanctius conſilium viginti virorum ſelegit, ac præterea Mecœnatem, & Agrippam ſibi familiares, & amicos, quibus cum imperij arcana communicare ſolebat, quale fuit illud pacatà poſt Actiacam victoriam Republicà, vtrum imperio ſe abdicaret, liberamque vt antea poteſtatem S.P.Q.R. relinqueret; & ante illum *Cæſar* Quintum Pædium, & Cornelium Balbum ſibi delegerat ad quos occultis litteris pleraque de ſuis rebus *μυστικώτατα* ſeu arcana referret: hoc autem ſi magnæ illæ mentes; & cæleſtis particulæ plènius compotes in ijs rebus adminiſtrandis præſtiterunt, quæ partim ob leges iam antea de illis cõſtitutas, partim etiam quod à voluntate ipſorum pendebant, minus erant Fortunę caſibus obnoxiæ, quanto magis bellorum Duces idem facere oportet, quorum actiones omnes adeo in præcipiti ſunt conſtitutæ, vt ſi vel paululum à ratione deflectant, pœna ſtatim errorem conſequatur, & etiam ſi rectè cum illa conueniãt, euentus tamen non ſemper pro voto reſpondeat.

4. *Cuiuſmodi nõ ſunt viri litterati contra quam vulgo perſuaſum eſt*

Enimuero cùm non minus interſit quos in cõſilium admittat, quàm quibus illud quod in conſilio deliberatum fuerit exequendum demandet; nollem hic locum habere quorundam pædagogorum ſententiam, quibus nihil in ore frequentius eſt, cùm de literatorum dignitate, & præſtantia ad rauim vſque declamãt, quàm maximos orbis imperatores, hominum eruditorum, quos in comitatu ſecum habebant, conſilijs adiutos, eas res ſumma cũ orbis admiratione peregiſſe, quarum nuſquam erit apud poſte-

ros

ros obliuio, quod equidem vt veterum exemplis confirment, Ninum in primis cum præceptore ſuo *Zoroaſtre* componunt; Arbacem cum *Beleſio* philoſopho Chaldæo; Cyrum, & Cambyſem cum *Magis*; Alexandrum cum *Ariſtotele, Anaxarcho, Caliſthene*: Dionyſium cum *Platone*; Periclem cum *Anaxagora*; Scipionem maiorem cum *Ennio*, de quo illud etiam Claudiani circumferunt.

Hærebat doctus lateri caſtriſque ſolebat
Omnibus in medias Ennius ire tubas.

Minorem cum *Polybio*, & *Panætio*: Paulum Aemilium cum *Metrodoro*: Lucullum cum *Antonio Aſcalonita*; Pompeium cum *Theophane*; Auguſtum cum *Ario* Platonico, *Nicolao* Peripatetico, & *Athenodoro* Stoico; Traianum cum *Plutarcho*, & quis recentiores alios enumeret tam principes, quàm philoſophos, quos ipſi quotidie referunt cõſilia de rebus grauiſſimis ſimul inniuiſſe & locũ feciſſe vulgari Græcorũ dicterio σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν συνουσίᾳ: *princeps ſapiens ſapientum commercio*. At vero vna, fateor, hæc res eſt quam mecum ſæpe ſolitus ſum mirari, quomodo tam confidenter iſtud aſſerere audeant, cùm præter Polybium quem diuino vt ad res omnes ſic etiam ad bellicas ingenio fuiſſe, fatendum eſt, cæteri, quos tanta ambitione proferunt, homines fuerint eruditi, aut quod verius dixerim ignauà operà philoſophà ſententià, quos Duces illi partim in præceptores habuerunt, partim vt notos, & familiares, cùm à curis vacui eſſent, ad colloquia feſtiua admiſerunt, eo modo quo Mecœnas Horatium. Horat. ſatyr. 6. lib. 2.

Quem tollere rheda
Vellet iter faciens, & cui concredere nugas
Hoc genus, hora quota eſt, Thrax eſt Gallina Syro par,
Matutina parum cautos iam frigora mordent,
Et quæ rimoſa bene deponuntur in aure.

partim denique ſportulà donarunt ad ſplẽdoris, & magnificentiæ opinionem, quam tot congiarijs, donatiuis, funeribus, ludis, publicis operibus, hortis, ſepulchris, alijſque ſumptibus ſibi comparare ſtudebant. Profecto ſi antiqui illi literati tantà ſapientià fuerunt etiam in rebus bellicis, mirandum eſt certè, quo noſtrorum abijt ſolertia, qui vix ad ciuiles & domeſticas ſufficiunt: mirandum etiam cur noſtri principes qui ſe beatos putant, cùm antiquiorum imitatione quicquam faciunt, politici, ſanctioriſque

ſui conſilij valuas literatis hominibus non recludunt? Cur Carolus Quintus non plus habuit fidei in bellorum ſuorum adminiſtratione Auguſtino Nipho, quàm Antonio Leuę; atque vt ad antiqua me referam, cur Auguſtus non prius cum Horatio, & tribus illis philoſophis de ponendo diademate, quàm cum Agrippa, & Mecœnate tractauit: ſed difficile eſt proprijs affectibus etiã cum diſpẽdio veritatis non inſeruire, & notũ eſt illud *en qui amant ſibi ſomnia fingunt*. Ego vero, qui non adeo me in vilium, & proletariorum hominum mores indui, vt veritati quod ſuum eſt, non libenter concedam, Vlyſſes potius laudabo, Neſtoras, Palamedes, Cyneas, Parmeniones, Perdiccas, & horum ſimiles non librorum lectione, ſed rerum geſtarum vſu peritos, & acerrimi ingenij viros, quibus cum Duces de bellorũ ſumma, ſi velint hęc ſibi ex animi ſententia cedere, ſermones quotidie conferant. nec enim conſiliorum caput tam in acumine verborum eſt, aut rationum, & ſententiarum copia, qua ſe potiſſimum iactant, & efferũt, homines illi eruditi, quam in certa quadam iudicij norma, quę in rerum comprehenſione, & ordinatione maximè elucet, & quam vt quiſque accuratiſſimè, & celerrimè rebus tractandis adhibet, ita merito prudẽtiſſimus, & verſatiſſimus in ſua arte habẽdus eſt.

5. *Et quæ cõſilia ſequẽda ſunt. quæ vitanda.* Porro illud etiam Imperator aduertere debet, ne ad ea eligẽda quę dubitationem afferunt, homines peritos tantum adhibeat, eorũque iudicio permulta ſibi, aut ſtatuẽda aut mutãda intelligat, ſed oportet pręterea ipſum ita de ſingulorũ conſilijs iudicare, vt melioribus ſe accomodet, & ijs præſertim quæ ſuis nixa fundamentis, quantum fieri poteſt contra omnes caſus ſunt præmunita. *Vaſta* enim quæ res quaſi immenſas complectuntur, & ad quas nec opes nec vita vnius hominis ſufficiant, iure optimus ille conſiliarius Cyneas coram Pyrrho damnauit. *Turbida & paci ac quieti aduerſa* vir multum ex iudicij laude, & publicorum munerum dignitate quàm ſumma cum integritate ſuſtinuit cõmendatus Leonardus Aretinus, his verbis proſcripſit, quæ vt egregia omnino & à paucis, quod viderim, animaduerſa, huc trãſferenda duxi. *Animaduerti nonnunquam, o Angele te admirari ſolere, meam vt ita dixerim, cunctationem, ac tarditatem quoties aut de ſuſcipiendo conſultatur, aut de ijs rebus, quas bellum ſit faciliter ſecuturum. Ego autem ſi quid eſt in me tale, illud volo ſcias non*

in pręfat. hiſtoriæ Gręc.

tam

tam ex natura mihi prouenire, quam ex eo quia multa legiſſe mihi videor, per quarum rerum memoriam atque exempla, concertationes omnes atque pericula reformido. Nulla enim *fuit vnquam ciuitas, neque tam aucta opibus, neque tam florens, quæ non ex paruis interdum erratis in maxima inciderit pericula ſtatus ſui; nonnullæ etiam ex hoc ipſo in extremam ruinam deuenerunt. Quare ſi cunctatores & tardi, ſi denique timidi ac diffidentes in huiuſmodi rebus, aut tibi, aut cæteris viſi ſumus, eam ſcias cauſam fuiſſe, quod exempla me reuocant & deterrent ab omni protinus dimicatione. Equidem ciuitati beatæ atque felici quietem maximè complectendam computo: & quo melius ſtat, eo minus fortunam experiendam, quæ mutabilitate gaudere dicitur*: præclara hercle, & digna ſuo auctore, viro ſane optimo & prudentiſsimo ſententia. *Audacia* quoque & velut *in tranſcurſu rapta* non autem expenſa conſilia, tumultuaria plerumque ſunt, & à leuitate, metu, temeritate, quare periculi in ſe multum habent, & in turpem exitum deſinunt, quamuis primo aſpectu maximè ſuis auctoribus vtilia fore videantur; nempe tale fuit illud vt Chriſtophorus Forſtnerus optimè ad Corneliũ Tacitum notauit, quo de capite magni Pompei Aegyptius ille pronũciauit *mortuũ non mordere*; tale & aliud quo Thais Alexandro perſuaſit vt Regiæ totius orientis, vnde tot gentes iura petebant, patriæ tot Regum, vnico quondam Græciæ terrori faces ſubderet; tali denique Moſca quidam Lambertus factionem illam tetram, & horribilem Guelphorum ac Gibellinorum concitauit, non minus in ſuæ vrbis, quàm totius orbis perniciem, cùm vulgari illo dicterio *coſa fatta capo ha*, quo rem perpetratam caput habere Itali ſignificãt, Buondelmontium ob acceptam iniuriam necandum ſuaſiſſet. *Callida* & *acuta* propter exactiſsimam diuerſarum rerum conſenſionem quam requirunt, haud raro, exitu fruſtrantur aut infelicem illum habent, & planè inſtar horologij ſunt, quod quanto ſubtilioribus rotis & funiculis agitur in deſtinatos horarum curſus, tanto facilius aut corrumpitur aut aberrat. *Tarda* & *lenta* magnis conatibus, aut pro defenſione ſuſceptis conueniunt, exemplo Fabij Maximi qui *cunctãdo reſtituit rem*, & Periclis qui terram Atticam deuaſtantibus Lacedæmonijs, vrbe clauſa & ſufficienti præſidio munita ſe continuit. *Prompta* denique, & *accelerata* vtilia ſunt aliorum regna & prouin-

lib.4. annal.

prouincias inuadentibus, tum etiam cum res in præcipiti conſiſtunt, quia tunc nihil æque nocet ac conſiliorum mora. Regũ vero *fere hanc naturam eſſe* dicebat Liuius, *vt ſpecioſa magis, quã ſolida conſilia ſequantur*. Ex omnibus autem maximè probanda ſunt quæ ab egregijs hominibus per tardiores veræ & recoctæ ſapientiæ motus, ac ſenſuum pondere grauiores proferuntur; ſicut ex aduerſo parum illis fidendum, quæ extemporanea ingenij promptitudo, plerumque veræ prudentiæ & magnis negocijs ſuffecturæ expers, ſuggerit; omnis enim illorum vis in lingua, omnis flos in verbis, cùm mens interim nihil ſolidi habeat, aut præ feſtinatione non poſsit longa illà ſed tuta ratiocinatione, penetrare in intima & quaſi viſcera negotiorum.

XIV.

1. Secundum monitũ verſatur circa leges militares quarũ prima eſt parẽdum eſſe neceſsitati

Porro vt primum iſtud monitum de conſilijs fuit, ſic alterum quod proximè ſubijcio de legibus eſſe debet, non ijs quidem quæ delicta aut priuilegia militum reſpiciunt, quales ſunt quæ ex iure ciuili, varijſque principum conſtitutionibus, quotidie aut à ſummo latrunculatore, aut ab alijs militarium controuerſiarum iudicibus in caſtris diſcutiuntur; etenim magis vniuerſales ſunt illæ quas in præſentia explicare meditor, nec auctoritatem ſuam repetunt ab vno aut altero principe, ſed communi hominum conſenſu firmatam illam obtinent, cui ſe niſi dux inter bellorum occaſiones & momenta accomodet, is profecto nec ſatis animo valere, nec præclarè ſuo munere defungi, haud iniurià cenſeri poſſit. Prima ergo iſtarum legum eſt, vt quoties *neceſsitas* vrget non aliud eius effugium quæratur, quàm facere quod ipſa iubet: namque vt illud Euripidis in me transferam, *illud eſt ſapientum dictum haud meum*, *nihil neceſsitate dira fortius*, proptereaque

Ode 24. lib. 3.

dicitur ab Horatio *clauos adamantinos* figere; & Palladius in libris de agricultura, negat illã ferias vllas habere, Grammaticorũ etymo conuenienter qui *neceſſum* ab eo deducunt quod *non ſit in eo ceſſandum*; adeoque ipſa in leges omnes imperium obtinet, vt quoties ſuam profert reliquæ protinus conticeſcant, ne fruſtra obnitendo præualidis & ingraueſcentibus malis, non tam medelam afferant, quàm incrementum. Sic enim Romæ cùm à Volſcis Romani ſibi metuerent, *Senatores* omnes quicunque per valetudinem poterant, munus vigiliarum per ſe ipſos obijſſe, refertur à T. Liuio; γήρως γὰρ οὐδὲν ἡλικίας ὁ περὶ ψυχῆς δυσωπεῖται κίνδυνος vt inquit

lib. 3.

inquit Heliodorus; & Appianus refert quotieſcunque periculi imminentis occaſione, Senatui viſum eſſet tumultum decerni, nullam tunc *vacationum* rationem habitam, nec in delectu habẽdo cuiuſquam excuſationem admiſſam fuiſſe, vnde tunc ceſſabat *Flaminum, & Sacerdotum* immunitas, vt notat Plutarchus in Camillo; non ſecus ac Annibale Romanos vrgente *Coloni Maritimi* qui ſacroſanctam vacationem habere dicebantur, nihilominus tamen dare milites coacti ſunt; & in ſumma quoties Romæ nũciatum Heluetios, aut Gallos in armis eſſe, toties ibidem ex formula pronunciatũ fuit *vacationes ne valerent*, vt pluribus in locis apud Liuium, & Tacitum videre eſt. Quinimo Athenis cùm belli metus inſtaret, ceſſabant *priuilegia* conceſſa familiæ Ariſtogitonis, & Harmodij, licet maxima in veneratione apud omnes eſſent; & *Scipio Africanus* quãdo planè opus fuit vt ad neceſſariũ Reipublicę vsũ pecunia ex ærario promeretur, nec illã ſumere auderẽt Quæſtores, quod ſe lege prohiberi affirmarent, claues ipſe popoſcit, & ærario recluſo legẽ neceſſitati ſeruire coegit; nimirum rectè intelligebat vir prudentiſſimus, legum ſanctiones vt remedia, quæ corporibus adhibentur, leuiter inflecti debere, aut interdum etiam planè tolli, ſi id exigat ſuprema rerum omnium norma, & quæ ſola in cauſa fuit vt leges ipſæ conderentur *neceſſitas*. Hoc autem quin tutò ac honeſtè fieri poſsit, nemini dubium eſſe poteſt, qui vel minimum mentem aduerterit in eas Philoſophorum præceptiones, quibus oſtendunt omnem actionum bonitatem, aut malitiam moralem, ab animo æſtimandam eſſe, qui vbi rectus eſt & optimæ rationi conſentaneus, effectum prauum, aut inhoneſtum producere non poteſt; vnde intereſt plurimum, vt ait D. Auguſtinus libro contra mendacium, quà cauſà, quo fine, qua intentione aliquid fiat, quoniam ex D. Ambroſio affectus eſt, qui nomen operi imponit; & hac de cauſa inter αὐτοκτόνυς non damnantur nautæ, quoties igne in puluerem tormentarium coniecto, ſe ipſos ſimul cum hoſtibus occidunt, modo publica auctoritate muniti iſtud faciant, nullaque appareat ſpes victoriæ, & patriæ cui militant bonum potius ſpectent, quod in hoſtium clade, & internecione conſiſtit, quàm malum quod in eorundem poteſtatem venientibus perferendum foret. Et ex aduerſo quæ ſceleris in ſe aut improbitatis aliquid habent, ne extrema quidem vi, aut neceſſitate

libro 9.

lib. 2. belli ciuilis.

ceſſitate coactis facienda ſunt, vt moriendum potius ſit, quàm
aliquid quod cum virtute, aut officio viri boni pugnet committe-
re. Et vero, vt nulla alia ratio eſſet huius neceſſitatis à malitia
vindicandæ, quàm per exempla quæ tum ex ſacris, cùm ex pro-
fanis auctoribus in eius confirmationem afferri poſſunt, ipſa
certè tam illuſtria ſunt, vt per ſe ſola iſtud abunde, ſufficienter-
que præſtare poſſint; quis enim neſcit damnatos ab omnibus fuiſ-
ſe *Hebræos* quod indictæ à diuino legislatore quietis intempeſtiua
obſeruatione, perierint; contra vero laudatos *Dauidem*, & *Eze-
chiam*, quòd hic ad profanos hoſtes auertendos, pacemque ab
ijs redimendam ſacris cultibus deuotas opes, pretioſamque ſupel-
4. Regum cap. 18. lectilem conuerterit, *indixit itaque* Rex *Aſſyriorum Ezechiæ* Regi
*Iudæ trecenta talenta argenti, & triginta talenta auri. Deditque
Ezechias omne argentum quod repertum fuerat in domo* Domini, *&
in theſauris Regis. In tempore illo confregit Ezechias valuas templi*
Domini, *& laminas auri quas ipſe affixerat, & dedit eas Regi Aſ-
ſyriorum*; ille vero *panes propoſitionis qui ſublati fuerant à facie* Domi-
1. Regum cap 21. *ni*, quibus veſci nonniſi myſtis licuit, cùm extrema fame preme-
retur, nec *laicos panes* ad manum haberet, comederit. Sed quid
etiam in hac aut ſimili rerum inclinatione non fecerunt Roma-
ni? poſt Cannenſem pugnam, non modo ſeruos, atque prætexta-
Valer. Max lib. 7. cap. 6. tos pueros ad arma vocarunt, ſed Imperante M. Iunio, qui tunc
temporis Dictatoris munere fungebatur *ſpolia hoſtium affixa tem-
plis, inſtrumenta militia futura conuulſa ſunt*; & in bello Mithrida-
in Mithridatico. tico quod Cornelio Syllæ obuenerat, cùm ob pecuniarum inopiã
nihil ei conferre poſſent, ex decreto ſtatuère, quemadmodum
refert Appianus, vt quæcumque Numa Pompilius ad Deorum
ſacra olim contuliſſet, ea venui exponerentur, quod rurſum fa-
ctum eſt C. Mario, & Cn. Carbone Conſulibus bello ciuili cum
Lucio Sylla diſſidentibus, & noſtris etiam temporibus Danorum
Rex Chriſtianus Tertius cùm in extrema pene rerum ſuarum
conclamatione, materia illi deeſſet, ex qua craſſiores machinæ cõ-
flarentur, æreas campanas in iſtud opus conuertit, appenſo prius
metallo, quod poſtea duplo pondere, & in elegantiorem formam
efficto reſtituit, nec propterea à quoquam damnatus fuit, quia
lib. 2. de officijs. vt inquit D. Ambroſius *melius eſt ſeruare animas viuentiũ, quàm
metallorum*. Nempe hæ ſunt neceſſitatis leges, quibus duces ſæ-
pius

Digitized by Google

pius quàm vellent obtemperare coacti, deuota ſacris ritibus capita, bellorum tumultibus implicant; exulibus, ac omni ſcelerum nequitiâ contaminatis, veniam indulgent; ſubditos nouis quotidie vectigalibus flagellant; & multa id genus committunt, *quæ* vt rectè monet Valerius Maximus *ſi per ſe aſpiciantur aliquid ruboris habeant, ſin autem admotis neceſſitatis viribus ponderentur, ſæuitia temporis conuenientia præſidia videantur*.

Vt autem neceſſitas primæ huic legi militari occaſionem dedit, ita ius belli ſecundam intulit, quæ in eo potiſſimum verſatur, vt quid quantumque in bello aduerſus hoſtes liceat & quibus modis, explicet; qua de re quoniam libri ferme infiniti à iuriſconſultis editi circumferuntur, non hic Penelopes telam retexam, ſed breui eorum enumeratione *quæ hoſtibus in hoſtes licent*, materiam hanc nullo ferme ambitu circumſcriptam, ad certa capita reuocabo; ſi prius tamen monuerim, quod vox ipſa *licere*, non hic ſumi debet pro eo quod ex omni parte pium, iuſtumque eſt, etiamſi forte aliud quid fieri laudabilius poſſit, quomodo licet matrimonium contrahere, & ad ſecundas nuptias conuolare, etiamſi laudabilior ſit ex pio propoſito cœlebs caſtitas, aut vita, quemadmodum loquitur Iabolenus *ſine duitate* peracta, nam vt cenſet D. Auguſtinus, *vtrumque quidem pariter licitum eſt, per iuſtitiam, quæ coram Domino eſt, & ideo nihil horum prohibet Dominus, ſed non vtrũque expedit*. Alio igitur modo licere aliquid dicitur, non quod ſalua pietate, & officiorum regulis fieri poteſt, ſed quod apud homines pœnæ non ſubiacet, quo ſenſu dicebat Tullius ad iudices in cauſa Rabirij Poſthumi, *quid deceat vos, non quantum liceat vobis, ſpectare debetis, ſi enim quod liceat quæritis; poteſtis tollere è Ciuitate quem vultis*: & eadem de cauſa apud populos multos *ſcortari*, apud Lacedæmonios etiam & Aegyptios *furari* licebat: atque hac ſignificatione concludit vir magnus, vſurpari debere vocem *licere*, in quæſtione quid hoſti in hoſtem liceat, multa enim in illũ licent quæ ex iure belli nullis pœnis ſubiacent, licet pietati, ac humanitati penitus aduerſa. vnde hoc iure fretus Scipio Carthaginenſibus audacter reſpondebat, ſi quid humanitatis à ſe experirentur id debere ipſis mirum, & præter conſuetum videri, quoniam ita ſe habent iura belli, vt per ipſa ſæuire omnibus modis in hoſtes liceat, eorumque caſtra, portus, ciuitates, villas, naues, fru-

2 *Iuri belli ſeruiendum, & quodnam illud victorũ inuictos generatim loquendo.*

Ad Pollentium lib. 1. cap. 15.

lib. 3. de iure belli, & pacis cap. 4.

Ccc ctus

ctus, ſata ferro flammis populationibus deuaſtare, aliaque his ſimilia facere quibus vt vires propriæ confirmari, ſic aduerſariorũ peſſundari maximè poſſint; & huic quidem ſententiæ fidem aſſerit Marcellus, cùm apud Syracuſanos quos eiuſmodi calamitatibus peſſimè multauerat ita ſe tuetur, vt etiam dicat, non tam quid ipſe fecerit in diſquiſitionem venire, *quem quicquid in hoſtibus fecit iura bella defendunt, quàm quid Syracuſani pati debuerint*. adeo enim acerbæ ſemper victorum in victos leges fuerunt, vt etiam in triumphis pedibus ipſorum ſubijcerentur, quo tam nihil vilius, nihil humilius, nihil ad extremam miſeriæ ſignificationẽ aptius excogitari vnquam potuit. Hoc vero tanquam ex antiquo, & ſolemni ritu vſurpatum apud antiquos fuiſſe, non vnius modo, aut alterius auctoris teſtimonio patet, ſed omnium veluti firma conſenſione, morem hunc ita ſemper obtinuiſſe conſtat, ſic enim Ouidius ab eruditiſſimo Thoma Dempſtero laudatus

Liuius lib. 26

4. triſtium præfat. in Cerīpp.

Et ducis inuicti ſub pede mæſta ſedet.

ſic Claudianus de quarto conſulatu Honorij

Colla triumphati proculcet Honorius Iſtri.

Sic Prudentius libro primo in Symmachum

Colla Tyrannorum media calcemus in Vrbe

atque ita in equeſtribus quoque ſtatuis domitæ gentes equorum ſubiectæ pedibus videbantur, vnde Statius in equo maximo Domitiani.

1 Syluar. ſylua 1.

vacuæ pro ceſpite terræ

Aenea captiui crinem tegit vngula Rheni.

Nimirum ſicut lege naturali vim vi repellere licet, & eum qui alterius vitæ inſidias ſtruit, retortis in eũ ſi poteſt dolis interficere, ita dubium non eſt quin iure gentium, quo maximè in bellis vtimur, vnicuique conceſſum ſit, hoſtes laceſſentes occidere, victoſque in vinculis habere, ac bonis omnibus exutos dimittere: cuius rei quanquam communis hæc, & valde conueniens ratio afferri poſſit, quod ex lege talionis, qua pœna victi mulctandos eſſe victores cenſebant, eadem victoribus in victos animaduertere liceat; aliam tamen mihi perſuadeo afferri poſſe, quæ non minus ipſe probabilitatis habet, neque etiam ſi noſtræ nobis iniuriæ exẽplo Chriſti magno animo ferẽdę ſũt, protinus eæ quæ Rẽpublicã violant, damnaque communi omnium ſaluti illata, itidem negligenda

genda

Digitized by Google

genda ſunt; intereſt enim publicæ regnorum tranquillitatis, quã Deus in primis ſaluam eſſe cupit, vt nemo impunè ipſam violare audeat: quo fit vt vindicta quæ pœnas ab illis repoſcit, qui pacẽ gentium, aut quietem interturbant, pars eſſe & quidem magna iuſtitiæ cenſeatur; Magiſtratibusque & belli Ducibus ac quicũque publicæ rerum adminiſtrationi præficiuntur, tam diuino, quàm humano iure conceſſum ſit, iniurias in ſe illatas ritè vindicare, non iræ priuatæ, odioue indulgentibus, ſed *cum dignitas*, vt inquit Gellius ex Tauro Philoſopho *auctoritasque eius in quem eſt peccatum, tuenda eſt, ne prætermiſſa animaduerſio contemptum eius pariat, & honorem leuet*.

Cæterum vt à minoribus damnis quæ ſibi mutuò hoſtes inferunt ad grauiora ſenſim deueniam, certè *bonorum ſpoliatio*, ſeu *deprædatio*, vt omnium prima, ſic & leuiſſima cenſeri debet, quandoquidem res in illa integræ manent, nec vtuntur, vaſtanturque vt in populatione, ſed Dominos tantum mutant; & in fortioris poteſtatem concedunt, ex iure belli, quod explicans Cicero *non eſſe contra naturam ſpoliare eum quem honeſtum eſt necare*, dixit; ac propterea idem contra Rullum ſcribit Mytilenas populi Romani factas belli lege, ac iure victoris, nempe quia Plato inter genera quaſi naturalia acquiſitionis ſtatuit πολεμικὰ πάντα τῶν νικωμένων ἀγαθὰ τῶν νικώντων γίγνεσθαι; *bona quæ victus habuit omnia victoris fieri*; quemadmodum eius æqualis Atticus Xenophon dixit quod *lex eſt ſempiterna inter homines, capta hoſtium vrbe, eorũdem res atque pecunias victori cedere*: qua in re conuenit cum illis Clemens Alexandrinus, & eius in ſacris etiam codicibus toties occurrunt exempla, vt dubitare nemo debeat, quin iure fieri poſſit, maximè cum Deus in lege ſua, hunc in modum, de Ciuitate poſt pacem repudiatam expugnata, præcipiat, *omnia eius ſpolia diripies tibi, & frueris prædà hoſtium quam tibi Deus dederit*. Quãobrem vt eleganti quadam inſinuatione idem oſtenderet Virgilius, Græcos fingit, Troià expugnatà, prædam quantamcunque potuerant ex incenſa Vrbe conuaſaſſe, ſic enim ille Aeneide ſecunda.

3 *Ac etiam in ſpecie circa depredationẽ facultatum*

3. officior.

v. de inſtitut. Cyri.

1. ſtromat.

Deuteron. 20 14.

Et iam porticibus vacuis Iunonis aſylo
Cuſtodes lecti Phœnix, & dirus Vlyſſes
Prædam aſſeruabant, tunc vndique troia gaza

Digitized by Google

Incenſis erepta adytis, menſaque deorum,
Crateresque auro ſolidi, captiuaque veſtis
Congeritur. Pueri, & pauidæ longo ordine matres
Stant circum.

ac ne illud modo verum fuiſſe putes de priuatorum locis, non autem de Regnis quæ toties à P. R. in Prouinciæ formam redacta ſunt, facit omnino T. Liuius, apud quem Scipio ex hoc gentium iure cum Maſiniſſa tractat *Syphax Populi Romani auſpicijs victus, captusque eſt, itaque ipſe coniux, regnum, ager, oppida, homines, qui incolunt, quicquid denique Syphacis fuit, præda Populi Romani eſt*; ac proinde non audiendos moneo tam Lucanum, quàm Senecam huius patronum, ceu iniquos iuris belli Cenſores, cùm alter *Alexandrum Magnum orbis prædonem*, alter vero *latronem* appellat, nec cum Hercule vlla ratione conferendum dicit, quippe qui nihil ſibi vicerit, ſed orbem terrarum tranſierit non concupiſcendo, ſed vincendo.

libro 30.

4 *Populationē, & vaſtationem earundem.*

Deprædationi *populatio* ſuccedit, ſi non tempore, ſaltem ſæuitiæ modo, qui ſecum ignes, & ferrum habet, ſic enim apud Liuium legimus *eſſe quædam belli iura quæ vt facere ita pati ſit fas: ſata exuri, dirui tecta, prædas hominum, pecorumque agi*: & Polybius eodem ferme modo iure belli compræhendi aſſerit, vt munitiones hoſtium, portus, vrbes, viri, naues, fructus, & ſi qua ſunt ſimilia, aut eripiantur aut corrumpantur, quemadmodum à Polynice factum eſt, quem proprios agros populantem ſic increpat Iocaſta in Thebaidibus Senecæ

libro 31.
lib. 5. Hiſt.

Petendo patriam perdis: vt fiat tua
Vis eſſe nullam, quin tua cauſæ nocet
Ipſum hoc, quod armis vertis infeſtis ſolum.
Segeteſque aduſtas ſternis, & totos fugam
Edis per agros, nemo ſic vaſtat ſua:
Quæ corripi igne, quæ meti gladio iubes
Aliena credis.

Porro huius populationis duplex cauſa aſsignari ſolet, quarum primam vir & dux bonus Braſidas in animo habuit, cum Acanthios in fide retinere non poſſet, illorum enim agros deuaſtare ac populari agreſſus eſt, quo tandem illos proprijs damnis edoctos ac ſapientiores factos, ad obſequium compelleret: alteram vero

vero ſuggerit Onoſander, nimirum vt hoſti dematur illud vnde ſe ſuſtentare, & vires acciſas reficere poſſit *hoſtium* inquit *ille poſſeſſiones funditus perdere, amburere, cædere, depopulari proderit damnoſa enim clades & opum fructuumque penuria, belligerandi vires illis adimet, quas abundantia fouebat, ac ſuppeditabat*. Hac autem de cauſa tantum abeſt vt bellum alienis facultatibus parcat, quod ne proprias quidem conſeruare debet, ſi vel in minimum commodum hoſti cedere poſſint, notum eſt enim illud Vegetij ad obſeſſos præceptum *pabula equis præcipue congerenda, & quæ apportari nequiuerint exurenda*. Sed ne mireris villas, horrea, ſegetes, & quicquid auferri tempore belli ex agris non poſſit flammis conſumi; nam & oppida quoque ipſa cùm teneri non poſſe videbantur ſæpe incenſa fuerunt; tum ab hoſtibus ipſis, vt de Corbulone narrat Tacitus quod Artaxatis ignẽ immiſit *quia teneri ſine valido præſidio ob magnitudinem mœnium, nec id virium erat quod firmando præſidio & capeſſendo bello diuideretur, vel ſi integra & incuſtodita relinqueretur, nulla in eo vtilitas aut gloria quod capta eſſent*; Tum ab oppidanis in hoſtem per propria ſua damna ſæuientibus, vt Cæſar de Nouioduno ciuitate Hæduorum his verbis teſtatur, *oppidum quod ab ſe teneri non poſſe iudicabant, ne eſſet vſui Romanis, incenderunt, frumenti quod ſubito potuerunt nauibus auexerunt, reliquum flumine atque incendio corruperunt*: & eadem de cauſa Bituriges vt idem alibi refert, vno die amplius viginti vrbes ſuas incenderunt, hac Vercingetorigis oratione permoti, quod ſi hæc grauia aut acerba videantur, multo illa grauius æſtimari debent liberos, coniuges in ſeruitutem abſtrahi, ipſos interfici, quæ tamen omnia neceſſum eſſet victis accidere. Scilicet populatione illa, & ſolitudine ingenti per agros inducta, hoſtes pabulationem facere prohibentur & prædas agere, quæ duo bello ipſi continuam materiam, & perpetuum velut alimentum ſubminiſtrant, efficiuntque vt in multos annos protrahatur, iuxta pronunciatum illud vulgare, quo bellum *ſibi ipſi expenſas facere* dicitur; vt equidem dubium non eſt, quin per trecentos annos, quibus Romanus miles nullum ex publico ſtipendium accepit, iſtud illi perſuaſum foret & re ipſa compertum; quemadmodum etiam Annibali qui tandiu in Italia & tam procul à Carthagine exercitum continuit; vnde non iniu-

c. 6. strateg

cap. 7. lib. 4.

Annal. lib. 13

7. belli Gall.

Digitized by Google

rià M. Cato, redemptoribus vetitis frumentum ſolitis partitionibus cogere in futuros vſus, illud potius ex alienis agris, & hoſtiū expenſis procurandum dixit. Verum præter eiuſmodi cauſas populationis ſine iniuria faciendæ, ſupereſt tertia, quæ non minus & ipſa legitima eſt, cùm ſcilicet pœnæ loco & iuſtæ vltionis causâ ob factum aliquod iniquum irrogatur, quo modo accipiē-
cap 15. dum eſt ſtratagema excogitatum *à Samſone* vt Philiſtinorum ſegetes combureret, expreſſum in libro iudicum ac demum etiam à Prudentio in his verſibus.

Tercentum vulpes Samſon capit, ignibus armat,
Pone faces caudis circumligat, in ſata mittit.

34. cap. Et illud quod præcipit Deus varijs deuteronomij ac exodi lo-
cap. 7. cis *caue ne vnquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias, quæ ſunt tibi in ruinam, ſed aras eorum deſtrue, confringe ſtatuas lucoſque ſuccide.*

5.
Captiuitatē perſonarum.

At vero Fortunarum hæc damna ſunt, quibus longè grauiora perſonis inferuntur ex ſeruitute, & morte ipſa, quanquam vt vita quæ fundamentum eſt omnium bonorum temporalium, pluris quam libertas facienda eſt, ſic captiuitas qua homo alteri man-
1. par. 12. cipatur leuior ſit internecione. Vnde Deus pro beneficio imputat, quod non perdat homines, ſed in ſeruitutem tradat, & alibi ſuadet per Prophetam Hebræis, vt ſeſe Chaldæis in ſeruitutem
Ierem. c. 25. dedāt, ne fame ac peſte moriantur. eſt autem ſeruitus conſtitutio iuris gentium, qua quis domino alieno contra naturam ſubijciebatur, ſiue id fieret iure ciuili, cùm ſcilicet liber homo maior viginti annis, ad pretium participandum ſeſe venūdari patiebatur, ſiue iure gentium, de quo dicebat Caius iuriſconſultus libro ſecundo rerum quotidianarum *item quæ ex hoſtibus capiuntur iure gentium ſtatim capientium fiunt, adeo quidem vt & liberi homines in ſeruitutem deducantur*; illudque quàm vſitatum & communi
lib. 4. hiſt. vſu receptum fuerit, patet ex Polybij ſequentibus verbis, *quid patiendum bis eſt vt iuſta iudicia pendeant? dicet forte aliquis vendēdos cum liberis & vxoribus, quando armis victi ſunt: At hæc in belli lege etiam illis ferenda ſunt qui nihil impij commiſerunt* vnde cùm hoſtes qui traditis armis deditionē̄ facerent, ſub iugum mitterentur, cæteri, qui nulla deditione facta in victorum poteſtatem concedebant, aut alia pœna afficiebantur, aut quæ frequentiſ-
ſima

ſima ſuit ſub corona venibant, ex ritu antiquo, cuius occaſione dicebat Cato in libro quem compoſuit de re militari, *vt populus ſua opera potius ob rem bene geſtam coronatus ſupplicatum eat, quàm re male geſta coronatus veneat*, ſolebant enim antiquitus mancipia iure belli capta, coronis induta venire, vt præclare explicant Feſtus, & Agellius in noctibus Atticis; nec homines modo ſed ciuitates etiam in ſeruitutem redigebantur, cùm adeptis aut immutatis legibus, eas omnino Populus Romanus, ſuis magiſtratibus qui quotannis a b vrbe mittebantur parere voluit, & tributa quædam ac vectigalia ſoluere, quo nomine *ſtipendiariæ* appellabãtur non ſecus ac aliæ *immunes* quibus nullum onus erat impoſitum. lib.7. cap. 4.

6. *Ac necem hoſtium tum in prælio quos ibi plurimos occidiſſe maxima laus fuit penes diuerſas gentes.*

Iam vero quia vt inquit Seneca in Troadibus

Quodcumque libuit facere victori licet.

mirum ni poſt ereptas opes, vaſtatos agros, populatas vrbes, & incenſas, ipſoſque incolas in ſeruitutem adactos, iiſdem quoque mortem afferre licuiſſet, maximè cùm tunc *nullum ſit in cæde nefas*, vt inquit Virgilius, & quod addit Statius 12. Thabaid.

Non querimur caſos, hæc belli iura vireſque
Armorum.

Vnde more Græcorum antiquo cùm cæde aliqua polluti nec ſauare, nec potum ſumere, multoque minus ſacra facere cum aliis poſſent, non tamen ea lege tenebantur qui hoſtem in bello occidiſſent, quia hoc omne quicquid in hoſtibus fit *ius belli defendit* vt inquit Marcellus apud T. Liuium, à quo etiam Alorcus ſic ad Saguntinos loquens introducitur. *Sed hæc patienda cenſeo potius, quàm trucidari corpora veſtra, rapi trahique ante ora veſtra coniuges ac liberos belli iure ſinatis*; proptereaque Cæſar Hæduis ſignificat, *ſuo beneficio conſeruatos quos iure belli interficere potuiſſet*: & quoties ea lego quę Petrus Caballus magni nominis I.C. in hanc rem habet, non poſſum toties non deteſtari hominum furorem & inſaniam, qui vt bello ſuas leges ſeruent, nihil inter ſe ſanctum, nihil tutum eſſe, ac inuiolabile permittunt. Hoc igitur modo homini occidiſſe hominem glorioſum eſt, & ſatis cauſæ videtur eſſe, vt tam ſacrum animal interficiatur, ſi victoris nomen acquiratur: modeſtè vero feciſſe apud Ennium *Scipio Africanus* cenſendus eſt, cum inquit, ſi quæ laus eximimia hominibus debetur ob interfectos homines, eam ſibi totam merito deberi.

lib.26. lib.21. lib.1.decad.3. Cõment. l.7. artic.193. & 439.

Si fas cadendo cœleſtia ſcandere cuiquam,
Mi ſoli Cœli maxima porta patet.

nam quod ipſe non ſine quodam ſcrupulo & *ἀπορίᾳ* dixit, hoc reliquis pro certo & indubitato fuit; vnde *Pompeius* in delubro Mineruæ inſcribi curauit, à ſe vicies ſemel centena octoginta millia hominum fuſa, fugata, occiſa, in deditionem accepta; & in ſumma, quaſi in humana ſocietate faſtigium hoc ampliſsimæ laudis teneret multos occidiſſe; non Pompeius modo, ſed *Aurelianus* imperator iſtud ſummæ gloriæ habuit, *manu ſua*, vt refert Vopiſcus ex Theoclio Cæſarianorum temporum ſcriptore; *bello Sarmatico vno die quadraginta & octo interfeciſſe, plurimis autem & diuerſis diebus vltra nongentos quinquaginta*: ac omnes denique populi, quo magis hanc inſanam cædis cupidinem in ſuis militibus concitarent, varias de ea leges tulerunt. Etenim Ariſtoteles in libris politicorum, legem apud *Macedonas* fuiſſe tradit, qua cautum erat eos homines capiſtro cingi, qui nullum hoſtem interemiſſent; cùm ex aduerſo *Carthaginenſes* pro expeditionum numero in quibus meruiſſent, tot geſtarent annulos: *Iberi* autem gens admodum bellicoſa, tot erigere obeliſcos circa ſepulchrum conſueuerant, quot ex numero hoſtium necaſſent; ſimiliterque apud *Scythas* illud decretum fuit, vt qui ex hoſtibus aliquot occidiſſent, hi tantum circulatam in celebri conuiuio pateram acciperent; quinimo relatum eſt à Strabone neminem apud *Carmaniæ* populos vxorem poſſe ducere, niſi caput occiſi hoſtis ad ipſum Regem detulerit; & *Suidi* ex Damaſceno *quum quemquam ſepeliunt, tum quot hoſtes in vita occiderit, totidem piſces eius ſepulcro incidunt.*

libro 7.

de mor. gent.

7. *Cum extra prælium.* in Terent. in adelph. act. 1. ſcen. 1.

Nec captiui quidem ab hac licentia exēpti nam vt ait Seneca

Lex nulla capto parcit, aut pœnam impedit.

ex eoque Donatus *ſeruos* dictos arbitratur *qui ſeruati eſſent* quum *eos occidi oporteret iure belli*, quanquam Pomponius I.C. nomen illud mitius & rectius interpretetur, *quod imperatores captiuos vendere, ac per hac ſeruare, nec occidere ſolent*: nam ſeruitus & poteſtas illa dominorum abſoluta in ſeruos, non aliam ob cauſam introducta fuit, quàm vt tot commodis deliniti captores, libenter abſtinerent à ſummo illo rigore quo captos, & ſtatim & poſt moram interficere poterant, idque de conſilio Horatij

Vende-

Vendere cùm poſſis captiuum occidere noli.

Non fruſtra autem a gentibus introducta hæc iura fuiſſe, exemplo bellorum ciuilium intelligi poteſt, *in quibus*, vt monet vir omnium eruditiſsimus qui vnquam de iure belli ſcripſerint, *plerumque videmus captos interfectos, quia in ſeruitutem redigi non poterant.* Sed hæc in conflictu & in ipſo pugnæ ardore vtcumque tolerabilia ſunt; quàm vero crudele captiuos ipſos nō modo ſupplices, ſed iam prope domeſticos & familiares redditos, ad ſepulchra virorum fortium necare, quemadmodum Tertullianus factum olim fuiſſe aſſerit, & inde gladiatorum ludos originem habuiſſe? quàm etiam inhumanus exercitum integros quibus armatis pepercisti, exarmatos iam nihilque tale ſibi metuentes, quaſi in publica laniena conficere, hoc enim modo quinque millia captiuorum ab *Annibale* occiſa ſunt; hoc inſtituto *Angli* qui pro Luſitanis aduerſus Ioannem Caſtiliæ Regem pugnabāt, antequam cum illo pugnā experirentur, legem tulerunt propoſitā capitis pœnā, vt qui captiuos haberent, illico necarent illos, ne dum ipſi in reliquum exercitum pugnando occuparentur, iſti vinculis ex peditis arma repeterent, capti vero erant circiter mille, quos omnes, vt Froiſſardus non ſine commiſeratione refert, indigniſsima nex hauſit: eadem etiam de cauſa *Caſonus* iuſſu Solymani in Auſtriam per Noricos montes excurrēs, captiuos quatuor millium numero, ne oneri ſibi eſſent, à Germanis militibus circumuento, barbara feritate ad vnum omnes interfecit; ſimili denique ratione, *Barbaruſſa* antequam Tunetana arce excederet, conſilium cœperat occidendi ſeruos omnes Chriſtiani nominis, qui ad ſex millia nudi, catenìſque vincti in ea ſeruabantur, ne commoti excitatique in ſpem libertatis à proximo & victore Caroli quinti exercitu, tumultuarentur ipſi, vrbemque ſimul & arcem occuparent, quemadmodum referente Iouio poſtea euenit, cùm Iudæus Sinas iſtud illi facinus execrabile, ſed tamen vtile futurum, quemadmodum euentu patuit, multis rationibus diſſuaſiſſet; & tamen has omnes ſtrages licentia armorum permittit, & ſi non à culpa, ſaltem à pœna ius belli vendicat, vt verè locum hic habeat D. Cypriani locus omnino elegans ex epiſtola ſecunda, *homicidium cum admittunt ſinguli crimen eſt, virtus vocatur cùm publicè geritur: impunitatem ſceleribus acquirit, non inno-*

lib. 3. cap. 7.

lib. de ſpect.

Appian. Ann.

lib. 2. hiſt.

Iouius lib. 30

lib. 34

Digitized by Google

innocentiæ ratio, ſed ſæuitiæ magnitudo; ſed mirifice in rem facit quod poſtea ſequitur, *conſenſere iura peccatis, & cœpit eſſe licitum quod publicum eſt*.

8. *Idque aperto marte aut ex inſidijs & noctu aut interdiu.* Hactenus igitur viſum fuit quid Imperatori noſtro liceat, & quouſque ferrum in hoſtes diſtringere poſſit, vt laudem hanc ſibi acquirat, quam eius propriã eſſe dicebat Themiſtius in oratione de pace ὅτι δὲ στρατηγίας μὲν ἔπαινος ἡ τῶν πολεμίων καταστροφὴ βασιλείας δὲ ἡ τῶν ὑπηκόων εὐδαιμονία. *ducis quidẽ propria laus eſt hoſtes profligare, at Regis ciues ſuos felices efficere, & beatos*. Sequitur nũc vt expendamus quibus modis iſtud facere debeat, dolo ſcilicet, atque ex inſidijs, aut aperto Marte, & ſanè cum præter antiquorum omnium opinionem qui *ſiue dolo ſeu vi manifeſta, clamque palamque*, vt inquit Homerus, damnum hoſtibus inferatur, parum intereſſe exiſtimant, habetur quoque ſententia præſtãtiſsimi Theologorum D. Auguſtini, tam aperta in hanc rem, nihil vt quæſt. 10. ſup Ioſue. apertius eſſe poſſit, *cùm iuſtũ* inquit *bellum ſuſcipitur, vi aperta pugnet quis, aut ex inſidijs, nihil ad iuſtitiam intereſt*. Quare hoc luculento teſtimonio contentus, non alia huc congeram ex auctoribus diuerſis qui meſſem hãc ante me fecerunt, & quorũ diligentia, ſic mihi omnem aditum præcluſit ad vlteriorem conatum, vt mihi neceſſario in his duobus Ammiani, & Vegetij locis conſiſtendum ſit, in quorum priori dolus non improbatur, *nullo diſcrimine virtutis, ac doli, proſperos omnes laudari debere* lib. 3. cap. 9. *bellorum euentus*; in altero vero ſuadetur expreſsè, *boni duces non aperto Marte bellum in quo eſt commune periculum, ſed ex occulto ſemper attentant, vt integris ſuis quantos poſſint hoſtes interimant,* epiſt. 88. *vel certè terreant*. Seruandum tamen vtique moneo ne *ſanctiſſimum illud humani pectoris bonum*, ſic enim fidem apppellat Seneca, vllo pacto violetur, quoniam hac ſublata tollitur quod inter homines eſt commercium, & nihil ipſi à feris differunt; ſecus enim cùm aliquis in caſſes & pedicas incidit, cùm arte decipitur cùm imprudens dolum & fallacias non animaduertit, tunc non Curt. lib. 4. de rupta fide, ſed de ſua imprudentia & nimia facilitate conqueri debet. Porro cùm Alexander Magnus ſuadentibus quibuſdam amicis vt noctu ciuitatem aggrederetur, latrunculorum & furum ſolertiam eſſe dixerit, noctu & ex inſidijs hoſtem adoriri, patet iam ex dictis quid de altera parte illius reſponſionis quę ad

inſi-

inſidias ſpectat, cenſendum ſit; nec equidem puto illum rectius pronunciaſſe de prælio nocturno, nam vt inquit Vegetius, *noctis obſcuritas, neceſſitas ſomni, paſcentium equorum diſperſio, occaſionem ſuperuenientibus præſtat*, & cum eo conuenit CL. Marius Victor tam nobilitatus D. Hieronymi quem in Rethoricis diſcipulũ habuit, famà, & ſanctitate, quàm verſibus egregijs quos in Geneſim ſcripſit, in quibus noctem ita probat in vſu militiæ, vt etiam locum hic, non inconuenientem habere poſſint lib. 3. cap. 8. 3. comment.

curatque vt prima quietis
Nocte ſuperueniat, cùm iam languentia corda
Irrigat, & feſſos dulcis ſopor alligat artus.

certè Georgius Caſtriotus Epirotarum, Rex ſeu his de cauſis ductus, ſiue quod interdiu collatis ſignis parua militum manu ſtipatus, cum tanta Turcarum multitudine certare non poſſet, illos plerumque laceſſebat

Repente noctis circiter meridiem,
Cùm pictus aer feruidis latè ignibus
Cœli choreas aſtricas oſtenderet.

quemadmodum loquitur Varro in Marcipore, eaque arte victoriam de illis ſœpiſſimè reportabat; & etiam hodie in frequenti vſu militiæ apud nos ſunt nocturnæ impreſſiones, quibus nomen inditum fuit ab eo genere veſtimenti, quod milites, vt ſe facilius internoſcere poſſint, ſuper arma geſtare conſueuerunt, nam ſicut Phocenſes vt Herodotus, & Pauſanias teſtantur, *eo tempore quo ſuum Luna orbem explerat, Theſſalos noctu adorti ſunt, oblitis gypſo corporibus, gypſo item dealbatis armis*, ſic noſtra ætate cùm huiuſcemodi aliquid fit, tunicà lineà armis impoſità milites eiuſdem coloris indicio, nocturnas furtiuaſque pugnas aggrediuntur, de quarum vtilitate ſi Onoſander conſulas, audies ſtatim quod *nocturna oppugnationes omnino ſunt obſidentibus vtiles. obſeſſi enim quæ ab hoſtibus parentur in tenebris cernere nequeunt, ideoque grauiora, & perículoſiora eſſe quàm re ipſa ſunt exiſtimant, imo damnum infectum iam factum eſſe plerique putant, nec ſcire poſſunt quomodo hoſtis vrgeat, quare & ſeditiones paſſim, clamoreſque, ac trepidationes cum Panicis terroribus excitantur.* in Vrania in phocenſib. capite 41.

9 *Vbi quæritur an tela veneno inficere liceat.*

At ò factum bene quod licet *bellum*, vt inquit Seneca, *ſæuitia principium* ſit, & crudelitas ipſa, cuius habitus horridus eſt, ſpecies tru-

truculenta, ſpiritus violenti, vox terribilis, & minis ac cruentis imperijs tantum aſſueta, Mauorti, ac Bellonæ comes addita fuerit à Poetis, non tamen illis tantum imperij conceditur in homines, vt qua datâ portâ, & ſine vllo fræno, ſine obice, & repagulo ferri, ac efferari ſuo more in ipſos poſſint; nam vtcumque nihil aduerſus naturam committat, qui quem interficere licet, gladio, aut veneno interimit, certè ius gentium ſi non omnium, at ſaltem meliorum, iam olim eſt, vt bellum quod à nonnullis definitur *diſceptatio per vim*, vi geratur, non autem venenis aut eiuſmodi rebus alijs, quæ à vi plurimum diſtant; etenim ſi nulla eſt armorum inter hoſtes fiducia, ſi nihil domi ſecurum, & illinc vnde minus timetur, periculum impendet, quis tandem erit vitæ degendæ modus? quæue neceſſaria armorum contentio? fecit ergo reſpectus communis illius vtilitatis, vt in eo tandem populi omnes cõuenirent, nefas eſſe veneno, aut occultis artibus hoſtem quantumuis iuratum de medio tollere. Verum tamen quia multæ gentes Barbaræ, multique homines propudioſi, & hoc ſolo nomine infames, non iiſdem ſemper legibus ſteterunt, age, Ludouice Comes, percurramus ſcelerum hiſtoriam, & quemadmodum delicta, fraudeſque nocentium referuntur ad iudicem, ſic militum flagitia, vt ad te deferantur permitte. Et quidem poſſem hic inprimis quæſtionem tractare, quæ valde celebris eſt in medicorũ ſcholis, de maligna qualitate, quam puluis nitratus globulis plũbeis fulminalium ita affricat, vt vulnera quæ ab illis infliguntur, multi perperam curari exiſtiment, niſi prius vſurpata fuerint alexipharmaca tã propria, quã cõmunia, & cætera præſidia, quæ aduerſus eiuſmodi morbos commendari ſolent: verum quia res eſt omnibus dicta medicis, licet non omnibus probata, nec militibus vitio dari poteſt, ſi hoc veneno pugnent inſcij, aut medicis fraudi eſſe, ſi alexipharmacis illud oppugnare cõtendant, quæ ſi morbus illis egeat ſummopere prodeſſe, & ſi non egeat, propterea tamen obeſſe non poſſunt, his inquam de cauſis non iterũ võtilare quæſtionem eiuſmodi aggrediar. Sed ad milites deueniã

Qui mortis ſæuo geminent vt vulnere cauſas,
Omnia vipereo ſpicula felle linunt.

1. de Ponto. quemadmodum inquit Ouidius, qui hoc indigum facinus inter
4. de Ponto. innumera alia *Getis* ſuis imputat

Hic

Hic agri infrondes; hic ſpicula tincta veneno.

Sed de *Parthis* idem quoque tradit Lucanus: *de Afris quibuſdam* Silius; de *Aethiopibus* Claudianus; de *Oritis* Strabo, qui Ptolomæum Alexandri familiarem vulneratum ab illis fuiſſe telo venenato refert; de *Septentrionalibus nonnullis*, Olaus Magnus; ac tandem de Hiſpanis, & Mauris in vltimo bello Granatenſi Thuanus, apud quem legas moris inter eos fuiſſe, cùm ante ſclopetorum vſum baliſtis tanquam potioribus armis vterentur, ſagittas inficere præparato ad id veneno, quod Oroſpeda, & Dubeda Caſtellæ montes ſubminiſtrabant, erat enim in illis frequens Helleborus niger, non ſecus ac in niuoſo monte iuxta Granatam reperitur herba Baliſtaria, ſeu Lycoctonos, quod Aconitum dicitur, & Reialgar quoque, vt Mauri eam appellant: vtrique vero eadem vis noxia ineſt, quæ per ſanguinem celerrimè in cor peruadit, ferunt tamen ſuctu plagam ſi cito id fiat curari, & ſucco cotonei mali, ac geniſtæ folijs maſticatis, quibus tanta vis ineſt, vt venenum intus conceptum, per plagam foras educant; atque hoc idem prodit quoque Dalechampius, qui in paucis verbis magnas lites concitauit, nam cùm Galenus dixiſſet in libro de Theriaca ad Piſonem *Dacos, & Dalmatas* Helenio telorum ſuorum cuſpides inficere, quodquidem illico ac contingit vulneratorum ſanguinem, interimere poteſt, quamuis comeſtum innocuum ſit, & Paulus Aegineta illud idem ex Galeni mente ſuos in libros, de *Helenio* & *Nino* retuliſſet, conijcit ille locum hunc in vtroque auctore eſſe corruptum & pro ἑλένιον καὶ νῖκον, ἑλλέβορον καὶ ἀκόνιτον legendum eſſe, *cùm*, inquit, *belleboro albo adhuc Hiſpani vtantur ad eam rem, propterea id vocantes ſagittariorum herbam yerua del baleſtriero:* ſed quis Dalechampium credat poſſe cæteris medicinam facere, dum ipſe totus plagis, & vlceribus ſcatet, nam repugnat primùm vetuſtorum omnium codicum lectioni, deinde Helleborum comeſtum aliquando fuiſſe ſupponit, quod tamen medicamenti tantum loco ſumebatur, denique quomodo probare poſſet Aconitum vſurpatum à quoquam fuiſſe pro Helleboro? Quamobrem certiores meo quidem iudicio ſūt celeberrimi Medici D. Renati Moræi coniecturæ, quas habet in notis ſuis ad ſcholam Salernitanā, vbi quiſque eas videre facillimè poteſt. Cæterum quia Celſus laudatus ab eruditiſſimo illo viro in Galeni explica-

libro 11. cap. 2. lib. 4. lib. 48. capite 10. cap. 40. de enula campi. lib. 5. cap. 27

plicationem, *quædam eſſe venena venatoria* dicit, *quibus Galli præcipuè vtuntur, non guſtu, ſed vulnere noxia:* Quærunt non immerito cùm ipſe Moræus, tum alij celebres viri, quænam eſſent illa venena Gallorum venatoria, cùmque ipſi varias opiniones afferant, ego lubenter Plinio aſſentior, vbi Helleborum album in ipſis habet, quoniam video etiam Agellium in eadem fuiſſe ſententia, dum inquit *præterea ſcriptum legimus Gallos in venatu tingere belleboro ſagittas, quod ijs icta exanimatæ feræ teneriores ad epulas fiant. Sed propter Hellebori contagium, vulnera ex ſagittis facta circumcidere latius dicuntur.* Sed nullum vſquam execrabilius venenum eſt, ſi Plinium audiamus, quàm radius ſuper caudam eminens *Trigonis*, quam noſtri *Paſtinacam* appellant, vnde fingunt Poetæ eo fuiſſe interemptum Vlyſſem à Telegono eius ex Circe filio, prout hiſtoria prolixè narratur à Dicti Cretenſe, quam alioqui Ouidius carmine in Ibin leuiter tantum ſubindicat

lib. 25. cap. 5 — libro 9. — libro 6.

Oſſibus inque tuis teli genus hæreat illud,
Dicitur Icarij *quo cecidiſſe gener.*

Sic *Neſſum* ſagittâ Hydræ ſanguine tinctâ infectum, & *Philoctetem* venenato pariter telo interemptum fuiſſe, præter Alciatum in parergis, veteres omnes Poetarum fabulæ loquuntur; vt ex illis appareat, morem hunc inficiendi gladios, & tela vetuſtiſſimum fuiſſe, & apud diuerſas nationes vſitatum; maximè cùm Homerus mentionem eius faciat, & toxicum quo ſua tela milites inũgebant ἀνδρόφονον φάρμακον appellet, ad alterius diſtinctionem, quo venatores aduerſus feras vtebantur. Quin etiam Ariſtoteles ſolitos fuiſſe *Scythas* ex ſanie viperę, & humano ſanguine, ſimul mixtis, & putrefactis toxica cõficere, quibus ſpicula inungerent in libro de admirandis auditionibus retulit, & Theophraſtus idem tradit de herba lethaliſſima apud *Aethiopes*, quæ iiſdem vſibus inſeruiebat. Quanquam Albertus Magnus ſatis ad illud eſſe dicit ſaliuã hominis ieiuni; ſed vereor omnino ne iſtud parum cõſideratè ab Alberto dictum fuerit, qui ſciam multa alia illum protuliſſe parum vſu probata, de vi & pernicie ſputi humani contra ſcorpios, & alia inſecta venenata; nec vllum ex enumeratis populis eo veneno vnquã vſũ fuiſſe, quemadmodum *Charibes* ferociſſimum apud Indos Occidentales populi genus, non ſimplici ſputo, ſed longè potentiori toxico etiamnum hodie tela ſua iungere ſo-

Odyſſ. 1. — de admirãd. audit. artic. 137. — lib 9 cap. 15 hiſt. plant. — lib. 7. tract. 2. cap. 2. de hiſt. animal.

re ſolent. nempe ſic in maiorem quotidie malitiam militia degenerat, & cùm ſatis non eſſet ſauciari, ſæuitiam placuit ingenio quærere, vt quoties plaga eſſet, laniena & lethum quaſi ab iiſdẽ armis ſequeretur, ſed falſis tamen & indignis fortiſſimi viri magnanimitate & conſtantià. Vnde eleganter à Cicerone conferũtur cũ falſo crimine, quia vt in illo nihil veri, ſic in his nihil præclari ac honeſti eſſe poſſit, *ſi aduerſarij* inquit ille, *falſum crimen quaſi venenatum aliquod telum iecerint, medicinæ faciendæ locus non erit.* & Plinius grauiſſima hac expoſtulatione, homines ab eorum vſu reliquis animalibus ſæuiores ac deteriores eſſe probat, *ſciunt ad nocendum ſe præparare animalia: quod tamen eorum tela ſua, excepto homine venenis tingit? nos & ſagittas vngimus, ac ferro ipſi nocentius aliquid damus, nos & flumina inficimus, & rerum naturæ elementa, ipſum quoque quo viuitur aerem, in perniciem vertimus.*

pro Quinto Roſcio. — libri 18 c 1.

Ita eſt profectò, quoties enim occurrit hiſtoriarum monumenta euoluenti, non flumina modo ſed puteos, fonteſque domeſticos infectos fuiſſe malis venenis, corruptam annonam, & aerem ipſum quo viuimus tetris odoribus adeo contaminatum fuiſſe, vt ſine periculo duci non poſſet? profectò tam frequens eſt clandeſtinum illud ſcelus, vt noſter Cominæus loquens de reditu Caroli Octaui in Galliam per infeſtas Italorum prouincias, in hæc verba prorumpat. *maxima certè fuit Italorum fides in hoc itinere, nibil enim veneno tentarunt, quod facile tamen ipſis erat*. Hoc igitur quatenus & quomodo fieri poſſit, conſequens nunc eſt vt inquiram: ſolent hi qui ſpicula veneno inficiunt hoc nomine culpam ſuam prætexere, quod non dolo malo iſtud ab illis fiat, ſed eo tantum fine vt maiorem vim, & perniciem inferant, eodem prorſus modo, quo vnicuique impune licet, vel hamatas ſagittas vſurpare de quibus dicebat Ouidius

10 *An commeatũ & aquas eorum corrũpere.* — lib. 3. belli Neapol.

Pars cadit hamatis miſere confixa ſagittis; 3. triſtium eleg. 10.

vel pilas bombardarum quadratas, angulis lateribuſque aſperſas, & nexas inter ſe filo ferreo in ſpiram conuoluto, ignitaſque, & creperas ac adulteratas mille aliis modis; vel bombas, aut ignem græcum, et ſi quid aliud nocentius excogitari poteſt. Quamobrem eodem ſe iure tuentur, qui aquas aut commeatum hoſtibus ſuis vt eripiant, cùm id foco vel ferro conſequi non poſſunt, prauis

Digitized by Google

prauis ſuccis & mixtionibus tetris illud efficere conantur, non vt hoſtis illis vtatur, ſed ne vtatur omnino; non vt hauriat ex illis vel comedat, ſed potius vt ſiti, & fame conficiatur, quia optimè noſcit ſe illis tutò & citra mortis periculum vti non poſſe; id enim perinde habetur quaſi auertatur flumen, aut fontis vena intercipiatur, corrumpaturue quoquo tandem alio modo annona, quod vbique & naturà & gentium omnium conſenſu licitum eſt. Et ſane cùm Philo mechanicus ſcriptor de re militari ſæpiſſime laudatus à Caſaubono in commentarijs ad Aeneam tacticũ, adueniente hoſte, fontes omnes puteoſque veneno inficiendos eſſe moneat, eo ſenſu loquutum eſſe peruetuſtũ hunc Scriptorem facile reputo: nam Fulgoſius refert de *Petro Roſſo* Venetarum copiarum duce promptiſsimo, quod Maſtini Scaligeri exercitum, qui aquationis facultatem aliunde quàm è proximo flumine habere non poterat, coniectà in illud Glaſti præparati ſeu Iſatidis herbæ fulloniæ copià, alibi diuertere & caſtrametari compulit, quũ Malateſtæ milites ac iumenta aquam illam præ amaritie guſtare non poſſent, atque ita magna induſtriæ ſuæ commendatione hoſtem quem gladio depellere à ſe non poterat, ingenioſo hoc & callido commento procul amandauit. Hincque cum Angli in Sanmartinianæ arcis obſidione quæ eſt in Inſula Cracina, puteũ qui ab arce, vno vix aut altero ſtadio diſtabat, cõiectis in ipſum viroſis ſuccis, noſtrorum vſui eripuiſſent, nemo propterea quicquam illos feciſſe dixit, quod melius aut honeſtius fuiſſet infectum fuiſſe: ſiquidem nunquam ius belli id vetuit, etſi quid hac in re humanitati concedendum eſt, illud omnino fore crediderim, vt non tam hoc fiat ſuccis venenatis, ſuperiniectiſque corrupti tritici quiſquilijs, aut multo lini ſemine indito, & fœtentium animalium cadaueribus, quæ cuncta aut varias longaſque ęgritudines, aut certam mortem inducunt; quàm herbis quibuſdam amaris quæ tam innocenti ſapore aquas inficiunt, vt primo illarum hauſtu quàm noxiæ & ingratæ ſint, ſtatim innoteſcat; huiuſmodi vero ſunt Abſynthium Colocinthis, Aloe, Veratrum, Abrotonum, Arthemiſia, Matricaria, Siſymbrium, Iſatis, Ruta, Tanacetum, Cucumer ſylueſtris, Chelidonia, Cyſtus, Pæonia, Marrubium, Hyppuris, Blattaria, & quædam eiuſmodi aliæ quibus, modo copia ſufficiens adſit, Imperator hos in vſus commodè

lib.7.cap 4.

modè vti poteſt quemadmodum etiam Cotulà fœtidà, Marrubio fœtido, Spatulà fœtidà, Conizà, Glaucio, Peucedano, Fraxinellà, ſi fœtidum ſaporem quibuſdam rebus indere velit; etſi enim multa alia medicamina idem efficere poſsint, nulla tamen copijs militibuſque extra vrbium ſepta degentibus, æquè ad manum ſunt, quàm ſtirpes ipſæ quæ per rura creſcunt paſſim & pullulant; quæ mihi etiam cauſa fuit, vt omnes illas recenſere non abſurdum duxerim. His vero modis honeſtos & licitos fines cõſtitui puto hoſtilibus inter ſe odijs & dimicationibus occultis, publici enim exempli intereſt; ne reliqui in vſum veniant, nam fontes inficere deleterio aliquo veneno, aut eodem modo annonam corrumpere, vt inſcios poſtmodum fallat, & morbos inducere, peſteſque teterrimas in auxilium excire, non tantum vt inquit Florus *contra morem maiorum eſt. ſed contra fas* Deûm, virtute enim lib.2.
vincere oportet, non ſcelere; armis non venenis; & miles ſemiprauus *ἡμιπόνηρος*, vt loquitur Ariſtoteles, pati poteſt, iniuſtus, & inſidiator, aut veneficus non poteſt, quia non oportet hominem exvere, vt vindicis perſonam induas, vnde quod de mancipio Seneca illud nunc de hoſte dico, *cùm in ſeruum omnia liceant, eſt aliquid quod in hominem licere commune ius animantium vetet*. Vetat autem in bello pericula augere, quæ nimis quàm lib.1.de clem cap.18.
crebra etiam honeſtè pugnantibus fieri conſueuerunt. Quamobrem vtor libenter hoc Saliſberienſis dicto, *nec veneni licet videam ab infidelibus aliquando vſurpatam, vllo vnquam iure indultam lego licentiam* vt ex eo de ſimilibus flagitijs pronunciem, quæ tanto facilius imponere militibus poſſent, quod à magnis viris nec infrequenter patrata ſunt. Refert enim Pauſanias in Phocicis, quod *Solon* dum Cyrrhæos oppugnaret, Pliſthum amnem quem prius in eorum vrbem influentem auerterat, quamplurimis Hellebori radicibus medicauit, ac tandem in priſtinũ ſuum alueum reduxit, ex quo factum eſt vt Cyrrhæi diuturnà ſiti conflictati, auidiuſque ex illo potantes, in moleſtiſsimos alui fluxus inciderint, adeo vt cùm nec mœnibus adeſſe poſſent, nec reliqua munia vt in bello conuenit, obire, Amphyctionibus dedere ſe tandem conſtricti ſunt, vt præter Pauſaniam referunt Polyænus & Suidas. Nec multum diſsimile eſt quod habent Frontinus de *Cliſthene Sycionio*, Criſeos eodem ferme modo ſibi ſubijcien- 8.Policrat. cap.20. lib.4.

Digitized by Google

lib.10. bijciente: Theopompus apud Athenæum *de Gallis*, qui Arieos
mixtà in illorum cibis herbà quę aluo cità purgaret, facillimè ob-
lib.5. truncarunt; Polyænus de *Hamilcare* qui Afros vino ex Mandra-
gora medicato, & Hector Boethius de *Suenone Noruegiorũ Rege*,
qui Duncanum Scotorum Regem, Solatro maniaco in cereui-
ſiæ cados iniecto, qua fugarunt, qua internecione deleuerunt.
lib. 8. Præterea huc etiam pertinet, quod idem Polyænus narrat de
Chryſamme venefica; quæ arte ſua Cnopo victoriam de Erythræis
peperiſſe dicitur, venenatiſque Tauri carnibus furorem hoſtibus
in bello mithridatico. eius immiſiſſe: quin etiam *Mithridates* dicitur ab Appiano fontes
& puteos infeciſſe, ex quibus Romani potare debebant; quo
lib 4. ſimiliter alluſit Lucanus in his verſibus.

O Fortunati fugiens quos barbarus hoſtis
Fontibus immiſſo ſtrauit per rura veneno.

2 de bello ciuil. Et *Iuba* vt idem Appianus refert, non eodem flagitio abſtinuit
cùm Afris iunctus bellum in Romanos moueret. Imo vero legi-
mus inter recentis memoriæ exempla, *Aladinum* Regem Hiero-
ſolymitanum, idem aduerſus Chriſtianos dum ab illis obſidere-
in fine primi cantus. tur perpetraſſe, ſic enim Torquatus Taſſus, & multi alij ex vulgo
referunt, quanquam non videatur mihi Guilielmus Tyrius, à
quo vno iſtius facinoris hiſtoria in reliquos poſtea ſcriptores di-
manauit, eam ſic diſtinctè ſpeciatimque retuliſſe, vt ex eius ver-
bis conijci facile poſſit, num veneno aut alijs rebus factum iſtud
lib.8.cap.7. ab Aladino fuerit, verba enim Tyrij ita ſe habent *eoſque ipſos* pu-
teos ſcilicet *audito noſtrorum aduentu, vt locus ad continuandam
obſidionem redderetur ineptior, iactu pulueris & modis alijs quibus
poterant, oppilauerant, vniuerſos, ſed & ciſternas & pluuialium
aquarum receptacula, aut diſſipauerant, vt aquas non valerent co-
hibere, aut de malitia occultauerant, ne indigentibus & populo ſitien-
ti remedium miniſtrarent*. Sed quis non audiuit de nouo prælian-
di genere ab *Annibale* excogitato, cùm Pruſiam quemdam Bi-
thyniæ moderatorem, in nauali certamine iuuaret, aduerſus Per-
gameorum Regem Eumenem Romanis opibus adiutum, adeo
certè frequens eſt eius apud Iuſtinũ, Frontinũ & omnes vetuſtos
ſcriptores narratio, vt mirum ſit apud me, cur Galenus ὁ πολυμα-
θέστατος non maiori cum diligentia hanc retulerit in libro de
cap 5. Theriaca ad Piſonem, quid enim hoc ſermone magis neglectum
aut

Digitized by Google

aut ſupinum *memini etiam me in hiſtorijs legiſſe, quod dux quidam cùm* Romanis *bello nauali dimicaturus, animaduertens ſe militari manu imparem* (*Carthaginenſis hic fuiſſe traditur*) *ollas multas impleuit ſerpentibus qui confeſtim interimere ſolent, cùm itaque teſtas opertas omnes repente in hoſtes iaculatus fuiſſet, atque adeo ſibi non cauerent, non enim antea quicquam ſimile viderant, breui tempore quàmplurimi icti cecidere, his artibus vir iſte tanquam alter ſerpens eſſet in bello vſus multoties hoſtium manus effugit*; equidem Galene fabulam mihi referre videris non hiſtoriam, quam ſi quis contrario prorſus modo deſcriptam videre cupit, hoc eſt ſtilo florido, eloquenti & accurato is Leonem Sanctiũ adire poteſt feſtiuiſſimæ dictionis Philologum in præfatione octaua. Inuenio denique in fragmentis ex Diodoro *Rheginum* quemdam celeberrimum medicum, quo iniurias patriæ ſuæ à Decio Tribuno illatas lib. 22. vlciſceretur, huius oculos ſalubris collyrij loco, cuius præſcribendi gratià vocatus fuerat, inunxiſſe cantharidibus, & eo in hunc modum excæcato quàm celerrimè potuit aufugiſſe. Atque vt hæc omnia in veris habeo, ſic ridiculè ſanè iſtud traditum legi apud Philen in Iambis, eo lapide quem canis præmorderit, in vinum aliquandiu demiſſo, excitari poſſe pugnas inter eos qui vinum eiuſmodi biberint; nec minus falſum aut ineptum cenſeo, quod Dioſcorides, Plinius, Columella, Nicandri Scholiaſtes, & horum auctoritate ſeducti nonnulli ex recentioribus affirmant, ſcilicet *Perſica* venenata gigni apud Perſas, & ob eam rem à Cyro inde ad Aegyptios tranſlata, vt quos armis vincere non poterat, veneno ſaltẽ necaret, ſed ita caſum tuliſſe, vt Aegyptio Sole & Cœlo quicquid in illis noxium fuit, mitigaretur, ita ut ſenſim non minus in Aegypto & reliquis orbis partibus, quàm in Perſide vnde primum venerant, grata & accepta fuerint, quàm opinionem innuere etiã Columellà in Horti ſui cultura viſus eſt, cùm inquit

et pomis quæ Barbara Perſis
Miſerat, vt fama eſt, patrijs armata venenis,
At nunc expoſiti paruo diſcrimine lethi,
Ambroſios præbent ſuccos, oblita nocendi.

In quibus prudenter addidit, *vt fama eſt*, ne rem omnino fabuloſam pro hiſtoria credidiſſe videretur, & Græcorum aliquot

mendacia, quod multi facere ſolent, in ampliſsimum excoluiſſe nugarum apparatum. Sed quid Græcorum dico, cùm non minus fœcunda ſint huius culpæ ſæcula noſtra, quàm antiqua fuerint, vnde tot apud nos & maiorum præſertim æuo, diſſeminatæ fabulæ *de puteis fontibus* que, à Recutitis, alijſque eiuſdem farinæ morboſis & miſeris hominibus, infectis; aut etiam de peſte, varijſque morbis, in ciuitate aliqua ab hoſtibus, per occultas fraudes & venena excitatis, quẽadmodũ paucis ab hinc ãnis ferebatur communi omnium ſermone *de peſte Mediolanenſi* quàm nec ab hoſte, nec ab vlla vnctione concitatam, aut propagatam fuiſſe certiſsimis rationibus, publicíſque ac αὐθεντικοῖς tabulis, aliquando me demonſtraturum recipio; Panicus ſiquidem terror & nihil aliud fuit, inuectus primùm ab ignara, & quod in maximis calamitatibus fieri amat, lymphatæ ac emotæ mentis plebecula, quæ facilè ſibi perſuaſit, cùm aliam cauſam tot malis non inueniret, hæc in nefarias quorundam nebulonum artes, quemadmodum etiam alias factum fuiſſe audiuerat, eſſe reijcienda: inuectum autem hac ratione & concitatum rumorẽ, non minimũ prouexit medicorum ſeu timor, cùm ire contra torrentem popularis illius opinionis non auderent; ſeu nimia facilitas, ad pronunciandum de illis rebus, quarum rationes & cauſæ non ſatis perſpectæ illis atque exploratæ fuerunt; quo in errore quàm turpe ſit medicum depræhendi, non hic dico, dicturus alias commodiori loco & tempore, maiorique verborum & ſententiarum apparatu: quàm vero frequenter, quàm temerè in eodem verſẽtur, teſtis eſt mihi vnus è multis Rodericus à Fonſeca, celeberrimi nominis in Italia medicus, qui in conſilio de peſte, non veritus eſt tot nugis & deliramentis, quæ vulgo de illa circunferuntur his verbis patrocinari, *hic vero animaduertendum*, inquit, *quod venefici homines aliquando peſtem deferunt, fomitem ſecum portando, vel ſaniem eorum qui peſte laborarunt, quam vel vaſis includunt, vel aliquo panno laneo immergunt, vel fabricant vnguenta ex peſſimis herbis, qualis eſt Napellus Aconitus, atque illis inungunt fores & ferraturas vnde afficiantur ingredientes*. Dij tibi melius Fonſeca, quàm tu nobis hac incultà, & barbarà tuà ſententià eſſe voluiſti, in qua videris mihi profecto tam leuis & credulus fuiſſe, quàm Vates quidam Germanus Vlricus ab Hutten, inconſi-

to. 1. cõſ 49.

conſideratè protulit, Iudæum quendam nomine *Pepercornũ* ſupplicio affectum fuiſſe, quod tentaſſet

diſpergere virus
Saxones in campos, quanta eſt tua Marchia fontes,
Prata, lacus fluuios, ſyluaſque, & paſcua, & agros
Inficere exitio..

Sanè refert Papyrius Maſſonus in vita Philippi Longi, leproſos Iudæoſque vexatos in Gallia fuiſſe, propter ſuſpicionem veneni in puteos ſparſi, *tanta conſternatione omnium, vt ex profluente aqua in Regiam cadis adueheretur, nec auderet quiſquam ex puteis haurire, lepræ aut mortis metu.* hoc autem tantum abeſt vt verè factũ à leproſis, aut Iudæis crediderim, quod id omne plebis inconſultæ furori potius adſcribo, qui eo vſque progreſſus eſt, vt vtroſque nulla expectatà iudicij formà, quantos habere potuit, igne cremaret. Vnde videntur mihi Athenienſes ſumma cum ratione ſtatuiſſe, vt Magiſtratus his rumoribus vitandis, puteorum, & fontium curæ præſcribetur, quaſi *aquarum curator*, & quemadmodum ab illis vocabatur ὑδάτων ἐπιστάτης, cuius officium erat prouidere, ne quis aquam puteorum publicam, priua ſua auctoritate violaret, deriuaret, aut oletaret; hoc enim modo publicæ ſecuritati conſultum foret, non minus profectò, quàm populorum imbecillitati, quæ certè tanta eſt, vt publicam tranquillitatem vaniſſimis de cauſis non raro interturbet, dum monſtra ſibi fingit & portenta quæ nulla ſunt, mendacijſque vt polypus ſcopulis continuo affixa inhæret.

11
An occultis percuſſoribus hoſtem conficere, reijcitur que hiſtoria puella ad Alexandrum miſſa vt eũ inter complexus naturali ſuo veneno enecaret.
Sexta quarti.

Atque vt ab illis non modo finem præſenti diſſertationi, ſed initium etiam ſequenti faciam, quæ eſt de percuſſoribus occultis, referri merito poſſet inter illos, *puella* à quodam Indiarum Rege, Napello, alijſque deleterijs venenis enutrita, eo animo, vt eius afflatu, homines qui propius ad illã accederent, interimerentur, quemadmodum ex Rufo notauit Auicenna; quanquam liber ille nugaciſſimus ſecretorum, quem fingunt nonnulli ſcriptum fuiſſe ab Ariſtotele ad Alexandrum Magnum, rem omnem expreſſius deſignet, & cum appendice quarundam fabularum, quæ ſi non veræ ſunt, quia tamen voluptatis plurimũ in ſe habent, proximę veris ex Horatij regula videri poſſunt; narrant enim, quomodo Alexander ob eximiam illius puellæ formam, nihil de fraude ſu-

ſpicatus, eam in lecti ſui conſortium admittere volebat, cùm Ariſtoteles ex micantibus eius oculis, alijſque ſignis, depræhendit, venenum quod intus habebat in corpore, & cuius peſtilenti vapore facile infici poſſe Alexandrum, quando reſolutus inter amoris furta, blanditiaſque iaceret, Rex Indiarum offenſus alioqui Alexandro, ſibi perſuaſerat. Nempe vocandi rurſum forent in partes medici, quorum libri nulla de re frequentius quàm de puella illa perſonant; cuius hiſtoriæ tantum abeſt vt aliquid tribuendum exiſtimem, quod potius falſa mihi omnino & ridicula videtur, quoniam vt ſapientiores medici concludunt, etiamſi quidam homines aſſueſcere poſſent venenis frigidis, quemadmodum Galenus refert anum Athenienſem ab exigua portione cicutæ incipiendo, magnam eius portionem poſtea ſine damno deuoraſſe, quia videlicet frigida venena ſenſim agendo, & remiſsè in calorem natiuum, ſpatium illi concedunt, vt vires ſuas colligere poſſit, & influentem ac adiacentem è vicinis partibus, quaſi in ſubſidium vocare, quibus ſimul iunctis facilè lentus ille, & torpidus hoſtis ſuperatur, maximè cum præter ſummam cruditatem, vix habeat aliquid naturæ noſtræ inimicum; nemo tamen idem de calidis ſibi promittere poteſt, quibus infectam fuiſſe puellam hanc oportet, quoniam ventriculi calor, qui benignus eſt, facilè ſuperatur à veneno, quod qualitates ſuas in extremo gradu obtinet, tanta pariter cum acrimonia, mordicatione, & vrendi, diuellendi, corrodendi, putrefaciendique facultate coniunctas, vt cùm de primis conſtet quæ ſummopere deleteriæ ſunt, tum vero dubium inter medicos nullum ſit, quin qualitates etiam ſecundæ veneni calidi, multo deteriores ſint, qualitatibus veneni frigidi, naturæque noſtræ magis lethales & noxiæ. Verum eſto rationes eiuſmodi nullæ ſint, & puella hæc tam facilè, imo tam innoxiè napellum comederit, quàm thymo veſcuntur apes, aut rore cicadæ, an propterea concludendum ſtatim erit, ipſam ita veneni illius naturam induiſſe, vt homines in eius amplexus, & oſcula ruentes interficere potuerit; equidem iſtud primum experientiæ repugnat, quæ in cæteris animalibus obſeruari ſolet, quorum etſi multa venenatas ſtirpes, aut animalia in delicijs habeant, iiſque frequenter pro cibis vtantur, quemadmodum *Gallinæ*, *Cerui*, *Ciconiæ* ſerpentibus & lacertis; *Sturni* Cicutà; *Coturnices* Helleboro

3. de ſimplic. medic. facul. cap. 18.

Poſſe.

Paſſeres hyoſciamo; *Hirundines* Cantharidibus, & *Capra* his omnibus, vt merito propterea dixerit Lucretius

Praterea nobis veratrum eſt acre venenum
At capris adipes, & coturnicibus auget
Quippe videre licet pingueſcere ſæpe cicutà
Barbigeras pecudes, homini quæ eſt acre venenum

non ea tamen aut eſu noxia, aut quocunque alio modo lethalia reddi, tam palam eſt, vt ſibi quiſque teſtem de menſa, aut de corte, vel hara ſumere poſſit: nec minus etiam rationibus hoc ipſum aduerſatur, quia vel amicum fuit naturæ venenum iſtud, vel contrarium; *si* prius quis dubitet quin alimenti vices ſuſtinuerit, quod vndecunque tandem ſumatur, probè ſubactum, & præparatum in corporis ſubſtantiam tranſit, & vires illius, ac ſanguinem, & calorem auget; ſi vero contrarium erat, nec ſubigi, ac immutari à ventriculo potuit, an illi pylorum occluſum fuit, aut inteſtinorum anfractus minus quàm reliquis excrementis patuerunt, vt tamdiu in corpore ſtabularetur, & tanquam graſſator, qui hoſpiti ſuo parcit, accedentes alios conficeret? ſed nimius ſum in hac fabula exagitanda, quam niſi medici qui primi omnium illam explodere debebant, cæteris potius auctores fuiſſent, vt non abſurda, nec fabula videretur, paucioribus longè ad Morboniam, aut Phæacas amandaſſem. Enimuero quia magis ex arte ſua fecerunt medici cùm Alfonſum Regem Neapolitanum monuerunt, vt quadam in occaſione valde celebri, ab occultis artibus, occultatiſque venenis ſibi caueret; ſanè quanquam eorum diligentia nihil Regi opus fuerit, placet tamen hiſtoriã huc afferre, quam de ea re Petrus Crinitus habet in ſua prorſus elegãti, & periucunda lucubratione de honeſta diſciplina, *cùm* inquit ille *inter Coſmam Medicem maximæ auctoritatis virum, & Alfonſum Regem ſuborta ſimultas crederetur, miſit muneri Alfonſo Coſmus T. Liuij commentarios: librum quidem vt par eſt quàm ornatiſſimum; quoniam Rex idem Liuianæ hiſtoriæ maxime fuit ſtudioſus. Id autem cum medici Regis, qui aderant intelligerent, ſtatim Alfonſo imperant, vt cautim agat cum Florentino ingenio, neque vllo modo Liuium attingat: librum illum ab hoſte miſſum, in eoque venenum occultari poſſe atque inter legendum contrahi. Quibus auditis Alfonſus attentior factus eſt; quaſi aſſentiri monentibus videretur. Sed ecce interim Liuianum* lib 18 cap 9.

opus in medium affertur: quod vbi Rex *cæpit aſpicere, volentibus medicis aperuit, legit euoluit, ſimulque (vt homo ſummi ſpiritus) ineptire, inquit, deſinite nã Regis animus haud priuati cuiuſquam regitur arbitrio*. Hæc autem exempla tanto lubentius eruo, & profero in meum ſenſum, quod ijs videor mihi, Ludouice Comes, aliquid in hac tractatione de percuſſoribus occultis dicere poſſe, quod non ita tritum eſt, & vnicuique obuium, quemadmodum ſolet eſſe hiſtoria de *Medico*, qui Pyrrhum Regem ſe veneno necaturum recepit, modo C. Fabricius Conſul operà ad id ſuà vti vellet, eamque debito aliquo præmio munerare; quanquam vt aliquid velut in tranſcurſu dicam de ipſo, mirari profecto ſubit non mediocriter, quomodo *trinomis* ille factus ſit ab hiſtoricis antiquioribus, quandoquidem Valerius Antias in Romana hiſtoria,
lib. 3. cap. 8. & ex eo Gellius *Timocharem* eum vocant; Claudius vero Quadrigarius nomen ei *Niciæ* inditum eſſe voluit; ſicut Aelianus *Cineæ*,
lib. 3. de offi. à qua diſſentione vt abſtineret Tullius, nullo eum appellauit; quẽadmodum, & idem ſatis habuit *perfugam* eum dicere, cùm forſan *Regis amicum non poſſet*, vt Valerius Antias, aut *Medicum* quod Plutarchus Frontinus, & alij fecere. Cæterum quemadmodum veneno ſic *gladio*, & mille occultis artibus tentari poſſunt hoſtes, ſi iſtud faciendi licentia ex iure belli concederetur, verum quàm longè ab eiuſmodi flagitijs ius gentium recedit, ſatis inſinuatum fuit à Romanis Conſulibus in litera, quam ad Pyrrhum ſcripſerũt
lib. 3. cap. 8. in hæc verba, quæ referuntur ab Agellio, *nos pro tuis iniurijs continuo animo ſtrenuè commoti, inimiciter tecum bellare ſtudemus. Sed communis exempli, & fidei ergo, viſum eſt, vti te ſaluum velimus, vt eſſet quem armis vincere poſſimus; ad nos venit Nicias familiaris tuus, qui ſibi pretium à nobis peteret ſi te etiam interfeciſſet. Id nos negauimus velle; neue ad eam rem quicquam commodi expectaret, & ſimul viſum eſt vt te certiorem faceremus, ne quid eiuſmodi ſi accidiſſet, noſtro conſilio Ciuitates putarent factum, & quod nobis non placet pretio, aut præmio, aut dolo pugnare*, nempe ab his legibus, quas priſca Romanorum virtus in grauem illum aduerſarium tulit, cæteri Duces in ſuos vti debent, nam vt rectè concludit Tul-
lib. 3. offic. lius, *ſi gloriæ cauſa imperium expetendum eſt, ſcelus abſit, in quo non poteſt eſſe gloria: ſin ipſæ opes expetuntur, quoquo modò non poterunt eſſe vtiles cum infamia*. Quamobrem licet fuerit non ita pridem,

erudi-

Digitized by Google

eruditiſsimi omnium ſcriptorum, qui inter Italos de ratione ſtatus libros ediderunt, Federici Bonauenturæ ſententia, hoſtem iuratum, ſtructis per occultos ſicarios inſidijs, iure tentari ac confodi poſſe; miror tamen ſi ita, eſt cur Romani Conſules, eo modo quem diximus, ad Pyrrhum ſcripſerunt? Miror cur Camillo Phaliſcos obſidente, Senatus ipſe Romanus cenſuit, vt pueri magiſtrum ludi literarij à quo in caſtra perducti fuerant, virgis probè cœſum in vrbem reducerent, addita facti illius ratione valde præclara, & conuenienti huic populo, qui ſuam originem ad Deum bellorum & armorum præſidē referebat, ſcilicet quod *arma aduerſus armatos expedire oportet, non ſcelera*; eum vero qui ſecus facit, & vtilitatem quoties occaſio tulerit à dignitate ſeparat, hunc tu Ludouice Comes, quas conſcientię labes animo cenſes habere, quæ vulnera? obuerſantur quotidie ſuis oculis perfidi, transfugæ, rebelles, ſcœleſti, quos vt fidem expreſſam vel tacitam violarent non ſemel induxit, & vltorem ſemper adeſſe Deum ſuis criminibus putat; vnde ſi negabat Eumenes, vt refertur à Iuſtino, *credere ſe quemquam ducum ſic velle vincere, vt ipſe in ſe exemplum peſſimè ſtatueret*, quid ni ego rectè feciſſe Bonauenturam negauerim, qui ex Iudithæ hiſtoria, licet non ſatis commodè illuc quo volebat pertracta, iſtud vt faciant ducibus noſtris perſuadet; neque enim tantopere expetenda victoria eſt, vt nō etiam fugienda ſit, quoties per ſcelus aliquod obtineri poſſet, & fortis ac generoſi eſt, hanc honeſtis artibus quærere, turpibus vero ne ſalutem quidem; quare abſit perfidia ab illa oportet, & qui vult hoſtem iurè confodere, iſtud per ſe ſuoſue milites faciat, non per alios quorum nulla ſuſpicio eſt; & armis quæ videri ac metui poſſint, non occultis fraudibus & venenis, quorum nulla certa ratio aut pręcautio apud quemquam eſſe poteſt, alioqui dicetur cum Perſeo *non iuſtum apparare bellum, nec regio animo, ſed per omnia clandeſtinà graſſari ſcelera latrocintorum & veneficiorum.* Lib. 14. Liuius lib 42 12.

Tertia demū lex humanitatis rationē habendam ſuadet primo quidem extra prælium eos blādè tractādo qui ſe victoris arbitrio committunt.

Iſtis igitur quibus ex pudoris ſtudio cupiditas rationi cedit, & nihil vtile quod non item honeſtum ſit, exiſtimatur, nullum æque procliue eſt negotium quàm tertiam & vltimam legem militarem obſeruare, quam hic cuſtodiendam præcipimus, cùm tota eius vis in eo conſiſtat vt quæcunque neç iubentur à neceſſitate,

ſitate, nec à belli iure ſuadentur, ea omnia communibus bellorum miſerijs, & calamitatibus fœnerato viciſſim humanitatis officio ſubleuandis condonentur. Vnde ſicut duæ aliæ leges claſſicum velut intonant ad rigorem, cùm digladiantibus interſe aliqua in re vtilis ac honeſtus eſſe poteſt; ſic poſterior iſta nihil præter beneuolentiam ſuadet, quoties ei in bellorum tractatione locus aliquis eſſe poteſt, ſummo enim iure in omnibus vti velle, plerumque iniquitati proximum eſt; & ad perniciem ac internicionem generis humani pugnare, non tam eſt hominis quàm Timonis alicuius ſui ſimilium oſoris, aut inſani illius ac furentis Caligulæ, qui populum Romanum vnicam tantum habere ceruicem optabat, vt ipſam facilius obtruncare poſſet. Quamobrem vt de ſingulis occaſionibus quas imperator habere ſolet eius legis exercendæ, ſigillatim dicam, prima omnium eſt, cùm hoſtes victi, ſe nullis pactis conditionibus, victoris arbitrio permittunt, qua in re tantum abeſt vt imperator vti ſuà potentià, aut iræ ac vindictæ fræna laxare debeat, quod nullam virtutem clementià ac placabilitate potiorem habebit, modo tamen eà ſic vti poſſit, vt nihil illi de ſua dignitate aut ſeruitute decedat. Quanquam vbi vindicta in exemplum tranſire debet, ſatisſit eam tantummodo exercere in primos flagitiorum auctores, vel ſi multi in eiuſdem ſceleris participationem venerunt, ſorte decimũ quemque ſupplicio afficere, quod Polybius dixit ἐκ δεκάδος ἄγεσθαι ἐπὶ θανάτῳ, ſic enim Cicero ſtatutum à Romanis fuiſſe aſſerit, vt ſi à

Pro Cluent.

multis flagitium aliquod eſſet admiſſum, ſortitione tantum in quoſdam animaduerteretur, vt metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos perueniret; quem in ſenſum dicebat etiam Seneca

lib. 1. de clement.

quod *ſicut fulmina paucorum periculo cadunt, omnium metu: ſic animaduerſiones magnarum poteſtatum terrere debent latius quam nocere*. Vbi vero nihil eiuſmodi vehementius vrget inſequendum eſt Camilli ad Romanos conſilium, cuius duces tam frequenter vellem meminiſſe, quàm ſæpe occaſio ſe offert vt ex eius præſcripto facere deberent, ſic igitur ille. *Quod bello & armis agendum fuit in Latio id iam ad finem perductum eſt, reliqua tantum conſultatio eſt quoniam rebellando ſæpius nos ſollicitant, quonam modo perpetua pace quieturos obtineamus, certe pacem parare vel ſæuiendo, vel ignoſcendo poteſtis, vultis crudeliter conſulere in victos li-*

cet

cet delere omne Latium, & vaſtas ſolitudines facere, inde vnde egregio ſæpe exercitu vſi eſtis, vultis exemplo maiorum augere rem Romanam, *victos in ciuitatem accipiendo, materia creſcendi per ſummam gloriam ſuppeditat*. Quod ergo à Romanis Camillus petebat, ne in occiſione victoriam ponerent, id nos Chriſtiani ſi non à Ioſue Gabaonitas recipiente, ſaltem à dictatore Romano diſcamus, & Pyrrhi potius humanitatem, ac manſuetudinem in captiuos, quàm Annibalis crudelitatem imitemur, præſertim cùm hic tam lepida ſua & repentina liberalitate, populum Romanum ex implacabili hoſte ſibi amicum fecerit; ille vero tam ſeuera animaduerſione nihil aliud quàm ſibi inuidiam conflarit; non ſecus ac Lucius Sylla cuius victoria nobilitata eſt direptionibus, exilijs, cædibus, buſtis extinctæ nobilitatis Romanorum, non propterea tamen obtinuit, vt rerum geſtarum glorià, vel ampliſsimæ dignitatis maieſtate, notior aut illuſtrior eſſet Caio Iulio Cæſare, cuius non modo facta, verùm etiam dicta, ſummam ſemper humanitatem ſingularemque placabilitatem præ ſe tulerũt, & in sũmma ita fermè ſemper contingit, vt quicũque ad decus & gloriam eſt natus, is maiori laudi ducat, eos beneficijs ſuis amicos reddere, qui fuerant inimici, quàm in vindictam exaſperari, nullaque re plus gaudet, quàm vbi aliqua hoſtibus ignoſcendi offertur occaſio, ſic enim Aeneas, quàm clementer?

Pacem ne exanimis & Martis ſorte peremptis Aeneid xi.
Oratis, equidem & viuis concedere vellem.

Nam in ipſo quoque vincendi curſu, ita ſe gerit, ne ſtudio cædis aut rapinarum bellum gerere videatur. Hinc merito laudatur à ciuilis ſapientiæ conſultis, egregium illud & immortali gloria dignum Aureliani Auguſti factum, qui, referente Vopiſco, cùm Thyanam vrbem obſideret, & iuratus antea fuiſſet, niſi vrbs ſpõte in ſuas partes concederet, ne iſtud quidem canibus impune ceſſurum, nihilominus vrbe expugnata, cùm improbi quidam illum vrgerent, videret ſedulo ne Dij, quorum intereſt iuramentorum religionem ſanctam conſeruari, pœnas eiuſdem ab eo violatæ repoſcerent, canes ad vnum mactari iuſsit, interim vero ciuium omnium bonis, ac incolumitati prolixè conſuluit; & eadem clementia vſus Henticus quintus Imperator, licet Brixiam ferro ac flammâ ſtatim ab eius expugnatione, deletam iri debere, ſolemni

lemni conſtitutione decreuiſſet: vrbem tamen ingreſſus ciuibus parcendum ſtatuit; ne plebs innoxia pœnam lueret improborum. Denique meminiſſe debet Imperator ſe publicæ ſalutis vindicem eſſe conſtitutum, vt eos ex recepto bellorum vſu puniat, qui propter opes & potentiam priuatis iudicum ſententijs & apparitoribus, minimè poſſunt ab offenſis & flagitio coherceri. Vindictæ autem genus illud maximè probatur, quod abſque alterius legis violatione ſumi poteſt, vnde cùm non liceat ſtupro vel adulterio cum fœminis hoſtium miſceri, quoniam eius generis peccatà *ἁπλῶς* quod inquiunt & *abſolutè* lege diuina prohibentur; ita nuſquam Imperatori committendum eſt, vt militibus ſuis impune cedat, ſi quidquam ſimile commiſerint. Eodem modo quia ſeruitus perſonalis præſertim introducta fuit, vt captiuorum vita minus inter victores periclitaretur propterea malè audierunt vt inhumani *Tbulitæ* & *Galatæ* populi, qui Athenæo teſte captiuos Marti immolabant; quemadmodum etiam damnantur à Polybio, quorundam *Afrorum* & *Amilcaris* ſæuitia in captiuos Romanorum, hæc enim etſi excuſari poſſit iure belli, quod extrema quæque hoſtibus in victos permitit, nihilominus quoniam vt inquit Cicero ***eſt aliquid quod nō oportet etiam ſi licet***, hi omnes damnari merito poſſunt, quia refrigeſcente ira belli, minus ſe clementer aduerſus proſtratos & ſupplices exhibuerunt, quemadmodum etiam multi factum ab *Aenea* fuiſſe docent, cùm Magoni & Ligero vitam vt ſibi concederet obſtentantibus, eos audire noluit *ſed reflexa*

lib. 4.

Pro Balbo.

Aeneid 10.

Ceruice orantis capulo tenus abdidit enſem,

vt de priori dicit Virgilius, qui etiam alterius caſum, & preces ad Aeneam ſic enarrat

Per te, per qui te talem genuere parentes,
Vir Troiane, ſine hanc animam, & miſererè precantis
Pluribus oranti Aeneas: haud talia dudum
Dicta dabas, morere, & fratrem ne deſere frater.
Tum latebras animæ pectus mucrone recludit.

Verum cùm illos in medio, armorum conflictu occiderit, vbi non audiuntur ſemper voces dedentium ſe, cur præclarus Heros culpari de illorum cæde poſſit, quaſi ex Sauromatis vnus fuiſſet, apud quos Lucianus dixit non licuiſſe eum occidere, qui *Zirim*

incla-

inclamaſſet, quia vox erat dedentis ſe, vt Homerica ζώγρει id eſt Ad Bonifac. epiſt. 1. *viuum me cape*, equidẽ non video. Præclare igitur D. Auguſtinus & ad rem de qua nunc agitur peroportunè, *hoſtem pugnantem neceſſitas perimat non voluntas: ſicut bellanti & reſiſtenti violentia redditur, ita victo vel capto miſericordia iam debetur, maximè in quo pacis perturbatio non timetur*.

13. *Tum qui certis conditionibus cum illo paciſcuntur.*

Hac autem moderatione ſi opus eſt erga eos qui ſe victori permittunt vrendos, ſecandoſque, prout illi videbitur, quanto maior ſecuritas eſſe debet, vitam ſaluam, fortunaſque omnes integras paciſcentium, ſiue in prælio ſiue in obſidione: profectò quãtum ad ciuitates ſpectat quæ victoribus ſuccumbunt, præceptum eſt Onoſandri quod comiter ac ciuiliter regendæ ſunt, cap 38. *ſic enim & aliæ fortaſſis ad deditionem adducentur ſperantesque ſe huiuſmodi humanitatis fore participes; in eiuſdem ditionem adÿcientur. Qui vero cùm primùm vrbe aliqua potitus eſt, ſeſe illi acerbum ac moleſtum exhibet, aut ciuium facultates diripiendo, aut ciues ipſos interficiendo, pulſandoue, aliarum quoque ciuitatum animos ita abalienat, vt & bellum perdifficile & victoriæ ſpem deſperandam præparent*, quoniam, vt idem poſtea ſubiungit, *ſemper malorum poſt deditionem expectatio, obſtinatum ac perpugnacem in periculis animũ efficere ſolet*; ex eoque Curtius loquens de *Sacis* qui legatos mi- lib. 7. ſere, & polliciti ſunt ſe mandata omnia facturos, cauſam demum iſtius rei, ſequentem addit, *mouerat eos Regis non virtus magis quam clementia in deuictos* Scythas, *quippe captiuos omnes ſine prætio remiſerat, quo fidem faceret ſibi cum ferociſſimis gentium, de fortitudine non de ira fuiſſe certamen*: vt omnino manifeſtum ſit affabilitatem hanc & comitatem victorum in deuictos hoſtes, cùm multum in ſe honeſtatis contineat, tum vero plurimum etiã vtilitatis habere. Ac propterea mirũ videri nõ debet ſi *Cæſar* qui tantũ in acie fudit ſanguinis, tam parcus tamen extra aciẽ illius fuerit, vt præter innumeros ciues quos in gratiam recepit, Petrei etiam & Afranij milites ſumma ſit humanitate ac beneuolentia complexus, fameque oppreſsis commeatum ſufficientem dedit, ac bona fortunaſque omnes quibus ſpoliati fuerant reſtituit, cùm nihilominus ſummo in illos iure vti poſſet, eo quod præ cæteris addicti fuiſſent Pompeianorum factioni; ſed inſignis quoque fuit *Pauli Aemilij* in Perſeum Macedoniæ Regem humani-

tas,

tas, quem captiuum adduci ad ſe cùm audiuiſſet, ei Romani imperij decoratus ornamentis occurrit, conatumque ad genua procumbere, dextrà manu alleuauit, gratoque ſermone ad ſpem hortatus eſt, introductũ etiam in Tabernaculum lateri ſuo proximũ in conſilio ſedere fecit, nec indignum habuit qui eadem ſecum in menſa aſſideret; quo pariter modo *Pompeius* Tygranem Armeniæ Regem excepit, iuſſum namque ſurgere & diadema quod in pedes abiecerat ſumere, eum in regiam ac priſtinam ſedem reſtituit. Vnde quemadmodum ipſi ob ſummam lenitatem & moderationem omnium præconijs efferuntur, ſic in odium merito venit *Saporis* Perſarum Regis ſæuitia & feritas, qui tam inſolenter victorià ſuà in Romanos vſus eſt, vt cùm Aurelianum Imperatorem captiuum haberet, eius humeros equũ aſcenſurus premeret; non ſecus ac *Tamburlanus* qui poſtea apud Scythas imperator ſummus præſtitit, Bayſſetum iſtius muneris ac officij gratià, per omnes expeditiones quas egit ſane complures, catenis vinctum circumduxit: qua animi elatione & inſolentià nihil prope immodeſtius aut inſolentius dici poteſt. Quanto vero ſplẽdidius *Philippi* Inſubrum ducis cenſeri debet exemplum qui memorabili ad Caietam victorià potitus, cùm Alphonſum Aragonum Regem, & tot præterea Hiſpanos Italoſque proceres in poteſtatem redegiſſet, non modo illos nullà ignominiæ notà perſtrinxit, ſed magnis honoribus & ſplendidiſsimis muneribus cumulatos, priſtinæ dignitati reſtituit; quaſi in eadem opinione fuiſſet cum *Quintio* illo qui Aetolis dicentibus pacem firmam eſſe non poſſe, niſi Philippus Macedo regno pelleretur, reſpondit illos ſententiam dixiſſe, immemores conſuetudinis Romanorum, qui victis facile parcebant, addiditque *aduerſus victos maximum quemque, mitiſsimum animum habere*; nec ab eo diſſentit Saluſtius qui de Romanis veteribus loquens *maiores noſtri*, inquit, *religioſiſsimi mortales, nihil victis eripiebant præter iniuriæ licentiam*. (In bello Ingurt.)

14. (*Tũ in offenſione prohibebendo ab ipſa Agricolas.*) Sed nec in ipſo quidem prælio vbi hoſtes inter ſe

Deducunt habiles gladios filo gracilento,

humanitatis aut potius belli *commerciorum* vt à Virgilio, & Tacito vocantur, obliuiſcendum eſt, quorum quia triplex ratio eſſe poteſt, examinabo primùm illam, quæ ad viuos pertinet, dicturus

rus

rus ſuo ordine de modo agendi cum mortuis,& cum rebus ina-
nimis,quæ non ſuâ ſed hominum culpâ in conſortium malorum
rapiuntur,quę bella ſecũ inuehunt;primum igitur vtriuſque ho-
ſtis intereſt, vt *Agricolæ* intacti ſint ac velut ſacroſancti,imo pro- lib. 11. Bibl.
pe caſtra & agmina opus faciant ſepoſiti à periculo, quemadmo-
dum more veteri Indorum obtinuiſſe refert Diodorus,& Xeno-
phon inquit Cyrum quoque & Aſſyriũ in eo conueniſſe, *Vt cum* lib. 5.
agricolis pax eſſet,cum armatis bellum; hoc enim quanta cum ra-
tione ac vtilitate fieri poſsit, exemplo nobis eſſe debet Belgium ,
vnica illa , & continua Martis officina , quæ tam diuturnis bellis
non attrita perdurat, quoniam hæc dum milites gerunt,Agrico-
læ interim quibus à victore , aut viciniore exercitu tributum ali-
quod indicitur , ſecurè terram arant, occant, repaſtinant , & vel
in ipſo collimitio tuti manẽt ab omni moleſtia,& iniuriâ;hincque
merito laudatur à Suida Beliſarius , quod *Agricolis ita parcebat ,*
ac tantam pro illis curam gerebat , vt eo duce nulli vnquam eorum
vis illata fuerit . 15.

Secundo non licet in ipſa concertatione,vltra morem receptũ *Non ſæuiendo vltra modum in hoſtes præliantes.*
ſæuire in hoſtes, niſi ſtatim illos efferari velis , & omni proſcripta
humanitate , longè acerbius damnum quod acceperint , repen-
dere , ſic enim cùm in bello quodam Veneto , cuius ſua in hiſto-
ria Bembus meminit,*Florentini*, qui omnino ſæpe à Græcis equi-
tibus, ſeu Epirotis malè habiti,eos peſſimè oderant,edictum pro- lib. 4.
poſuerunt , ne quis ex ipſis captiuus duceretur: verum ea intelle-
cta re , Legatus Venetus edici contra iuſſit , ne ijdem milites vlli
omnino ex hoſtium numero parcerent, ſed omnes peræquè in-
terficerent, ſtatimque in eorum fines excurſione cum Græcis
militibus facta , quoſcumque in agris reperit, interfecit,qua re-
cognita,Florentini edicto publicè reſciſſo , ad morem belli priſti-
num redierunt . Eodem etiam modo *Gallis noſtris* malè aliquan-
do ceſſit,bellum aduerſus Coleonum in Inſubria gerẽtibus, quod
contra Italicum morem , cataphractos equites diſſibulata caſſide
iugularent , quia non minus acerbè in ipſos poſtea ſæuitum eſt .

Imo vero ſicut manus non ſemper in pugna laxanda eſt, ſic 16. *Quibus mutua etiam comitatis officia exhiberi debent.*
mutuæ comitatis officia cùm præſertim illa nocere non poſſunt ,
ne quidem inter iuratos hoſtes ſunt omittenda , ſi quis locus illis
eſſe debeat , vt qui clangente buccina armis infeſtis decertant, ij-
dem

dem mutuis officijs pugnare poſſint, cùm furor ille remiſit, & vnicuique licet quantum in ſe humanitatis habet, tantundem illius in hoſtem depromere; quemadmodum nuper fec ere ad Cracinam inſulã celeberrimi duo Imperatores *Troëraſius*, & *BuKinghamius*, quorum mutua concertatio, vter alterum beneuolentiâ, & comitate ſuperaret, quia in tanto pugnandi, & rem ſtrenuè gerendi ardore, valde fuit inſignis, eam propterea referre lubet, aut potius mutuari ex Philiberto, Moneto, qui multus eſt in eius exemplis referendis, ſed vnum præſertim mihi conuenientiſſimũ videtur, ex cuius conſideratione ſtatim innoteſcat, quàm fœdâ, & immani barbarie fuerit *Mendanius* Hiſpanus, qui *ſub arce molis Hadriani, vetulam olitoris vxorem impÿs manibus laqueo pro ianua ſuſpendit, quod illa expetenti* Pontifici, Clementi Septimo, qui obſeſſus in ea tenebatur, *binas lactucas in foſſam operâ pueri funiculo alligandas, & ſurſum extrahendas, proieciſſet, ſic vt deteſtabili eius ſuſpendÿ ſpectaculo, proſpectantis* Pontificis *oculi grauiſſimè per ſex dies offenderentur, illeque iuſta indignatione permotus, hominem vſque adeo impium execratus pari ſupplicio deuoueret*; quã vero naturâ mitior, ingenio prudentior, & iure etiam peritior, BuKinghamius, qui audita ex nobili Anglo Toeraſi percunctatione ecquid adhuc peponum tota inſula reliqui eſſet, poſtridie honorario miſſo nobili, duodenos pepones Toeraſio beneuolè obtulit, ſed quaſi mutuo humanitatis colludio inter ipſos Duces certaretur, Toeraſius nuncio huic vicenos coronatos aureos numerari iuſſit; ipſum vero BuKghingamium poſtera die, citriæ aquæ aureolæ ſenis lagenis, & Cyprini pulueris duodenis alabaſtris remunerauit, ſed huius puero ille vicenos Iacobæos rependit; nẽpe *hæc velut Apollinea quædam*, vt loquitur Monetus, *internecini belli aliquando intercurrebant Alcedonia, ſed tanto valentior, & infeſtior Mars in aciem poſtmodum redibat, vti ex multis illis officÿs ſæuitiam videretur colligere, tam hoſtilibus animis Galli ac Britanni alteri alteros infeſtabant*.

In capta Rul pecula.

Iouius in vita Põp. Col. & lib. 26. Hiſtor.

17 Demum ea ratio captiuorum habenda eſt, vt cum iure mancipij retineri amplius non poſſint, honeſtè, liberaliterque tractentur, & dimittantur pretio non iniquo, quod quale ſit, non eſt ita promptum determinare, cùm alibi ex moribus, & conſuetudine, alibi vero ex pactis, quæ ſæpe reſcinduntur, & immutantur

Et honeſta etiam conditiones proponī cũ ſe redimere volũt.

Digitized by Google

tantur, ſolui conſueuerit: Vnde apud Græcos quidem antiquitus *mina*, nunc verò inter milites *menſtruum ſtipendium* pro λύτρῳ, ſeu *redimia* gregarij communiter decurrit. Verum cùm olim graues circa eam rem difficultates in *Namurtij*, & *Conſalui* exercitu varijs de cauſis ſuborirentur, placuit ſummis illis Ducibus, communi vtriuſque conſenſu decernere, vt gregario pediti menſtrui ſtipendij, & trimeſtris equiti pretio libertas conſtaret; cohortium autem præfecti atque ſigniferi, ſemeſtris ſtipendij ſummà mulctarentur; annuum porro Legatus alæ perſolueret: cæteri vero Duces ex ordine nobilium, ſi caperentur, ex ſummi Ducis arbitrio pretium penderent. Hoc vero quanta fide & integritate repræſentandum ſit, plures ante me I.C. docuerũt, quorum decretis nihil addendum cenſeo, præter memorabile exemplum D. *Ludouici*, qui pace cũ Sultano facta, his conditionibus, vt Damiatà decederet, & quinquies centena millia perſolueret, ex quibus tamen honoris causà, Sultanus centum millia paulo poſt ei remiſit, iãque aurum eiuſmodi pro portione appenſum fuiſſet, cum compendio decem millium, quod Gallorum quorundam induſtrià factum fuerat, vt primum illud reſciuit D. Ludouicus, qui non pluris faciebat mala lucra, quàm damnum ipſum, Mõtfortium ſtatim curare iuſſit, vt quàm primũ integra ſumma ex fide bona hoſtibus refunderetur, atque hoc raræ fidei, & virtutis integerrimæ teſtimonium, Barbaris omnibus admirationi fuiſſe, refert Ioinuillæus in eius vita. Quod verò ſpectat ad modum benignè comiterque agendi cum captiuis, nulla de eo regula dari poteſt, quæ omnibus peræque conueniat. Quia dignitatis cuiuſque habenda eſt ratio, ſed quàm ſedulo curandum ſit, vt nulla in re captiui lædantur: id vero docuit ſuo exemplo fortiſſimus eques *Baiardus*, cùm Hiſpanum quendam ex Sotto maiore 18
familia, non infimæ notæ præfectum, ad ſingulare certamen prouocauit, eo quod durius, ac illiberalius quàm deceret fuiſſet ab eo cuſtoditus.

Demum habenda eſt cura demortuorum, quibus commiſeratio debetur àqua Cæſaris lacrymæ fuerũt viſo Pompei capite cõtra Petrarcham, & alios.

Hactenus igitur de hoſte viuo, & pugnante dictum eſt, quomodo tractari debeat, videndum nunc, quæ demortui ratio habenda ſit tunc videlicet cùm

Cecidere odia, & triſtes mors obruit iras.

vt inquit Papinianus ex Virgilij mente, qui prior dixerat

Nullum cum victis certamen & æthere caſſis.

quibuſcum facit etiam Ouidius, qui rem hanc vehementius adhuc vrget addito Leonis exemplo

Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe Leoni,
Pugna ſuum finem cùm iacet hoſtis habet.

hoc vero ita ſtabilito, conſequens eſt, perinde tractandum eſſe corpus demortui inimici, tanquam ſi amici foret, aut ſaltem hominis cum quo nihil vnquam odiorum, nihil iniuriarum interceſſiſſet. Quamobrem primum quod illi debetur eſt *commiſeratio,* quæ ſi omnium quos æterna tenet nox habenda eſt, quanto magis eorum, qui non debita morte, nec inter amicorum complexus & oſcula, ſed miſeri ante diem, & multis vulneribus confoſſi, vitã ipſam cum ſanguine fundunt; ſcilicet ea perſuaſione ductus *Alexander* apud Quintum Curtium Darij mortem lacrymis proſecutus eſt, demptaque ſibi chlamyde corpus illius contexit, atque regio ornatum cultu, ad matrem, maiorum ſuorum tumulo inferendum miſit. Eadem etiam commotus M. *Antonius*, iacentem Brutum, non hoſtem, ſed ciuem Romanum, depoſito odio exiſtimans, paludamentum ſuum inijci ſupra illius cadauer iuſſit, quo honoratius cremaretur. Sed inter exempla priſci æui nullum de hac commiſeratione præclarius extat, quàm *Cæſaris* in demortuum Pompeium, neque enim ipſi minimam fortiſſimo Imperatori iniuriam faciunt, qui profluentis gaudij ſignum lacrymas, quas viſo Pompeij capite fudit, interpretati ſunt, qua in opinione, quoniam certum eſt, Petrarcham fuiſſe, qui vnus, nobili, de hoc Cæſaris fletu, & Annibalis riſu, cantione edita, multos in eum errorem ſeduxit, vt idem cum illo arbitrarentur, placuit idcirco cantionem hanc latinè redditam à Iano Peluſio in medium proferre, ac inquirere poſtea breuiter, quantum in ſe veritatis contineat.

libro 5.

Cum vidit Generi caput
Cæſum fraude ſocer, lætitiam premens
Imo pectore; lacrymis
Non ſe continuit. Pœnus, & Annibal
Sortem vidit vt alteram
Regnorum Libyæ, flentibus omnibus
Riſit, diſſimulans malum.

Sic

Sic ſit, triſtitiam quilibet vt ſuam,
Vultu & lætitiam tegat.
Quare ſi ipſe mihi rideo, vel cano
Nonnunquam facio id, quia
Quæ me dilacerant ſollicitudines
Non poſſunt aliâ viâ
Iſthoc ex miſero corde recedere.

ſiccine igitur Petrarcha tibi ex gaudio mero fleuiſſe Cæſar viſus eſt, quia forſan Annibalis riſus alio quàm ad ingentem mœrorẽ, & triſtitiam referri non poterat? at ſanè quanquam inficias hic ire nolim, vt ſumma mœſtitia quandoque in riſum ſoluitur, ſic gaudium in lacrymas effundi, quoniam vtriuſque effectus ratio apud Philoſophos conſtat,& exempla etiam non raro apud Philologos reperiuntur, quale eſt illud de Veneris riſu apud Apuleium. *quam vt conſpexit Venus lætiſſimum cachinnum extollit, & qualem ſolent, furenter irati*;& illud quod de flentibus præ gaudio Troianis Petronius in Haloſi dixit libro 6.

fletibus manant genæ
Mentiſque pauidæ gaudium lacrymas habet,
Quas metus abigit.

ad quos verſus nihil eorum enarratores indictum prætermittunt, eorum præſertim quæ de gaudij lacrymis dici ab hominibus eruditis poſſint: licet inquam hæc ita ſe habeant, nullam tamen ego perſpicere rationem poſſum, qua Cæſar lacrymari præ gaudio cæſi Pompei debuerit, ſcilicet homo, qui ſœpe ſuorum obitus familiariter defleuit, qui toties ἀμνηστίας legem tulit, & vſurpauit, qui nunquam, niſi in acie inſignem iram erga ſuos hoſtes declarauit, quo nemo maiori in deuictos clementià vſus eſt, & quod rei caput eſt, qui bellum inuitus contra Pompeium ſuſceperat, qui multoties illum de pace rogauerat, *quem*, vt inquit Tullius, *nunquam niſi honorificentiſſimè appellauerat*; is ne homo, qui dolebat Catonem ſuæ clementiæ ſubductum, qui Brutum, & Caſſium præcipuos aſſeclas Pompeij tam amanter complexus eſt, is ne ſenex tot caſibus, quos alternantes viderat, humanæ ſortis admonitus, tam effusè viſo Pompei capite lætatus eſt, & non potius conciuis, ſocij, generi miſerabilem fati ſortem dolentius ingemuit, ac optimi viri, maximique Imperatoris manibus adeo lib 6 epiſtolar. epiſt. 6.

fœdè, crudeliterque violatis, illacrymatus eſt? equidem nollem hic Petrarchæ moleſtum me præbere in exagitanda eius ſententia, verum tamen quo minus ob allatas rationes ab ea diſcedam facere certè non poſſum.

19 *Tãtum abeſt vt mutilari debeant hoſtium corpora*

Iam vero ſi ipſa hoſtium commiſeratione digni ſunt, qui in acie fortiter pugnantes ceciderе, quanto magis alienum eſt à ratione & omni humanitate, in eorum corpora quicquam indignũ committere, quos Terra ad æternam quietem ſibi reddi poſtulat, & mors ipſa, quod præclarè dicebat Euripides in Antigone, extra odium, & vindictam ponit.

Mors iurgiorum finis eſt mortalibus
Nam maius aliud, quid poteſt letho dari.

Quamobrem rectè monet Vliſſes Menelaum

Menelae poſt tot dicta ſapienter, caue
Iniurioſus ſis in hominem mortuum.

Nec vlla vnquam ætas diris non proſecuta eſt truculenta illius immanitatis exempla, quæ quondam ediderunt *Achilles* in Hectoris cadauere circa muros Iliacos raptando; *Parthi* cùm aurum liquefactum in Craſſi deductum os immiſerunt: *Thomyris*, quæ Cyri caput in vtrem ſanguine plenum demerſit; *M. Antonius*, qui Ciceronis caput videre, probriſque laceſſere voluit; ac præcæteris etiam quæ *Menelaus* in Deiphobi cæde flagitia perpetrauit.

Aeneide 6.

Deiphobum vidit lacerum crudeliter ora,
Ora manuſque ambas, populataque Tempora raptis
Auribus, & truncas inhoneſto vulnere nares

hæc enim adeo fœda, turpiſque mutilatio, tam horrenda, & Menelai perſonà indigna viſa eſt, vt poſt varias interprætationes quibus hanc ab infamia liberare conati ſunt, in eam tandem deuenerint quod eiuſmodi *acrotiriaſmus*, vt volunt Suidas in voce ἐμμαπλίο, & Apollonij Scholiaſtes in Argonauticis, ex antiquo ritu fieri in ijs ſoleret, qui hoſtium dolo, vel proditione intercepti ciciderant, nempe quia partes illæ, & exciſæ membrorum extremitates, quaſi ἀποτροπαῖα, ſeu amuleta eſſe cenſebantur, aduerſus occiſorum vmbras, ne interfectoribus ſuis terribiles obuerſarentur, fierentque illis in noctium occurſacula, & laruarum terriculamenta, eo modo quo Dido Aneæ minitatur.

libro 4.

Aeneide 4.

Omnibus vmbra locis adero dabis improbe pœnas.

Sed

Sed quàm rectè hi Menelaum proditionis inſimulent, vt liberum eum ab immanitate faciant, aliorum eſto iudicium; atque huc etiam pertinet quarundam nationum barbarum prorſus, & inhumanum factum, qui *caluarias* interemptorum hoſtium probè mundatas, & inductas auro, cælataſque varijs laminis in poculorum formam effingunt, ex quibus ſibi inuicem in publica conuiuiorum hilaritate propinent, quem ritum exemplis cõfirmare tempero, quoniam multa eiuſmodi in vnum quaſi faſcem collegit Iacobus Pontanus. part. 2. ſyn. tag. 1. attic. bellario. c. 11

20 *Aut inſepulta relinqui.*

Supereſt igitur vt in quos ſæuire non debes, eoſdem Terræ mandari permittas, ſecus enim quem lædere non putas, offendis grauiter, ex denegato illi hoc belli iure quod *κοινὸν ἐν τοῖς πολεμίοις* vocat Appianus, & ***publicam humanitatem*** Cicero, quia non tam homini, id eſt perſonæ, quàm humanitati, ſeu naturæ debetur, ***vindicare à volatilibus, vindicare à beſtijs conſortem naturæ***, vt loquitur D. Ambroſius, reddenda ſiquidem terræ terra eſt, & quod hoſti viuo iure poſſes eripere, illud mortuo relinquendum. Vnde malè apud antiquos ſcriptores audiunt *Græci*, quod ſecus fecerint, vt ex Homero conſtat, in cuius carmine nihil frequentius iſtis, aut ſimilibus minis occurrit, ***neque canes quidem à tuo cadauere quiſquam arcebit: canibus ſunt præda relicta: vt canibus fierent lanianda voluptas***. Sic *Creon* apud Sophoclem, iubet inſepultum Polynicem relinqui; & *Menelaus* atque *Agamemnon* idem de Aiace in eiuſdem auctoris Lorario fieri volebant, niſi illis vna cũ Teucro Vlyſſes diuerſum perſuaſiſſet; ex eoque nonnulli contendunt *Syllam*, qui diutiſſimè bellum in Græcia geſſerat, hoc pariter ex illorum vitijs contraxiſſe, vt acerbiori odio in Marium incitatus, eius reliquias, quemadmodum inquit Cicero, apud Anienem diſſipari iuſſerit. At ex aduerſo laudatur *Annibal*, quòd Marcum Tyberium Gracchum, & Marcellum honore ſepulturę carere non eſt paſſus; idemque Hannoni à *Romanis* præſtitum fuit; Pyrrho ab *Antigono*; Mitridati à ***Pompeio***; Druſo denique & Archelao Regi ab *Antonio*. Proptereaque in Græcorum apud Perſas militantium iuramento erat, ***ſocios omnes ſepeliam: bello victor etiam*** Barbaros; & Onoſandri præceptum eſt, vt I*mperator, ſiue vicerit, ſiue victus fuerit, militum occiſorum funeribus, & exequijs proſpiciat, neque iniuriam, aut occiſionis, aut temporis, aut loci, aut*

de Tobia.

2. de legib.

cap. 36.

metus nomine prætexat. Dabantur ergo frequentes vtrimque induciæ, vt cæſi ex vtraque parte ſepulturæ mandarentur, quod in maxima ſtrage duobus modis fieri ſolitum, adeo manifeſtũ eſt vt probatione non indigeat, ſiquidem humi tunc defodiebantur, aut comburebãtur interfectorũ corpora; vnde Liuius refert locũ

lib. 5

fuiſſe Romæ iuxta Aequimelium, nomine *Buſta Gallica*, quoniam illic aceruatos cumulos ſuorum defunctorum ex peſtilentia vſſerant Galli. Tertius vero modus, quem cum duobus præceden-

In fragm.

tibus aſſignat Seneca in his verbis *alios terra obruit, alios flamma conſumpſit, alios lapis oſſa redditurus incluſit*, vt operoſior fuit, nec ſine aliquo ſumptu, militibus proprijs ſeruabatur, & his non quidem magno numero ab hoſte proflgatis, ſed morbo aut aliquo alio caſu occumbentibus, tunc enim pecunia ex vndecimo legionis ſacco depromebatur ad eorum ſepulturam; qui ritus vt in-

lib. 2 cap. 2.

telligatur, ſciendum eſt ex Vegetio, quod *tota legionis ſubſtantiâ in decem ſaccos tributâ, addebatur ſaccus vndecimus, in quem tota legio particulam aliquam conferebat, ſepulturæ ſcilicet causâ; qui ex contubernalibus deceſſiſſet, de illo vndecimo ſacco ad ſepulturam ipſius promebatur expenſa*. Cęterum præter hunc morem, duo funera militibus facta fuiſſe animaduerto *Militiæ* ſcilicet vnum, quod tumultariâ plerumque operâ peragebatur, & collectis in vnum corporibus militum; quomodo varianæ cladis reliquiæ vno tumulo ab Germanico conditæ ſunt: & *domi* aliud, cùm more eorum qui peregrè deceſſerant, os aliquod defuncti excipiebatur à propinquis, vt iuſta illi Romæ perſoluerent, non illa comburendo, quemadmodum in reliquis fieri conſueuerat, ſed ex Pontificum ritu terra obtegendo, vnde *oſſa ſita* dicebantur, quia *ſiti* proprie Ciceroni ſunt *quos humus coniecta obtegit*; & bellicam vel peregrinam mortem deſignabant, quarum neutra cõtinebatur hac præſcriptione duodecim tabularũ, *ne homini mor-*

capi: lib 6 7 8

tuo oſſa legantur; quo poſt funus fiat, quemadmodnm ex Cicerone & alijs præclarè oſtendit Iacobus Gutherus in erudito ſuo opere de iure manium.

21. *Denique non labefactanda ſunt ac violanda publica priuataq monumenta.*

Hæc autem humanitatis officia poſtremum tandem excipit, quod rebus homini cariſsimis, & per ſe merentibus tam extra iniuriã omnem eſſe, quàm re vera non ſunt in culpa, ab hoſtibus impenditur; diligenter ergo cauendum eſt, vt templorum ſanctitas,

ctitas, ſepulchrorum religio, trophæorum maieſtas, ſtatuarum omnium, ſignorum, tabularum memoria, & quicquid eſt monumentorũ eiuſmodi, quibus vetuſtas ipſa parcere conſueuit, à ferro flammiſque vltricibus, quantum fieri poteſt, conſeruentur; nam vt Polybij verba hic vſurpem oppidò certè pręclara & eximia, *quæ neque nobis ad bellum futura ſunt vſui, nec hoſtibus incommodatura. ea ire perditum, templa maximè, & quæ in ijs ſimulacra & ſimilia ornamenta, quis neget malæ mentis & præ ira furibundæ eſſe opera*? Atque ex eo eſt, quòd M. Tullius qui præclarè ſemper de rebus omnibus loqui, & ſapienter ſentire viſus eſt, nunquam Corinthum exciſam fuiſſe probauit, vbi tamen adeo fœdè tractati fuerant Romanorum Legati; idemque alibi *horrificum, nefarium, omni imbutum odio* bellum appellat, quod parietibus, tectis, columnis, poſtibus notas inurit extremæ feritatis & dementię. Vnde cùm *Totylas* in hũc furorẽ pręceps rueret, & neſcio quibus de cauſis impulſus in animo agitaret, non modo vrbis Romæ mœnia, ſed pulcherrima quæque eius ædificia incendio violare, vrbemque ipſam μηλόβολον vt inquit Procopius efficere. Beliſarius nihil antiquius habuit, quam perditiſsimis illis conatibus occurrere, ſcriptà ad Totylam epiſtolà, quã vt huic meo ſermoni valde conuenientem, lubens ex Procopio referrem, niſi paſſim quoque in alijs auctoribus haberetur latinè expreſſa, quãquam non vtique forſan in omnibus, tanto cum verborum cultu & nitore, quanto illam ſibi explicandam, atque ornandam duxit, Petrus Crinitus. Et vero præſtat orationem Rhodiorum ad *Demetrium* Vrbicapum, pro pictura Ialyſi ex Agellio referre, quia præter quàm huc maximè pertinet, videtur quoque Beliſarius ſuam ex illà epiſtolam penitus adũbraſſe, ſic enim illi ad regem loquuti ſunt, cùm machinas eius libratas viderent in eas ædes, quas memoratiſsima illa Protogenis pictura, quæ in illis aſſeruabatur toto orbe celebres fecerat, *quæ (malum) ratio eſt, vt tu imaginem iſtam velis incendio ædium facto diſpergere? Nam ſi nos omnes ſuperaueris, & oppidum hoc totum cœperis, imagine quoque illa integra & incolumi per victoriam potieris: ſin vero nos vincere obſidendo nequiueris: petimus coſideres ne turpe tibi ſit, quia non potueris bello Rhodios vincere, bellum cum Protogene mortuo geſſiſſe*, quod vbi Demetrius ex Legatis audiuit, oppugnatione

lib.v.

1. Officior.

lib.6. cap.1.

lib.15. c.31.

deſità, & imagini & ciuitati pepercit. Et amabo quidni hunc in
modum feciſſet Rex ille inclytus,& non minus ab humanitate
quàm ingenij ſolertia commendatus; quandoquidem *Cambyſes*
qui Aegyptum aggreſſus Dijs hominibuſque bellum indixerat,
& cuncta igne, ac ferro ſibi deuaſtanda ſtatuerat, cùm Thebas
expugnaret, atque incendium quo ædificia conflagrabant, ad
obeliſci crepidines perueniſſet, ne tam præclara atque adeo afa-
brefacta moles, excocta collaberetur, ignem extingui iuſsit, &
quorum vitæ non pepercerat, eorum operi pepercit, aut religio-
ne impeditus, aut vt cum Plinio loquar *tam eximiæ molis reue-*
rentià. Quanquam aliter omnino Straboni viſum eſt, qui Cor-
nelium Gallum in eam Prouinciam ab Auguſto miſſum ſecutus,
Aegyptum peragrauit, omniaque diligenter inſpexit, aſſerit enim
lib 17. obeliſcos Thebis partim ſtantes vehementer ab igne ambuſtos,
& partim humi iacentes conſpici, quod pariter teſtatur Ammia-
lib.17. nus his verbis *in hac vrbe* Thebarum ſcilicet *inter labra ingentia*
diuerſaſque moles ſigmēta Aegyptiorum *Numinum exprimentes obe-*
liſcos vidimus plures, alioſque iacentes & comminutos. Verum ſi
iſtud à Cambyſe factum eſt, tam in culpa fuiſſe eum exiſtimo, quā
antiquos illos *milites* ſignorum contemptores non immunes ab
ea fuiſſe conſtat, licet hac potiſsimum de cauſa, celebratos à
Satyra xi. Iuuenale

Tunc rudis & Graias mirari neſcius artes,
Vrbibus euerſis, prædarum in parte relicta,
Magnorum artificum frangebat pocula miles
Vt phaleris gauderet equus.

Neque enim poſterioribus Romanis idem mos probatus, ſaltem
poſtquam *Marcellus* captis Syracuſis, vt non modo ſuam gloriā,
ſed etiam maieſtatem populi Romani augeret, ornamenta vrbis
ſigna, tabulaſque quibus abundabant Syracuſæ, Romam deue-
xit: eius enim exēplo L. *Mummius* idem in expugnata Coryntho
fecit, cùm alioqui tam rudis eſſet eiuſmodi elegantiarum, & or-
namentorum, vt cùm maximorum artificum perfectas manibus
tabulas, & ſtatuas in Italiam portandas locaret, *iuberet*, vt inquit
lib.1. Velleius, *prædici conducentibus ſi eas perdidiſſent, nouas eſſe reddi-*
turos: Atque eo demū peruenit Romanorum ſtudium in conqui-
rendis ſignis & tabulis, vt à nimio luxu & ambitione non abeſſet;
vnde

Digitized by Google

vnde Cato apud Liuium cùm de non abroganda lege oppia ſententiam diceret, eadem occaſione quantum ſpoliatæ ſuis tabulis Syracuſæ in Rempublicam intulerint detrimenti, ſeuerè patefacit, ſimulque ſæculi ſui mores grauiter accuſat, *Iam in Græciam,* inquit, *& Aſiam tranſcendimus omnium libidinum illecebris repletas, & regias attrectamus Gazas, eo plus horreo ne illæ nos res magis cœperint, quàm nos illas; infeſta mihi credite ſigna ab Syracuſanis illata ſunt, huic vrbi; iam nimis multos audio Corinthi & Athenarum ornamenta laudantes: mirante ſque & ante fixa, fictilia Romanorum Deorum laudantes.* Sed neque iſtius auctoris querela, nec Polybij quæſtio vtrum ex vtilitate ſua fecerint Romani, cùm ſigna ornamentaque captarum vrbium ſuam in patriam tranſportarunt, tanti apud me ſunt, vt non honeſtè, conuenienterque feciſſe Romanos cenſeam, qui quod penes hoſtes à ſe deuictos rarum & excellens fuit, id omne non peſſundarunt, ſed inter R. Imperij ornamenta reulere, ex quo ſi priuatorum luxus accreuit; ſi *Damaſippus* veteres emendo ſtatuas inſanijt; ſi *Græcorum atque Thuſcorum ingenia fingendis ſimulacris vrbem inundarunt,* vt loquitur Tertullianus, priuatæ ambitionis vitium id fuit, quod publicæ maieſtati non debebat officere. Cuius augendæ cura vel ipſas quoque Barbaras nationes non mediocriter tangit, quemadmodum ex facto *Solymani* patet, qui Hungaris ad Mugaciũ trucidatis, ipſorumque Rege ad fœdum interitum paluſtri lacunà ſubmerſo, cùm Budam, qui victoriæ finis eſſe ſolet, nullo negotio occupaſſet, ex ea tres priſci artificij ſtatuas æneas ſuſtulit, quæ in veſtibulo regiæ à Matthia Coruino omnis virtutis, atque elegantiæ ſtudioſo conſtitutæ fuerant: hæ clauigeri Herculis, citharœdique Apollinis, & pharetratę Dianæ formas referebant, quas pro trophæo Pannonicæ victoriæ, monumentum Byzantij in Hippodromo collocari iuſsit. Cæterum maximè conueniens videtur hic locus referendæ hiſtorię quam Polybius, alijque ſcriptores habent, de *Tauro* illo *æneo* Agrigenti à Phalaride fabricato, in quem viuos homines immittebat, vt ære concalefacto, ardentes interirent, ac ſi quando præ doloris acerbitate exclamarent, ſonus mugienti Tauro ſimilis exaudiretur; hunc igitur Taurum, ijs temporibus quibus Pœni Siciliæ imperium obtinebant, Agrigento Carthaginẽ tranſlatum fuiſſe, auctor eſt Polybius in fragmen-

lib. 4. dec. 4.

in Apologet. cap 25.

Digitized by Google

fragmentis Peyreſcianis, qui vehementer ibidem Timæo ſuccenſet, neganti Taurum hunc, aut Agrigento aduectum, aut Agrigẽti
libro 3. vnquam fuiſſe: & reuera Polybio hac in re ſuffragatur Diodorus, vbi Timæum ipſo euentu poſtea conuictum eſſe prodit, cùm Scipio Africanus multis annis poſt capta Carthagine, illum eundem Taurum reſtituit Agrigẽtinis, ad quos etiam dixiſſe fertur, prout
in Verrem. à Cicerone notatum eſt, *æquum eſſe illos cogitare, vtrum eſſet Agrigentinis vtilius ſuisne ſeruire, an populo Romano obtemperare, cùm idem monimentum, & domeſticæ crudelitatis, & noſtræ manſuetudinis haberent*. Quæ hiſtoria alterius mihi in mentem reducit, quã ſucceſſu non admodum diſſimili, refert Iouius in Ticini expugna-
libro 25. tione ab Odetto Lautrechio facta, contigiſſe, cùm ſcilicet *Hoſtaſius Rhauennas*, qui primus in arcem irruperat, aut ſi potior fides ſit Leandri Alberti *Coſmus de Magna*, in præmium nauatæ operæ, æneam equeſtrem ſtatuam quæ vulgo *Regiſolis* nomine innotuit, & Antonini Cæſaris eſſe dicitur, impetrauit, vt cum ea antiquitus Rhauennatium fuiſſet, eandem in vrbem vetus hoc patriæ ſpolium reportaret; tunc enim adeo acerbũ fuit Ticinenſibus, eripi ſibi præclarum hoc nobiliſſimæ, & vetuſtiſſimæ memoriæ monumentum, vt tumultu per ciuitatem facto, nec minus concitatis omnium animis, quàm ſi rurſum violare, & diripere cuiuſque priuatas fortunas hoſtis voluiſſet, enixè omnes Lautrechium obteſtati ſunt, vt aliunde huic gregario præmium virtutis ſuæ cõcederet, quàm ex illius ſtatuæ iacturà, quæ cunctos ſummæ calamitatis, atque miſeriæ recordatione, & ſupra direptæ patriæ ſortem æſtimandæ, perpetuò conficeret: itaque Lautrechij ſuaſu, indignabundus miles pro ænea ſtatua, pecuniam à quæſtoribus accepit, quantum ſatis erat pro murali corona, ex auro puro fabricanda, quę in fidem virtutis ſuæ, cum elogio Rhauennate in templo poneretur. Atque hoc facto non minorem laudem tulit Lautrechius, quam olim Marcellus à Cicerone conſecutus
Ver.2. eſt, eo quod *ædificijs omnibus Syracuſarum publicis, & priuatis, ſacris, & propbanis, ſic pepercit, quaſi ad ea defendenda cum exercitu non expugnanda veniſſet*; ac ne cui dubium ſit, Romanis inſitum penitus fuiſſe deſiderium non modo tuendi, & vindicandi ab hominum iniuria, ſed inſtaurãdi quoque dicata ſuis inimicis eiuſmodi monumenta, ſi quando vetuſtate collaberentur, ex eo quis

facilè

Digitized by Google

facilè coniecturam facere poteſt, quod *Cæſar* nulla re magis ſibi populi Romani beneuolentiam conciliauit, quàm cùm ipſe ea in vrbe quæ à Sylla diù occupata, nihil aliud, quàm Syllanæ factionis venena ſpirabat, primus C. Marij ſtatuas collabentes reſtituit, eaſque producere in lucem, quaſi de nouo auſus eſt; & quid ni Cæſari bene vertiſſet factum eiuſmodi, ſi populus idem nõ moleſtè tulit *Annibalis* non exteri modo hominis, ſed hoſtis etiam iurati ſtatuæ inter totalias præſtantium virorum, quæ media in Vrbe cernebantur, locum pariter fuiſſe, & tamen Plinio teſte *adeo diſcrimen omne ſublatum*, loquitur nempe de ſtatuis, quæ publicè exteris poſitæ ſunt, *vt Annibalis etiam ſtatuæ tribus locis viſantur in Vrbe, cuius intra muros ſolus hoſtium emiſit haſtam*. lib. 34. cap. 6.

Iam vero ſi deſtinatis tantum hominum vſui, publicæque, aut priuatorum gloriæ monumentis, tantum honoris habendum eſt, vt ipſa ab omni offenſione illæſa conſeruentur, quanto magis curandum eſt, vt in ea quæ ſacris vſibus dicata ſunt, nihil aut profanum, aut impium committatur, ſi præſertim inter hoſtes de eodem cultu conueniat, & erga eundem vtique Deum. Nam diuina, humanaque promiſcua habere, ac ſine delectu ſimulacra atque imagines, calices, vaſa, reliquamque templorum ſacram ſuppellectilem, non ſecus atque hoſtium fortunas alias, domeſticaque ornamenta inuadere, quaſi chriſtianorum templa ſimilia eſſent fani Adonidis in Macedonia, de quo illud vulgo ferebatur *οὐδὲν ἱερὸν nihil ſacrum*, hominum eſt ſacrilegorum, imo theomachorum, qui veſano furore perciti, bellum Dijs ęquè, ac hominibus indicunt. Hincque cùm arma in Viſigothos expediret Clodouæus, & ad Epiſcopos Galliæ, qui tunc Aurelię ad Ligerim Synodum habebant, literas dediſſet, quibus ſignificabat lege à ſe lata cautum, ne miles hoſtium fines ingreſſus loca ſacra ſpoliaret, dicatas Deo virgines raperet, ſeruos Eccleſię abduceret, patres laudato Regis conſilio reſcripſerunt, ſanctionem illam Deo gratam videri, ipſumque Catholicæ Eccleſię filium pronunciarunt. Atque vt intelligas qua pietate Clodouæus legem hanc tulerit, exẽplo id memorabili oſtendam, quod memini me quondam apud Paulum Aemilium nobilem rerum noſtrarum hiſtoricum legiſſe, narrat enim cùm miles quidam calicem è templo ſurripuiſſet, D. Remigium ſacerdotes ad Regem miſiſſe, qui ea de re apud illum 22 *Maximè ſi ſacra ea fuerint.*

age-

Digitized by Google

agerent, cauſamque religionis Chriſtianæ defenderent, & decretum à Rege ac procerum comitatu fuiſſe, vt calix Eccleſiæ redderetur: verum accidit poſtea in recenſione exercitus, cùm idem miles qui calicem ſurripuerat, regem contumaciæ oblitum exiſtimans, coram eo ſe ſiſteret, vt Clodouæus proiectâ eius in terram haſtâ, quaſi minus idonea bellorum vſui foret, conatumque eam colligere, ſecuri interfecerit, qua in re egregium ſane edidit & dignum recenti ſua pietate, militaris ſecuritatis iuſtitiæque caſtrenſis exemplum. Et vero conſtat ex omnium gentiū hiſtorijs, quoties eiuſmodi ſacrilegia humanis legibus nō repreſſa fuerūt, Deos tamen ſcelerum vindices, nūquam hanc iniuriam inultam impunitamque reliquiſſe, quemadmodum Horatius eleganter exprimit in his verſibus

Ode.4.lib. 4.

& impio
V*aſtata Pœnorum tumultu*
Fana, Deos habuere rectos.

Saltem ex eorum opinione qui *rectos* pro *iuſtis & vindicibus* accipiunt, non autem pro *erectis*, *& non amplius proſtratis aut iacētibus*: clarè vero & abſque vlla difficultate Euripides pronunciat

In Troad. in

Homo quiſquis vrbes vaſtat & Dis Manibus
Sedes ſacratas, templaque, haud recte ſapit
Nam ſimilis ipſum peſtis excidij manet.

Hoc autem vt in Deorum templis, ſic & in eorundē ſtatuis obſeruatum, quę nunquam ſine piaculo pollui contrectarique aut profanari poterant, quod Marcianus Heracleota Iaſionis exemplo declarat, in hunc ſenſum, quem ex Græcis verſibus expreſſit Federicus Morellus

in carm. geograph.

Ex his Iaſonia facinus impium
Signum in ſacrum patraſſe Cæſaris aſſerunt
Et cœlitum miſſo interemptum fulmine.

Quamobrem mirari profecto ſubit propenſam hominum in omne ſcelus ac nefas naturam, quæ ne templa quidem ſuperatis, bello populis tuta eſſe permittit, nec aliquid in illis tam ſanctum ac inuiolabile putat, quod temerare ſtatim, ac aduncis manibus rapere, & in proprios vſus conuertere, non audeat; neque enim alio reſpicit Silius Italicus cùm inquit

lib. 3 punic.

Ne flammam tædaſque velint, ne templa ſub vno

In

Digitized by Google

In cinerem traxiſſe rogo.

Non alio Prudentius de Alexandro loquens

Aut quoties ductor Macedum fortiſsimus altos
Templorum cineres, victis cumulauit ab Indis.

Sed illi forſan excuſari poſſunt, quia cultu ab illis gentibus ſeparati, quarum aras & templa *iure victoriæ*, velut de Pompeio dicunt Tacitus & D. Auguſtinus corrumpere poterant, Iuuenal. ſat.

cùm numina vicinorum
Odit vterque locus, cùm ſolos credit habendos
Eſſe Deos, quos ipſe colit

quanto vero ſceleſtior ille Tribunus qui ſuis proprijs patrijſque ſacris, tam impiè apud Lucanũ minatur, diraque ac infauſta omnia ex Imperatoris nutu ſe in ea perpetraturum aſſerit,

iubeas
Si ſpoliare Deos, ignemque immittere Templis,
Numina miſcebit caſtrenſis flamma monetæ.

23. *Additurque origo templorũ profanationis ex antiquo ritu theſauros in illis aſſeruandi.*

Verum parco his exemplis quæ omnium in ore, & heu ſæculi fatum, nimis quamſæpe etiam in manu ſunt; venioque ad tantam profanationis cauſam, quæ cùm à diuerſis auctoribus non vna hactenus aſſignata fuerit, videntur tamen mihi omnes eam omiſiſſe, quæ omniũ meo iudicio prima ac veriſsima cẽſeri debet; Sed priuſquam de illa conſtare poſsit, explicandus eſt antiquorum ritus, qui Theſauros & pecunias, & quæ prætioſa atque rara habebant in templis, ac regum ſepulchris, tanquam in locis tutiſsimis, quæ violare aut ſpoliare nefas eſſet, maximè recondebant, quemadmodum ex varijs auctorum locis probauit Michael Neander, ex quo Iacobus Pontanus ſelecta quædam deſumpſit, nihil interim de ſuo addens, quo ritus hic certior atque illuſtrior fieri poſſet; quare ne quis idem factum à me queratur, proferam Aemilij Probi locum hunc de Ariſtide, *eius arbitrio quadringenta & ſexaginta talenta quotannis Delum ſunt collata id enim commune ærarium eſſe voluerunt*; & quidni alterum de Annibale profugo apud Gortynios, quos poſtquam ſuis pecunijs inſidiari, ob ſummam eorum auaritiam, deprehendit, aſtuto quodam & vafro ſtratagemate ſibi ex eorum manibus eluctandum eſſe ſtatuit, *itaque capit tale conſilium, amphoras complureis complet plumbo, ſummas operit auro & argento, has Gortinijs præſentibus deponit*

part.2 oper. aurei. In bellarijs.

ponit in templo Dianæ, ſimulans ſuas fortunas illorum fidei credere, his in errorem ductis, ſtatuas æneas quas ſecum portabat, omnes ſuâ pecuniâ complet, eaſque in propatulo domi abijcit, Gortinij templum magna cura cuſtodiunt, non tam à cæteris quàm ab Annibale, ne quid ille inſcientibus illis tolleret, ſic igitur Ariſtides & Annibal pecunias hic ſuas, ille vero publicas in templis depoſuerunt. Et ab eodem ritu ſunt illa Ciceronis *Alexander in Cilicia depoſuiſſe apud Solem in delubro pecuniam dicitur*: Et Plauti in Bacchidibus *nos apud Theotymum omne aurum deponimus, qui illic Sacerdos eſt Dianæ Epheſiæ*. Eadem de cauſa Hieroſolymis in templo, ſacræ pecuniæ talenta duo millia ſeruabantur, à quibus Pompeium manus continuiſſe refert Hegeſippus, & quemadmodum Poſidonius apud Athenæum refert, duobus modis ſeruatam olim à Lacedæmonijs pecuniam publicam, primo cùm deponebatur apud finitimos Arcadas; deinde in templo Apollinis Delphici; ſic Romani in æde Saturni ærarium ſuum eſſe voluerunt, poſtquam Valerius Publicola primus templum illud ijs vſibus addixit, vnde Pſeudo Cornutus ad Satyram ſecundam Perſij *æs in æde Saturni condebatur, nondum argento auroque ſignato, vnde ærarium nomen accepit*, ſed demum ſignata pecunia in eo repoſita etiam fuit vt ex Floro alijſque auctoribus patet, quorum omnium inſtar, Lucanũ laudo, in hiſtoria Cæſaris effringentis ærarij portas, cùm Tribuni tardius illas recluderent.

2. de legib.

Excidij Hieroſ lib. 1. cap. 17.

lib. 6.

lib. 3.

tum conditus imo
Eruitur templo multis intactus ab annis
Romani cenſus populi, quem Punica bella,
Quem dederat Perſes, quem victi præda tyranni.

Ecce igitur quomodo antiqui, quod templa ſacra & inuiolabilia cenſebant pecunias ſuas, & res quaſque pretioſiſſimas, collocandas aſſeruandaſque in ijs duxerunt. Verum ita res præter illorum expectationem, contigit vt quod ſibi maximo præſidio fore arbitrabantur, illud exitium ipſis, rebuſque ſuis ſimul & diuinis attulerit, nam milites qui ſua natura nihil cogitant præter cædes, incendia, rapinas; quorum auaritiâ, nihil quantumuis ſanctum & ſolemne ſit, non comminuere, atque violare ſolet, quos denique, ſi legibus humanis comprimere non poſſis, fruſtra etiam coneris in officio diuinis retinere; hi inquam cum ſcirent maximas

mas opes & diuitias in tẽplis quaſi ſub Deorum tutela aſſeruari, in hæc propterea ſibi irrumpendum putarunt, vt certiſsima parabilique prædà ditarentur. Sic enim templum *Delphici Apollinis* propter opes in eo depoſitas à Brenno Gallorum duce petitum, ac demum ſpoliatum fuiſſe narrat præter alios Iuſtinus; & præclaræ omnino in hunc ſenſum dixit Abbas Vrſpergenſis *auditâ templi Hierſolymitani opulentiâ, quam Pompeius intactam reliquerat, in Palæſtinam diuertit, Hieroſolymam adit, templum peruadit, opes diripit*, nec aliæ cauſæ fuerunt Philomelio, Onomarcho Phyalo vt idem Delphicum templum ſpoliare auderent; Cambyſi vt *Iouis Ammonis* ſacras ædes ſuis militibus diripiendas præberet; Q. Plemnyo & Pyrrho Epirotæ vt templum *Proſerpinæ* quod apud Locros toto orbe celeberrimum eſt, violarent, niſi radix malorum omnium auaritia; quæ vt milites Pompei quondam induxit, ex theſauri cuiuſdam caſu inuenti occaſione, & rumore temere à quibuſdam ſparſo, varios adhuc in eodem tractu latere à Pœnis occultatos, vt per plures dies ad fodiendum auidiſſimè ſe darent, ſicut refertur à Plutarcho, ſic reliquos omnes impellit, vt non pluris aras quàm haras, & ædem ſacram quam profanam ducant, vt ferro & rapinis cuncta miſceant, diripiantque, vt auſu nefario monumenta publica diruant; ſepulchra violent, & ſi quid aliud eſt aut religione ſanctum, aut operis elegantiâ præſtans, aut antiquitate venerãdum, illud omne quaſi fera rabie ſtimulati

lib. 4. in chronico.

In Pompeio.

Præcipitare iubent, ſubiectiſque vrere flammis.

Vnde tot malorum quæ in bellis quotidie committuntur cauſæ non inter poſtremas mea quidem ſententiâ, aſſignandæ ſunt

Lucretius.

Auarities & honorum cæca cupido
Quæ miſeros homines cogant tranſcendere fines
Iuris.

XV.

1. Tertiũ denique, ac vltimũ monitum in eo verſatur, vt portentis ſomniis, auguriis & vaniſſimis eiuſmodi obſeruationibus.

Explicatis hoc modo legibus militaribus, reliquum eſt vt tertium quod in ratione conſiliorum militarium obſeruari debere ſupra diximus, excutiendum nunc examinandumque proponã: hoc vero tanto maiori curà mihi faciendum eſſe intelligo, quod vitium eſt non heri, aut nudiuſtertius receptum, nec inter viros tantum militares, aut plebeios, ſed per literatorum quoque ſcholas diffuſum, pendere ſingulis diebus, & in omni negociorum adminiſtratione à ſortilegis, & Chaldæis; conſulere diuinationum

bus nulla fides habeatur contra quam voluerũt Rãzouius, & Lipſius.

2. de præparat. cap 3.

num, & magiæ profeſſores; ſectari coniectores ſomnium, fatidicos, ſagas; fortuita quæque & vaniſſima, in ſignum boni, vel mali euentus ducere; & non ſecus in exercitu conſcribendo, aut ad pugnam educendo, alijſque vitæ actionibus horum omnium rationem habere, quàm ſi numina gauderẽt talibus ineptijs, & inanimentis, quæ ſapientes viri nebulæ cyatho non potiora ducant, voluntatis ſuæ ſignificationẽ hominibus inſinuare. Et vero quaſi non ea eſſet hominum natura, vt non tam ratione, quàm errore, vel formidine in omnibus duceretur, aut chriſtianis honeſtum eſſet, poſtquam vt Euſebius inquit, *perierunt Aegyptiorum penetralia, tenebris tradita eſt necromãtia, Tyrrhenorum capræ ſimul cum extis ad diuinationem præparatæ, corui hominibus oracula reddentes auolarunt*, eiuſmodi ſuperſtitiones, & veras luxatæ mentis occupationes, in vſum reuocare; non deſunt tamen qui ſponte ſua inſanientes, & ab omni ratione plerumque auerſos homines, ſuis inconſultis conſilijs, & neſcio cuius incautæ pietatis ſimulatione, ad vlteriorem inſaniam quotidie adigant. Quos inter etſi multos nominare poſſem, nihilominus tamen à proletarijs auctoribus, qui nihil vnquam niſi ex fæce hauriunt, lubẽs abſtinebo, vt duos omni exceptione maiores *Iuſtum Lipſium* ſcilicet, & *Henricum Ranzouium*, quorum ſcriptis non minimam exiſtimo conciliari ſimilibus deliramentis auctoritatem, omnibus qui horum conſilijs in errorem Tarteſſià Murenà grandiorem deduci nolunt, ſedulò deuitandos eſſe admoneam. Licet enim hic multa præclarè, & quodam ingenitæ probitatis ſplendore ductus, literis conſignarit, quæ tum ad medicinam, & artem militarem, cùm ad alias artes, de quibus tractauit valde vtilia eſſe poſſunt; ille autem verè Muſarum pullus, & deliciæ Charitum, nihil vnquam tractandum ſuſceperit, quod non ingenij præſtantià, doctrinæ amœnitate, ſermonumque floſculis, & lepore perfectum vndequaque, & abſolutum reliquerit, neſcio tamen quomodo in iſtud tandem erroris ambo delapſi ſunt, vt Ranzouius toto capite decimo octauo libri ſecundi, varijs exemplis, & rationibus probare contendat, ſigna quædam eſſe, & oſtenta, ac ſomnia victoriæ, aut cladis futuræ, quorum oportet ducem priuſquam ad pugnam deſcendat, rationem diligenter inire, imo vero quaſi non ſatis haberet illud ſemel monuiſſe, rurſum in libro quinto, qui bello

naua-

nauali deſtinatus eſt, caput aliud inſtituit *de ſignis, vel prodigijs naualem victoriam, aut cladem portendentibus*, in quo ſi velis ſcire, Ludouice Comes, quantum his ineptijs vir alioqui grauiſſimus, concedat, en ſpecimen habe ex iſtis. *vt delphinum ad nauim acceſſus boni omnis, ita hirundinum decubitus, aut inſeſſus infauſti omnis eſſe ſæpius obſeruatum eſt, & quidem hoc poſterius in Anthonij naui cùm accidiſſet, & in ea conſediſſent hirundines funeſtam cladem ipſius claſſi attulerunt. Cùm nauium coſtæ ingemiſcunt, trabeſque crepant, & ſonitus eiulantium gemitus imitantes noctu audiuntur, imminentis mali indubitatum eſt ſignum*, atque horum, ſimilia eſſe, quæ apud Ranzouium continentur oſtẽta, prodigiaque reliqua, fidem meam interpono. Lipſius vero cùm in ciuili doctrina prius monuiſſet, modicè in diuina inquirendum eſſe, nec ſomnia, & fulminum monitus, & futurorum præſagia, quaſi fortuito aduenirent contemni debere, rem poſtea in exemplis, & monitis politicis accuratius diſtinguit; vtque melius ſtabiliret fatum, ſeu Dei prouidentiam in prædictionibus elucere, has demum in *ſomnia*, *ſigna*, eaque vt nullum vaniſſimæ obſeruationis genus prætermittat *magna*, aut *parua*, & *ſpectra* denique, ac vaticinia diſtinguit; in quorum omnium explicatione, ea tandem exempla colligit, quæ neſcio vt alios afficere poſſint, mihi certè bilem in naſum conijciunt, & parum vt illi hac in re æquus ſim efficiunt; cui enim niſi impio, aut amenti perſuadeat, Deum Oſmano quo nulla tetrior peſtis in Chriſtianos exoriri poterat, futuri ſui imperij Turcici magnitudinem ſomnio aliorum omnium, quæ cæteris accidere ſolent, ſuauiſſimo, purgatiſſimoque gratulari voluiſſe? Quis item illi ſanus aſſentiatur, columbæ temerario volatu, aut veſtium cultu peregrino, vel pecuniæ aliter quàm pro ſolito ſignatæ vſu, magnas rerum inclinationes ſignificari, ſi quemadmodum poſtea idemmet aſſerit, ſtellæ ipſæ quæ mouentur cœlorum curſibus sẽpiternis, quibus nihil eſt aut ſubſtãtià nobilius, aut ſitu ſublimius, aut ordine diſtinctius, aut agitatione conſtantius, fruſtra ſunt in Aſtrologorum prædictionibus, in quibus nihil firmum, nihil ex arte certa hauſtum reperiri, tam ipſe Lipſius, quàm cęteri omnes docti ſapienteſque viri, arbitratus eſt; ſed video quid ille huic obiectioni reponit, negat ſcilicet hæc omina, & portenta ex viribus naturæ ſignificare futuros rerum euentus, ſed eſſe tanquam

ſigna in iſtud à Deo inſtituta, vt horum beneficio homines præmoneat, de rebus, quæ ipſis feliciter aut inauſpicato accidere debent. Verum quid aliud de Socratis Genio, & tot alijs dæmonibus, qui apud profanos erant in veneratione, dictum fuit ab antiquis, & ſi forſan exemplis Sacræ Scripturæ tueri ſe velit, quantū amabo inter ſe differunt, omen aliquod fortuitum arbitrio ſuo rapere, & ſignum à Deo ex neceſſaria & ad honorem Dei pertinente cauſa poſcere, quemadmodum in diuinis codicibus feciſſe leguntur ſeruus Abrahæ, Gedeon, Ionatas, & eorum poſtea imitatione viri alij pietate ſancti, quorum nomina, & hiſtoriæ apud Martinum Delrium, & alios ſcriptores habentur. Vnde licet D. Bonauentura referat in vita ſancti Franciſci immiſſum diuinitus menti eius fuiſſe, quod in apertione codicis Euangeliorum ei innoteſceret, quid Deo maximè foret de illo acceptum, non tamen inde ſequitur Prænestinas ſortes legitimas fuiſſe, aut rectè feciſſe Claudium Cæſarem, Brutum, Traianum, & alios qui multo lubentius Homericos, aut Virgilianos verſus, quàm Sibyllinos conſuluerunt; quod idem prorſus de ſignis, & vaticinijs, atque id genus omnibus alijs dicendum eſt; quibus ſi quis ſanæ mentis homo vellet incumbere, an non ſtatim rideretur à Philoſophis; ſi quis etiam Chriſtianus, an non continuò ab omnibus concilijs damnaretur? non traduceretur etiam à ſanctis Patribus, & Auguſtino præſertim, ac Chryſoſtomo, quorum hic varijs in ſermonibus, multa habet in hanc rem, ex quibus videri merito poſſet contra Lipſium hæc dixiſſe *multi obſeruant inanes ſuperſtitiones, & ominibus, auguriis ſignis ſeruiunt, alii amuletis & excantationibus, multi dies obſeruant, ingreſſus, egreſſus, ſi pes offendit*. Quæ omnia cùm Lipſius ſua auctoritate, quàm ex merito cùm eruditionis, tum etiam ſapientiæ iure apud omnes obtinuit maximam, ſtabilire tētaret, miror cur ipſe non veritus eſt, ne ſibi objceretur, quòd religionem tam impensè colit, vt etiam fauere videatur ſuperſtitioni; quam ſi quis animo ſemel conceperit, is non poterit effugere proximas miſerias, ipſa enim ſibi ſupplicium eſt, dum vmbram ſuam metuit, inanibus terretur, rationem neſcit, formidinem concipit

Et mota ad Lunam trepidat arundinis vmbram.

omniaque ſingulis diebus obſeruat ſtultiſſimè, quæ tam ſapienter exa-

exagitarunt Theophraſtus in charactere περὶ δεισιδαιμονίας ſeu *de ſuperſtitione*; & Ouidius in perſona Laodamiæ, quam fingit toto belli Troiani tẽpore miſerè diſcruciatam fuiſſe, eo quod maritus ſuus Proteſilaus ad illud proficiſcẽs pede in limine offẽderat.

Cum foribus velles ad Troiam *exire paternis,*
Pes tuus offenſo limine ſigna dedit:
Vt vidi ingemui, tacitoque in pectore dixi.
Signa reuertentis ſint precor iſta viri.

Quamobrem vt Lipſium hac in re minus conſulto verſatum fuiſſe conficiam, operæpretium eſt in primis, ſuperſtitioſas illas obſeruationes quas hoc loci commendat, quaſque non tantummodo milites, ſed quicunque inter alios homines minus præclarè ab optima mente ſubornati ſunt, auidè conſectantur, tanquam à primo fonte arceſſere, à quo poſtea ſicut ex limpidiſſima ſcaturigine riuuli, locorum per quæ tranſeunt vitio inquinantur; ſic eiuſmodi obſeruationes, hominum ignorãtiâ turbidæ, limoſæque ad nos defluxerunt. Hunc vero ſemper apud me exiſtimaui fuiſſe antiquorum *Aruſpicinam*, ſeu inſpectionem extorum in victimis, quæ publicè immolabantur, ſapienter quidem à priſcis legum latoribus inſtitutam, quo ex eorum naturali conſtitutione, ſi ſana ea, laudabiliſque foret, locorum fertilitatem, aquarum bonitatem, aeris, & pabuli præſtantiam colligerent; ſi vero lapidoſa, marcida, lurida contrarium iudicaretur; hincque non modo ſi oppida eſſent fundaturi, ſed etiam ſi caſtra metaturi; pecudum viſcera ſolicitè rimabantur, vt in eius loci naturam facilius deuenirent, in quo hæc omnia commodius facere poſſent: & viſcera quidem illa antiquus Martiani Capellæ interpres notat fuiſſe ſeptem *linguam* ſcilicet, *cor*, *Hepar*, *Lienem*, *pulmonem*, *duos renes*; quæ ſingula aſpiciebant Aruſpices, vt ex vnoquoque ſigillatim non minus atque ex omnibus ſimul, coniecturam facerent. Quanquam puto aliam præterea cauſam fuiſſe huius inſpectionis, maximè apud antiquiſsimos illos Heroas, quos Homerus & Virgilius iugulatas in aris victimas, ad menſæ poſtea genialis apparatum, & lautiores epulas tranſtuliſſe narrant; horum enim cùm intereſſet cauere diligenter, ne quas carnes infectas & moribundas comederent, popas primùm, ac deinde Sacerdotes voluerunt interanea victimarũ luſtrare, & ſcrutari num ali-

2 *Earum omnium origo inquiritur.*

quæ nullo penitus fundamento, ſed potius continuâ mendaciorum additione ſubſiſtunt, præcepta in veræ & rationalis cuiuſdã ſcientiæ effictam ſimilitudinem colligere, ſicut Geber, Cocles, Aponenſis, Cataneus, Annibal Raimundus, Rabini, atque vt vno verbo concludam innumeri alij homines Blenni fatuique feciſſe deprehenduntur. Quinimo tanta huius artis amplificandæ cupiditas, penes antiquos fuit, vt præter Haruſpices ipſos, qui nullum non lapidem mouebant, quo ſuæ artis maioribus indies incrementis abundè conſultum eſſet; cuilibet etiam profano liceret, eam nouis quotidie cogitationibus illuſtrare; ſic enim Onoſander ex cœleſtium conuerſionum immutatione *quarũ* vt inquit *per breuiſsima momenta variæ vires, ac ſignificationes diei vnius imo horulæ ſpatio, & Reges faciunt, & captiuos*: varias item arbitratur eſſe extorum ſignificationes, pro temptorum in quibus conſuluntur varia mutatione; itaque plures hoſtias eodem die mactandas conſulit, quoniam *hora vna, & breuiſſimi temporis momentum, ſiue importunam occaſionem præripias, ſiue opportunam amittas, non parum obeſſe poteſt*. Ab hoc igitur *Extiſpicio*, cuius auctoritas tam latè ſe per omnes populos diffudit, initium fuiſſe arbitror reliquarum rerum obſeruationibus pariter ſuperſtitioſis, procliuè enim fuit ijs qui tam varia ex mortuis animalibus conijcerent, vt plura adhuc ſe ex viuentibus deprehenſuros arbitrarentur. Hincque auium volatus ſenſim obſeruari cœpti ſunt, & cantus notari, & animalium occurſus ſignari, & hominis ipſius voces, motus, actiones, cenſeri, ex quibus cùm nondum ſatis prouiſum humanæ imbecillitati, ad præcauendos rerum euentus, videretur, ipſa ad obuia quæque ſe applicuit, itaut etiam ex aqua, igne, fumo, ex oculorum palpitatione, & ſternutamento, ex offenſione pedis, & effractâ corrigia, ex fluminis curſu, v orticibus, & rebus tandẽ quibuſcumque oblatis, ac nugatorijs multa conijcerent: adeoque in ſui contumeliam creuit hominũ ſtultitia, potius quàm diuinandi ſcientia, nihil vt fuerit, ex quo ſigna rerum futurarum peti non poſſe, fallacibus experimentis deluſa exiſtimaret; cùm interim omnes qui ex rebus illis diuinabant, ſeu ab *Haris* ex quibus hoſtiæ legebantur, ſeu ab *aris* in quibus cadebant, veriori mea ſententiâ etymo quàm ab *halando*, vt voluit Donatus, quòd halitu quodam ſolebant excludere

cap. 10.

Fff 3 morta-

lib.de diuin.1 mortalem animam vt diuinam reciperent, aut ſaltem furoris alicuius diuini participem, à quo Tullius *furibundas* ariolorum, & vatum prædictiones appellauit. Quanquam etſi ita ſe res haberet, nihil tamen officeret priori huic ſententiæ, quæ fuit Origenis, Iſidori, & aliorum, cùm Iulius Firmicus libro ſecundo aſtronomiæ doceat, eos ab *Aris* dici quod *Aris inhalantes numen de nidore concipiant*.

3.
Oſtēditurque quātum illis addicti homines ab omni tempore fuerint generatim loquēdo.
2.de diuinat.

Porro licet ex dictis euidenter pateat, quanta vanitate totum iſtud negotium augurale, & diuinatorium refertum ſit; ita ut etiā aliquando *Cato* apud Ciceronem dixerit, *mirari ſe quod non rideat Haruſpex ſi Haruſpicem viderit, quota enim res quaque euenit prædicta ab ipſis, aut ſi euenit quippiam; quid afferri poteſt cur non caſu id euenerit?* non defuerunt tamen philoſophi ſicut Plato in Phoedone. & alij qui ſeu quod nō tanta auctoritate pollebant ſua in Republica, vt eadem cum Catone Cenſorio libertate, ſacra hæc ominoſa ridere poſſent, ſeu quod reuera mundum hunc vniuerſum euentorum ſignis refertum eſſe crederent, idcirco ſapiētem per auguria inueſtigationem fieri poſſe, cæteris perſuadere conati ſunt. Et quidem hiſtoricorum præſtātiſsimus Tacitus, cùm de re quæ apud omnes in confeſſo erat, ſibi minimè dubitandum eſſe exiſtimaret, non extiſpicium modo, vel augurium, ſed omnis generis omina & retulit in annales, & calculo ſuo tanquam veriſsima comprobauit: vnde illi haud ſpernenda omnino videntur *Cœlo, terraque prodigia, & fulminum monitus, & futurorum præſagia læta, triſtitia, ambiguà, manifeſta.* Sed longè adhuc magis in eiuſmodi nugas propendebat Ammianus Marcellinus, cuius rationibus omnino arbitror ita ſeductum fuiſſe Lipſium, vt quod hic in ſua profana religione probauit, idem etiam ipſe in noſtra admitteret, ſic enim ille *multa ſignificant ſuper his crepitus vocum, & occurrentia ſigna, tonitrua quin etiam ac fulgura & fulmina, itidemque ſiderum ſulci*; nempe quia vt paulo ſupra de auium volatu dixerat, *amat benignitas numinis, ſeu quod merentur homines, ſeu quod tangitur eorum affectione, his quoque rationibus prodere quæ impendent*. Quibus grauiſsimorum auctorū locis, ſi quis exempla iungere velit, vt bipartita acie & in duo cornua diuiſa pugnet, huic profectò non erit difficile, magnam eorum vim, non maximo ſumptu aut labore, ſimul in vnum

lib.21.

colli-

colligere;cùm Romani, vt ab illis exordiar catalogum hunc meræ vanitatis texere, nihil neque domi, neque militiæ niſi auſpicato gererent, quippe quòd,vt inquit apud Liuium C. Manlius, *nullius calumniæ ſubijcerentur ea quæ Dij comprobauiſſent*,ideoque Ouidius *Auguſto* conſulit, ne quicquam non obſeruata prius auſpiciorum religione aggrediatur. De faſtis.

Non ego te quamuis properabis vincere Cæſar,
Si vetat auſpicium, ſigna mouere velim;
Sint tibi Flaminius, Thraſimenaque littora teſtes,
Per volucres ſigna, multa mouere Deos.

& Iulius obſequens toto ſuo libro de prodigijs, nihil aliud in votis habuiſſe videtur, quàm declarare, quanti ſemper Romani fecerint, de cœlo obſeruare,& auſpicia prodigiaque in ſingulis rebus aut aggrediendis, aut promouendis diligenter intueri,quo de earum euentu facilius conijcere poſſent. Vnde T. *Gracchus* etiam dum ſe ad res nouas pararet,auſpicia domi priuatiuè petijt, quemadmodum obſeruat Valerius Maximus, nec aliud ferme Romanorum religio fuit quàm prodigiorum obſeruatio,quæ à *Tagete* Hetruſco primùm inuenta,deinde à B*acchitide & Labeone* vetuſtis ſcriptoribus explicata fuit;ac etiam à *Bygoe* nympha,quæ vt Seruius notat, artem fulguralem ſcripſit, quibus demum *Numæ* ac Romanorum augurales libri pro ſuperſtitionum cumulo acceſſerunt, ſic enim Tullius eos hoc ordine recenſet, *Etruſcorũ declarant & haruſpicini, & fulgurales, & rituales libri, noſtri etiã augurales*. Vnde cùm Nicolaus Perottus & Paulus Benius inuidiam T. Liuio conflare nituntur, ab hac prodigiorum narratione,Romanorum mores culpare potius debuiſſent,quos ſiquis in omne genus eiuſmodi ſuperſtitionum propẽſiſſimos fuiſſe negat, is meo quidem iudicio, parum in eorundem hiſtoria verſatus ſit oportet;quid enim aliud ſibi vult Ammianus his verbis *ſi quis ſuper occentu ſoricis, vel occurſu muſtelæ, vel ſimilis ſigni gratià conſuluiſſet quemquam peritum,aut anile incãtamentum ad leniendum adhibuiſſet dolorem, delatus, raptusque in iudicium pœnaliter interibat*,vides enim in his mirifica ſigna, & eorundẽ quoque interpretes recenſeri; verum quid præterea *multi*,inquit idẽ alibi, *nec in publico prodeunt, nec prandent, nec lauari arbitrantur ſe cautius poſſe, antequam ephemeride ſcrupuloſè ſciſcitata, didi-*

ad Aeneid. vi

1. de diuinat.

In præfat. Polyb.

in meth. hiſt.

lib. 16.

lib. 28.

cerint vbi ſit verbi gratiâ ſignũ Mercurÿ, vel quotam Cancri ſideris partem polum diſcurrens obtineat Luna; atque ita nihil in cœlo occultum fuit, aut in terra eo vſque vanum & futile, quod populorum ſapientiſsimo non impoſuerit, nimis in ſpem aut metum rerum ſuarum anxio, vt præter laudatos auctores, Dionyſius Halicarnaceſis, Valerius, Ouidius, Virgilius, Plinius, & infiniti propemodum alij memoriæ conſignarunt; quemadmodum idẽ de Græcis, aliiſque populis fecere Homerus, Pauſanias, Herodotus, & Plutarchus, quem vltimum mirari quis poſſet adeo amicum fuiſſe his obſeruationibus nugaciſsimis, quas ſapienter in libro de ſuperſtitione vitanda proſcripſerat, vt in vitis illuſtrium virorum, quæ non tamen ita multæ ſunt XXXIX. oraculorum meminerit; XCIII. prodigiorum; Auguriorum XXXI. & ſomniorum denique XLI. itaut ſi quis ex reliquo eius ſermone eum demat quem rebus iſtis impendit, non modo liber multo contractior euadet, ſed minori quoque legentium tædio, qui ferme nauſeant ad tales ineptias, euolui poterit; ſed quemadmodum de Liuio diximus, ipſe non tam proprio, quàm communi tẽporum ſuorum fato in hũc errorem inductus eſt. Nam quid illis fingere hominibus non licuit; certè apud Apollonium Rhodium ipſa Argo nauis loquitur, ac pœnam Abſyrti interfectoribus minatur; quod Lycophronis interpres accidiſſe ſcribit, quia carinam habebat ἐκ τῆς Δωδώνης δρυὸς, *ex Dodonide quercu*, quo pariter Claudianus alluſit in hoc verſu

15 metamor. 1. Georgic. lib. 18. cap. 2.

lib. 4.

Arbore præſaga tabulas animaſſe loquaces.

Odyſſea 12.

Sic apud Homerum carnes Bouum mactatorum iam ac excoriatorum, ſerpunt tamen, ac verubus transfixæ Taurorum more mugiunt, quæ portenta deinde ſecutum eſt naufragium, in quo ſocij Vlyſſis in mare diſiecti, ac fulmine percuſſi miſerè periere; ac ne quis exiſtimet melius cum Troianis actum fuiſſe ab eiuſmodi Panico terrore, facit Virgilius dum inquit

Aeneide 5.

Triſte per Augurium Teucrorum pectora ducunt.

Heraclides depolit. lib. 1. Romæ triumph. ad Alexand. lib. 5. cap. 19.

quoties vero λευκὸς κόραξ ἐφάνη *candidus apparuit coruus*, ἐφάνη λευκὴ χελιδὼν *viſa eſt hirundo alba*, quàm grauiter vbique gentiũ ea de cauſa tumultuatum fuit; profecto toties eius rei exempla in antiquorum libris occurrunt, vt non difficile fuerit Blondo Flauio & Andreæ Tiraquello, ea omnia in quinque principes diffe-

differẽtias referre, quæ certis obſeruationibus *ex cœlo, volucribus, bipedibus, quadrupedibus, & diris* omnẽ auguriorũ doctrinã comprehẽderent, quã poſtea varijs auctoritatibus argutè ſcelectis, ordinatiſque per ſingula capita nõ parũ illluſtrauit Philologus eximius Thomas Demſterus in notis ſuis ad Roſinũ. Quamobrẽ non illis iterũ producẽdis immoror, ſed quo noſtri ſęculi homines nihilo prioribus illis ſapiẽtiores eſſe declarẽ, lubet parũper in quorundam ineptias digredi, qui inueteratum hunc errorẽ, multorũque hominum opinione peruulgatum de augurijs, nouà quotidie exemplorum farragine augent in immenſum, quemadmodũ certè Conradus Lycoſthenes omnium ambitioſiſſimè feciſſe videtur, in amplo illo volumine quod per annorum ſeriem, à condito mundo ad hoc vſque tempus, prodigiorum omnium, quæ interim contigerunt hiſtoriæ dicatum eſſe voluit, quamquam non ipſe ſolus hunc errorem errauit, cùm aſſeclas habuerit viros piorum omnium votis, & ſententijs, non minus quàm Eccleſiæ cenſuris deuotos Melancthonem, & Peucerum, quorum hic nihil in libros ſuos de diuinationibus non retulit, quod ab inſanis, & limphatis hominibus credi ſolet, de ſimilibus prognoſticis, & ſimulacris hominum armatorum, aut aliorum animalium, quæ in nubibus pugnare inter ſe viſa ſunt, idque tam frequenter, vt ſingulis ferme annis portentum aliquod ſimile contingat, quod etiã ſi nemo videt, nemo vnquam obſeruat, ita tamen fama de eo ſpargitur, quaſi omnibus viſum illud atque obſeruatum fuiſſet.

ad cap. 8 9. & 10 lib. 3.

Lucretius libro 4.

Nam ſępe gigantum
Ora volare videntur, & vmbram ducere latè.
Interdum magni montes auulſaque ſaxa
Montibus anteire, & Solem ſuccedere præter
Inde alios trahere, atque inducere bellua nimbos.

hæc autem omnia, homines illi minimè aſtuti, & ſoliti etiam ab infantia in nubibus depingere, ac omnia in illis pro voto inuenire, dum ſibi à peſte, aut bello timent, facile in cadauera, arma, tela, faces, milites, & eiuſmodi terrorum ſymbola conuertunt, atque immutant: ille vero ſcilicet Melancthon cùm eaſdem omnes ſuperſtitiones foueat in epiſtolis ad Camerarium, tum vero plures alias adiungit, ac inter cæteras *proxima*, inquit, *Eclypſis mihi minata eſt, & eo die quo manus luxata eſt oppoſitio fuit Saturni, & Martis*

tis, euge igitur amicum cœlo caput, & quàm fauens illud in manu habuiſti, tam & in reliquo corpore proſperum experiare. Sed num ſapientior illis Cardanus? minimè gentium, ſi quidem totus nugis illis ſcatet, & quemadmodum in multis plus homine ſapuit, ſic in his tam immane delirat, vt qualibet muliercula ſtultior habendus ſit, quid enim apud illum frequentius, quàm prodigiorum mẽtio, quæ ſibi in omnibus ſuis negotijs ex crabrone viſo, ex ligula rupta, ex pedis offenſione, ex tegulæ caſu, & ſimilibus nugis accidere fingebat, *paucis ante diebus quam diſcederem*, inquit ille alicubi de ſocero ſuo loquens, *tegula neſcio qua de cauſa igni ſuppoſita, maximo ſtrepitu igne diffracta, per totum cubiculum ſparſa eſt, quod ille augurium vt infauſtum ſemper poſtmodum abhorruit*; vbi vero mortem filij narrat, *deterruerant* addit *etiam me prodigia, de quibus in libris de Fato diximus*, at ignoſce mihi Cardane, ſi tuos omnes libros de Fato ſcriptos eſſe dixerim, adeo in illis prodigiorum omnium fidem aſſeris, tam nullo delectu, & cæco iudicio, vt etiam plerumque cum Geta Terentiano dixeris

[Margin: li. 3. de vtilitate capienda ex aduerſis]
[Margin: ibidem lib. 4.]
[Margin: in Phormione act. 4. ſcena 4.]

Introiit in ædes ater alienus canis,
Anguis per impluuium decidit de tegulis,
Gallina cecinit.

Quid plura noſtra etiam ætas, tam præſentibus plena eſt prodigijs, vt minimi, & obſcuri ſæpe pedagogi, ſuis quoque non careant, ſi quis parum exquiſitè in rerum cenſura verſari ſolitus, vitam illorum, interitumque deſcribat; tunc enim ſi quæ domus in vicinia arſit, ſi tonitru in nube auditum eſt, ſi canis noctu vlulauit, ſi viſum fuit *ſcintillare oleum, & putres concreſcere fungos*, illud omne in demortui caſum trahitur, quemadmodum ab eo, qui *Marii Grapaldi* vitam ex meris impoſturis, & mendacijs conſarcinauit, factum videmus: neque etiam ab hac labe immunis ſemper fuit Paulus Iouius apud quem nullius ferme Principis, aut Tetrarchæ obitum, abſque fulmine, aut aliquo alio oſtento contigiſſe legas. Atque vt non hos vel illos homines tantum, ſed nationes integras hæc ſuperſtitio olim exercuit, ita non ſecus hoc tempore contingit, vt varij populi non minimum eidem tribuant nam Angli queadmodum inquit Cominæus deferunt plurimum *vaticiniis, & quum de rebus arduis tractant, in medium ſemper aliquid tale adducunt*; & ſanè maxima pars illorũ hiſtoriæ antiquioris

[Margin: libro 6.]

ris

Digitized by Google

ris præſertim, haud mediocriter inquinata fuit luto prophetico *Merlini* illius *Caledonii*, quem rudiori æuo, Anglia tota non aliter ſuſpexit, quàm poſterioribus hiſce ſæculis vniuerſa Gallia *Noſtradamum*, & Italia *Sauanorolam*, quorum effata non deſunt adhuc qui pluris quam oracula faciant.

Verùm quia hæc omnia quæ in genere tantum dicuntur, parū fortaſſe militiam iuuare poſſunt, quia nullum maius habent cum illa, quàm cum reliquis artibus commercium, en etiam quomodo momentum in ea faciunt, & vilis Ariolus optimorum, ac ſapientiſſimorum virorum ſæpe interturbat conſilia; Eduardus Rex Angliæ, bellum illaturus Philippo Valeſio, ſuas in Galliam hoſtiles copias adduxerat, & inſtructa vtriuſque acies in procinctu ſtabat ad congrediendum, cùm *Gallus*, vt refertur à Froiſſardo, *etſi multo potentior Anglo, vt qui ſupra centena hominum millia haberet; ex conſilio procerum, præcipuè vero deterritus literis Roberti Siciliæ* Regis *cognati ſui, inſignis Aſtronomi, prælium declinauit*. Sed melius adhuc ceſſit *Foroliuienſibus*, quòd Guidonis Bonati **συνπατριότυ** in Aſtrologiæ ſtudijs verſatiſſimi, monitis ſimili in occaſione paruiſſent; nam ſi Platinæ credendum eſt, dum ipſi obſiderentur à Guidone Appio, qui cum octingentis equitibus Gallici nominis, miſſus à Martino Quarto ad recuperandam Flaminiam fuerat, eſſentque ciues erumpendi, & laceſſendi hoſtes sūmopere cupidi, admoniti à Guidone Bonato fuerunt, vt tempus iſtud faciundi opperirentur, quòd ipſe maximè idoneum ex cæleſti aſpectu iudicaret, atque ita comprimentes ſe, paulo poſt ad Guidonis ſignum eruperunt, Ducemque Gallorum cum omnibus ſuis militibus interfecere. Sed ne conteram tempus in exemplis recentis memoriæ, quæ propemodum infinita ſunt, ad veterum obſeruationes gradum refero, inter quas vna mihi non omittenda videtur, quæ plurimi ſemper ab Aſtrologis facta fuit, ſcilicet in oppoſitu, & coitu luminarium, clades ac bella iam cœpta recrudeſcere, quoniam Luna oppoſita Soli, interiectu terræ eclipſim paſſa eſt circa æquinoctium Septembris, pridie quàm Alexander magnus Darium Regem Perſarum fregiſſet, ad Arbelam, imo nox vna tantum interceſſit; & conſimilis eclipſis circa æquinoctium Septembris, nocte vna anteceſſit cladem, & fugam Perſei Regis Macedonum, qui paulo poſt Romæ triumphatus

4 *Tum etiam in ſpecie de militaribus.*

libro 1.

4

Digitized by Google

tus eſt: item eclipſis Lunæ contigit pridie quàm exercitus Athenienſium à Syracuſanis fugaretur; item cùm Pericles ſuſcepto bello aduerſus Peloponeſios è portu Piræo ſolueret; item cùm Pelopidas duceret exercitum Thebanorum aduerſus Alexandrũ Phereorum Tyrannum; ac rurſus cum Dio è portu Zacinthi ad euertendam Dionyſij tyrannidem ſolueret, deliquia Solis in coitu Lunæ contigerunt, vt obſeruatum fuit ab auctore Theatri naturæ, quem in his exemplis ducem ſequor, ea igitur ſuperſtitione imbutus miles Romanus, quoties periculum timuit vbi non erat? quoties ſpem concepit vnde nulla prorſus ſperari debuiſſet? certè pannonicas legiones in magnum ſcelus contra Tyberium, & Druſum erupturas, obſcurata paululum luna ex antiquo illo metu compreſſit, cùm de retinẽdis in officio nihil apud optimos quoſque ſuccurreret; & vero quia exemplum illud inſigne omnino fuit, præſtat elegantem eius narrationem huc ex Taciti annalibus arceſſere. *noctem*, inquit, *minacẽ, & in ſcelus erupturam, fors leniuit, nam Luna claro repente cœlo viſa langueſcere, id miles rationis ignarus, omen præſentium accepit, ac ſuis laboribus defectionem ſideris adſimilans, proſperèque ceſſura quæ pergerent, ſi fulgor, & claritudo Deæ redderetur, igitur æris ſono tubarum cornuũque concentu ſtrepere, prout ſplendidior, obſcuriorue lætari, aut mœrere, & poſtquam ortæ nubes offecere viſui creditumque conditam tenebris (vt ſunt mobiles ad ſuperſtitionem perculſæ ſemel mentes) ſibi æternum laborem portendi, ſua facinora aduerſari deos, lamentantur, vtendũ inclinatione ea Cæſar, & quæ caſus obtulerat in ſapientiam vertenda ratus, circumiri tentoria iubet*. Nec ſanè mirum videri debet ſi miles Romanus adeo ſemper propẽſus fuit in omne genus eiuſmodi vanitatum, quandoquidem videbat eas, vſque adeo Romanis magiſtratibus placere, vt quemadmodum in publico *luſtro condendo* nomina eorum, qui victimas ducerent proſpera legebantur ex Plinio; & in *vectigalibus* quemadmodum Feſtus notauit, primus ſemper lacus *Lucrinus* optimi ominis cauſa fruendus locabatur, opinor ego ob *Lucri* ſonum, qui in verbo erat; ſic in publico militum *auctoramento* vetus Romanæ militiæ conſuetudo ferebat, vt miles ille primus omnium à Tribuno appellaretur, cuius nomen melioris auſpicij, ac dignitatis eſſet, ac proinde ſi quis *Valerius*, ſi quis *fœlix*, ſi quis *Saluius*, *Fortunatus*, *Victor*, *Statorius*, hic

libro 5.

libro 1.

hic enimuero princeps omnium, & quaſi dux, communi militum acclamatione ferebatur.

Sed præter hanc obſeruationem quæ ludicra potius, quàm ſeria videri nonnullis poſſet, quædam aliæ fuerunt, quarum in delectu habendo, aut bello indicendo, religionem violaſſe piaculum erat, nulla luſtratione purgandum; cuiuſmodi præſertim fuit illa quæ *dierum præliarium* rationem complectebatur, quibus ſcilicet fas erat res repetere, vel hoſtem laceſſere; erant enim quædam feriæ publicæ, quibus nefas fuit iſtud facere, in quibus numerantur à Macrobio *feriæ latinæ ſaturnalia, & cùm mundus* Cereris *pateret, itemque dies qui eſſent notati rebus aduerſis, quique poſtridie Kalendarum, Nonarum, Iduumque ſequerentur*: quorum omnium cauſas diſtinctè ſigillatimque explicatas qui videre volet, is adire poterit Antonium Valtrinum, qui præclarè in hoc Romanorũ ritu illuſtrando verſatus eſt, & à quo propterea lubens abſtineo, vt quarundam aliarum nationum in hac ſuperſtitioſa dierum præliarium obſeruatione, conſuetudinem non ita vulgarem, vt omitti à me commodè hic poſſit, in medium proferam. Ac primum inuenio *Romanos* ipſos præter religioſos dies à Macrobio aſſignatos, Kalendas etiam *intercalares* peculiari quadam ratione parum fauſtas reputaſſe, vt ex facto Valentiniani apud Ammianũ patet, *qui cùm veniſſet accitus*, ſcilicet ad imperium, *implendique negotij præſagus, vt ſubodorari dabatur, vel ſomniorum aſſiduitate, nec videri, nec prodire in medium voluit, biſſextum vitans Februarij menſis tunc illuceſcens, quod aliquoties rei Romanæ fuiſſe cognorat infauſtum*: *Athenienſibus* vero lege lata, cuius meminere Suidas, & Heſichius non licebat niſi poſt ſeptimum menſis diem copias educere, *ςρατιὰν μὴ ἐξάγειν πρὸ τῆς ζ' μηνὸς ἱσταμένης, copias ne educũ to ante ſeptimum menſis diem*. At vero *Lacedæmonij* τῆς τοῦ πανσελήνου νόμου obſeruabant, ex inſtituto Lycurgi, qui legem ipſis dederat *ne quando in bellum prodirent ante pleuilunium*, non enim exiſtimabat, inquit Lucianus, eandem eſſe ciuitatis adminiſtrationem creſcente Luna, & euaneſcente, propterea quod omnia ab illa regerentur, atque hanc legem ipſi vſque adeo inuiolatè ſeruabãt, vt Athenienſibus bello Perſico Darij, poſt direptam Eretriam, petentibus ab ijs auxilia, decreuerint quidem illis ſubuenire, ſed non ſtatim, quia *nonus* erat menſis inſtantis, quo negabant ſe progreſ-

Margin notes: 5 *Vbi præliares dies ſeu fortunati, aut infelices aſſignantur.* — 1. Saturnal. cap. 16. — libri 2. cap. 7. — libro 26. — Dial de aſtrologia.

libro 6. greſſuros, nec niſi orbe lunari impleto, vt auctor eſt Herodotus. Sed inuenio præterea apud Plutarchum in Alexandro, Macedones Reges toto menſe *Iunio* exercitum non eduxiſſe; & *Germanis* auſpicatiſſimum fuiſſe rebus gerendis initium Luna inchoante, aut impleta ſcribit Tacitus; imo vero tanta fuit apud illos auſpiciorum eiuſmodi fides, & religio, vt Plutarchus in Cæſaris vita, & ipſemet Iulius Cæſar memoriæ prodiderint, ideo ſuperatos à Romanis Germanos fuiſſe, quod ante nouam Lunã in prælium proceſſiſſent, qua de re quid vetat etiam Frontini teſtimoniũ audire? C. *Cæſar*, inquit, *in Gallia quia compererat Artouiſto Germanorum Regi, inſtitutum, & quaſi legem militibus non pugnandi decreſcente Luna, tum potiſſimum acie commiſſa, impeditos religione hoſtes vicit*. Neque ignotum cuiquam eſſe poteſt, quod *Iudæis* Sabbato defendere ſe nolentibus, Pompeius Hieroſolymam expugnauit, quemadmodum ex Dione in eius vita conſtat; quod ſtratagema non videtur multum diſſimile fuiſſe eius, quo Polyænus, Cambyſem Perſarum Regem vſum referr in Peluſij obſidione, cùm enim *Aegyptij* fortiter reſiſterent, multaque ex machinis, & catapultis acuta tela, ſaxa, atque ignem in aduerſarios vibrarent, tunc Cambyſes vaferrimo quodam, & ſubtili inuento, quotquot animalia Aegyptij deorum honore colunt, canes, oues, feles, ibides ante ſuũ collocauit exercitum, quo facto remittente ſe propter religionem Aegyptiorum ardore illo iaculandi, ipſe interim Peluſium expugnauit, ac poſtea libere per totam Aegyptum inuectus ferro, flãmiſque eam pro libidine vaſtauit. Porro licet hac ætate nihi vſpiam ſimile legibus inſtitutum audierim, circa præliarium dierum obſeruationem, certum eſt tamẽ paucas eſſe in orbe nationes, quæ ſponte non abripiantur populari aliquo eiuſmodi vaniſſimarum opinionum torrente; vt certos, ſtatoſque dies ſibi, ſuiſque felices, aut infauſtos exiſtimet, ſic enim *Turcæ* totum menſem Auguſtum conatibus ſuis fortunatũ eſſe autumant, quòd in eo magnus Iſmael, & Campſo Gaurus Memphiticus Rex deuicti, & Metone in Peloponeſo à Baiazethe in poteſtatem redacta, & Zigethum captum eſt, & quod multum huic opinioni penes illos addit, iv. Kalend. Septemb. qui vulgo eſt viceſimus nonus Auguſti, & Rhodus, & Buda, & Belgradum expugnata, & Ludouicus Rex ad Mohazium cæſus eſt, quin imo

lib. 1. belli Ga'lici.

lib 2. cap. 1.

Libro 7.

licet

Digitized by Google

licet ab omni ſenſu Chriſtianarum ceremoniarum ijdem penitus auerſi ſint, tamen cum Græcorum Sacerdotibus mos ſit optimè notatus à Busbequio, aquas certo veris tempore conſecrando, epiſto. 3. mare clauſum veluti reſerare, ipſi prinſquam factum illud fuiſſe intelligant, haud facile fluctibus ſe committunt. Sic *Germani* ſub Carolo Quinto, menſe Februario, qui Athenienſibus ſimiliter feliciſſimus extitit, & eius menſis die præſertim qui diui Matthiæ venerationi dicatus eſt, omnia ſibi tanquam ex compacto feliciter proceſſura credebant, quod hoc ipſo die Carolus Imperator in lucem editus fuiſſet, coronam à Clemente Septimo Bononiæ accepiſſet, & victoriam inſignem de Franciſco Primo Gallorum Rege fortiſſimo ſapientiſſimoque retuliſſet: Nec minus *Hiſpani* ſibi felicem eſſe diem Veneris prædicant, vt Belcarius rerum noſtratium hiſtoricus ex proprijs ipſorum ſermonibus annotauit; quin etiam P*iſanis* olim cùm ſuis legibus viuerent, triplex inſignis victoria eodem ſemper die, quanquam diuerſis temporibus contigit, vnde quia dies ille D. Sixti memoriæ dicatus erat, propterea eiuſdem etiam honori templum ædificandum eſſe duxerunt, quod beneficij illius fidem apud poſteros quàm diutiſſimè conſeruaret. 6.

Concluditurque varijs rationibus & exemplis hac omnia fatua, & ridicula eſſe.

Enim vero quoniam multa hic mihi dicenda forent, de diebus A*egyptijs*, & T*bracum* conſuetudine, notiſsimoque apud Heſiodum & Virgilium, aliosque rei ruſticæ ſcriptores A*gricolarum* more, in certorum dierum ineunda ratione, qui minus cæteris felices ex longa obſeruatione habiti ſunt, nempe quo ex generali omnium cognitione, facilius in eorum qui præliares dicuntur penitiſsimas rationes deuenire poſſem, tamen quia infinitæ illud eſſet ſcriptionis, multumque temporis in earum rerum inueſtigatione conſumerem, quæ perperam omnino fieri ab hominibus atque exiſtimari in hac auguriorum farragine ſolent; idcirco ſatis mihi erit, quorundam primo doctorum hominum, ſed non ſatis in rebus *ἀκριβέστερον accuratiusque* dijudicandis exercitatorum, oſcitantem ac dormitantem ſapientiam perſtringere, qui dum omnia ſcire, & docere videri volunt, nihilque quod de P*ſychomantio*, *vel* A*uguraculo*, veniat, reſpuunt, ac ne leui quidem adhibità cenſurà falſitatis incuſant, non modo ipſi in ſyrtes & ſcopulos impingunt, quorum profecto pudere ipſos deberet,

qui

qui ſe humanæ ſapientiæ antiſtites appellari gaudent, ſed multis præterea, qui ingenio ſunt hebetiori, licentiã faciunt, vt quod ab his probari vident, multo liberius id ſequantur, ita ut poſtea ruant per omne vetitum nefas ſuperſtitionis & mendaciorum, audeantque ſicut dicebat Prudentius.

lib. 2 in Marcionem.

Turbam ſibi fingere Diuum,
Sortes, auguria, ſtellarum numina falſa,
Naſcentum geneſes conſtringere, poſtque videre
Extorum inſpicijs, reſque expectare futuras.

Deinde vero quod ad rationes ſpectat quibus hæc anilis philoſophia refelli poteſt, etiam ſi tota videatur mihi ea eſſe eiuſmodi, vt qui ex auium garritu, aut volatu, ex Mauri vel deformis hominis occurſu, ex pedis offenſione, ſoricum occẽtu, fanaticiſque alijs vatum, ariolorum, coniectorum de triuio & de circo, artibus futurorum cognitionem venari ſtudent, elleboro potius reduci ad ſanitatem poſſe, quam rationibus exiſtimem; & tot iam antea in hunc errorem ab hominibus ſapientiſsimis Tullio, Origene, Nipho, Franciſco Pico, Conrado VVmpinal, Iulio Sirenio, Georgio Raguſeio, Vlyſſe Aldroando, Medina, Pererio, Delrio pluribuſque alijs dicta ſint, vt rationibus agere poſt tam clara lumina, nihil aliud ſit quàm lucernam pleno meridie accẽdere, aut Crœſi diuitias augere velle acceſsione teruncij, lubet tamen vnà tantum aut alterà, quàm breuiſsime potero, falſitatem iſtiuſce rei omnem detegere, ac demum etiam oſtendere quid de omnibus in genere ſtatuendum ſit. Si igitur res futuras naturæ munere Bruta præſentiunt, & Coruus, Bubo, Picus, Columba homini læta aut infauſta nunciant, cur ipſa ſibi cauere prius non poſſunt; cur laqueis, & caſsibus impediri ſe permittunt? cur ſagittis aut pilis plumbeis tam crebo confodiuntur? ſanè refert Euſebius hiſtoriam quæ præſenti ſermoni adeo belle conuenit, vt hanc nullo modò prætermittere indictam poſſim, nempe cùm Alexander Macedo ad mare rubrum proficiſceretur, Iudæum quemdam adfuiſſe nomine Moſomanum, qui augure omnes cõſiſtere iubente, donec auis an huc vel illuc eundum indicaret, eã ſagittà interfecit, Augurique, ac alijs id ęgre ferentibus reſpondit, quis eſt iſte furor, quomodo auis hæc quæ nihil de ſagitta præuiderat, de itinere nobis predicere potuit? imo vero vt quæſtioni-

lib. 9. de præparat.

bus

bus illos laceſſere pergam, cur Augures qui cæteris fata denunciant, ſuum tandem quale futurum ſit cognoſcere non poſſunt? notum eſt enim illud Virgilij Aeneide 2.

cadit & Tolumnius augur
Primus in aduerſos telum qui torſerat hoſtes.

Nec abludit Pacuuij dicterium laudatum à Cicerone ex tragœdia Chryſe 1. de diuin.

Nam iſtis qui linguam auium intelligunt
Pluſque ex alieno iecore ſapiunt quam ſuo
Magis audiendum, quam auſcultandum cenſeo

Si vero à Deo iſtud habent cùm animalia tũ res omnes inanimæ quarum varij motus ex longa obſeruatione locum diſciplinæ fecerunt, cur in illis explicandis tanta ſemper fuit opinionum diſſentio? & equus Anchiſæ ſpem pacis facit, ac bellum ſimul minatur? cur & *Apes ſedere in ore infantis Platonis tunc etiam ſuauitatem illam pra dulcis eloquij portendentes. Sedere in caſtris Druſi Imperatoris cum proſperrimè pugnatum apud Arbalonem eſt, haud quaquam* vt Plinius addit *perpetuà aruſpicum coniecturà qui dirum id oſtentum exiſtimant ſemper*, vnde cùm Caſſini examen apum ingens in foro conſediſſet, aliudque in templum Aeſculapij conuolaſſet, inter prodigia relatum fuit, quod Ammianus experimento alio probat, ſimul addita minimè inconuenienti ratione cur apes malum aliquod portendant, ſiquidem *in domo* vt ille inquit *Barbationis pedeſtris militiæ tunc rectoris examen apes fecere perſpicuum, ſuperque hoc ei prodigiorum gnaros ſollicitè conſulenti, diſcrimen magnũ portendi reſponſum eſt, coniecturà videlicet tali, quod hæ volucres poſt compoſitas ſedes opesque congeſtas fumo pellũtur, & turbulento ſonitu cymbalorum*: propterea que Iuuenalis non immerito, quantum infelici augurio apes fuerint, his verſibus oſtendit lib 11. c.17. libro 18.

Sollicitus tanquam lapides effuderit imber,
Examenque Apium longa conſederit vua
Culmine delubri

Sic Tiberis vt exemplo maxime familiari vtar *Vates ac monitor* vocatur à Plinio, quod raro eius inundationes contingant, quin inſignis aliqua clades vel grauior caſus ſubſecutus ſit, vnde ſub Clemente VII. multi volunt præmonſtratum ab eo fuiſſe Vrbis lib 3. cap. 5.

excidium, verum cùm nihil ſub Clemente VIII. ab eius inundatione nec alijs poſtea ſubſecutum ſit periculi, quomodo, vt inquit Plinius, *auctu ſemper religioſus, potius quàm ſæuus erit*? & quid opus erat illum cum quibuſdam alijs fluminibus in Augurum precatione reponi, quemadmodum factum fuiſſe innuit Cicero

libro 3. in libris ſumma cum iudicij laude ab eo conſcriptis, de natura Deorum. Præterea cùm oportuerit Deum vni alicui hominum tales primũ motus & volatus, eorũdemque ſignificationem indicaſſe, vnde eſt quod nihil quicquam de illis Hebræorum prophetæ reſciuerunt, à quibus tantum abeſt, vt Deo accepti ferantur, quod etiam non ſecus ac impiæ, & inanes obſeruationes damnãtur. *vos nolite*, inquit Ieremias, *audire Prophetas veſtros & ſomniatores, & augures*, & in Deuteronomio nonne dicitur *gentes iſtæ quarum poſſidebis terram augures & diuinos audiunt, tu autem à Domino Deo tuo aliter inſtitutus es*, pręterea nimis otioſũ, & puſillæ rei miniſtrum Deum faciemus, vt ait Seneca, ſi alijs ſomnia, alijs exta diſponat, vel vt ait Varro ſi ſua conſilia corniculæ credat hominibus indicanda, ſed præterea etiam ſordidum ſi in iecorũ, & viſcerum ſterquilinijs mentis ſuæ rationes occultet. Si autem à Dæmone res fluxit, cui futurorum euentus, niſi quantum illos ex cauſis conijcere poteſt, ignoti ſunt; conſtat iam opinor quanta ſit augurijs fides præſtanda: ſi denique temere iſta contingunt, quis adeo demens eſt, vt certum aliquid ex incertis, & fortuito contingentibus præuideri poſſe ſibi perſuadeat. Atque ita perſpicuum eſt, nihil ex augurijs conijci poſſe, quod certo aliquo experimento aut vera ratione nitatur, ſaltem quantum ad *artificioſa* pertinet, de quibus tantummodo inſtitutum hunc à me ſermonem fuiſſe, velim vt tu ipſe, Ludouice Comes, & cæteri omnes intelligant, qui vna tecum non indignum eum habebunt, cuius ſe aliquando lectione reficiant oblectentue. Nam quæ auguria humani ingenij captum excedunt, ac ferme ſemper *à Deo* præmonitore hominibus offeruntur, qualia fuere illa *manus* in pariete ſcribentis *Mane Techel Phares*; & *Stellæ*, quæ Magis apparuit; tum *Eclipſis* factæ in plenilunio; & *tenebrarũ* offuſarum vniuerſo orbi, diuina ea portenta fuerunt, vtriuſque legis auctoritati confirmãdæ à Deo conceſſa, quæ ſuſpicere nos atque reuereri potius quàm in ipſorum rationem, aut modum inquirere oportet. *Natu*

Marginal notes: cap. 27. — cap. 18. — natur. quęſt. quæſt. 32.

ralia vero tantum abeſt vt culpari à quoquam poſſint, quod Philoſophiæ naturalis præclariſſimam partem faciunt, & ſummopere hominibus inſeruiunt, dum *Nautis* verbi gratia leuis quædam nubecula indicium præbet tempeſtatis futuræ: *Agricolis* pluuiam ranæ ſolito vocaliores prænunciant; *Medicis* ſternutamentum in grauiter ægrotante ſignum affert futuræ ſalutis, eoque magis ſi binum, ternum, aut multiplex fuerit: *Philoſophis* aquæ in iugibus puteis deficientes, magnos inſtare terræmotus denunciant; *Architectis* ædes ruinoſas trimeſtri ſpatio antequam corruant, mures in tutiora loca demigrantes, oſtendunt, cuius ſigni vadem ſe præbere Cicero non veritus eſt, in epiſtolis ad Atticum, *Sed quod quæris, quid arceſſerim Chryſippum* (Architectum) *tabernæ mihi duæ corruerunt, reliquæ rimas agunt, itaque non ſolum inquilini, ſed mures etiam migrauerunt*: *Militibus* denique Vultures, biduo, aut triduo in exercitu volitantes, naturale præſagium afferunt futuræ alicuius magnæ internecionis, ſiue quòd cadauera futura præſentiant, vt inquit Plinius, ſeu potius quod illa in tanta hominum, & equorum multitudine expectent. Sed non minus à natura fuit augurium illud, quod *Attila* cùm ferme deſperaret de expugnatione vrbis Aquileiæ, in ſpem tamen venit breui eius potiundæ, eo modo quem ita apud Iornãdem expreſſum reperi, *Attila deambulans circa muros dum vtrum ſolueret caſtra, an adhuc moraretur deliberat; animaduertit candidas aues, id eſt Ciconias, quæ in faſtigio domorum nidificant, de ciuitate fœtus ſuos trahere, atque contra morem per rura forinſecus comportare. Et vt hoc ſicut erat ſagaciſſimus inquiſitor perſenſit, ad ſuos inquit, reſpicite aues futurarum rerum prouidas, perituram relinquere ciuitatem, caſuraſque arces periculo imminente deſerere; non hoc vacuum, non hoc credatur incertum rebus præſciis conſuetudinem mutat ventura formido. Quid plus? Animum ſuorum rurſus ad oppugnandum Aquileiam inflammatur, qui machinis conſtitutis omnibuſque tormentorum generibus adhibitis, nec mora inuadunt ciuitatem, ſpoliãt, diuidunt, vaſtantque crudeliter, ita vt vix eius veſtigia vt appareant, reliquerunt*. Hoc igitur modo cum de diuinis, & naturalibus augurijs exiſtimandum ſit, reliquum modo eſt, vt videamus, quid tandem de artificioſis, quæ ab hominibus temere excogitata & ad artem aliquam reuocata fuerunt decernere conueniat,

lib. 14. ep. 9.

cap. 42. de rebus Getic.

Cicero 1. de diuinat.

& vero licet iudicium quod de illis tulit vetuſtiſſimus Poeta Ennius, tam verum ſit, vt nunquam ab illo viri ſapientes recedere debeant.

Non habeo denique nauci Marſum Augurem
Non vicanos haruſpices, non de circo aſtrologos,
Non Iſiacos coniectores, non interpretes ſomnium,
Non enim ſunt ij, aut arte diuini, aut ſcientià;
Sed ſuperſtitioſi vates, impudenteſque arioli,
Aut inertes, aut inſani, aut quibus egeſtas imperat,
Qui ſui quæſtus cauſa fictas ſuſcitant ſententias.
Qui ſibi ſemitam non ſapiunt alteri monſtrant viam.
Quibus diuitias pollicentur, ab his drachmam petunt.

lib 3. polycrat.

propterea cùm illud præſtantiſſimi Poetæ dictum ſequar, tum vero non poſſum etiam in alio non acquieſcere, quòd à Ioanne Sariſberienſi viro item conſultiſſimo prolatum fuit in hæc verba, quæ pluris quàm aruſpicum omnium reſponſa facienda ſunt *omnia omina tantum poſſunt, quantum excipientis fides permittit, vnde & Iulius Cæſar nullo augurio, nullaue ſuperſtitione à quocunque incœpto potuit abſterreri; Auguſtus vero auunculo diſſimilis mollior ad omnia fuit*. Hanc vero ſententiam, puto illi factis præiuiſſe magnum ducem *Epaminondam*, qui Lacedæmonijs copias in Thebanos educentibus, cùm varia vt in nouis tumultibus fieri amat, oracula iactarentur in vulgi ſermone, quorum alia victoriã Thebanis pollicebantur, alia vero aduerſa multa prædicebant, iuſſit ipſe quæ fęlicia putabantur ad dexteram tribunalis poni, contraria ad leuam, atque omnibus hunc in modum diſpoſitis, ita ad Thebanos loquutus eſt, ſi volueritis parere ducibus & conglomerari fidẽteſque in hoſtem tendere, hæc vobis ſunt auſpicia oſtenſis melioribus, quod ſi ad pugnam ſegnes, timidique fueritis, illa vobis oracula reddita ſunt, oſtenſis ijs, quæ deteriora pollicebantur. Et ſanè iſtud exemplum adeo bellè cũ Sariſberienſis dicto conuenit, vt nec ſapientius aliquid dici, nec prudentius fieri ab vtroque quicquam potuerit, cùm certiſſimum ſit auguria eiuſmodi, quæ per ſe vaniſſima ſunt, nec ad hoc, aut aliud ſignificandum determinata, ſaltem à cauſa aliqua reali & neceſſaria, illam tantummodo ſignificationem habere poſſe, quam nos illis ex dementia noſtra affingimus, ita vt forti viro & audaci, qui nihil ad

hil ad

Digitized by Google

hil ad ſe pertinere putat quid coruus crocitauerit, irrita ſemper, & vana ſint; meticuloſis autem & qui fidem continuo adhibent ſtultiſſimis portentorum explanatoribus impunè nunquam accidant, Eſto igitur *Auguſtinus Niphus*, qui hoc ſibi multoties accidiſſe refert, à coruis præteruolantibus dum iter aliquo haberet laceſſitus, & apprehenſa etiam veſte domũ verſus retractus, quia tamen vt philoſophum decebat in Ariſtotelis familia præcipuum, iſthæc omnia contemptui habuit, floccique fecit crocitantes coruos, & bubones, iter ſuum nihilo felicius abſoluit quã ſi Mercurium illius comitem habuiſſet, atque ita omne etiam omen irritum fecit: contra vero quia apud *Romanos* patrijs dementatos religionibus *Fabius Maximus*, & C. *Flaminius* hic magiſterium equitum, alter vero dictaturam ad occentum ſoricis deponere voluerunt, hi propterea effecerunt, vt omen quod ex ſe ridiculum erat, & effatu indignum, non ſuo fine fruſtratum abierit; adeo verum eſt Poetæ dictum illud, quod mihi in ore & mente frequenter eſt. lib. de augurijs.

noſtrorum cauſa malorum

Nos ſumus, & ſua quemque magis dementia vexat:

Cæterum quia hæc opinio ex earum genere eſt, quarũ tota apud plebeios homines auctoritas exemplis potius quàm ratione viget, ita vt ſi quis eam funditus ruere velit, ijſdem omnino armis oppugnanda ſit, quibus ſolet defendi, idcirco proferam nunc aliquot exempla, ex quorum diuerſo euentu, minimè apud nos obtinere debere, quod de ſuis temporibus Cicero dixit *rem bellicam noſtri maiores adminiſtrari niſi auſpicato voluerunt*, vnuſquiſque, modo mente conſtet, ſibi facile perſuadeat: inter hæc igitur valde in primis illuſtria ſunt, quæ de *Nicia* & *Pericle* referuntur, quorum hic cum Athenienſium claſſi centum & quinquaginta nauium præfectus eſſet, iamque in eo verſaretur, vt è portu ſolueret, accidit ex cœleſtium corporum motu, vt Sol deficiens tenebras rebus induceret, quo ſigno conſternati Nautæ, ipſeque gubernator, velut infelici oſtento perculſus, quid facto opus eſſet, & vtrum in ſtatione manendum, aut ventis laxanda vela forent dubitare cœperunt, quod animaduertens Pericles chlamydem ſuam vnius ob oculos coniecit, rogauitque numquidpiam mali ex illa re euenturum crederet, illo vero negante, 2. de diuin.

quid ergo, inquit, *hæc res ab illa differt, niſi quod maius quiddam chlamyde eſt quod Soli opponitur*, quo dicto omnibus ſtatim metum ademit. Contra profecto quàm accidit Niciæ, qui pauore huiuſmodi defectionis animum deſpondens, claſſem è portu educere ſubueritus eſt, atque ita opes Athenienſium afflixit; ſic in *Ageſipolide* idem etiam videre fuit, qui terram occulto ſpiritu quatiente, perteritiſque eo oſtento Lacedæmonijs, ac propterea vt illos in patriam reduceret impenſè flagitantibus, reſpondit *ſe quidem arbitrari Deum tunc quidem conatibus ſuis aduerſari voluiſſe, ſi prius terra contremuiſſet quàm ipſe hoſtium fines attigerat, nunc quia traducto in* Argiuos *exercitu id contigiſſet, vltro Deum hortari vt ſequatur, tanquam qui hoſtes, & vna ſimul terram ipſorũ concutere vellet*: at ominator Rex Agis cùm terræmotus ex improuiſo multa ſubrueret, ne parum religioſus videretur, magno cum ſuo dedecore, & patriæ damno, ex Elide eoſdem Lacedæmonios abducere maluit, quàm vltra progredi. Quid plura eadem die qua *Craſſus* ingenti clade accepta à Parthis profligatus, & cæſus fuit, eadem poſt aliquot annos *Ventidius* Pacorum, & Parthos ſingulari victoriâ debellauit; Et hac ipſa iterum quà Cimbris cæſus fuit exercitus Romanus, eadem poſtea Lucullus Tigranẽ, & Armenios magna & luctuosâ clade affecit. Porro vt melius adhuc oſtendam vniuerſam oſtentorum ſignificationem, ex noſtra vel ignoratione vel conſcientiâ pendere, duo alia exempla proferam ſummopere ad hanc rem conducentia; quorum vnum erit de *Phocenſibus*, aduerſus quos cùm pugnaturus eſſet Philippus Rex Macedoniæ, is iuxta Lauretum caſu pertranſiens milites ſuos ex illo coronas ſibi plectere, ramoſque decerpere iuſſit, quod poſtquam Phocenſes viderunt, venit illis in mentem ſe aliquando Delphis oraculum ſpoliaſſe, vnde immemores quod nihilominus tamen poſt hoc ſacrilegium Bœotios ſuperarant, ſuperſtitione commoti, terga quaſi à numine premerentur, ſtatim dederunt, atque per Panicos terrores acti limphatique in cruentam Philippo victoriam reliquerunt. In altero autem exemplo maior ineſt ſagacitas & lepos, quoniam ingenioſè excogitatum fuit a *Columbo*, vt quoſdam Indiæ populos, qui aliter non poterant ad humanitatẽ & hoſpitalitatis iura numinum metu impellere. Proſpexerat enim occultationem Solis breui futuram, vnde

de ea occaſione ſibi vtendum ratus, obteſtatus eſt, Solem non impune laturum,quod ſe hominem tantopere illi amicum à portu ,ab hoſpitio, ab aquis, & commeatu prohiberent : quid inde triduo poſt, Sol lumine ſuo defectus,ita Barbaros terruit,vt nulla ab illis obſequij ſignificatio prætermiſſa fuerit, qua Columbum ſibi conciliare ac demereri poſſent, nempe quia ſignum iſtud in Sole habuerunt futuræ cuiuſdam, & inſignis calamitatis, ſi aliter feciſſent; qua in re cum præ ignoratione cauſarum turpiter decepti fuerint,quis ita mente captus eſt, vt non ſtatim dijudicet, nos in noſtris ominibus, & ſignis eadem omnino ratione decipi, cùm adeò vehementer illa exhorreſcimus, & perturbamur niſi ex votis reſpondeant, quamuis hæc omnia ab imaginatione noſtra dependeant, & ipſa in ſe

nihilo ſint metuenda magis , quàm
Quæ pueri in tenebris pauitant,finguntque futura.

Enimuero quia præuideo futurum vt illi quibus inanes crepitus, & lupus viſus, aut calceus ſiniſter pro dextro induttus terrori ſunt continuo poſtulent, ſi vana illa ſunt, ſuſque deque à ſapientibus habenda, qui tandem fiat, quod multi qui neglectis auſpicijs pugnare voluerunt,aut aliquid aliud ſiniſtris auibus,& ominibus agere, pœnam temeritatis inſigni quadã calamitate luiſſe depræhendantur ? cur item tot hiſtoriæ referuntur vt Grachi, Metelli, Ciceronis,Bruti, & aliorum quibus mors imminens,aut graue aliud incomodum ſiniſtro aliquo augurio denunciatum fuit: non ſecus ac dextra, & felicia Lucullo, Mario,Lucio,Paulo multiſque cum antiquorum, tum, & recentium temporum ducibus futuras victorias ac triumphos ſignificarunt ? equidem quantum ad primam quæſtionem ſpectat, vellem omnino vt qui ipſam proponunt, rationem mihi idem tidem dicerent, ſi omina vera aut neceſſaria ſunt, qui fieri potuit vt multi qui ipſa ſemper flocci fecerunt, tantum abeſt vt ex eorum contemptu aduerſi quicquam experti ſint, quod potius votorum ſummam videntur retuliſſe. Notũ eſt enim quod ferox *Annibal*, augure Pruſia referente interiora vituli corrupta, ſignum fore prœlij cum hoſtibus non committendi,ipſe contra, vatem delirum contemnens,pugnauit vicitque,cùm tamen priuſquam congrederetur aſſeruiſſet, *ſe magis credere iudicio veterum imperatorum, quàm fruſtulo putrefactæ*

carnis vitulinæ. Notum eſt etiam quod *Iulius Cæſar* prodigia omnia tam confidenter neglexit, vt nunquam ab vllo incœpto, augurijs quantumlibet aduerſis abſterreri aut retardari potuerit, ita vt etiam prolapſus aliquando in egreſſu nauis, omen iſtud ſiniſtrum in melius conuerterit, exclamando magna cum alacritatate *teneo te Africa*. Nec aliter *Caſſius* cũ Romani exercitus à Parthorum ſagittis fuſi profligatique reliquias ad ſe confugientes ſeruare conaretur, & Chaldæus illum admoneret, vt tãtiſper tempus protraheret, dum Luna ſcorpione decurſo ſagittariũ attigiſſet, *magis*, reſpondit illi, *ſagittarium metuo, quàm ſcorpionem*. Atque huc etiam pertinẽt cum Papirij Conſulis ſtratagema, qui Pullarium, quod aues in fano termini non addixiſſent referentem, intèr prima ſigna conſtituit, eoque occiſo *Dij in prælio ſunt* exclamauit, habet pœnam mendacij noxium caput. Tum & Scipionis factũ, qui vt ex Appiano cõſtat, *ſimul atque in caſtra peruenit nihil* in Hiſpanic. *antiquius habuit, quàm vt mercatores omnes ſcorta, ariolos, ſacrificos, (quibus tot aduerſis pugnis conſternati milites plus nimio addicti erant) expelleret, atque etiam in poſterum vetaret, quicquam minimè neceſſarium importari, ne victimam quidem diuinationis gratià*; cui perſimile fuit edictum Aureliani in epiſtola ad Tribunum vopiſ. in eo quo iubet vt *à medicis milites gratis curentur, Aruſpicibus nihil dent* Nempe ex iſtis omnibus conſpicuum eſt parem vtrobique eſſe rationem fauſti vel infœlicis rerum euentus, ſeu quis omina ſeruauerit, aut deſpicata potius atque abiecta valere ea iuſſerit, quemadmodum Minutius Felix omniũ elegantiſſimè declarat in Octauio, vbi hunc in modum de illis ratiocinatur *Aſſyrij, Mædi, & Perſæ regna tenuerunt cùm augures non haberent, nec pullos caueà reclusos quorum cibo vel faſtidio res ſumma gereretur. Claudius ſcilicet, & Flaminius, & Iunius ideo exercitus perdiderunt, quod pullorum tripudium ſoliſtimum non expectandum putauerunt. Quid Regulus nonne auguria ſeruauit & captus eſt? Mancinus religionem tenuit, & ſub* libro. 1. *iugũ miſſus eſt & deditus? pullos edaces habuit & Paulus, apud Cannas tamen cum maiore populi Romani parte proſtratus eſt?* caſu igitur totam hanc præſagitionem ex Augurijs contineri fatendum lib. 25. eſt, ita vt ſi *cum horrendo ſtridore*, vt inquit Ammianus, *ſonuerunt in conſiſtorio trabes, & viſa inter diu ſydera cometarum* de quibus dicebat etiam Manilius

Quin

Quin & bella canunt varios ſubitoſque tumultus
Et clandeſtinis ſurgentia fraudibus arma.

ſi fulmen læuum aut dextrum ntonuerit, ſi nubes in ſpeciem animalium aut equitum viſæ fuerint, ſi lupus vrbem intrarit, ſerpens ex impluuio deciderit, Bos aſcenderit in tertiam contignationem, nihilo magis hæc ad noſtrarum rerum euentus pertinere exiſtimandum ſit, quàm ad ea bella quæ fiunt Sinenſes inter, & Tartaros: vbicunque enim nulla eſt connexio ſubiecti cum attributo, & cauſæ cum effectu, tam omnia dici de vna quàm de alia re poſſunt; quæ vero eſt connexio examinis apũ quod temere errabundũ fertur, cum homine qui iter faciens caſu in illud incidit nulla profecto, vnde nec vlla eius rei ſignificatio eſſe poteſt, nullaque fieri de ea obſeruatio debet, cùm alioqui caſus cuius beneficio multa quotidie in operibus artis & naturæ mirabilia contigũt, ita vt Hippocrates hanc ob rẽ de primo in morbis aſſeruerit quod *medicus per fortuitum ſucceſſum multa bona in curatione operatur* longè potiori ratione vim ſuam in iſtis rebus exerat, quæ nulla inter ſe certa ratione connectuntur, vnde licet infinitis modis quotidie fiant, & millies vni eidemque homini occurrant, non ſolemus tamen illas obſeruare, niſi cum aliquo damno vel compendio fuerint coniunctæ, vbi enim neutrum illorum accidit, tunc caſus eſt, non omen quodcumque vel coruus homine præſente crocitauerit, vel fulmẽ tetigerit, vel illud omne quod in itinere oblatum, aut in limine ceſpitatum fuerit. Quanquã & iſtud quoque addere debeo, multa in illis fingi ex hominũ opinione, quæ nũquã fuerũt; multa ab hiſtoricis in annales referri quę æterno potius ſilentio dãnari deberẽt; mortuo ſi quidẽ aliquo Principe, hoſtibus magno numero cæſis, vrbe expugnata, peſte graſſante, aut ſimili alia calamitate ſæuiente nunquam deſunt homines vani, ſuperſtitioſi, mendaces, & terroribus plerumque dementati, qui falſo rumores ex ambitione, aut affectione ferant & multa quæ non tam noua aut inſolita ſint, quàm nouè & inſolenter expoſita, in illud quo maximè gaudent vel triſtantur conuertant, cuiuſmodi ſunt ea omnia quæ Virgilius ſub finem primi georgicon mortem Cæſaris, & ſequutas ex illa clades ſignificaſſe ex vatum aliorum more inſtitutoque retulit, imo vero nullus, quod antea dixi, tertarcha vel Pedagogus, aut alia quapiam

arte

arte inſignis homo hac tempeſtate ſine prodigijs moritur, nec equidem inuideo, miror magis quod non omnes alij eadem cœli, vel terræ laborantis ſignificatione intereant, etenim ſi cuncta quæ domi vel foris priuſqam egrotarent, aut in ipſo morbo, & & iam defunctis accidunt collegeris, cui tandem amabo deeſſe poterunt omina & portenta? huic igitur ſi rectè animadeuerteris importunæ volucres auditæ ſunt, illi obſcœnus canis tota nocte latrauit, alij pars ædium ignem concepit, Gallus meridie cantauit, ſalinum in menſa fuit obuerſum, cultellus in dorſum cōuerſus, lucerna ſcintillauit, tredecim conuiuæ ſimul accubuerunt, pes in limine offendit, vetula obuiam facta eſt, equus ſtabulo exire noluit, & cui bono precor hæc omnia, niſi vt omina ſint eorum quæ tenuioris fortunæ hominibus accidere ſolent, non ſecus ac fulmina, cometæ, terræmotus, eluuioneſque, principum, & Regum fata portendunt. At vero cùm hec omina falſa, ridicula, impia eſſe toties dictum; & experientiâ quoque ac rationibus in contrarium adductis demonſtratum ſit; quin imo cùm nuperrime tota illa prædictionum, quæ ex varia Cometarum apparitione fieri ſolebant, inaniſſima ſubſtructio corruerit, & nihiloſecius homines eodem ſemper in luto, ac cœno eiuſmodi ſuperſtitionum hæreant, facile mihi eam ob rem cum Polybio conuenit, vbi ſcribit hominem quem alij cenſent animalium prudentiſſimum ſibi potius ſtultiſſimum videri, quoniam cæteræ animantes vbi ſemel offenderint cauent, nec vulpes ad laqueum, canis ad fuſtem, lupus ad foueam temere redeunt, ſolus autem homo ab æuo in æuum peccat ſemper in ijſdem. Ac ſanè vt de alijs taceam, & me in hac præſenti materia quæ per ſe ampliſſima eſt ad dicendum, contineam; quid aliud eſt cum Lipſio ſomnia, ſigna, ſimulacra, & vaticinia obſeruare. Quid cum Ranzouio putare, multum ad victoriam aut cladem intereſſe, ſi cometes viſus fuerit, ſi armorum in acie ſonitus auditus, aliaque prodigia in Cœlo deprænſa, ſi terræ motus vrbes concutierit, Sol aut Luna ſplendore defecerint examina apum alicubi conſederint, cerua à lupo euaſerit coru inter ſe pugnarint, lupus caſtra ſubierit, noctuæ, & canes vlularint equi ſolito alacrius hinni erint, ſomnia læta aut triſtia acciderint quid inquam aliud facit qui his omnibus obſeruandis ſe nimium docilem præbet, quàm quod antiqui illi idololatræ per tot augu-

auguria, & auſpicia, ac aliarum diuinationum portenta fecerunt, que ſi Columella in villico damnat, quanto minus in milite permitti debent? ſi ille in præfecto villicationi prohibet, qanto citius nos in duce? cuius fortitudine, tot hominum ſalus continetur, præſertim cum minimè illi honeſtum ſit lib 1. cap. lib. 41, cbo. 1 lib. 11. cap 1.

velatum ſæpe videri
Vertier ad lapidem, & omnes accedere ad aras
Sed mage placata poſſe omnia mente tueri.

& quod optimè dicit ac probat doctiſſimus Rigaltius, vera apud chriſtianos Extiſpicina ſit ſpiritus & cordis noſtri, non autem pecudum aut aliarum rerum inſpectio, ita vt cum hæc nullis ſordibus inquinata ſunt, tum demum certa de fœlici rerum euentu coniectura fieri debeat, quandoquidem vt habetur apud Euripidem in Helena, *qui Deos ſibi beneuolos habuerit, is optimam habet domi diuinationem*. Qua non deſtituuntur etiam qui patriæ commoda, publicamque ominum ſalutem, ſuis armis defendere ſtudent, dicente apud M. Tullium Quinto Fabio Augure maximo *optimis augurijs ea geri quæ pro Reipublicæ ſalute fierent*. Quamobrem vt incœptum hunc ſermonem de augurijs, & obſeruationibus alijs ſuperſtitioſis, quem, & ſi validioribus forſan rationibus munire potuiſſem, paucioribus tamen non debui, exemplis aliquot concludam, quæ omnem omnino quam homines de rebus eiuſmodi opinionem conceperunt, ſua auctoritate funditus conuellere poſſit; illud in primis mihi non prætermittendum in hoc cenſu videtur, quod refert Nicetas Choniates *Emanueli Comneno* accidiſſe, cùm bellũ aduerſus Regem Siciliæ, & Calabriæ, acceſſito etiam in auxilium cœleſtis thematis fauore, gerendum ſuſcepiſſet; is enim priori claſſe quam parauerat, ab hoſtibus diſiecta labefactataque, aliam denuo quibus potuit artibus excitatam Conſtantino Angelo Philadelphienſi regendam tradit, ſed quo euẽtu quibuſue cõſilijs preſtat illud ex ipſomet Niceta quem V Volphius Latinum fecit acipere, *quia vero* inquit *potentibus ſere omnibus, tum noſtræ tum ſuperioris ætatis placitum eſt, ſtellarum progreſſiones, & retroceſſiones, certoſque poſitus, configurationes, acceſſus cæteraque (quæ nugatores iſti in diuinæ prouidentiæ fraudem aſſirmant, ac diſſimulanter fatalem omnium rerum neceſſitatem ſtatunt) ad fælicitatem humanoſque caſus multum valere. Manuel ido* l. de ſenectu.

neum

neum exeundi tempus inquirit, idque Conſtantino denuntiat ſed quid ſit nondum ad occaſum vergebat ſol, Manuelis iuſſu homo reuocatur, ob incommodum exitum minus fauſto ſiderum poſitu, nec ſubtiliter, & accuratè perquiſito, rurſus igitur thema conſtituitur, poſt longam aſtrorum indagationem, & contemplationem, Angelus exit cum beneficorum ſiderum comitatu, ſed illa horæ obſeruatio tantum Romanis *profuit priorumque ducum errata ita correxit, & accepta detrimenta reſarcijt, vt Conſtantinus ſtatim hoſtium manibus caperetur, nam cùm incircumſpectè nauigaret, à* Siculis *triremibus quæ mare tuebantur comprahenſus ad Regem perducitur* Hæc autem hiſtorià & ſi maximè ad rē noſtrā faciat, melius tamē probari poteſt quantum ſit in augurio vanitatis, ex alia quam habet Iacobus
libro 3. Braccelius in relatione de bello Hiſpanenſi, vbi dum nauale prælium refert, quod ad Pontias inſulas, magnà Genuenſium fama aduerſus Alphonſum Arragoniæ Regem commiſſum fuit, accidentis cuiuſdam meminit, quod niſi dux ſua prudentià contemnendum duxiſſet, profectò tota inſignis illius victoriæ ſpes decollabat: etenim cùm ea dies illuxiſſet quæ Genuæ indicta fuerat, vt omnibus paratis, præfectus claſſis *Blaſius Axeretus* à Magiſtratibus, & proceribus ciuitatis ad naues officij gratià duceretur, atrox repente coorta tempeſtas, cœlum terræ, diemque nocti cōfundere & mixto cum imbre tonitru crebriſque fulguribus, turbare vrbem & terrere viſa eſt, ac omnia per eam ſupra modum fœdiora apparuerunt, inter quæ faſtigium templi quod D. Ambroſio ſacratum à publico Palatio haud procul abeſt, ita fulmine ictum eſt, vt ſupremum marmor in ſummitate locatum inde abraſerit, proculque ſine vllius læſione tranſtulerit; qua deformitate commoti varij rumores ita repente per populum diſſeminati ſunt, vt ſingulis, vel ducis mortem qui è regione Ambroſiani templi habitabat, vel claſſis naufragium, aut infelicem prælij euentum, tali ex caſu conijcientibus, Senatus qui magna etiam parte conſternatus erat, Blaſium per Legatum monuerit, ne tam fœdà, ac inauſpicatà die nauem conſcenderet, expectaretque tempus quo proficiſcenti honores, vt decebat haberi poſſent, cui Præfectus, *ito* inquit, *& renūcia Præſidi, ac Magiſtratibus cùm* D. *Ambroſii templū fulmine ictum eſt, tum me primum in naui pedem poſuiſſe, honores à me intempeſtiuos contemni, eoſque*

redu-

reduci, ac victori mihi reſeruent, quo dicto claſſem ſoluere iuſſit, & tantà confidentià in hoſtes obuios inuectus eſt, adeoque acerrime pugnauit, vt eam victoriam retulerit, quam ſeu ex numero captiuorum metiamur, inter quos duo Reges Aragonenſis, & Nauarrus, & ſupra centum principes, ac vltra ducentos auratæ militiæ equites viſebantur; ſeu ex prædæ magnitudine, quæ tanta fuit, quantam nullos vnquam victores vna nauali pugna adeptos eſſe legimus, fateamur neceſſe eſt vix vllam naualem victoriam, aut maiori claritate, & glorià, aut dubiæ populi, ſuperſtitioſorumque omnium expectationis audaciori contemptu, huic dignè æquandam eſſe. Nimirum his exemplis occurrendum eſſe duxi, alijs omnibus quæ ſatis eſſe Lipſio viſa ſunt, ad ſuperſtitioſi ſui moniti fidem aſſerendam, cùm interim ſi per philoſophorum ſcholas, & amœniorum literarum diuerticula ſpatiari libuiſſet, rem omnem maiori rationum, & doctrinæ ſplendore illuſtrare facile potuiſſem; verum cùm vtrobique Prouinciam hāc ab alijs occupatam deprehenderim, malui ornatu carere, quàm eum aliunde mutuari, & à legitimis poſſeſſoribus extorquere ſatiſque rationis aduerſus auguria me allaturum putaui, ſi ne quidem hæc digna videri aſſeruerim, quæ ratione refellātur, ita enim Cato cùm eſſet conſultus à quodam qui ſibi eroſas eſſe caligas diceret à ſoribus, non ratione cum ipſo egit, vt diuinationum vim, quemadmodum poſtea fecit Cicero, infringeret; ſed vt ſimiles haberent labra lactucas, & ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam reſpōderet; illud tantum dixit, *non eſſe boc monſtrum quod ſorices caligas roſiſſent, ſed vere monſtrum habendum fuiſſe, ſi ſorices à caligis roderentur*: & ipſemet Tullius, vt in magna doctrina morumque grauitate à iocis tamen & vrbanitate non erat alienus, eodem etiam modo vatem alium irriſit, qui ex Gallorum cantu, ſumpto fælici pro Thebanis augurio victoriam illis pollicitus fuerat, *magnum enim oſtentum*, ait, *quaſi piſces & non Galli cecinerint*. cùm igitur noſtri Corœbi, & Bambaliones fulmen è nubibus excuſſum in turrim aliquam ad omen conuertunt, aſſerēdum eſt maius prodigium fuiſſe, ſi turris in nubes rapta fuiſſet; & ſi vlterius per eiuſmodi vanas obſeruationes in futura ſibi inquirendum eſſe duxerint, monendi ſunt, vt ratione potius ad id vtantur, & prudentiæ regulis, quæ res præteritas cum præſentibus conferendo, optimè

lib. 6. epiſt. epiſt. 6.

optimè poſtea de futuris iudicat, ſic enim Cicero ſibi faciendum putauit ad Cecinnam exulem ſcribens, *non igitur*, inquit, *ex alitis volatu; nec ex cantu ſiniſtro oſcinis vt in noſtra diſciplina eſt. nec ex tripudijs ſoliſtimis, aut ſomnijs tibi auguror, ſed habeo alia ſigna quæ obſeruem, & quæ etſi non ſint certiora illis, minus tamen habent vel obſcuritatis, vel erroris*: ſic Bodinus in epiſtola ad præſidem Briſſonium certiſſimè prædixit finem tumultuũ ciuilium in Gallia, vt Rodulphus Botercius his verbis teſtatus eſt, *mirabile fuit hominis vaticinium de exitu ciuilis belli, qui epiſtola quæ extat ad Briſſonium, & in Larario reconditam ſeruo, ſcripſerit non futili diſſertatione, factiones quibus implacabililer ardere Gallia incipiebat, intra quinquennium vel ſeptennium finem habituras, fecitque euentus Bodinum vatem certiſſimum, cui vaticinij gloriam, & mercedem tempeſtiuior obitus inuidit.* ſcilicet prudentium coniecturis futuri temporis exitus inueſtigari, non certò prædici poſſunt, multoque minus ad id conducunt ariolorum impoſturæ, & mendacia quibus etſi probabilior aliquis coniecturæ modus ſubeſſet, eum tamen fine ſuo fruſtratum iri, ſatis oſtendit Stephanus Poloniæ Rex ſapientiſſimus, quem dicere ſolitum ferunt hiſtorici, Deum cùm multa hominibus conceſſerit, tria tamen ſibi in ſolidum reſeruaſſe, ex nihilo aliquid facere; voluntatibus ipſorum hominum & conſcientijs dominari; & quod iuxta cum alijs difficillimum eſt, futuros rerum euentus cognoſcere. Quod ſanè cùm veriſſimum ſit, nec ab Horatij, aut prudentium omnium opinione alienum, apud quos *futuri temporis exitum caliginoſa nocte premit Deus.* quid ad ducem, imo quid ad hominem pertinet.

lib. 2. comment.

Sidonius in paneg. Maioriani.

recto ſi tramite ſeruat
Sidera Chaldæus, nouit ſi gramina Colchus,
Fulgura ſi Thuſcus, ſi Theſſalus elicit vmbras,
Si Liciæ ſortes ſapiunt, ſi noſtra volatu
Fata loquuntur aues.

quaſi vero his nugaciſſimis obſeruationibus præuideri poſſent quæ in æternitatis tabulario ſcripta ſunt, aut quæ in diphtera Iuppiter dicitur aſſeruare.

XVI

1. Poſt prælia ſequitur victoria aut clades quæ ſibi viciſſim ſuccedunt.

His igitur conſilijs ad pugnam deueniendum, cuius finis cùm ſit victoria, aut clades, vtraque propterea nobis hoc loco, quo de ijs quæ poſt pugnam accidunt dicere debemus, leuiter attingenda

gen-da

genda eſt; & ſanè cùm illius deæ, quam *Nemeſim*, ſeu vindictam, aut retributionem Poetæ vocant, omnibuſque venerandam, ac potentibus etiam metuendam dicunt, officium in eo ſitum ſit, vt beatorum conſtanti, & perpetuæ fælicitati, inſtar Tribuni plebis intercedat, ac illud suũ *veto* interponat, neque tantùm inſolentiã caſtiget, verum etiam rebus proſperis, licet innocentibus ac moderatis, aduerſarum vices rependat: vix aliter fieri poteſt, quin varia illa præliorũ ſors præſtantiſſimos duces viciſſim exerceat, & modo huic victoriam afferat, quem antea plurimis cladibus depreſſit, modo etiam ingẽti aliquo infortunio mactet, cui eo vſque veluti fortunæ pullo, aut albæ gallinæ filio nihil infauſti acciderat: quaſi re ipſa Iuppiter vt apud Homerum fingitur, ex duobus dolijs variè res mortalium miſceret, aut vera eſſet Aeſopi priſci illius fabulatoris ſententia, qui à quodam interrogatus quid ageret Iupiter, reſpondit τὰ μὲν ὑψηλὰ ταπεινοῖ, τὰ δὲ ταπεινὰ ὑψοῖ, ſeu quod idem eſt *deprimit excelſa, & humilia tollit*. Atque hæc ipſa cauſa eſt; cur eadem Dea Oceani quo rerum viciſſitudo ſignificatur, & noctis quæ occulti, latentiſque diuini iudicij imaginem refert, filia dicebatur, nam etiam apud Ethnicos *nocturna Nemeſis* dominari credebatur, quoties deorum prudentià, aliter quàm hominum ſapientiæ viſum fuit, de rebus diſponebat, vt in illo Lucani patet. Iliad. vltim.

Victrix cauſa Dijs placuit, ſed victa Catoni.

Et longè adhuc euidentius apud Virgilium vbi mortem Riphæi ita deſcribit. Aeneide 2.

cadit, & Ripheus iuſtiſſimus vnus,
Qui fuit in Teucris, & ſeruantiſſimus æqui.
Dis aliter viſum.

alata etiam fingitur Nemeſis, non minus certè quàm coronata, ob ſubitas regnorum, nec bene antea præuiſas conuerſiones; haſtam præterea manu alterà tenet, alterà vero phialam in qua incluſi ſpectantur Aethiopes, aut potius ſpectra quædam ad hominum terrorem compoſita, quoniam vel homines tunc cùm ſe beatiores putant ſternit, & proterit, vel ſaltem in cauſa eſt vt obuerſentur illis perpetuo mors, calamitates, inſidiæ, clades, & huiuſmodi alia velut incluſa vitro infortunia, quæ cùm in alijs occaſionibus frequenter, tum vero ſæpiſſimè in bello, propter alter-

nas

nas lucri, & iacturæ vices hominibus moleſta ſunt; vnde Græci vt Homerus, & Tryphiodorus, ſæpiſſimè vocant *ἑτεραλκέα νίκην* *victoriam alternatim nunc his, nunc illis obtingentem*; & Martem *ἀλλοπρόσαλλον*, quod quidam interpretantur inconſtantem, vt *qui modo ad hunc, modo ad illum vertatur*; quamobrem *ἄρης κοινὸς*, *Mars communis* inter prouerbiales ſentẽtias refertur, quibus incertum ac varium belli euentum auctores ſignificare conſueuerunt, quod epithetum Liuius etiam paſſim vſurpat, & M. Tullius non alio quoque vſus eſt, vt pro Milone *incerti ſunt exitus pugnarum, Marsque eſt communis, qui ſæpe ſpoliantem iam, & exultantem euertit, & perculit ab infimo:* nec aliter in Philippicis *ſed vt concedam incertos eſſe exitus belli*; *Martem communem, tamen pro libertate, vitæ periculo decernendum,* Feſto autem non diſſimili ratione, Mars appellatur *Gradiuus*, a gradiendo vltro citroque in bella, in quibus clades, ac triumphi æſtus in modum ſibi viciſſim ſuccedunt, atque huius conuerſionis non inſcium fuiſſe Aeneam ſic Virgilius innuit. Aeneide 10.

Hic magnus ſedet Aeneas, ſecumque volutat
Euentus belli varios.

& Liuius idcirco dicebat *ſi in ſecundis rebus bonam quoque mentem darent dij, non ea ſolum, quæ eueniſſent, ſed etiam quæ euenire poſſent reputaremus*: quibus an aliud putas ipſum ſignificare voluiſſe, quàm hoc ipſum, quod Ouidius ſuis quoque carminibus expreſſit 1. de arte amandi.

victique reſurgunt,
Quoſque neges vnquam poſſe iacere cadunt.

igitur quamcumque in partem exitus inclinet, ducem oportet animo ſemper eſſe præſenti, & firmo, ne ob res ſecundas elatior & grauior factus, odium in ſe vel inuidiam concitet, aut ex iniuria, & confidentià damnum aliquod ab hoſte recipiat. Nec item ſi res malè ceſſerint, animum deſpondere debet, aut prælij vnius euentu paueſcere, quia infimi ingenij eſt, lapſu aliquo ſummæ rei diffidere, præſertim in bello, vbi ſingula quæque momenta maximas rerum inclinationes afferre conſueuerunt.

2 *Victoria quo-ſtus non habenda duci,* Atque vt pauca ſigillatim de vtroque illo pugnarum euentu dicam, eaque paululum diuerſa à Iuſto Lipſio, aliiſque politicis ſcriptoribus, qui victoriam cautè, leniter, modeſtè habendam cla-

clades vero prudenter, & fortiter ferendas, vario ſententiarum & exemplorum apparatu docent; illud in primis moneo vt ſi dux præclarè ſuâ victoriâ vti velit, prædam omnem, & ſpolia quamuis magnifica, ſuis militibus in præmium laborum, & operæ fortiter nauatæ concedat. neque ad ſe quicquam ex illa præter laudem & gloriam pertinere exiſtimet, ſi quis enim in veteris exempla memoriæ diligenter reſpiciat, omnes duces inueniet sẽper euaſiſſe inuictos & longè clariſſimos, qui nihil ſibi de præda retinentes, omnem illam in milites diuiſerunt, & ad vnam tantum atque eam immortalem veri decoris laudem aſpirarunt, Annibalis exemplo quem Silius ita loquentem inducit

ſed præda militibus diuidenda vbi de Ducis liberalitate.

mihi magna ſatis ſat vera ſuperque
Bellandi merces ſit gloria, cætera vobis
Vincantur.

Contra vero neminem vnquam ex his qui militiam quæſtui habendam putant, magni Imperatoris nomen fuiſſe conſecutum, eius enim animus ſupra aurum eſſe debet, qui ferrum in hoſtes ſtringit, nec oblatum accipere laus eſt, ſed raptum occupare, vt eo inter milites diſtributo, animos illis faciat non audaciores modo, ſed ita in ſe affectos, vt aduerſa omnia quæ accidere poſſunt leuius tolerent, & omnem cum ipſo duce fortunæ aleam ſubire non dedignẽtur. Secus enim qui bellum gerit vt diteſcat, enſemque ſtringit, vt hoſtem ſpoliet, quid aliud ſupereſt quàm vt victoriã quoque pretio redimi permittat; & vero cùm rectè moneat Tacitus *nihil à quoquã expeti niſi cuius fructum ante prouiderit*; & notum ſit illud Liuij eo impendi laborem ac periculum, vnde emolumentum, & honos ſperatur; quomodo precor grauem militiam, perpetuos labores, quotidiana pericula, & vulnera quis ferat? vbi nullam honoris, & præmij ſpem tot ſudoribus ſtatui videt. Quare vt hanc ſuis in militibus fouerent antiqui, prout ſtrenuè fortiterque ſe geſſerant in prælio, varijs quoque muneribus illos donare ſolebãt, & præter cohortis prætoriæ cõmunionem, armillas inſuper, haſtas puras, phaleras, corniculos torques, coronas varij generis quinimo pecuniam, & agros, ac prædã ipſam bene meritis largiebantur; vnde Troiani apud Virgilium conſueuerant *prædæ ducere ſortem* vt ex illo Aſcanij patet

Annal. 11.

libro 4.

Aeneide 9.

Ipſum illum clypæum criſtaſque rubentes

excipiam ſorti, & Gregorius Thuronẽſis auctor eſt, veteres Frãcos, quæ capta bello fuerant, ſorte diuiſiſſe, neque Regem ipſum aliud habuiſſe de ſpolijs quàm quod ſors ipſi addixiſſet. Quomodo vero Romani in præda pro ratione meritorum aut ſtipendiorum diuidenda, ſe geſſerint, præclarè explicat Polibius, ſed omnium hac de re ſtatutis longè præcellit Dauidicũ illud, quod habetur in hiſtoria Regum *æqua pars erit deſcendentis ad prælium & remanentis ad ſarcinas, & ſimiliter diuident, & factum eſt hoc ex die illa, & deinceps conſtitutum, & præfinitum, & quaſi lex in Iſrael vſque in diem hanc*; quamuis eiuſdem diſtributionis varia olim exempla edita fuerãt Deuteronomij capite vigeſimo, & Numerorum trigeſimo, ac Ioſue vigeſimo ſecundo, in quibus omnibus præda, vel vniuerſo exercitui diſtribuitur, vel etiam reliquæ multitudini, & Leuitis, quibus quinquageſima pars attributa fuerat magno cum militum, & totius multitudinis, quæ ipſum ſequebatur commodo: ſi igitur vnicum hoc emolumentum quod cæteris ex diſciplinæ neglectu ſublatis, militibus reliquum eſt, Dux in priuatum ſuum commodum conuertat, eo iure vtens quod ſibi licere Fabricius apud Halicarnaſſeum aſſerit *ex his quæ bello erant capta licebat mihi quantum vellem excipere*, quo tandem incentiuo poterunt ad virtutem, & ad aliquid fortiter audendum incitari? aut quomodo à ſociorum, & amicorum bonis abſtinebunt, qui his ſe defraudari vident, quæ ſi non abſque incommodo, ſaltem nullius cuiuſquam iniurià poſſunt accipere. Et ſanè cũ Ferrando Conſaluo *magni ducis nomen* præclaræ, quas ad iſtud tuendum attulit, virtutes fecerint, nullà tamen inter tot alias ęque ac liberalitate, qua maxime militum animi capiuntur, extitit inſignis, nemo enim eo aut exquiſitius, aut opportunius, aut denique largius, & effuſius vnquam erga ſuos non modo, ſed & hoſtes ipſos liberalitatis, & magnificentiæ ſplendorem exercuit, cuius rei ſi vellem exempla referre omnia, quæ à Iouio literis conſignata fuerunt, longior omnino eſſem quàm in re paſſim obuia conueniat, aut quàm tui de cauſa neceſſè ſit, Ludouice comes, qui Guicciardinum nunquam è manibus deponis, niſi vt à Iouio, quem ætatis noſtrę Liuium appellare ſoles, nimiũ non deſueſcas; quamobrem vnum tantum, aut alterum in ſpecimen reliquorum proferam, vt ex illis liquido conſtare poſſit, quanta ſit fortitudini cũ

lib. 1. cap. 3.

libro 4.

libe-

Digitized by Google

liberalitate,& beneficentia affinitas,quandoquidem is adeo profuſè liberalis extitit, qui etiam publico famæ conſenſu ducum omnium noſtræ tempeſtatis fortiſſimus habitus eſt;huic itaque ex Cephalænia in Siciliam redeunti, cùm Piſaurius Veneti Senatus nomine, in præmiumque nauatæ operæ dono dediſſet vaſa multa auro,argentoque cælata, coccineos item laneos pannos & ſericos purpureos, & plures ex his auro intertextos,equos vero Thracios decem, & auri, argentique ſignati circiter decem millia aureorum nummùm. hæc fermè omnia exercitui in vniuerſum, & ſigillatim militum, amicorumque fortiſſimis diuiſit, quum eximià animi magnitudine lauream de capta Cephalænia labore partam, omnibus illis muneribus anteferret. Idem etiam recepto,& quæſito Ferdinando Regi militum ſuorum inſigni fortitudine diuturniſque laboribus Regno Neapolitano, tantà in recenſendis eorum meritis memorià, tantoque in diſpenſandis muneribus iudicio vſus eſt, vt cùm ducibus vrbes, & oppida iure fiduciario poſſidenda dediſſet; equitum vero præfectis, & centurionibus, domos,villas, fundos,arciumque præfecturas diuiſiſſet; & milites communi donatiuo, ac reliquos ſpectatæ virtutis nomine inſignes, annuis præmijs fuiſſet proſequutus, inuidi ipſi fateri cogerentur, neminem ab eo niſi larga manu donatum abiuiſſe. Sed quid illuſtrius, & æterna commendatione dignius cogitari poſſet, quam illud quod expugnata arce noua Neapolitanæ ciuitatis, raro & antea quidem inaudito liberalitatis exemplo præſtitit, quando ea à victore milite, vſque adeo inſolenter direptà,vt nec annonæ quidem parceretur, ipſe ad gregarios quoſdam conuerſus, qui diris maledicendo de importuna ſua ſorte quærebantur, quod nihil ſibi de pretioſa ea præda obtigiſſet, *itote*, inquit, *vt ex mea liberalitate fortunam veſtram ſuperetis, & domum meam diripite*: hac enim acceptà licentià ad eam ſtatim conuolarunt, tantà intermixtæ plebis rapacitate,vt nudatis omni ornamento parietibus, ne vinum quidem in cella vinaria relictũ fuerit; ab hac igitur liberalitate, & munificentià, cùm ſibi communis militum parentis nomen comparaſſet,quid mirum ſi quoties nouos delectus habebat,milites ad eum ex omnibus partibus ſtatim confluebant, tantà plerunque alacritate & confidentià, vt tanquam Cadmo & Pompeio, terra ipſa homines armatos, ex

libro 24. aperto ſinu ſuppeditare ipſi videretur; merito igitur Ammianus Iulianum Imperatorem celebrat, quod *diuiſà perpenſis meritis, & laboribus prædà, ipſe vt erat paruo contentus mutum puerum oblatum ſibi ſuſcepit geſticularium, multa quæ callebat nutibus venuſtiſſimis explicantem & tribus aureis nummis parte victoriæ præmium iucundum exiſtimabat, & gratum*. Et M. Antonius Muretus qui diuino fuit ad eloquentiã ingenio præditus, idem de Sanctio Nauarrorũ Rege tãto cum ornatu narrauit, in oratione ad Pium IV. Pontificem Maximum, nomine Antonij Borbonij Regis Nauarræ dicta, vt lectorem ſuum æque rapiat in admirationem ſermonis, ac facinoris, quod adeo ſcitè, eleganterque in illo exprimitur. Sed parco lubens de his omnibus dicere, quo rem paucis abſoluam ex Onoſandri conſilio, qui Imperatori quem præclaris documentis informandum ſuſceperat, iſtud obſeruandum ſuadet, vt victoriam quandam adeptus, non aliquos tantum remuneretur, ſed fructum eius omni labore partum, toti exercitui communem eſſe permittat; patiaturque, quo liberalitatem hanc commodius exerceat, direptionem aliquando fieri, ſi aut vallum, aut impedimenta imo & vrbem expugnando ſubegerit, quoniam his præmiorum incitamentis, longè paratiores euadunt militum animi ad difficilia quæque, & ardua ſuperan-
cap. 34. ſtrateg. da; *niſi forte exiſtimemus*, inquit idem, *canes venaticos ferino ſanguine beſtiæque captæ viſceribus eſſe ineſcandos, militibus vero hoſtium debellatorum, prædas ac partes concedi non oportere*. Atque ea de cauſa ipſe Onoſander alibi, in Imperatore deſiderat vt ſit διάπονος id eſt non laborioſus modo, ſed *in ipſis* etiam *laboribus perſeuerans*, & ἀφιλάργυρος quoniam hæc duo ad militum amorem conciliandum maximè conducunt; vnde memorat etiam Socrates in epiſtolis, quas nuper omnium communes fieri curauit doctiſſimus Allatius, *duo hæc potiſſima inter alia militiæ opus eſſe, tolerantiam, & pecuniarum contemptum, hoc namque familiaribus cari, illà hoſtibus terribiles ſumus* ἐστι δὲ ὡς δυοῖν τούτοιν μάλιστα προσδεῖται πόλεμος καρτερίας τε, καὶ ἀφιλοχρηματίας δι᾽ ἐκείνην μὲν γὰρ τοῖς οἰκείοις φίλοι, διὰ καρτερίαν δὲ φοβεροὶ τοῖς ἀντιπάλοις γινόμεθα.

3 Deditionũ conditiones tum antiquis tum noſtris tẽporibus vſurpatæ. Cæterum quia præda aut à fuſis hoſtibus, aut à dedentibus ſe, quæ duo victoriã conſequuntur redire in militem ſolet, ſciendum eſt, quod ad poſteriores ſpectat, quod ritus deditionis apud anti-

Digitized by Google

antiquos, & ſubiectionis poſtulandæ mos, talis ſemper extitit, vt victi, aut cum conditione in hoſtium poteſtatem venirent, aut ſe illis abſque vlla conditione tractandos permitterent, quod Galli communi cum Italis vocabulo dicũt *renderſi a diſcretione*. Et quidem prioris deditionis conditiones, vel honeſtæ erant quales P*erſarum*, quando ipſis Berſaboram arcem Iuliano tradentibus, conuentum vtrimque fuit, vt quot quot intus erant Perſæ, ſinguli per medium exercitum Romanum tuto tranſirent, certà pecunia & veſte acceptà; vel ſeueriores, & tantum non propudioſæ, vt hæ quas victricibus armis inſultans Annibal *Saguntinis* propoſuit ſi à Romanorum ſocietate deficere vellent, *aurum ſcilicet argentumque omne publicum, & priuatum ad ſe deferrent, & inermes cum binis veſtimentis Sagunto exirent, ſi ſua ac coniugum, & liberorum corpora ſeruari vellent inuiolata*. Ex arbitrio vero, & libidine Pontius cum *Romanis* egit, quos ad Furculas Caudinas interceptos, vna cum conſulibus ſub iugum miſit; Idemque fecit Papyrius Conſul, cùm nunciari *Luceriam* iuſſit arma, iumenta, multitudinem omnem intra moenia relinquerent, militem ſe cum ſingulis veſtimentis ſub iuga miſſurum. Noſtris vero temporibus, & ſi varijs de cauſis deditiones non vno modo fieri conſueuerint, & quemadmodum olim militaris lex obtinuerat, vt poſtquam moenia quati ariete coeperant, oppidiani amplius vitam ſaluam paciſci non poſſent, ex quo Cęſar Aduaticis denuntiat, *ſe magis conſuetudine ſua quàm eorum merito ciuitatem conſeruaturum, ſi priuſquam aries murum attigiſſet, ſe dediſſent*; & Cicero monet eos, *qui armis poſitis ad Imperatorum fidem confugiunt, quamuis murum aries percuſſerit, recipiendos eſſe*: ita etiam apud nos, ex armorum iure, idem mos vſurpetur in locis infimis, poſtquam tormenta curulia diſploſa fuerunt; in munitioribus autem ſi factus in moenia impetus fuerit, hæc inquam licet ex ſtricto iure ita ſe habeant, communis tamen bellorum vſus ſic inualuit, vt vrbe aliqua, ſiue ante aut poſt tormentorum diſploſionẽ ſe dedente, victor honeſtis conditionibus hanc in fidem ſuam accipiat, ſalua etiam Magiſtratuum authoritate, & his conuentis pactiſque ſtabilitis, vt plurimum ac bona fide obſeruatis. Præteritarum iniuriarum obliuio inducatur: ciues bonis ac dignitati reſtituantur, licentià etiam ſin-

Liuius lib. 1. decad. 3.

2 de bel. gal.

1. officior.

Hhh 3 guli s

gulis datà, aut continendi ſe in antiquis ſedibus, aut in alias quocunq; libuerit cum tota familia migrandi; victoris ius ſit præſidiũ quantumcunque libuerit, & de qua magis illi viſum fuerit natione, in vrbe relinquere, quod ille ſuis ſumptibus alere teneatur: arcem nouam extruere non niſi de ciuium conſenſu poſſit, aut dirutam inſtaurare; propugnacula durante obſidione ab incolis erecta, ſtatim poſt deditionem victori ſolo æquanda permittantur; ducibus tandem præſidiarijs, ac militibus præterquam ſi exules, aut rebelles fuerint, exire cum armis, ſignis, explicatis, tympanis reboantibus, funiculis accenſis, cæteroque bellorum apparatu, & impedimentis omnibus liberum ſit. Quamquam ſi ciues planè excedere oppido cogantur, quod non admodum frequenter accidit, iſtis conditionibus ſequentes adijci ſolent, oppidum citra fraudem integrum victori tradatur relictis in eo tormentis, puluere ſulphureo, globis, funiculis, itemque armis & vexillis ac reliqua militari ſuppellectile: equiti cum armis & equis; pediti cum enſe, pugione, ac impedimentis, nobilibus & plebi cum auro argentoque ac domeſtico apparatu, commodatis etiam carris aut nauigijs, & omni iniurià, a virginibus, & ſequiori ſexu prohibità, abire liceat. Hæc igitur pacta conuentaque ſi modo bona fide obſeruentur, tantum abeſt quod culpari debeant, vt etiam mirũ videri poſſit, quomodo ſeu hominũ natura quæ peior in dies euadit, ſeu victoria ipſa, quæ per ſe inſolens eſt, rapax, improba, eo ſe placabilitatis, ac modeſtiæ in ſumma rerum omnium licentia reduxerit, vt dum ſua hoſtibus iura ſeruat, æqua ferme inter victos victoreſque ratione viuatur.

4\. *Clades nullã labem ducibus infert nec illis fortioribus cedere in honeſtum.*

Sed facile eſt vnicuique ſecundà aurà nauiganti clauum regere, & exerente ſe cum fortuna ingenio, quid in proſperis rebus conſulendum ſit videre: verum in clade quæ non minus famæ ducum aduerſa, quam eorum fortunis omnibus funeſta eſſe ſolet, rarus eſt quem e ſtatu mentis calamitas ipſa non deijciat, varior etiam qui tam præclarè ſibi conſtet, vt illata damna nouis ſtatim conatibus abſtergenda impigre ſuſcipiat; Quare cum duo maximè in cauſa eſſe exiſtimem, cur tanta conſternatio duces inuoluat, cùm primum cladem aliquam acceperint opinionem ſcilicet quam de eorum virtute et induſtria vulgus ſini-

ſiniſtram concipit, ac timorem qui ſocias vrbes, aut confœderatos principes inuadere ſolet, adeo plerumque vehementer, vt quaſi de ſumma rerum conclamatum eſſet, animum & ipſi deſpondeant, facileque victoribus ſe dedant, nullius rei magis quam de propria ſalute ſoliciti, his profecto duobus incommodis, non melius iturum me obuiam exiſtimo, quam ſi rationibus & exemplis oſtendam, nullum ex clade dedecus in ducem redundare, modo omnia prius experiri & tentare voluerit, quàm à prælio diſcedere, nullumque in eo errorem commiſerit, qui labem ignauiæ ſecum habeat adiunctam. Tum etiam acceptas clades omni arte & ingenio tegendas eſſe, aut ſaltem ita minuendas, vt ſocij non prius de illa certiores fiant, quàm reparatà nouo militum delectu iacturà, ipſos in fide continere poſſit. Quemadmodum ergo dux ille inter timidos ac ignauos reponendus eſt, qui non tam virtute hoſtis quàm ſua ignauia vincitur, ita dubium non eſt, ſi quis commiſſo certamine hoſtem viriliter ſuperat, quin ille in ſtrenuis & ſpectatæ virtutis, ducibus habendus ſit. Quare reliquum eſt modo videre ad quē illorum propius hic accedit, qui etiamſi cuncta præſtiterit quæ à forti Imperatore deſiderari in prælio poſſunt, maiori tamen hoſtium aut robore aut armorum peritià, aut fortunà aliaue de cauſa ſuccubuerit. Et ſanè quanquam is qui ſuperatur effugere non poſſit quandam in vulgus infamiam, certum tamen habeo eius ſi quantum in ſe fuit conatus eſt, ne robore, vel induſtrià ab aduerſarijs vinceretur, nihil vltra intereſſe, quo tandem exitu, caſus de victoria decernat, et enim cum ex duobus qui pari virium aut animorum contentione inter ſe decertant, neceſſe ſit vnum tantummodo ſuperiorem euadere, quid alteri precor reliquum erit, niſi vt in tantis rerum anguſtijs fugà aut deditione, ſibi ſuiſque prudenter conſulat, vel vltro mortem oppetat, & res antea afflictas, extremo furoris conatu peſſundet, quod vltimum cùm non modo indignum ſit homine Chriſtiano, ſed abhorrat etiam ab humanitate, à fortitudine diſſentiat, nec planè cum prudentia quæ iubet in extremis malis non deſperare, conueniat, quæ tandem iniquitas eſſet, homini quem propria virtus ad laudem extulit inſolentis fortunæ culpam imputare, aut eorum merita popularis auræ metiri arbitrio, quorum conſilij

Mars potentior, & vices vt antea diximus alternans, tam frequenter illudit, vt etiam ἐνυάλιος Homero appelletur, ab ἐνυὼ quam belli fortunam eſſe putant. Et ſanè extollant quantumuis Romanorum hiſtoriæ Aemilium Paulum quod in Cannenſi pugna cùm ſe poſſet fugà ſubtrahere, pro patria pugnans pulcherrimam mortem oppetere maluerit quàm ſuorum ignominiæ ſupereſſe: nunquam tamen ego committam quin longe pluris Varronem Conſulem alterum faciam, qui ſe ex prælio in tutum recepit, vnde obuiam ei frequenter itum eſt ab omnibus ordinibus & gratiæ actæ, quòd pugnam ſua morte funeſtiorem non feciſſet, nec item ac collega de patriæ ſalute deſperaſſet. Eodemque modo, etiam ſi Annibal fuſus ad Zamam à Scipione fuerit, & fugà ſalutem ſibi quæſiuerit, patrocinium tamen inuenit trium grauiſſimorum ſcriptorum, Liuij, Plutarchi, & Polybij qui tot laudibus illum ornarunt, ab officio ducis optimi vt ſi viciſſet nihil ferme ad illas addere potuiſſent. Sic enim primus, *Annibal cùm paucis equitibus inter tumultum elapſus Adrumentum perfugit, omnia & in prælio & ante aciem priuſquam excederet pugnà expertus, & confeſſione etiam Scipionis, omniumque peritorum militiæ, illam laudem adeptus ſingulari arte aciem eo die inſtruxiſſe*: & ab Liuio nulla in re diſſentit Plutarchus, ita vt qui vnius verba legerit, de alterius quoque ſermone, coniecturam facere nullo negotio poſſit, ſed Polybius tam exquiſitè cauſam Annibalis tutatus eſt, vt verba eius ſigillatim referre, operæ pretium exiſtimem *Annibal cùm equitibus paucis ſe recipiens continuis itineribus Adrumentum tandem euaſit, omnia in prælio expertus quæ à bono Imperatore, & magno rerum vſu prædito poterant præſtari*, atque non his contentus poſtea addit. *quod ſi eum poſtquam omnia feciſſet, quæ ad vincẽdum poterant fieri, ſpes eſt fruſtrata virum ante eum diem inuictum, venia ipſi danda. Nam interdum virorum fortium inceptis fortuna ipſa & caſus reſiſtunt, interdum verò aduenit quod prouerbio dici ſolet, vt*

deca. 3. lib. 10.

in Scipione.

lib. 10.

Occurrat forti qui mage fortis erat.

quod tunc Annibali contigiſſe aliquis merito dixerit. Non ergo ſi *Petiliani* & *Saguntini* publico & communi rogo ſemetipſos cremarunt ne à ſocietate Romanorum deficerent, propterea tamen ijs laudibus afficiuntur à politicis, quas vel fugiens Anni-

bal

Digitized by Google

bal ab iiſdem conſecutus eſt, maximè quia illi veniam à Senatu acceperant, quando ipſis propter recentem cladem Cānenſem ſuccurri non poterat, faciendi omnia quæ ſibi e re & ſalute ſua fore viderentur; hi vero Cartaginenſium gratiam amplecti potuiſſent, & pacem accipere, quam ne recuſarent ſic ad illos orantem Alorchum Liuius repræſentat *poſtquam nec a Romanis vobis vlla ſpes, nec veſtra iam aut arma, aut moenia ſatis defendunt pacem affero ad vos magis neceſſariam quam æquam, cuius ita aliqua ſpes eſt: ſi eam quemadmodum vt victor fert Annibal, ſic vos vt victi audiatis; ſi non id quod amittitur in damno cùm omnia victoris ſint, ſed quicquid relinquitur pro munere habituri eſtis.* li.1.decad.3.
Quid enim habet in ſe vltimus hic deſperatorum hominum conatus, quod temeritati non ſit potius quàm prudentiæ tribuendum? credebant ne Romanos maius commodum ex præclariſſimarũ vrbium, et tot hominum qui in illis erant incẽdio, quàm ex eorundem conſeruatione percepturos, at deſipientibus tantum & inſanis iſtud in mentem venire poterat. Quid igitur impetus illos egit & inconſulta ratio, vt fidem quam ne Romani quidem ab ipſis petebant, certà ſua iacturà ſeruare voluerint, hoc autem conſilium quam parum ſapientiſſimis ducibus conueniat, quorum officium eſt poſſe non ſolum vincendi, ſed etiam cedẽdi tempora perſpicere, quemadmodum ex Tacito patet, cuius mens eſt *fortes et ſtrenuos contra fortunam inſiſtere ſpei, timidos, & ignauos ad deſperationem formidine properare*, nec aliud etiã Virgilius ſignificare voluit, cùm ſuos Heroas *Turnum*, & *Aeneam* pro ratione diſcriminum quibus ſe aliter explicare non poterant, fuga ſibi conſulentes repræſentat, ſic enim ille de Turno xi.annal. æneid.12.

Ergo amens diuerſa fugà petit agmina Turnus
Et nunc huc, inde huc incertos implicat orbes.

Aeneæ vero Anchiſem tribuit velut perpetuum ſuaſorem vt fugà ſe ab excidio Troiano proripiat,

Vos o quibus integer æui æneid. 2.
Sanguis ait, ſolidæque ſuo ſtant robore vires
Vos agitate fugam.

imo vero conſilio ſuo vſum, & fugientem, hortatur de nouo vt greſſum maturare velit,

Iam-

Iamque propinquabam portis omnemque videbar
Euaſiſſe viam, ſubito cum creber ad aures
Viſus adeſſe pedum ſonitus, genitor que per vmbram
Proſpiciens, Nate, exclamat, fuge, nate propinquant.

verum maximè in rem faciunt eiuſdem Aeneæ rationes quibus Dareti aduerſus Entellum pugnanti ſuadere conatur vt ab ini- Aeneid 5.
quo certaminis genere deſiſtat.

Infelix quæ tanta animum dementia cepit?
Non vires alias conuerſaque Numina ſentis?
Cede deo.

nimirum ſapientius illos facere iudicauit, qui fatis obluctantibus cedunt, aut virium iniquitate preſſi, tempeſtiuè de fuga cogitant, quàm quibus tritum illud inter milites verbum perpetuo in ore & factis eſt, *vincendum eſſe aut moriendum*; et ſi enim illud viro forti, & priuato militi apprime conuenire videatur, quem nec mortis timor, nec periculum aliud deterrere debet, quominus intrepidè periculum quoties opus eſt ſubeat, non tamen ſatis validum duci incitamentum eſſe poteſt, vt viribus exhauſtis ac repugnandi facultate vtcunque ſublata, mortem vltro accerſat, ſeque ac reliquos milites, quos meliori fortunæ ſeruare deberet, in extremum diſcrimen conijciat, quod eſt hominis planè furentis vel ſtupidi. Quanto enim illud ſanioris mẽtis eſt, cùm res ad incitas redactæ ſunt, Antigonũ Regem imitari, qui cùm acie victus excederet, ſe quidem non fugere iactabat; cæterum opportunam ſedem ab tergo veſtigare, vnde hoſtem propelleret, præſertim cum multi poſtquam infeliciter aliquoties pugnarint, non ſolum recenti virtute priſcam ignominiam deleuerint, ſed etiam optimè de Republica, aut de patria merendo, ſummam gloriam ſint conſecuti; quod ſicut antea priſcorum ducum exemplis oſtendi; conſequens eſt nunc vt idem quoque recentibus confirmem; Ac in primis *Daualus Piſcarius* mihi occurrit, qui cùm prima militiæ ſtipendia in pugna ad Rauennam commiſſa meruiſſet, in qua ille leuioris armaturæ equitatui præerat, ab hoc inauſpicato principio ſummorum poſtea ducum gloriam æquauit; & P*etro Nauarræ* poſtquam de Canuſij deditione cum Gallis pepigiſſet in caſtra aduentanti, Conſaluus obuiam egreſſus gratias egit, laudauit que palam, quod

quod ſeſe & fortiſſimos milites Cantabros,quorum operà maximis in rebus vti poſſet, opportunà vſus prudentià conſeruaſſet qua in re exemplo forſan vſus fuit, quod Virgilius de Aenea refert, his verſibus

Sergeſtum Aeneas promiſſo munere donat
Seruatam ob nauem lætus ſocioſque reductos.

Nicolao vero *Piccinino* peracri concitatoque bellatori, & aſpera quæque tentari auſo, et ſi fortuna toties illuſerit, vt nemo ſua tempeſtate proſperis pariter, & aduerſis clarior extiterit, nullus tamen adeo fuit iniquus, vt quoties hoſti confertis proelijs ſuccumberet, nequa quam imperitià, aut ignauià, ſed malignitate fortunæ extortam, ei è manibus victoriam fuiſſe, non prædicaret Sed quis *Bartholomeo Liuiano* vigilantia, & acri pugnacique natura dux ſuperiori ætate præſtantior extitit? quis *Vgone Moncada* maiori ſolertia, & diligentis ſtrenuique militis fama bellum geſſit? quis *Andræa Gritto* per dubios rerum euentus fortior cõſtantiorque fuit, omnes tamen nullo ferme benignioris fortunæ afflatu,ſed vnis tantum inuictæ virtutis auſpicijs, illibatæ gloriæ decus apud omnes adepti ſunt, cùm alioqui nuſquam aut raro victores ſed ferme ſemper victi,ſola fuga aut deditione rebus ſuis conſulendum duxerint. Imo vero cùm Moedi Athenas inuaderent,nonne Themiſtocles nauibus ſuis Rempublicam ſeruauit? cùm Abſalon Dauidem patrem perſequeretur, nonne hic feſtinans egredi ciuitate, ſeipſum atque vna populum ſaluauit? idemque cùm ſui milites infeliciter aduerſus filios Ammon pugnaſſent, Ioab ſupremo copiarum ſuarum præfecto reſcripſit *non te frangat iſta res, varius enim euentus eſt belli, nunc hunc nunc illum conſumit gladius, conforta bellatores tuos aduerſus vrbem vt deſtruas & exhortare eos.* quo conſilio poteſt ne vllum præſtantius excogitari? nequaquam certe, nec aliud meo iudicio cepiſſet Iulius Cæſar cùm ad Mundam,tum etiam contra Neruios pugnans, ſi poſtquam omnia præſtiterat quo labantem belli fortunam diuino animi ardore reſtitueret, ſui nihilominus pedem ex acie retuliſſent; quid enim aliud facere tunc potuiſſet, quàm eadem ratione purgare ſe à fuga qua Cn. Fuluius ſuam excuſabat, dum ingenuè fateretur, ſe cum omnes fugerent, reliquorum turbà ablatum ex acie fuiſſe; Equidem tantum ab

eſt

Aened. 5.

2. reg. 11

eſt vt bellorum fortuna cum ſe ducibus aduerſam præbet, quicquam priſtinæ eorum laudi detrahat, quod etiam Onoſander contendit vtile admodum illis eſſe, ſi quandoque ab hoſtibus ſuperentur. quoniam vt inquit, *qui aliquando ſuccubuit, pericula in quæ iam incidit alias cauere didicit, at qui nullam adhuc calamitatem pertulit, non bene res cuſtodire proſperas edoctus eſt, nec ſi ſuperior euadat, tantam adhibebit prudentiam, pericula cauere negligens, quantam adhibuerat vt hoſtes incautos & ſegnes opprimeret.* παθήματα enim ſolent eſſe μαθήματα & quemadmodum habetur in Græcarum ſententiarum collectionibus ὁ μὴ δαρεὶς ἄνθρωπος οὐ παιδεύεται *homo non percuſſus non inſtruitur*; quibus perbellè reſpondet dictum illud Maximi Tyrij Laudati à Rigaltio, ἐγὼ δὲ ςρατηγῷ διαπιςῶ πάντα εὐτυχήσαντι Quamobrem ſanè adductum etiam arbitror prudentiſſimum ducem Nuæum, vt inter diſcurſus ſuos militares vnum eo titulo inſeruerit, *quod expedit Imperatori cladem aliquam accepiſſe*, qua in opinione & ſi mihi cum illis non conueniat, dicam clarius atque vt rem paucis abſoluam, quod ſicut priuato militi nulla vnquam tam dubia aut anceps occaſio eſſe poteſt, vtillius declinandæ gratia vel locum deſerere, vel fugâ ſibi conſulere debeat, quin ſtatim ipſo facto ſe reum faciat delicti quod grauioribus tantum poenis militaribus expiari poteſt, nec alia eiuſmodi ſeueræ legis ratio afferri ſolet, niſi quod in moralem primum diſciplinam peccet, cuius ex præſcriptis homini forti, qualem ſe miles profitetur, omnino potior eſſe debet dignitas ſine vita, quàm vita ſine dignitate, ac demum etiam in ciuilem, quæ vt ſeruos domino ſic milites Imperatori fideliter inſeruire præcipit, ac in omnibus que recta, & conuenientia ſunt obedire: ita ſupremo rei bellicæ præfecto, cuius proprium eſt videre ne quid commiſſa ſuis viribus ac conſilijs Reſpublica detrimenti patiatur, nulla tam honeſta vel vrgens cauſa eſſe poteſt, vt deſperare de ea debeat. Vnde cùm bellorum euentus tam proſperos quam infœlices ſuâ prudentiâ moderandos ſuſceperit, ſequitur vt cum ei in commune bonum aliquid tentanti fortuna non reſpondet, omnium confeſſione laudandus potius quàm culpandus eſſe videatur, ſi præclare ſibi conſtans nihil impetu aut furore decernat, & eodẽ

cap. 36.

animo

Digitized by Google

animo ac conſilio vtatur in reducendo ac ſaluãdo exercitu, qu o antea cùm hoſte congreſſus eſt, Martẽque prouocauit, non be ne tunc ſuis conatibus arridentem; nam, vt inquit Vegetius, *in ſimili conditione fortior cenſetur quem aduerſa non frangunt*. Hoc igitur in clade primũ dux præſtare debet, vt abſq; metu aut timore ignominiæ receptui tempeſtiuè canat, collectis que militũ fortiſſimis, ſibi à tergo infeſtos hoſtes reprimat, & palantibus diſperſiſque hinc & inde ſuis, tutũ muniat ad caſtra aut oppida vicina regreſſũ.

lib. 3 c. 25

Proximum vero eſt vt interim dum nouos delectus parat, noua quærit auxilia, & tam præſenti malo, remedium conueniens applicat, hilarem vultum & bonum ac confidentem animum præſe ferat, anguſtiasque diſſimulet, & futuri damni metumque ac accepti incommodum quantà poteſt induſtrià ac arte contendere, occultandum eſſe intelligat: quemadmodum enim in irato & tempeſtuoſo mari deprænenſos, nihil magis terret, quam ſi rectorem qui ad clauum ſedet deſperare vident, ſic nulla re milites ac ſociæ gentes æque commouentur, quàm ſi ipſum ducem cui omnia certo ex plorata eſſe debent, metu videant conſternatum. Nec modo vultum ſibi fingere debet, & verba confidentiæ plana, ſed inſuper omnia præſtare eum oportet quibus & elatos ſpiritus hoſtium reprimere, & fiduciam ſuis augere poſſit: Quod in deploratis rebus cum vix ac ne vix quidem abſque maxima diſſimulatione fieri poſſit, eſt profecto quod mirer, conſultiſſimum virum Iuſtum Lipſium in eam ſententiam deueniſſe, vt ex opinione Taciti pronuntiaret *nuntios cladis occultantes, ſtulta diſſimulatione remedia potius malorum quam mala ipſa differre*. quis enim neſcit ducem cùm ſuas calamitates celat, cùm ſe victorem effert, cùm rumores ſibi contrarios premit, non tam id facere vt periculum negligat, quàm ne res ſuas vehementer quidem emotas, penitus euertat, nec tam vt ſeipſum quàm vt alios fallàt ſolerter ac ingenioſe occultando, quæ vel ſuis timorem afferre, vel hoſti occaſionem nocendi præbere poſſent. nec ſi Vetellio malè ſucceſſit fractis ad Cremonam rebus, cladis nuncios occultaſſe, propterea cenſendum eſt idem cæteris ducibus imminere periculum, modo non vt ipſe remedia potius malorum quàm malà ipſa ſtulta diſſimulatione differant. Quare bonà venià Lipſij pernicioſæ cladis remedium, vt

5.

Eadem modis omnibus diſſimulanda & quibus præſertim.

omnium

omnium primum ſic maximè efficax in ipſa diſſimulatione conſtituam, quam vt quiſquis ſolertius fingere poteſt, ſic eum rebus gerendis magis idoneum eſſe iudico; tanta enim interdum vis eſt fortunæ, tam præceps caſuum rerumque humanarum varietas, adeo fides hominum in lubrico, & conſtanti veſtigio conſtituta eſt, vt pro loco ac tempore non modo ſimulare, aut diſſimulare, verum etiam fictionibus vti ſit neceſſarium, idque maximè honeſtum habeatur, quandoquidem apud Virgiliũ Aeneas

Spem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem.

Quare vt eius diſſimulationis præcepta nonnulla ex Vegetio, & alijs auctoribus tradam, illud in primis duci ſeruandum eſt, vt ſi æquali, aut paulo minus iniquo Marte cum hoſtibus pugnarit, prior ipſe de cæſis hoſtibus ſpolia capiat, prior clamore ac buccinis exultare videatur; tum vero cadauera ſuorum ſtatim defodi, curet, quo ipſorum numerus iniri non poſſit, nec prior iſtius rei faciendæ licentiam petat, ſed omnia ſimulet, & fingat, quę dubium apud homines facere poſſunt, quanam ex parte victoria ſteterit, cuius nunquam ita ſolet eſſe ratio explorata, vt etiam ſi veritas de induſtria non occultetur, ſatis tamen ſub initia præſertim ipſa ſe prodat. Quod valde illuſtri exemplo confirmat Tacitus, nam cùm dixiſſet *Romæ trophæa de Parthis, Arcuſque medio Capitolini montis ſiſtebantur*, ſubiungit poſtea, *talibus Voloſegis literis, quia Pætus diuerſa tanquam rebus integris ſcribebat, interrogatus* Centurio, *qui cum legatis aduenerat, quo in ſtatu Armenia eſſet, omnes inde Romanos exceſſiſſe reſpondit*. Si vero dux omnem exercitum, aut arcem aliquam munitiſſimam amiſerit, iacturamue aliam inſignem quouis modo fecerit, oportet hunc primum omnium caſus illos aduerſos fortiter ferre, & ſi fieri poſſit adumbratà etiam lętitià mœrorem tegere de ipſis conceptum, atque vt monet Polibius non tantùm linguà, ſed multo magis mente, & vultu de illis ſilere, quoniam, vt inquit Seneca

Annal. 15. / in Thyeſte.

multa ſed trepidus ſolet
Detegere vultus, magna volentem quoque
Conſilia produnt.

& quod dicebat Ioſephus apud Philonem, illud plerumque contingit vt multi cum à nemine alio conuinci poſſint, colore tamen aſpectu, voce, detegant conſcientiam; qua ratione Annibalem ferunt

runt cognita Aſdrubalis fratris cęde, ac totius clade exercitus compoſuiſſe vultum ad hilaritatem, quaſi non tanti eſſet illa victoria, quà Romani multum lætari deberent, ſed re vera iſtud fecit quo ſuorum militum animos fictà lætitià confirmaret, ex pręcepto illo veteris Comici, *ſi vis me flere dolendum eſt prius tibi.* Præterea quoniam vt rectè monet Iulius Cęſar, *ſæpe homines temerarios atque imperitos falſis rumoribus terreri, & ad facinus impelli, & de ſummis rebus conſilium capere cognitum eſt*, his vt occurrat dux cauere ſedulo debet, ne aduerſarum rerum nuncij diffundantur, erumpantque celerius quàm ſuis rebus opportunum erit, & ex aduerſo conandum illi eſt, vt quę ſui exiſtimationem augere, & militibus animos facere poſſunt, etiam amplificatæ, & exaggeratæ ad omnium, ſi fieri poſſit aures perueniant, quem morem *Gallis* antiquitus vſurpatum fuiſſe notat Cęſar in commentarijs, ſolebant enim, vt inquit, ciuitates, quæ cōmodius apud illos Rempublicam adminiſtrare cenſentur, hoc habere legibus ſancitum, vt ex ijs quæ de Republica à finitimis rumore accepe-rant, ea ad magiſtratum deferrent omnia, vt quæ illi viderentur ſilentio premenda, ea occultaret, quæ vero ex vſu iudicabat, multitudini proderet; ſed nunc peregrinari credo hanc legem per vniuerſum orbem, & à Gallis iam ad Hiſpanos perueniſſe, tranſituram mox in alias gentes, prout ſe inuicem conſilio, ac induſtrià ſuperabunt. Enimuero quantum interſit clades ingentes ſilentio tegere, aut ſaltem diſſimulare modis omnibus, exemplo poteſt eſſe M. *Terentius Varro*, qui ex eo quod Cannenſem nimis propalaſſet, Capuanos impulit, vt cum iam auxilia per Legatos vltro ei obtuliſſent, nihilominus tamen ad Annibalem poſtea defecerint. Quare prudētius omnino fecerunt *Alexander magnus*, & *Sertorius*, quorum hic referente Frontino, militem Herculei mortem nunciantem è veſtigio interfecit, ne inde metus aliquis milites inuaderet, ille autem cladem qua peditum duo millia, & trecenti equites ceciderunt, ſic tegendam duxit, vt eos, qui ex prælio venerant capite plectendos denunciaret, ſi quicquã eorum, quæ in prælio acciderant ab ijs in vulgus efferretur. Nec minus aſtutè *Scipio* Legatos Syphacis, qui auxilia ei negabant, eadem lætitià excepit, & dimiſit, ac ſi optata omnia nunciaſſent, quo ſtratagemate militibus ſuis ſpem fecit Regis auxilia in propin-

6. de bello Gallico.

libro 2.

pinquo eſſe. Denique vbi maior eſt metuendi occaſio tunc nihil omnino committendum, quod eius indicio hoſtibus eſſe poſſit, imo vero

Horat. ode 4. libro 4.

Duris vt Ilex tonſa bipennibus
Nigræ feraci frondis in Algido
Per damna, per cædes, ab ipſo
Ducit opes animumque ferro.

haud aliter nouæ ſpes ex prioribus damnis cōcipiendæ ſunt, exercitus alij conſcribendi; ſecuritatis pignora vndique depromenda; & animi conſtantiâ, ac inuicto robore, inijcienda eſt hoſti ſuſpicio, non poſſe tantum virtutis, & audaciæ, niſi ab occultis quibuſdam viribus, & conſilijs prouenire; quo vnico conſilio ſi Romam per tot annos, quibus fortunam ipſam ſacramento Lybiæ dixiſſe, crederes, ſeruatam fuiſſe aſſeruerim, nihil equidem mentiar, cùm nulla re præclarius ferociſſimum hoſtem animo frangere, aut ciues ſuos aduerſus tot Annibalis victorias, in quibus ad ſatietatem vſque Barbarorum ſanguis Romanus fuſus eſt, confirmare potuerit, quàm ſtrenuis illis, & audacibus decretis, quibus Senatus cauit ne octo millia captiuorũ, quæ cladi Cānenſi ſuperfuerant vllo pretio redimerentur; ne Marcellus, qui in Sicilia, Scipio qui in Africa, vterque Conſul, qui ad Capuam res gerebant reuocarentur; atque vt eo tempore, quo Annibal ipſe muris inſultabat, claſſis cum exercitu è portu in Hiſpaniam ſolueret; his enim ſummæ fiduciæ plenis deliberationibus, hoſtem omniū acerrimum in deſperationem coniecerunt vlterius quicquam in Italia feliciter tentandi, experiundiue. Scilicet obſeſſis, ac prope expugnatis profuit, vel non timere hoſtem, vel ita confidenter, metum quem de illo conceperant occultare, vt cum tenerentur viciſſe, aut ſaltem non poſſe vinci ſimularent, quod facere tam Romanorū fuit quàm ſapiētiſſimorum hominum eſt, mederi malis, non iraſci, non deſperare, atque hinc laus illa, quam Claudianus Romæ tribuit

Numquam ſuccubuit damnis, & territa nullo
Vulnere, poſt Cannas maior, Trebiamque fremebat.

& T. Liuij iudicium aſſerentis *magnitudinem populi Romani aduerſis prope rebus admirabiliorem, quàm ſecundis eſſe.* Porro quia eiuſmodi fictiones multum etiam momenti obtinent, ad pacem cum inſo-

inſolenti aduerſario faciendam, quem niſi dux fidentem ſe, & erecti animi, viribuſque probè inſtructum oſtenderit, ita vt etiam metum illi incutiat, fruſtra quidem ſolicitabit, vt ad honeſtas cõditiones ſe demittat; vnde veteri prouerbio occaſio data eſt *pacis negotium ſub clipæo melius procedere*; conſequens propterea eſſet, vt aliquid quoque de ea dicerem, & nonnulla proferrem, quæ vt ipſa honeſta, ac ſimplex ſeu pura, & candida ſit, ab auctoribus requiruntur: verum cùm pacis componendæ, non ſecus ac belli ſuſcipiendi poteſtas, ſit penes vnum principem, cuius vices copiarum præfectus, in ijs tantummodo, quæ ſpectant ad bellorum adminiſtrationem gerere poteſt, rectius me facturum exiſtimo, ſi dum proprius ager ſatis mihi copioſam meſſem ſuppeditat, falcẽ ab aliena contineam, & quæſtionem hanc iterum ad carceres non reducam, quam multi ante me quorum iſtud erat officiũ, ſœpius ad metam perduxerunt, varia eruditione ornatam, perfectamque labore, & induſtriâ.

XVII

1. Hactenus de ſcientia militari ſequitur virtus de qua primum quidem in genere dicitur.

Tam multis igitur, Ludouice Comes, de ſcientia militari dicendum fuit, quoniam paucioribus, quantum ipſa, & vſu neceſſaria, & rerum quas in ſe continet varietate, atque amplitudine diffuſa ſit, intelligi omnino non poterat: verùm cùm non ſcientia dumtaxat eximia rerum bellicarum, excellentem perfectumque imperatorem efficiat, ſed in eo dotes illas, quas ſupra recenſuimus ineſſe oporteat; *virtutem*, nempe ſingularem, ſummam *felicitatem*, *auctoritatemque* clariſsimam, ſequitur nunc vt de his quoque ſermonem faciam, ab illa incipiendo, quam Tullius ordine ſecundam inter cæteras collocauit, nimirum *virtute* cuius famâ, & opinione, cùm vehementer multitudinis amor commoueatur in eorum quibus plenior affuerit admirationem, deſpiciat autem eos in quibus nihil virtutis, nihil animi, aut neruorum vigere deprænditur, omnibus iam inde conſpicuum eſſe poteſt, virtutẽ ipſam, Ducibus quos exornat, nõ minimum famæ, auctoritatiſue conciliare, vt de illa vix alio loco conuenientius dici poſſit, quàm eo, vbi ſingula ordine proponuntur, quæ ſunt ad auctoritatem neceſſaria. Pendeo tamen animi, & incertus admodum hæreo, qua tandem arte ab illorum præceptionibus qui de hac ante me dixerunt, explicare me, ac velut in libertatem aſſerere poſſim, vt quæ mihi tantummodo huc ſpectare videntur in medium affe-

ram. Si quidem non illorum opinionis eſſe vnquam potui, qui omnem, cùm de virtutibus imperatorijs quæſtio incidit, moralem diſciplinam excutiunt, atque vt ſibi materiam ad dicendum ſuppeditent potiùs quàm quod ita ſit, omnibus illum exornari debere virtutibus contendunt, qua in re tantum ab illis diſſentio, quantum optimos duces noſtri temporis, ab illis quos ſibi quiſque imaginatione fingit, & repræſentat diſtare certiſſimum eſt, hi enim cùm tales ſint non re ipſa, ſed ex ſola idæà, quæ reliquis ad imitandum proponitur, tanquam id quod poteſt eſſe in ſuo genere perfectiſſimum, non mirum eſt, ſi noua ſemper virtutum additione, nulla vnquam eorum perfectioni meta, ac terminus ponatur. Quod non eodem modo illis accidere poteſt, qui in fæce Romuli vitam degentes, non tot illam poſſunt illuſtrare documentis & virtutibus, quemadmodum facere ſolent beati illi Heroes ex Academia Platonis, aut Mauri Vtopià quotidie prodeuntes. Sed qui tamen nihiloſecius vtiles ſint rebus agendis, quàm Dij Aegyptiorum monogrami. Et ſanè quantum ego reſpicere poſſum in præſtantiſſimos Duces, qui cùm noſtris, tum etiam vetuſtioribus ſœculis floruerunt, non video illos tot virtutibus ſtipatos fuiſſe, vt qui illas recenſere velit, omnes ſtatim enumerare debeat, aut ingentes diatribas morales illarum explicationi dicare: Quare & ſi virtutem hanc Imperatoris, quæ non vna eſt, ſed multiplex, primùm quidem *Cicero* tam varias in ſpecies diuiſerit, vt omnes ferme alias, vnius ambitu complecti viſus ſit, ſicut ex illis conijcere eſt, quæ paſſim habet in orationibus pro Rege Deiotaro, pro lege Manilia, in paradoxis, Philippicis, alijſque locis ſuorum operum; licet etiam *Petrarcha* vna cum *Lipſio* eam explicet de corporis, ingenijque vigore quodam, & ſimul animi probitate, cui poſtea hic innocentiam, temperantiam, fidem, facilitatem, humanitatem ſubijcit: ille vero fortitudinem, prudentiam, iuſtitiam, patientiam, & omnes tam ex Cicerone, quàm Lipſio antea enumeratas; non propterea tamen mihi perſuadere poſſum, diſtributionem hanc probabili aliqua ratione, aut vrgente admodum neceſſitate fuiſſe introductam, qui ſatis noui tutius eſſe cum vulgo ſentire in rebus, quæ ad actionem pertinent, quàm cum philoſophis, & vni tantum contemplationi addictis hominibus: vulgo autem, vt inquit Tullius, virtutes hæ imperatoriæ

toriæ

toriæ exiſtimantur *Labor in negotij*, *fortitudo in periculis*, *induſtria in agendo*, *celeritas in conficiendo*, *conſilium in prouidendo*; vt potius de his dicendum ſit quàm de alijs omnibus, quarum veluti corollis multi quotidie ſcriptores Ducem exornant, non tam vt opinior rei ipſius veritate, quàm nimia, quadam animi facilitate commoti, & eà imbuti doctrinà quam apud Xenophōtem in Cyri inſtitutione, & Tullium in oratione pro lege Manilia expreſſam vident ad optimi ducis idæam & ſignificationem. Ego vero qui ab Idæa, quantum fieri poteſt, res ipſas ad communem vſum reducere ſoleo, fateor quidem eo meliorem ducem fore, quo plures ex illis virtutibus ſibi proprias fecerit. verum tamen ne diſciplinarum fines ac præcepta ſic miſceantur, non alias hic attingam quàm quæ vulgo, & Ciceroni imperatoriæ eſſe exiſtimantur, quoniam, vt opinor, nullus abſque earum præludio, huius muneris dignitatem tantum abeſt vt illuſtrare quod ne quidem ſatis aptè conuenienterque ſuſtinere poteſt:

Ac inter illas prima quidem occurrit *Laboris* conſideratio, 2.
quem virtutibus & bonis vel eo nomine libenter annumero, quod nulla ſit ſine labore virtus, nulla item bona vſquam germinent, niſi vbi præceſſit cultura & labor. hic autem cùm ſit attenta functio vel animi, vel corporis, vel vtriuſque ſimul, animi autem labor, ſiue grauis illa & intenta cogitatio, quam ducem perpetuo exercere oportet, ſi res ſuas lætas atque florentes habere velit, partim ad conſilium, & prudentiam, de quibus iam ante diximus pertineat, partim etiam ad induſtriam ſeu ſolertiam in agendo & prouidendo, de qua mox ſermonem ſumus habituri; propterea ſolius corporis functio nobis hic explicanda relinquitur, ad quam videntur præclarè antiquioris ſapientiæ conſulti Heroas omnes inuitaſſe, cùm Iouem finxerũt noluiſſe vt Hercules germem illud ſuum, natum ad res maximas & incredibiles, molli eſſet corpore, fracto cultu & emaſculato, vitaque otio ac mollitiei addictà; ſed illum potius voluptatibus eripuit, labori addixit, voluitque pugnare non modo cum Apro, Leone, Tauro, Chymera, cæteriſque monſtris quorum veluti ſipario poetæ, veterum temporum memoriam obtegentes eam ſemper anguſtiorem reddere conati ſunt: ſed cum Dynaſtis, Tirannis, Latronibus inimicis & iuratis in alio-

Mox in ſpecie explicanturq; ſequẽtes labor in negotijs vbi quãtam vim habeat ducis exemplum.

rum perniciem hominibus, illuſtri ſcilicet documento principibus viris, non eſſe tale bellicum negotium, vt abſque laboribus ſummis adminiſtrari poſſit; nec paruis ſudoribus magna ſuſtineri imperia: quod Alexandro cum probè perſuaſum eſſet, regia ſoepe illius vox audit eſt δουλικώτατον μὲν ἐστὶ τὸ τρυφᾶν βασιλικώτατον δὲ τὸ πονεῖν *eſſe planè ſeruile delicijs, regium vero labori operam dare*. Quamobrem ducis vita ad præclarum decus enitentis, nihil aliud eſſe debet quàm longa quædam curarum ſeries, & laborum ſibi viciſſim ſuccedentium catenatio, ita vt quos ſub initium difficilius ſuſtinet, conſuetudine leuiores fiant, ac ſœpe ne ſentiantur quidem: nam qui aliter fieri poterit, vt tot hominum ſuæ fidei, vigilantiæ, curis, ac laboribus concreditorum ſalutem foueat? quomodo vaferrimi ducis conſilia explorabit? molimina retundet? impetus ſuſtinebit? quomodo & occaſionem fugientem captare, & inſidias ſtruere, & tutum iter capere aggredi, regredi, pugnare, vincere poterit? ſi plus laboris militi imponat quàm ipſe ſibi ſumpſerit; ſi non ſit ſupremus, & caſtrorum metator, & fabrorum præfectus, & caſtrenſium operum deſignator; ſi non & prouidi ducis, & ſtrenui militis exequatur officium; Hæc eſt illa profectò laboris periculique communicatio, qua inuicti duces quadunt, omniumque mortalium animos, ac militiæ potiſſimum ſocios ſibi adiungunt, cùm nempe primi ſi res poſtulant aggeri & vallo comportãdo ſeſe accingunt, primi hoſtium itinera & caſtra ſpeculantur, globumque laceſſunt, primi ligoni manus aptant ſi ducenda eſt foſſa, & ad ferendam ſitim, calorem, puluerem, algorem, vigilias, inediam primi ſuo exemplo gregarium quemque, vel ignauiſſimũ ſtimulant. Et ſanè quod in corpore animantis cor eſt; quod in mundi compage primum cœlum, quod reliquas ſphæras ſecum rapit & mouet, hoc imperator eſt in exercitu, dum ambo illa ſolitos ſuos motus obeunt, præclarè omnia tam in minori quam maiori mundo ſe habent; ſi vel minimum ab agitatione feriantur, pereat vterque neceſſe eſt. Quare quilibet optimus
lib. 7. Imperator Liuianum hoc pro ſymbolo habere debet, *facta non dicta mea vos milites ſequi volo; nec diſciplinam modo ſed exẽplum quoque à me petere*: forſan quia vt Caſſiodorus monet, *non poteſt auctoritatem habere ſermo, qui non iuuatur exemplo*. Opor

tet igitur ducem qui omnium curam habet, omnibus adeſſe, pediti, equiti, commeatibus, tormentis, & perpetua inſpectione ne quid tumultuario negligenterque fiat reſpicere, Romani illius exemplo qui ex peſſimo ciue optimus Imperatore euaſerat, *interea Catilina cum expeditis in prima acie verſari, laborãtibus ſuccurrere integros pro ſaucijs arceſſere, omnia prouidere, multum ipſe pugnare, ſoepe hoſtem ferire, ſtrenui militis & boni imperatoris officia ſimul exequebatur*. Eademque ratione *Monlucius* noſter recte quidem dicebat huic Imperatori feliciter omnia cedere, qui ſuorum diligentiæ minimum crederet, omnibusque vel etiam leuioribus negotijs adeſſe, & ſingula manibus ſuis tractare vellet; qua in opinione licèt confirmari potuerit Monlucius omniũ gentium hiſtorijs, quæ frequẽter eiuſce rei exempla ſuppeditant, puto tamen illi in memoriam veniſſe *Gedeonis* fortiſſimi Iſraelitarum ducis, vbi hæc ad ſuos milites præcipit *quod me facere videritis hoc facitè, ingrediar partem caſtrorum & quod fecero ſectamini*; atque hoc patris exemplum ſequutus poſtea *Abimelec* cum turrim Sichemitarum obſideret, arrepta ſecuri præcidit arboris ramum, impoſitumque ferens humero, dixit ad ſocios *quod me videritis facere cito facite*. Nimirum à capite, vt inquit Seneca, bona valetudo tranſit ad reliqua membra: & grauiſſima eſt veriſſimaque adhortatio verſibus illis bellicum quid ſonantibus comprænhenſa, quibus apud ingenioſiſsimum, poetam Claudianum, Honorius Imperator ſic hæredem imperij format

Saluſtius

Iudic c. 7.

cap. 9.

de 4. conſul.

Inuentis vtare cibis: ſolabere partes
Aequali ſudore tuas, ſi collis iniquus,
Primus ini: ſyluam ſi cedere prouocat vſus,
Ne pudeat ſumpta Quercum ſtrauiſſe bipenni:
Calcatur ſi pigra palus, tuus ante profundum
Prætentet ſonipes; fluuios tu protere curru
Horrentes glacie, liquidos tu ſcinde natatu
Nunc eques in medias equitum te conſere turmas:
Nunc pedes aſſiſtas pediti, tum promptius ibunt
Te ſocio: tum conſpicuus, gratuſque feretur
Sub te teſte labor.

etenim præter quàm milites ſummi honoris loco habent, ſi à du-

cibus ſuis non contemnuntur, id inſuper etiam pro lucro æſtimant, ſi æquatos cum illis ſuſtinent labores, & quemadmodum Onoſander argutè concludit *conſpiciens aliquis ducem ſuum in re attrectanda omnium principem, feſtinandum eſſe animaduertit, ceſſare erubeſcit, imperatiſque non parere veretur: nec iam vt ſeruus aut imperio ſubditus, ſed commilitoni is inſtar ad opus quoque prouocatus accedit*. Nec alia de cauſa præſtantiſſimi Romanorum exercituum imperatores, Marius, Cato, Cæſar, Seuerus, Adrianus, alijque duces tot præcellentibus victorijs illuſtres ad nos perennarunt, niſi quod in oculis, & conſpectu militum, in foſſa, vel aggere faciendo operam præſtabant, in vili grabato, & pellibus agebant; eodem cum gregarijs pane veſcebantur, nihil denique vnquam imperatoriæ maieſtatis in conuictu, nihil delitiarum, & mollitiei in cultu oſtentabant, nec ſi aliquo eundum foret, ite huc dicebant, ſed *venite commilitones*, vt Cæſari præſertim in more fuiſſe traditum eſt. Atque vt exterorum pariter exemplis id confirmem, quis Germanorum prudentiam non ſuſpiciat, apud quos referente Tacito, *Reges ex nobilitate, duces ex virtute ſumuntur, & duces exemplo potius quàm imperio, ſi prompti, ſi conſpicui, ſi ante aciem agant admiratione præſunt*: Annibal etiam, Deus bone, qualis, & quàm peritus imperator nonne ſeipſum exemplo præbuit in obſidione Sagunti, tam in conficiendis, admouendiſque ad mœnia machinis, quàm in adeundis locis vbi periculum maius verſabatur, ac poſtea etiam in ſuperandis alpibus glacie, niueque horridis, & tot in locis Italiæ, quibus bellum maximè memorabile omniũ quæ vnqua geſta ſũt intulit. Sedne recentiorum ducum commemoratione, quos afferre quoque in exemplum poſſem, longior euadat oratio, vnum tantum laudare volo P*ompeium Columnam*, qui ſupra quam purpuratum Senatorem decebat, generoſo militarique animo præditus, cùm pro Cæſarianis arma mouiſſet, & vnà cum Lanoio Fruſinonis mœnia, quæ à nigris Italorum cohortibus ſtrenuè fortiterque defendebantur, nec quicquam proſperè tentaſſet, reducendi tandem exercitus conſilium ita propoſuit, vt primus etiam eius exequendi munus ſuſciperet, nam maiora ipſe tormenta ſuiſmet humeris, & lacertis impellebat, & omnia præſtabat etiam operæ vilioris adimplendæ ſpecimina, quibus ita militum ignauiam ſollicitauit

cap. 41.

libro de morib. German.

citauit, vt ſe cum exercitu, & impedimentis quanquam hoſte propinquo, & inſtantibus Rentio, atque Vitellio pugnaciſſimis ducibus, in pacatum, tutumque locum reciperet. adeo verum eſt illud quod dixit Virgilius, *vrget præſentia Turni.* Sed nollem propterea imperatorem militis officia gerere, nec ſe, vitamque ſuam in aperta conijcere pericula, niſi grauior aliqua cauſa ipſum ad hoc impellat, & qualem habuit Cæſar, cùm bis ſuâ præſentiâ exercitus fugam repreſſit, primùm quidem contra Morinos; deinde aduerſus Pompei liberos, cùm de ſumma rerum ageretur, alioqui temere feciſſe dicuntur Pelopidas, M. Marcellus Vaſto Fuxæus, ac plerique alij, quorum occaſus incredibile ſemper attulit rebus bellicis detrimentum. Multoque minus illi conuenit, cum Caracalla Imperatore Romano obire munera abiecta, parumque in ſe dignitatis habentia, cuiuſmodi ſunt currere cum militibus, non veſtes, non arma mutare, non ſe corpuſque decenter curare, cum hoſtibus ſingulari certamine congredi, aut ſimilia facere, quaſi victoria in his laboribus poſita ſit, non potiùs in alijs honeſtioribus, & quæ maiorem habeant cum militaris diſciplinæ recta adminiſtratione, & Imperatoris dignitate conuenientiam.

Aeneide 9.

Porro quia labores ipſi per ſe moleſti ſunt, citiſſimèque non modo corpus, ſed etiam animum frangunt, præſertim vbi cum periculis coniungũtur, fortitudine opus eſt, qua omnes moleſtiæ, ærumnæ, mala, & aduerſa quæ hominibus in vita contingunt, magno, conſtantique animo perferuntur. Vnde ſermonis ordo poſtularet; vt de hac in præſentia dicerem, niſi omnia iam agendo de Tyrone eſſem complexus, quæ ad virtutem iſtius nominis, & cuius propriũ eſt verſari circa terribilia pertinere videbantur. Et certè quemadmodum illic agebam de militibus, quorum vita ſingulis momentis in confinio mortis poſita eſt, non potui quoque non de illa virtute tractare, quæ hos ab omni metu, & terrore liberos præſtare ſolet; Nunc vero quod mihi de Duce ſermo eſt, cuius varium, & multiplex officium, non vna tantum fortitudinis virtus explere poteſt, niſi altiori quodam gradu, ac velut in floribus ſuis, & eo quod magis eximium habet, ſpectata; hinc eſt quod de magnanimitate nonnulla breuiter nunc delibanda ſunt, quæ fortitudo quædam eſt generalis, ſeu mauis fortitudinis

3 *Fortitudo in periculis, ſeu potius magnanimitas, quæ ducis propria eſt virtus.*

ipſius ſublimitas, & præſtantia, ornamentumque quod maiorem eam efficiat, & ampliorem, aut ſi vim, naturamque eius virtutis ex voce græca interprætari licet εὐψυχία ϗ μεγαλοψυχία quā ſi ducum propriam eſſe dixerim, nihil à Virgilio diſcedam, ſuum paſſim Aeneam ſocioſque Heroas ita appellante

Aeneid. 1.

ſublimemque feres ad ſidera Cœli
Magnanimum Aeneam.

& rurſus libro quarto Georgicon

defunctaque corpora vitâ
Magnanimûm Heroum.

vnde quem in milite gradum ſibi vendicat fortitudo, eundem magnanimitati apud ducem concedimus, eamque ita deſcribimus, vt virtus ſit quæ ſicut nomen ipſum indicat, magnitudine animi, & excelſitate quadam cūcta quæ vulgi opinione ſunt præclara parui ducens, illud tantum quod honeſtum eſt, ac decorum ſectetur, ita vt eius conſequendi ſtudio nihil arduum, & difficile non tentet, nec vllum recuſet quantumuis formidabile ſubire periculum. At vero licet illud omne quod in ſingulis virtutibus magnum eſt magnanimi eſſe videatur, & quod pleriſque fluminibus maximis vſuuenit, vt complures ſimul amnes confluant ad illorum magnitudinem cōſtituendam, illud etiam magnanimitati accidat, cuius pulchritudo velut ex ſingularium virtutum dotibus effloreſcit, quia tamen conſtitutum debet eſſe magnanimo, quo in opere, quoue in facinore potiſſimum magnitudinem oſtendat ſuam, nullum certè præſtantius imperator eligere poteſt, animi conſtantià, & fortitudine in ijs omnibus, quæ magna quidem, ac ſe digna duxerit, inter bellorum, quibus adminiſtrandis præficitur, varios euentus, & pericula. Quamobrem fortunam proſperam, & aduerſam pari vultu excipiet, nuſquam, aut victoriâ elatus, aut fractus calamitate; minas etiam, terrores, & quicquid ab hoſte ſolet in hoſtem excogitari ſub iugum mittet, omnia denique quæ facienda ſunt audacter faciet; nec ſe ab eo, quod honeſtum & neceſſarium iudicarit, non ſi fractus illabatur orbis, dimoueri patietur, nempe hac animi conſtantià, & fortitudine

Horat lib. 3. ode 3.

Pollux, & vagus Hercules innixus arces attigit igneas

Hac te merentem Bacche pater
Vexere Tygres, indocili iugum

Collo

Collo trahentes: hac Quirinus
Martis equis Acheronta fugit.

ab ea denique ipſa virtute tanquam ex equo Troiano prodierunt illa fortia pectora, quæ refulſerunt in ornamentum ſuarum æque ac poſteriorum ætatum; Romana præſertim intelligo, de quibus verum olim oraculum Mutius protulerat, *& facere, & pati fortia Romanum eſt*. Et amabo quàm erat alti ſpiritus, obſeſſa ab Annibale Romà, agrum caſtris Punicis occupatum ſub haſta vendere? quàm virilis animi, Pyrrho, cùm grandibus victor prælijs, & peragratà Italià à trigeſimo pene lapide Romam proſpiceret, hoc plenum animi reſponſum dediſſe *Pyrrhus Italia cum copijs excedito, vbi exceſſerit de pace ſi volet agito, ni exceſſerit arma, & viros, & aciem expectato. Neque deſtituros ab incœpto ſe etiam ſi ſexcentos Læuinos pugna viciſſet*: en animi iſti, en verba ſunt, non contra Pyrrhum, ſed contra fortunam, & pene dixerim cælum dimicantium, profecto lubet hic Horatianum illud vſurpare

Liuius decadis 1. lib. 2.

Plutarchus in eo.

Ode 4. lib. 4.

Non Hydra ſecto corpore firmior
Vinci dolentem creuit in Herculem.

Sed quàm nobilis indolis, hoc per Scipionem ſuum ad Antiochũ Regem ſcripſiſſe? *animos eoſdem in omni fortuna geſſimus, gerimuſque, neque eos ſecundæ res extulerunt, neque aduerſæ minuerunt*, ita tibi labor iſte meus acceptus ſit, Ludouice Comes, vt nihil his verbis altius, nihil nobilius excogitari poteſt, & quod melius repræſentet magnanimitatis ipſius vim, maieſtatemque his auguſtis pectoribus tanquam in propria ſede collocatam. Quanquam ſi in *Mithridatis* res geſtas attentè reſpicias, videbis quoque nón minus hanc virtutem ſub Barbaro paludamento latuiſſe, eumque Regem Ponti, nihil omnino reliqui feciſſe, quo magnum ſuum, atque inuictum animum nullis aduerſæ fortunæ caſibus deiectũ, proſtratumque fuiſſe oſtenderet, nam poſt tot prælia, in quibus aduerſo Marte pugnauerat; poſt tot regnorum iacturàm, quam à victore Romano pertulerat; poſt Scytharum non modo defectionem, ſed perfidiam qua filias, quas illis in vxores tradiderat, ad Pompeium deduxerunt; nihil tamen adhuc ignauum animo agitans, per Barbaras nationes in Galliam proficiſci decreuit, quã ſciebat Romano nomini infeſtiſſimam, vt iunctis ſocialibus copijs, Italiam inuaderent, quod equidem præſtitiſſet, ni ſuorum

Liuius decad. libro 7.

vndi-

vndique præuentus inſidijs, veneno tandem ac gladio, ſe illorum proditionibus ſubduxiſſet, omnia primum expertus more anguium, qui obtrito capite poſtremum caudâ minantur. Enimuero licet magnanimitas ipſa nunquam illuſtrius quàm in prædictis exemplis ſpectari poſſit, magna tamen eius vis elucet in pleriſque ducibus, qui quod iſtud ſibi honori, aut Reipublicæ vtilitati futurum exiſtimant, vel ſe vrbibus includunt obſeſſis, eaſque ad extremum vſque ſpiritum defendunt, vt in *Agria* vrbe Hungariæ memorabili exemplo contigit ſub annum Domini MDLXII. cùm Mahomete Baſſa milites ad deditionem inuitante, præſidiariorum dux feretrum intra duas lanceas nigro panno velatum mœnibus imponi iuſſit, quo Turcis ſignificaret, ſi vrbe potiri vellent, mortuos prius milites omnes efferri oportere: vel claſſe incendio conſumpta, equis occiſis, pontibus reuulſis, diſiectiſque portis, & muris arcium, ſuis militibus pugnãdi neceſſitatem imponunt. quod certè quia magnam in duce voluntatem ſignificat, eius quod tunc iudicatur commodius, etiam cum certiſſimo ſuo, & militum diſcrimine faciendi, iniquum videri poſſet non etiam facinus iſtud præclarum ad eam virtutem referre, quæ ſola homines incitare ſolet, vt ne quidem vitæ parcãt, dummodo eam aliorum ſaluti, & neceſſitatibus honeſtè impendere poſſint.

4 *Induſtria in agendo.*

Tertio loco à nobis ea virtus, ſeu potius animi facultas ponebatur, quæ *induſtriæ* nomen, quo eam Tullius appellat, videtur quaſi ab *induendo* duxiſſe, eo quod ſit quidam velut habitus, vſu, exercitationeque ipſa, ac diu multumque experiundo indutus, cuius proprium eſt excogitare in ſuſceptis negotijs verum modũ ordinemque ea perficiendi, ita quidem, vt in quibus alij caligant aut intepeſcunt, ipſi, & incaleſcant abundè, ac perſpiciant acute, & explicent ſe facile, ac nouas ineant rationes, noua conſilia, nouas etiam vias ingrediantur, ſiue damnis reſarciendis, ſiue ſeipſis à ſumma aliqua difficultate explicandis, aut hoſtibus inuadendis, fundendis, diripiendiſue: vt fortaſſe quis non imperitè eam definire, poſſit, acumen ingenij dexteritatem rebus applicãs, eaſque cura, & labore adhibitis perficiens, cuius defectu cum ingenium quantum libet excellens, & virtutes etiam ſublimes tanquam ſuo ſale, & proprio lepore deſtituta iaceant, nec venuſtatis, ac gratiæ, vel micam conſequantur hinc eſt, quod obſte-

trix

Digitized by Google

trix,illa dici poteſt reliquarum omnium artium, & virtutum quibus ab homine deſignatis natiuum colorem inducit, efficitque ſuo veluti nectare illas perfundens, vt id omne ad quod referuntur feliciter cedat. Vnde quicquid eſt quo quælibet res potiſſimũ cenſetur, id ſingulari quodam induſtriæ motu, & prompto acumine mirabiliter eminet, & cùm ſolertia, aſtutia, ſagacitas, circumſpectio, perſpicacitas, vafrities, verſatilitas, per ſe cùm in aliquo ſeparatæ reperiuntur plurimum poſſint, æſtimandum tibi relinquo Ludouice Comes, quid præſtare debent, cùm ſimul omnes in induſtrijs hominibus coniunctæ reperiuntur. Sanè, vt perſpicax *Cicero*, ingenij ſui & cogitationis acumine, ſummaque perueſtigatione, maximè occulta Catilinæ conſilia nefarioſque in nobilitatem, ac Rempublicam apparatus detexit; vt ſagax illa apud Ouidium

Prima malum nutrix animo præſenſit anili.

vt verſatilis *Vlyſſes*, ſeu mauis vti epitheto, quod illi tribuit Horatius, *duplex*, ad diuerſas ſeſe facile accommodabat actiones, tanquam ſi Vertumnus eſſet: vt verſutià inſignes *Craſſus*, *Sylla*, *Lyſander*, quæuis perpetiebantur, & diſſimulabant, dum quod vellent conſequerẽtur: vt circumſpectus *Fabius* ſingulas Annibalis molitiones, & conſilia metiebatur, vt quid eſſet ſibi faciendum depræhenderet, ita valde probabile eſt hominem induſtrium, cui nullam eiuſmodi virtutum detrahimus, omnium in ſe complexum dotes, difficilibus facilitatem afferre, obſcura rimari, abdita detegere, ruitura ſuſtentare, dubia ſtabilire, futura præſagire, & quicquid in alijs timemus ne parum proſpere cedat, hoc vt inter manus ſuas optimè ſuccedat efficere. Quare eius eſt potiſſimum virtutis rem militarem ordinare, & maximè induſtrium ducem eſſe oportet, cui ſæpius in puncto temporis, & ex improuiſo aduerſarius excipiendus eſt, captandus locus, & occaſiones circumſpiciendæ omnes, quando ſui facultatem hoſtis præbeat, quando turmatim cum illo congrediendum, quando tota acie decertandum, quando velitari agmine ciendus, quãdo morà frangendus, quando aſtu circumueniendus eſt; vt hic omittam quoties ſubità hec & inexpectatà prudẽtià opus eſt, vt imperator præoccupare poſſit imminentiũ hoſtium conſilià, munitiora loca caſtris occupare, hoſtes vbi opus eſt imagine committendæ pugnæ diſti-

diſtinere, diuque ludificari, ac fatigatos demum longi laboris aut vigiliæ morà, peracri repentinoque impetu inuadere; fruſtrari etiam eos inani aliqua ſpe potiundæ victoriæ iniectà, rumoribus falſis terrere, oblato pinguiori ſtipendio ad defectionem ſollicitare; occultis odijs inter ſe diuidere, bellum vbi non timetur inferre, explicare ſe ex inſidijs, technis atque dolis arces intercipere, nouos rerum euentus, & oblata caſu flectere ad conſiliũ; & omnia denique præſtare quæ quondam Annibali, Sertorio, Spartaco, Philippo Macedoni, & noſtris temporibus Federico Feltrio, Sfortiæ, Piccino, Caſtrioto, Gattamelatæ inuicti nominis decus vimque ingenij ſic omnibus in prelijs ſpectatã, attulerũt vt magno ſuis partibus adiumẽto eſſent, & longè maximo hoſtibus terrori. Quod etiam de Turno dici haud iniurià poteſt, qui in ſumma ciuium trepidatione non ſe deſerit, ſed ſolertis, ac valde induſtrij ducis partes ſuſtinens, timidos primum confirmat, deinde omnia prouidet, omnia diſponit non impetu, ſed arte, & conſilio, nam & in campos equitatum effundit aptiſſimè, & Carili, Coræque fratris ductu firmat vrbis aditum, tum coronam propugnatorum in muris diſponit, ipſe vero cum robore exercitus capit locum ad ſigna inferenda nec id modo, ſed fauces occupat ad inſidias ipſo in ſaltu confidens, vnde Aeneam iuga ſumma ſuperantem excipiat incautum, de quibus omnibus præſtat ipſum

Aeneid. 11. Poetam audire

Tu Voluſe armari Volſcorum edice maniplis
Duc ait, & Rutulos equites, Meſſapus in armis,
Et cum fratre Coras latis diffundite campis.
Pars aditus vrbis firment turreſque capeſſant.
Cætera qua iuſſo mecum manus inferat arma
Furta paro belli.

Cæterum vtcunque virtus hæc à natura ipſa hominibus indatur niſi tamen vſus atque experientia acceſſerint, incrementum, nullum aut iſtud admodum mediocre tardumque excipiet: vnde fit vt qui ingenio plurimum valent ac multa tulerunt fecerũtque, agendo viciſſim, & perpetiendo, quod in bellorum adminiſtratione veteranis tantum ducibus conceſſum eſt, ij longè promptius quæ agenda ſunt perſpiciant, variaque in rem, & tempus ſuggerant conſilia, maximis difficultatibus ſuperandis, quam

noui

Digitized by Google

noui tyrones, & Neoptolemi, qui triduum tantummodo in caſtris verſati ſunt; hincque Græci ab aſſidua negotiorum tractatione, & quia *fabricando*, vt aiunt *fabri fimus*, *πραγματικὸν* eum dixerunt, non ſolum qui publica negotia curaret, quæ propriè dici *πράγματα* Caſaubonus oſtendit, ſed etiam illum qui vſum rerum magnum haberet, & induſtriam perficiendi quicquid ſemel inſtituiſſet, quem eadem de cauſa Tacitus *negotijs, & rebus intentum* dixit, & Liuius *ſpectatæ hominem virtutis & prudentiæ*, cuiuſmodi ducem optimum vocari & eſſe debere concludimus. Polyb.

5. *Celeritas in conficiendo vbi etiam de cunctatione & varia quarundam nationum circa illa propenſione.*

Porrò cum induſtria ipſa minimè deſidioſa ſit, huius aſſiduæ comites ſunt diligentia, vigilantia, celeritas, quibus magnum quidem in rebus agendis conſiliatur humanæ imbecillitati præſidium; in exercitu etenim gubernando, & bellorum adminiſtratione, quantum ſint vtiles, experientiâ facilius percipi quàm verbis & oratione explicari poteſt. Diligentia ſi quidem Imperatoris in cauſa eſt, vt omnia copioſè; & maturè ſuis legionibus ſuppetant; vigilantia vt ſecurè cum interdiu, tum noctu præſertim degant; Celeritas vt tempus fruſtra non terant, nec permittant occaſionem cum ſe blandientem offert, e manibus ſuis elabi, quod vnum quanti ſemper eſſe debeat, apud copiarum duces momenti, ſatis hoc indicat, quod Politici ſcriptores nulla de re prolixius differere conſueuerint. quam de celeritate, cui vni tantum tribuunt, vt etiam *Alexandrum Magnum* aſſerant, non aliam ob cauſam tam multa exiguo tempore, & militum parua manu peregiſſe, quàm quod nihil in diem ſequentem differret, perpetuòque ſymbolum illud in ore haberet *μηδὲν ἀναβαλλειν. nihil differre*: eiuſque exemplum ſequutus *Iulius Cæſar* quem à celeritate hunc in modum Lucanus commendat

In omnia præceps
Nil actum credens cùm quid ſupereſſet agendum,
Inſtat atrox.

parum etiã abfuit ab eius nominis fama & imperij magnitudine; Quod idem *Xerci* cùm minimè perſuaſum eſſet, non dubitauit is quo commodius Platanum arborem contemplaretur, quæ ad opacandum patulis erat miriſque diffuſa comis, tot myriadibus hominum quos in Græciam ductabat, imperare vt integrum diem

diem conquieſcerent, frementibus ad tantam Regis mollitiem ſuis ducibus, & ex illa, eum augurantibus exitum, quem poſtea vindex fatum eius incuriæ & ſocordiæ tribuendum cenſuit. Sed eadem vis quæ ſtultis hominum mentibus imminet, non mitius egit cum *Vgucione Fagiolano* quem e gemini principatus faſtigio, præcipitem dedit duabuſque ampliſſimis ciuitatibus Lucà & Piſis ſpoliauit, in pœnam non acceleratæ diligentiæ, vt tumultus qui in illis ſuboriri nunciabantur maturè ſedaret: adeo nempe verũ eſt quod inquit Onoſander *repentinos impetus, quiq; præter opinionem deſubito ingruunt, aduerſariorum copias etiam præſtantiores potioresque percellere: at ſi per tempus illis viris tuas circumſpicere de ÿſque deliberare liceat, eas tandem ſumptis animis deſpicere, ac etiam negligere, adeo res quadam ſubitis audacibuſque inceptæ principiis, præſoepe maiorem incutiunt quam prelatæ terrorem*. Verum tamen quoties recurrunt mihi in mentem verſus illi quos Ennius de Fabio Maximo protulit,

Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem,
Non ponebat enim rumores ante ſalutem.
Ergo magis magiſque viri nunc gloria claret,

quoties etiam obuerſantur oculis argenteus nummus Titi cum *Delphino anchoræ obuoluto*; argenteuſque, & æneus Auguſti literis hoc commune Præceptum ſapiẽtiæ referentibus *Feſtina lente* exaratus; ac eiuſdem Auguſti alter etiam argenteus, in quo ſimulacrum expreſſit *quadrati Termini cum ſuper impoſito fulmine*: *Ceruuſque* ille in antiqua gemma exſculptus *cuius poſterior pars ex cochlea exit*, aut in ſerpentem deſinit, quæ ſymbola fue-

libro 31. runt apud antiquos maturitatis rebus in omnibus cum celeritate copulandæ: Tandemque cùm apud Liuium lego *nihil magni*

in coniurat. Catil. *diſcriminis conſilÿs tam inimicum eſſe quam celeritatem*; apud Saluſtium autem video quod alius *Maximum bonum in celeritate putabat*, & vnus idemque Poeta hac in quæſtione decernenda tam varius eſt, vt alibi dicat

Tolle moras nocuit ſemper differre paratis.

mox vero etiam ſubiungat

Differ habent parua commoda magna moræ.

equidem nihil aliud poſſum in hoc vario & reciprocanti opinionum penitus inter ſe diuerſarum æſtu ſtatuere, quàm non ſemper

per

per cunctandum, nec ſemper feſtinandum [eſſe, ſed pro rei cuiuſque natura, iam hoc,] iam illo vtendum conſilio, vt quemadmodum, Deus mundum hunc ex orbium contrarijs inter ſe conuerſionibus, & ex ſiderum ac elementorum diſcrepantibus naturis, tum etiam ex animantium ſtripiumque contraria vi ac poteſtate: coagmentatum mirabili concordia moderatur, ſic Dux exercitum ſuum regat diſſimilitudine quadam tarditatis cum celeritate, motus cum quiete, feſtinationis cum morà, vt illis quando opus eſt ſimul permixtis, aut diſtinctis, hoſtium conatus qualeſcunque illi fuerint, ſeu morà frangendi, ſeu celeritate præueniendi, occupare ac retundere poſſit. Nec opinione ſua falſi ſunt, quantum ego ex euentu valeo conijcere Romani, dum *Fabium Maximum*, & *M. Marcellum* ad bellum Annibali inferendum coniunxerunt, nam cùm hic prælij conſerendi cupidiſſimus eſſet, ille hoſtem patientià frangere doctus: hic cominus hoſtem laceſſere, ille impetus dumtaxat ſuſtinere: hic acerrimus & audaciſſimus pugil, ille moderatiſſimus cunctator; hic gladius, ille Romanorum clypæus eſſet appellatus; vtriuſque certe mixta velut in cõcentu diuerſis vocibus, virtute, imperiũ non modo ab imminenti calamitate ſeruatum eſt, ſed etiam longè latèque propagatum hincque ductor [illis placebat quemadmodum inquit Claudianus. de bello Gethico.

Non qui præcipiti traheret ſimul omnia caſu,
Sed qui maturo vel læta, vel aſpera rerum
Conſilio momenta gerens, nec triſtibus impar,
Nec præ ſucceſſu timidus, ſpatium que morandi
Vincendi que modum mutatis noſcet habenis.

ſed non idem cæteris nationibus, æque ac Romanis, quos natura produxerat ijs dotibus ornatos quas deuictus orbis adoraret conceſſum fuit, multæ ſiquidem ita factæ ſunt ad alterutram iſtarum propenſionum, vt ſi has temporis ratio aut negotiorum cõditio in contrariam impulerint, quaſi funeratæ iaceant, nec quicquam præclari hoc aduerſo naturæ ſuæ conatu faciant: ſic enim Tacitus de quibuſdam pronunciat *Barbaris cunctatio ſeruilis, ſtatim exequi regium videtur*; Sic Liuius de duabus præclariſſimis Græciæ nationibus, *Athenienſium populum fama eſt, celerem, &*

ſupra

Digitized by Google

4. annal. *ſupra vires audacem eſſe ad conandum, Lacedæmoniorum cunctatorem, & vix in ea quibus fidit ingredientem*; ſic denique experiētià compertum eſt, quod *Gallos* flaua bilis ad celeritatem lib.45. ſollicitat, vnde pari cum natura impetu *Carolus Octauus* fulminis inſtar Italiam peruadit, & Ferdinandum Regem vrbe arcibus, regno, ocyſſimè pellit: *Foſſeius* vno quaſi & eodem tempore irrumpentes in Inſubriam Heluetios reprimit, Bononiam obſidione liberat, Venetorum copias ad Atheſim fundit, Mantuam obtinet, Brixiam capit, & inſignem victoriam ad Rhauēnatium campos ſuo interitu nobilitat: *Borbonius* ille perduellis, citius quàm hominum opinione credi poſſet, exercitum ad moenia Romanæ vrbis applicuit, denique ſic eſt omnium in Gallia genius, vt continuo motu & agitatione vigeant; contra quàm *Hiſpanis* accidit qui motus animorum habent moderatiores, & propter inſitum atræ bilis humorem, ad cunctationem & moras nectendas aptiſſimos; quo fit vt ea naturæ ſuæ tarditate, aut ſi mauis grauitate, non minus quam Galli ſua celeritate ſapienter in rem ſuam vtentes, præclara ſemper facinora huius beneficio peregerint, & Mundum alium ſibi quæſiuerint, quem mirabili fortitudine & patientia deuictum in prouinciç formam redigerent. *Venetis* etiam mora pro lucro eſſe ſolet, quamquam alia prorſus ratione inductis, nam periculorum adhuc memores, in quæ nimia ſua feſtinatione, & pugnandi auiditate quondā incurrerunt, euentu cautiores facti, nunc demum ſummi diſcriminis aleam vitare, morà & cunctatione proficere, hoſteſque pugnæ auidos conſiliorum ſuorum tarditate & varietate, quæ parum ab Heluetjis differunt ludificari conſueuere. Hæc vero cum ita ſint ſi Gallis moram addas, vel Hiſpanis feſtinationē, quid aliud quàm vtriſque confuſionem paries, maximis iam antea teſtatam damnatamque in negotijs; putas ne exultantem illum Gallicæ naturæ promptitudinis vigorem, ſolerti Hiſpanorum grauitate condiri, aut vice verſa contrarium fieri poſſe? erras profecto, nec bene iſtius Horatiani videris meminiſſe.

Naturam expellas furcà tamen vſque recurret.

3. *Et demum artes nonnul- ... quibus dux ... fuerunt m... ... m beneus...*

Sequebatur has virtutes imperatorias, conſilium quod à Tullio poſtremum inter illas enumeratur, verum poſtquam ... ſupra de ſcientia belli ſuſcipiendi, tam prolixe de conagendo ...

ſilio

ſilio etiam actum fuit &, quæ tunc de illo diximus, præſenti quoque neceſſitati explendæ ſatis eſſe poſſint, ſubijciam hic eorũ loco, ac veluti pro colophone reliquarum virtutũ, eas artes quibus dux vti debet, ad militum ſuorum beneuolentiam, ſibi comparandam, quas miror quidem ab alijs fuiſſe prætermiſſas, cùm nihil vnquam præſtari in bello egregium poſſit, vbi hoc commune vinculum deeſt, quo dux ſuos milites vbicumque voluerit pertrahat. Quemadmodũ conſtat vnius exemplo *Cæſaris*, qui totum id quod fecit in Italia ſuorum in ſe militum obſequio, beneuolentiæque acceptum referre debet, quandoquidem omnes tam potentibus illecebris adeoque mirifica comitate ſibi deuinxerat, vt ciuile bellum ſuſcipienti, Centuriones cuiuſque Legionis, ſingulos equites ex viatico ſuo alẽdos receperint, vniuerſuſque miles, gratuitã ſine ſtipendio ac frumento operam illi in multos menſes obtulerit, cùm interim tenuiorum curam locupletes in ſe tranſtuliſſent neque in tam diuturno ſpatio quiſquam omnino ab eo deſciuerit, imo vero cum Rubicone ſuperato, Lælius infanda illa ſe facturum iuraſſet, quæ apud Lucanum vix abſque horrore leguntur, potius quam non eius arma fortunamque ſequeretur;

lentiam & amorem ſibi conciliare poſſit.

Libro 1.

his cunctæ aſſenſere cohortes,
Elataſque altè quæcumque in bella vocaret
Promiſere manus.

Porro ipſorum amorem ita ſibi facillimè conciliabit, ſi manifeſtum ſit eum de omnibus optimè mereri cupere, peculiari curà quam de ipſorum commodis habet, & humanitate, ac beneuolentia; qua poſtrema virtute celebres potiſſimum, inter duces præſtantiſſimos fuerunt Aeneas qui *ſociorum*, Cæſar qui *commilitonum*, ac multi alij Imperatores, qui *amicorum* honeſtioribus titulis milites ſuos appellabant, reputantes, vt credibile eſt, apud ſe, maiorem vim eſſe blandis eiuſmodi imperijs, ac *preces armatas* dici, quæ delenifica quadàm verborum arte, illud quod volunt obtinent, ſed nullus tam ſcitè virtutem hanc exprimere potuit quam Georgius Scanderbechus, qui, vt Xenophon inquit de Cyro quod memoria tenebat nomina non militum omnium, vt Plinius & Quintilianus alijque auctores tradiderũt, ſed tantum τῶν ὑφ᾽αυτῷ ἡγεμόνων, vt ex verbis ipſius Xeno-

phontis colligitur in libro quinto παιδείας, ſic ille veteranorum omnium ſui exercitus nomina factaque tenebat, & vna cum illis inſtar Alexandri cum Macedonibus decumbens, eorum ſingulis de patera propinabat, quo honore, qui ſummus eſt apud illos, ita ſibi deuinciebat omnium voluntatem, vt exiguis copijs maximas ſoepevictorias de ferociſſimo hoſte retulerit. Cura vero quam de militum commodis habere oportet; non modo prouidet, ne quid damni illis inferatur, ſiue ab hoſte dum pugnatur vt *Cæſarem* feciſſe auctor eſt Suetonius, & *Fœdericum* Barbaruſſam Guntherus Ligurinus cuius iſta ſunt

libro 8.

Illam pręcipuè curam Fœdericus agebat,
Vt ſine iactura grandi, ſine cæde ſuorum,
Conficeret coeptos optato ſine labores.

ſeu a labore nimio, & penuria, morbis, alijſque caſtrenſi bus incommodis; quibus licet varij duces ſubuenire præclaris arti bus & exemplis conati ſint, *Alexander magnus* ;Macedonem algore pene confectum, ;habita non fortunæ, ſed ætatis vtriuſque æſtimatione,' ſuam ad ſedem quæ ad ignẽ erat proprijs manibus intulerit, vt Plutarchus, & Frontinus referunt; *Cæſar* vero lectum ſuum ægroto commilitoni C. Oppio conceſſerit; *Antonius* etiam vulneratos à Parthis milites omni ope ſubleuarit; non ſecus ac *Pompeius* qui vrbem Nicopolim ſaucijs militibus curandis deſtinauerat, & noſtra etiam ætate *Alphonſus* Arragonius Siciliæ Rex, grægarij vulnus ſudario ſuo obligarit; licet inquam hæc omnia valde illuſtria ſint, & commemoratione poſterorum digna, non tamen videntur mihi eiuſmodi quæ conferri poſſint ac debeãt, cũ ijs quæ hac in re de diligẽtia *Tiberij* ſcribit Velleius *per omne* inquit *belli* P*annonici tẽpus, nemo è militibus cuiuſcumq; gradus imbecillus fuit, cuius ſalus & valetudo non ita ſuſtentaretur Cæſaris cura, tanquam diſtractiſſimus ille tantorum operum mole, huic vni negotio vacaret animus; erat deſiderantibus paratum iunctum vehiculum, lectica eius publicata, cuius vſum tum alij tum ego ſenſi, iam medici, iam apparatus publici, iam in hoc ſolum importatum inſtrumentum* Balnei, *nullius non ſuccurrit valetudini* Nec modo poſt prælium, ſed in prælio ipſo omnium commodis & neceſſitatibus ita prouidebatur, vt δηπόται quos appellant Leo, & Mauricius, ſeu homines aliquot ſelecti, alacres, minus

locu-

locupletes ex ſingulis ordinibus eligerentur qui vulneratos in prælio reficiebant, aut collapſos ab equis erigebant, aut laborantes è certamine aſportabant, vnde ſcalas duas ad læuam partem Sellę habebant, quo facilius, ipſi & milites iuxta periculo erepti, in equum aſcenderent, ijdemque pro ſingulis militibus ſeruatis, ſingulos aureos nummos accipiebant, quemadmodum doctiſſimus Rigaltius in gloſſario tactico explicauit, Cæterum quàm alte ſe in militum animos inſinuent accepta hæc à ducibus ſuis beneficia, quamque procliues illos ad omnem nutum imperatoris reddant, & omnia demum eius gratià tentare ac experiri paratos, dici certè non poteſt, ac ne quidem cogitatione tacita concipi. Quamobrem cùm cura illa ſalutis militum, & comitas ſeu beneuolentia qua victus eorum aſperior mollitur, moreſque, Imperatoris ſui familiaribus colloquijs, & aſpectu, quaſi de nubilo in ſerenum proferuntur, ſatis per ſe idonea ſint inſtrumenta conciliandi milites ſuis ducibus, eoſque omni ſimul obſequij, & fidelitatis ratione cum illis copulandi, non idcirco reliquas virtutes moroſè proſequar, quæ ad hoc ipſum ſuam quoque ſymbolam afferre poſſent, quoniam ſi eas omnes explicare vellem, præterquàm in minimis, & parum neceſſarijs verſari viderer, tum vero finis etiam nullus daretur huic meæ orationi, quàm ſatis mihi eſt, per has virtutes quæ imperatoriæ vocantur à Tullio, perduxiſſe, cæteras enim qui ſcrutari & explicare volet, vt non ſunt amplius militaris artis propriæ, ſed duci vna cum Rege, vel iudice, aut etiam bono, & ſapiente viro communes, ſic vnicuique facile erit illas ex Plutarcho, Iſocrate, Seneca, Leone Imperatore, & eiuſmodi auctoribus, velut corollarium ſuperioribus addere.

XVIII.

1 Sequitur tertia conditio nempe felicitas ſeu fortuna cui plurimũ ſemper à magnis ducibus tributũ fuit etiam à Romanis.

Enimuero quia frequenter in rebus humanis contingit, vt res maximà prudentià, & inſignium virtutum adiumentis inceptæ, finem tamen optatum non ſortiantur, niſi ordine præpoſtero, fortuna quæ cæca eſt, viam ipſis præparet, & fortibus auſis conuenientem exitum afferat, quaſi ſupra virtutem fortuna ſit, & qui vtrãq; habet, is demum ſolus felix ac omni parte beatus audiat: eam ob rem Ciceronis veſtigia premens, de eo caſu qui in rebus humanis conſideratur, & quem Romanorum more Fortunam appellabo non nihil hic afferendum duxi, priuſquam

ad auctoritatem deueniam, quæ & ipſa niſi ab optima ſorte nulla eſt, aut ſi aliqua, non certè talis, vt ad laudes imperatorias multum momenti afferre poſſit. Non igitur ſatis eſt peritum rei militaris, fortem, ſtrenuum, continentem, ac reliquarum virtutum choro cinctum ſtipatum que eſſe ducem, ſed etiam vt felix ac fortunatus ſit oportet. Secus enim eorum inſtar qui domi habent equum Seianum, aut quartà Lunà nati ſunt, cuicunque rei mentem, aut manum admouebit, eà ſe auertet, adeo verum eſt quod prouerbio dicitur, fortunam in rebus humanis vtramque paginam facere, & vt inquit ille

quicquid laudamus in vllo
Maiorum, Fortuna fuit.

Eſt nimirum pleriſque ſummis viris ad amplitudinem, & ad res magnas bene gerendas, quædam diuinitus adiuncta fortuna qua velut rotam cum opus eſt impellente, aut ſuflaminante, eorum voluntatibus ciues aſſentiuntur, ſocij obtemperant, hoſtes obediunt, venti demum ac tempeſtates obſecundant, ita vt Curtius non immerito dixerit, *quis negat eximiam quamque gloriam ſæpius fortunæ quam virtutis eſſe beneficium?* Et vero cũ de hac tantopere à felicibus iuxta miſeris que celebrata fortuna tres quantum reſcire potui magni nominis auctores Iouianus ſcilicet Pontanus, Nicolaus Typotius, & Hieronymus Garimbertus libros ediderint omni genere eruditionis refertos, non te morabor Ludouicè Comes in ijs referendis, quæ ſinguli ipſorum mixta cum verborum ornatu & elocutionis lepore migenti doctrinà, de eius in vniuerſum natura præclare complexi ſunt cùm ſatis mihi ſit in præſentia oſtendiſſe, quantum ipſe rerum accidentium ſubitus & inopinatus euentus, qui quamquam fere rationis & conſilij comes ſit, paulo tamen benignius quibuſdam à Deo tribuitur, in bellorum tractatione ſibi vendicet auctoritatis, & momenti. Et quidem hoc ipſum omnibus ita notum erat antiquis, vt Demoſthenes cuius in pectus totam Græcorum ſapientiam migraſſe fama eſt, cùm ſemel relicto foro, ad bellum proficiſceretur, nihil aliud clypeo ſuo inſcripſerit quàm hæc duo verba *ἀγαθῇ τύχῃ bona fortuna* quam tamen ſic aduerſam expertus eſt, vt primo ſtatim congreſſu relictà non bene parmulà aufugerit, quaſi in eius voti pœnam, quo nullum

lum maius concipere vel ſummi ipſi Imperatores poſſunt, Nec alienus fuit ab hac opinione alter item orator latinorum præſtãtiſſimus, cuius hæc ſunt verba in oratione pro Marcello, *certè in armis militum virtus, bonorum opportunitas, auxilia ſociorum, claſſes, commeatus, multum iuuant, maximam vero partem quã ſi ſuo iure fortuna ſibi vendicat, & quicquid proſpere geſtum eſt, id penè omne ducit ſuum*. Quibus conſentaneum eſt quod Liuius aſſerit, fortunam per omnia humana maximè in res bellicas potentem eſſe, ſed omiſſis aliorum auctoritatibus ſanè *Cæſaris* vita omnium inſtar eſſe poteſt, quando quidem ſic proſperam ſemper fortunam in illa expertus eſt, vt improbam eam eſſe & malè de ſe mereri arbitraretur, cùm vota expectaret, & quod neceſſarium erat futurum, non antequam illud optaret, plena manu largiretur, vnde & eius vim non tantum hoc ſuo ſymbolo expreſſit, *virtute duce comite fortuna*, ſed inſuper teſtatus eſt in commentaris, eam & ſi multum in rebus omnibus poteſt, tum vero plurimũ imperij in rebus bellicis obtinere. Sed eius filius *Octauius* qui primus Auguſti nomen habuit, cùm quartum & quinquageſimum annum agens, precatus a Dijs fuiſſet Scipionis fortitudinem, beneuolentiam Pompei, & Cæſaris fortunam, eam veluti ſucceſſione cùm Imperio accepit, & ita prolixè ſibi blandientem expertus eſt, vt ad ſuos duces quos in diuerſis orbis partibus habebat, eadem quoque fauentiæ aura pertranſiret. non ſecus ac *Alexandri* fortunam, eius etiam ſignis & imagunculis, quæ longo poſt tempore inter periapta & malorum auerruncamenta habita ſunt, communicatam ab ipſo fuiſſe conſtans eſt non paucorum, nec infimæ notæ ſcriptorum opinio. Et ſane licet is virtuti ſuæ plurimum, fortunæ tamen multo plus debuit, quàm parum etiam abſuit quin in poteſtate teneret, quoties enim vt inquit Curtius in maxima pericula nimis calidè ruentem protexit, eluens temeritatis culpam euentus felicitate? quoties eum cùm ad ſolidæ gloriæ culmen efferre vellet, à præſenti morte liberauit, vitæ tum denique ſtatuens finem, cùm ad faſtigium euecto non ampliora eſſent incremẽta ſperanda, imo timendum potius ne quicquid ex orbe deuicto gloriæ retulerat, illud in otium atque ignauiam remiſſus perderet. Talis demum erat *Marcellus* cuius felicitas celebratur à Velleio Paterculo; tales fue-

libro 6.

rũt *Scipio Marius Cerealis*, quorum conatus fortuna promouebat etiam vbi reliquæ artes defuiſſent, tales innumeri apud Græcos, & Romanos Imperatores, quibus vt de Timotheo refert Plutarchus, nõ vrbes modo velut retibus implicitas offerre, ſed lauros, & palmas vltro cõijcere in ſinũ Fortuna ipſa credebatur. Cuius veritatis cũ apprimè cõſcij eſſet Romani, eiuſq; numinis quod profani homines Fortunã dicũt, vim in ſe felici multarũ rerũ ſucceſſu cõſtantẽ probaſſent, qui è rupe maximè horrida, & ſola, ad rubrũ vſque mare imperiũ protulerant, atque ad habitationis humanæ terminum Orcades, inde factum eſt quod poſt Iouẽ, quem trecentis nominibus diuerſis appellarunt, nullius alterius Deitatis apud illos frequentior mentio fuerit quàm fortunæ, cuiuſue poteſtati tanquam à Ioue maximæ plura nomina indiderint, pluresque ædes, ac delubra conſecrarint, nam cui non audita ſunt illa *fortis fortunæ, primigeniæ, maſculæ, proſperæ, virilis, paruæ, muliebris, Seiæ, Barbatæ, mammoſæ, liberæ, ſtatæ, adiutricis, opiferæ, felicis, manentis, obſequentis, viſcatæ, equeſtris, caluæ, bonæ, reducis, conuertentis*, & ſexcenta eiuſmodi nomina, quæ maxima parte illi indita ſunt in gratiarum actionem pro aucto, vel adepto imperio, debellatis hoſtibus, pace facta, vel quocumque tandem alionodo damnata ſuorum votorum Republica. Quæ vt præſtantius adhuc atque auguſtius animi in illam ſui teſtimonium ederet, eius ſimulacrum aureum habuit, quod in puluinaribus, & ſecretiori cubiculo imperatorum Romanorum aſſeruari ſolebat, tanquam ſignum dominationis; vnde Antoninus philoſophus cùm extremam horam ſibi inſtare præuideret, deferri hanc ſtatuam iuſſit ad Marcum filium, tanquam tranſlati ſimul imperij ſignum euidens; & Seuerus imperator *geminare illam ſtatuebat*, inquit Aelius Spartianus, *vt ſacratiſſimum ſimulachrum vtrique filiorum relinqueret*, nempe Baſſiano, & Getæ, *ſed cùm videret ſe perurgeri ſub horam mortis iuſſiſſe fertur, vt alternis diebus apud filios Imperatores, Fortuna in cubiculis poneretur*. Iam vero ſi Romani, qui nihil vnquam non ſumma ratione faciebant, adeo in Fortunã propenſi fuerunt; quam, non ſecus ac nobis perſuaſum eſt, Deorum miniſtram antiqui crediderunt, vt ex illo Euripidis patet, *Deos putato*, Electra, *Fortunæ prius iſtius auctores fuiſſe, poſtea laudato fortunæ miniſtrũ me, & Deum*: quid mirum ſi ab illis vna cum reliquijs veteris ſapien-

Capitolin. in eo.

pien-

pientiæ hæc pariter ad nos opinio propagata eſt, qua etiam nunc arbitramur, vt mortalium res omnes, ſic potiſſimum *στρατηγικὴν τέχνην δὲ τύχης πλείστης δεομένην militarem artem plurima fortuna egentem eſſe.* quod olim quidẽ Platoni viſũ eſt; & ad hoc reſpiciẽs Vegetius pronunciare non dubitauit, quod *aut inopià, aut ſuperuenientibus, aut terrore melius eſt hoſtem domare, quàm prælio in quo amplius ſolet Fortuna poteſtatis habere, quàm virtus.* in Epinom de cap 26. lib. 3.

2 Quamuis in hac ſententia cùm pertinacius hæreret *Mabometes* ille *ſecundus* quem Turcæ non modo cæteris othomanis ſuperiorem, ſed exæquatis vitijs atque virtutibus Alexandro Magno parem fuiſſe contendunt, haud iniurià apud ſuos profani, & Athei nomen adeptus eſt, vt pote qui religionibus exploſis, vnum tantum bonæ fortunæ numen, viris fortibus colendum, illudque non obmurmuratis quibuſdam preculis, ſed viuida, & efficaci animi virtute, conciliandum; quod temerè dictum hominis impij, & pro libidine Deum ſibi fingentis, tantum abeſt vt Chriſtiano militi allubere poſſit, quod ipſi omnino perſuaſum eſſe debet, felicitatem hanc, nullum quantumuis egregium imperatorem de ſe præſtare poſſe, eamque in Dei optimi manu ſitam eſſe, *cui perinde facile eſt in paucis quàm in multis vincere*, vt inquit Iudas Machabæus quoniam iuxta Euripidis dictũ in ſupplicibus *Hæc vero à Deo bonis imperatoribus conceditur.* 1. Machab. 3.

ἀρετὴ οὐδὲν φέρει
Βροτοῖσιν, εἰ μὴ τὸν θεὸν χαίροντ' ἔχει.
Nil fortitudo prodeſt mortalibus,
Si non opitulator Deus ſit maximus.

Neque Fortuna ipſa, ſiue felicitas dea eſt, quæ ſe hominum votis cæco impetu accommodet, ſed Dei donum eſt, quod idcirco petendum à Deo eſſe præclarè Tullius admonuit, *iudicium* inquit, *hoc omnium mortalium eſt, fortunam à Deo petendam, à ſe ipſo ſumendam eſſe ſapientiam*: ex quo vides, Ludouice Comes, neceſſe prorſus eſſe, vt qui Fortunatus eſſe velit, hoc à Deo poſtulet, & merito pietatis obtineat, cùm Deus bonis tantùm fauere ſolitus ſit, & eorum vota non deſpicere, quos ſui nominis cultores eximios, & virtutum omnium ſtudioſos eſſe nouit: vnde etiam victoriæ laus, quam Theodoſius Auguſtus parua ſuorum manu ex Gothis retulit, ob excitatos repente immanes ventorum flatus, qui à tergo militum Theodoſij ſpirantes, omnem fermè illo- 2. de natur. Deor.

rum aduerſarijs proſpectum, & nocendi modum auferebant, Fortunæ merito adſcribenda videatur: nihilominus tamen Ioannis Anachoretæ preces, & celebrata per triduum ieiunia, diuinã id teſtantur ſtatuiſſe prouidentiam, quæ vt arbitratur Paulus Oroſius, Claudiani etiã auctoritate confirmari poteſt, dum inquit

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Aeolus armatas acies, cui militat æther
Et coniurati veniunt ad claſſica venti.

Neque etiam hac & ſuperiori ætate, non frequẽtes fuerunt maximi alij Imperatores, quorum pietas ſumma cum morum honeſtate, & vitæ integritate coniuncta, eam mentibus omnium opinionem induxit, vt cum victorias eorum numerare vix poſſent, diuinitus adiunctam illis eſſe fortunam quandam faterentur, cuius ductu atque auſpicijs, proſperè omnia celeriter, planeque nullo labore perficerent. Sic enim *Carolus Octauus* velut fulmen ex Alpibus excuſſum; tanta acceleratæ felicitatis præcipitatione totam Italiam peruaſit, vt qui vix ipſum aduentaſſe perceperant, ſtatim de eo, aut in arbitrum, aut in dominum admittendo, conſultarent: ſic *Gaſto Fuxeius* nunquam veſtigijs abſcedente fortunâ; frequentibus prælijs ſæpiſſimè victor extitit, ſic denique *Ferdinandus Conſaluus* licet ducẽtas vrbes Hiſpanorum imperio adiunxerit, & in multis, ac ferme innumerabilibus periculis verſatus fuerit, nuſquam tamen à quoquam captus, vulneratuſque ab illis diſceſſit, quaſi integra, & conſtanti rerum omnium fælicitate potiri deberent, quos ſemel Fortuna, diuinà quaſi virgulà tuendos, fouendoſque ſuſcepit; ſed quis non miretur *Georgij Caſtrioti Scanderbechi* vitam, lauros inter, & victorias perpetuo tranſactam fuiſſe, in tam acerbo, & continuo bellorum conflictu, quem ille cum Turcis nulla intermiſſione exercuit, maximè cum hæc valde memorabilia illi acciderint, quæ iam antea à me cùm agerem de ſchediaſmatum vanitate relata ſunt.

3 *Et militibus etiam.*

Profecto facit rara hæc cùm huius tum & Magni Conſalui felicitas, quæ per tot domeſticos & externos hoſtes, tamque dubios præliorum caſus, vtrumque ad exactam ſenectutem inuiolatè perduxit, vt mihi perſuadeam haud perperam dictum à Cicerone fuiſſe, non regnorum modo adminiſtrationi, ſed cuiuſque militis perſonæ, vim atque imperium aliquod præeſſe fortunæ,

quæ

Digitized by Google

quæ multos quaſi nolentes ſeruat, & vitæ nimium prodigos Palladis Aegide ab imminentibus telis defendit, ſeu quod illis amica ſit, ſeu quod aduerſarijs inimica, ac proinde illorum ictus parum fortunet; vnde bellatorum mos frequenterà Virgilio expreſſus, vt qui miſſile, vel telum vibrat, felicem prius ictui fortunam apprecetur, ſic enim Pallas Aeneide decima

Da nunc, Thybri pater ferro quod miſſile libro
Fortunam, atque viam duri per pectus Halaſi.

& duodecima

Cunctanti, Turno, telum Aeneas fatale coruſcat
Sortitus fortunam oculis, & corpore toto
Eminus intorquet.

Eiuſmodi igitur proſperam fortunam nacti ſunt *Themiſtocles*, *Cæſar*, *Marius*, *Sylla*, *Alexander*, qui omnes tot bella tam cruenta & noxia ſuis militibus, nullo tamen ſuo periculo geſſerunt; talem etiam experti ſunt, *Lucius Dentatus*, qui ſub nouē imperatoribus centies vicies prœliatus, quinque, & quadraginta cicatricibus honeſtatum pectus habebat: *M. Sergius*, qui ter & vicies vulneratus amiſſa dextra manu, vno die quater pugnauit, & vicit ſiniſtra, hi enim etſi vulnera tulerint, & *confoſſiores ſoricina nænia* fuerint, fortunati tamen tot plagarum euentu dici poſſunt, quandoquidem is ſemper extra mortem fuit, aut membrorum mutilationem, quæ ipſos poſteà vſui armorum ineptos reddiderit. Atque ne veteribus tantum ſcena pateat, quid ni in eam profero *Monlucium* noſtrum, virum ita periculis aſſuetum, vt ab illis, domeſtica quaſi conſuetudine ſecum innutrito parceretur; & eximia iuxta fortitudine, atque edacitate notum per hiſtorias *Vguccionem Fagiolanum*, qui in quadam pugnà ad Ceronium pagum à ſuis deſertus, & prope circumuentus ab hoſtibus, quum ſe fortiter reciperet, vulnerato altero crure, & colliſà vehementer galeà, in oblongo pedeſtri ſcuto quatuor tragulas, & tredecim veruta ex minoribus baliſtis infixa ad ſuos retulit; & tamen nullus hoc exemplum cum ſequentibus conferet, quin illud pro nihilo habendum ducat. Narrat enim Antonius Campanus ſcriptor nō illaudatus geſtorum Braccij, eo in prælio, quod ad Roccam contradam commiſſum fuit, Braccianos omnes fuiſſe vulneratos *inter quos*, inquit, *Spinta quidam qui ſub Braccio iam inde à puero militauerat*, libro 1.

tauerat, vna cum equo centum quinque confoſſus vulneribus; Guillelmus Mecha duobus & ſeptuaginta, res omni poſteritate memorabilis; at nihilominus poſterior ille multis poſtea prælijs interfuit. Denique, vt rei propemodum incredibili, alterius relatione, quæ non minus omnem fidem excedit, auctoritatis quantum ſatis eſt ad cæcam Fortunæ vim, vel maximè in his caſibus ſtabiliendam concilietur, mentio fit apud Danicæ hiſtoriæ ſcriptores non infrequens, cuiuſdam *Vbbonis Freſici;* qui præter vndecim viros, quos in acie vulnerauerat, vigintiquinque delectos pugiles interfecit, itaut nemine propius cum ipſo audente congredi, ſagittis tantum impeteretur, & centum quadraginta quatuor ictibus prius perfoſſus fuerit, quàm lapſis viribus pugnare ceſſaret. Nimirum his opinor experimentis Fortuna monſtrare volebat, quantum ipſa iuris ſibi vendicet in belli euentus, vt ab eorum violentia ſuos alumnos velut Turnum Iuturna defendat, quouſque

Aeneide 12.

aliud genitor ſecum ipſe volutet,
Iuturnamque paret fratris dimittere ab armis.

verum poſtquam iſtius ſuæ potentiæ, tam illuſtre experimentum dedit, in ſeruando ad Piſleonem ab ineuitabili tormenti minoris pila Marchione Peſcario, cùm ſcilicet transfixis iam duobus ſocijs, tertius ipſe deſtinato pariter ictu feriendus reſtaret, niſi aduerſarum partium Centurio, cui vtilius videbatur ducem illum non interimere, quàm pacis quæ forſan ex illius morte conſecuta fuiſſet, experiri damna, & incommoda, manũ ſubito in funiculum Gregarij militis, collimantiſque in Piſcarium conieciſſet, quis amplius de fortunę in priuatas etiam militum actiones, ne dum in publicas ducum ac exercituum poteſtate vt ſupra diximus dubitare poterit?

4 *Frequentius tamen omnia ſumma ratio ne agentibus quam alijs.*

Vtraque vero tam communis quàm priuata, licet paulo benignius quibuſdam à Deo tribuatur, & idcirco Proclus vt eſt apud Marcilium Ficinum, eam definierit *non temerariam vel cæcam* quomodo à Poëtis, & veterum plurimis deſcribi ſolet, *ſed diuinã poteſtatem in vnum exitum diuulſas cauſas congregantem,* haud minimum tamen iuuari ſolet cõſilio, & ratione à quibus bonis illa fere ſemper bona eſt, vt à prauis, & temerarijs aduerſa, ac propterea rectè Liuius de Camillo *omnia ſumma ratione, conſilioque acta Fortuna etiam vt ſit ſecuta eſt.* Nec alio ſenſu dicebat Actius *Fabrum*

Digitized by Google

brum eſſe quemque ſua Fortuna, & Fabius bono imperatori *haud magni momenti Fortunam eſſe, mentem rationemque dominari*, vt enim qui libram tenet, pondus adijci iubet & inclinat, ſic Deus Fortunam temperat, ſed manibus, aut conſilijs fere noſtris, quæ ſi quis præſentibus negotijs accommodare ſpernat, fruſtra poſtea ſperet ſibi nihil agenti, ſed complicatis manibus Deorum auxilia opperienti, in ſinum deuolaturam eſſe victoriam de cælo: nam vt conſultiſſimè felicitatem definiuit Ammianus Marcellinus, illa eſt *fortuna adiutrix bonorum conſiliorum, quibus qui non vtitur felix nullo pacto eſſe poteſt*; ſiue vt idem ex Tullio refert, *felicitas nihil aliud eſt niſi honeſtarum actionum proſperitas*; qua de cauſa dicebat Tacitus, quod *Deus fortioribus adeſt*, & Ennius apud Macrobium, quod *fortibus eſt fortuna viris data*, ita vt ſicut aſſerit, quanquam alio ſenſu, Iuuenalis libro 21. Saturn. lib. 6. cap. 1. Satyr. 16.

Qui fortis erit, ſit feliciſſimus idem.

Cuius rei non alium teſtem laudare opus eſt quàm *Cæſarem*, qui Fortunæ conſcius, quam antea toties fauentem habuerat, decem Caij triremes, quibus obuiam in Helleſponto caſu factus eſt, non declinauit, quemadmodum dubio procul quiuis alius feciſſet, ſed vnicam nauim, qua vehebatur, tantà futuræ victoriæ confidentià in illás impulit, vt hac ſola audaciæ ſignificatione perterritas extemplo ſuam in poteſtatem redigeret, ita vt qui Cæſaris Fortunam laudare velit, nihil quicquam propterea ſummis eius virtutibus detrahere debeat, quia illam potius certum eſt rebus ab eo promptiſſimè, & prudentiſſimè geſtis, velut vltimum ornamentum acceſſiſſe. Quando enim eius auxilio fretus in vtramque aurem dormiuit ſecurus? quando inertiæ, ſocordiæque accuſari potuit? quando opem deorum expectans à rebus cautiſſimè, celerrimèque adminiſtrandis, periculis præcauendis, aut inſidijs hoſti parandis deſtitit? an non potius cùm Fortunam ſuis rebus aduerſari videret, eãdem in ſua caſtra reuocare conatus eſt, vt cõtra Neruios, & in Hiſpania, ac alijs locis pugnans, & erit nunc aliquis tam inconſultus, qui felix, fortunatuſque eſſe velit, niſi eius ducis exemplo, quem ſibi omnes ad imitandum proponere debent, prudenter ad ſuum finem conſequendum medijs illi cõſentaneis vtatur, & negotij quod præ manibus habet naturam ita perpendat, vt nihil in eo fortuiti euenire poſſit, quod non antea ſo-

ſolerti quadam mentis indagine ſubodoratus fuerit, & ſanè quantum ad me attinet, cenſeo non aliter geri bellum feliciter poſſe, quàm ſi optimus ſit belli præfectus, in quo nec ſcientia rei militaris, nec virtus vlla, nec Fortuna ipſa deſiderētur, quoniā vt hæc ſpes ipſas, & ſtudia militum vehementer excitat, ſic ſcientia ſingulis rebus in exercitu ſuas menſuras, ſuos ordines, & tēpora aſſignat, virtutes autem reliquæ, velut adiutrices ſunt humanę imbecillitatis, in eo quod nec à ſcientia, nec à felicitate dependet; ita quidem diſponendo, vt huic præclarè cum duobus alijs conueniat. In determinando autem qualis ſit militum particularis fortuna, & à quibus proueniat, lubenter ſequor Alcmæonis Lyrici ſententiam, aſſerentis apud Plutarchum, Fortunam ſororem eſſe *ἐυνομίας πειθοῦς ϗ προμηθείας bonæ inſtitutionis*, *obedientiæ*, *&* *prudentiæ*, quæ ſunt virtutes iam antea à nobis commendatæ in militum diſciplina.

XIX *Quarta, & vltima eſt auctoritas eius neceſſitas, & natura explicantur.*

Porro quemadmodum in operibus arcuatis ſinguli lapides, qui per ſe molliter inflexi fornicem efficiunt, niſi omnes in tholum conueniant, qui teſtudinis vmbilicus eſt, vitium mox contrahunt & facile deprimuntur, haud ſecus in optimo duce efformando, fruſtra inter ſe prædictæ virtutes conuenient, niſi vnius ambitu auctoritatis contineantur, quæ ſola felicitati viam aperit, & ſcientiæ ſplendorem conciliat, cæteriſque virtutibus pondus addit, & ornamentum, adeoque ipſa ſuadendi, iubendi, faciendique Regina apud homines audiat, nam quot eius defectu virorum etiam ſapientiſſimorum conſilia ſpernuntur? quot perſpicacis induſtriæ facinora vileſcunt? quàm denique virtutes ipſæ in ignoto, ac ſordido pallio prodeuntes, pro nihilo ducuntur; certè quemadmodum penes nonnullos orbis noui incolas, conchylia munita certo charactere pro nummis obtinent, ac aurum interim, atque argentum, quia non eiuſmodi notà ſignatum eſt, vile ac neglectum iacet, ſic multorum actiones, pretium quod ex ſe non habent, ab auctoritate publica, & communi hominum opinione mutuantur, adeoque cæteris rebus illa præualet, vt cum virtus, ſcientia, felicitas abſque ipſa nullæ ſint, hæc tamen, vel ſe ſolà plurimum poſſit ad diuitias, fidem, amicitias, dignitates, magiſtratus, potentiam, bellumque ipſum: quibus in rebus ſubinde experientià comprobamus homines vt bene, vel malè de ipſis iudicent, nō

minus

Digitized by Google

minus famæ opinione, quàm aliqua certa ratione commoueri, & quantum præſertim ad duces, aut imperatores ſpectat, prudenter locum in illis habet quod de principibus dicebat Tacitus *cæteris mortalibus in eo ſtare conſilia, quæ ſibi conducere putent, principum diuerſam eſſe ſortem, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda*: nec iniuriâ ſanè, cùm ad auctoritatem alicui principi, vel copiarum præfecto comparandam, non parum interſit, quid de eo cum ſocij, tum hoſtes ipſi exiſtiment. Hæc autem auctoritas, quam in duce Tullius requirit, non eadem eſt cum aſtricta illa imperij forma, qua pater in filium, princeps in ſubditum, magiſtratus in reum cõmuniter vtuntur, & quod æquum & bonum eſt conſtanter, & intrepidè iubent, ac ſuppliciorum metu, non minus quàm præmiorum ſpe ſingulos in officio continent; nam & ſi hanc in duce laudat Vegetius, cui propterea conſulit vt *auctoritatem ſecuritate ſumat, omneſque culpas militares legibus vindicet; nulli errantium credatur ignoſcere*, & Cæſar eâ nonnunquam aduerſus tumultuantes milites vſus fuerit, vt ad Placentiam, cùm etiamſi Pompeius adhuc in armis eſſet, legionem integram exauctorauit, alijſque in locis, & temporibus in quibus lib. 3. cap. 3.

ſtetit aggere fulti
Ceſpitis intrepidus vultu, meruitque timeri
Nil metuens.

diuerſa tamen eſt ab hac ciuili auctoritate ea virtus, quæ ex meritorum præſtantia, & explicatis iam antea dotibus naſcitur, augeturque famâ nominis, & opinione hominum, de ducum virtutibus eorumque præcellentibus, ad iſtud munus ſuſtinendum adiumentis concepta, quæ vt inquit Cicero ad fidem faciendam quæritur, & multum in bellis quoque adminiſtrandis, atque imperio militari valet, quoniam vt idem Tullius aſſerit, *ad bella adminiſtranda vehementer pertinet, quid hoſtes, quid ſocij de belli duce ſentiant*, idque in Alexãdro, Scipione, Iulio Cæſare, Pompeio ac alijs quibus multa, & dicta prudenter, & facta conſtanter, & adminiſtrata ſapienter, hanc auctoritatem conciliarant, certiſſimis, & euidentibus experimentis innotuit: horum enim quia maxima fuit virtus illa, quæ ob merita virtutis, aut rerum affinium, maximam in hominum animis concitare ſolet opinionem inuictæ fortitudinis, militariſque præſtantiæ, tanta etiam erat militum pro l. Manil.

qui

Digitized by Google

qui ſub illis merebant fiducia, vt non ſe ad prælium, & diſcrimen ſed ad victoriam,& prædam duci arbitrarentur, quo mea quidẽ, & peritorũ omnium militaris diſciplinæ ſentẽtia,nihil vtilius cogitari poteſt,ad optatos proſperi belli euentus; quos in contrarium verti ſolere diffidentià bellatorum ex leuitate, aut inertià ducum ſæpe compertũ eſt. Vnde Antigonus aduerſus Ptolomæi præfectos claſſe conflicturus, cùm aliquis diceret hoſtium naues longè eſſe plures, hac auctoritatis opinione fretus, optimè reſpondit, ***at me præſentem quot nauibus opponis***. & Iphicrates nonnũquam veritus eſt,ne Barbari aduerſus quos pugnare debebat, reſcirent ipſum præſentem in exercitu ſuo adeſſe, quia nimirum tanta erat illius auctoritas apud omnes, vt etiam terrorem hoſtibus incuteret;nec mirum id videri debet, quandoquidem Athenienſes exiſtimabant Alcibiadem, niſi ſponte ſua vinci non poſſe & Claudianus de Honorio dicebat

plus nominis horror

Quam tuus enſis habet.

Quomodo accidit etiam Carthagini poſt ingentes, & luctuoſas clades acceptas,cùm miles iam ad Romanorum nomen expalleſceret, & tantum non latebras quæreret, vt Xantippo Lacedæmonio electo in copiarum ducem, *mox omnis multitudo clamore indicauerit nihil ſe magis quam prælium cupere: adeo*,vt addit Polybius *nihil mali pati ſe poſſe exiſtimabant duce Xantippo*. Quid plura tantum hæc opinio ſibi iuris vendicat in militum animos, vt magni quandoque exercitus,quos in officio amplius continẽdi ſpes omnis decollauerat, vnius hominis præſentià, cuius apud omnes eximia eſſet auctoritas, velùt iniecto trepidantibus verecundiæ frœno, non modo à fuga prohibiti fuerint, ſed rurſus in hoſtes inuecti,maiori impetu ipſos fuderint, profligarintque; in tumultibus autem ſedandis compeſcendiſque conatibus, ſeu militum, & factioſorum, ſeu vilis, & efferatæ in ſemetipſam plebeculæ, quantum hæc eadem conferre poſſit, etiamſi hoc vnum ſatis patere poſſit, eorum exemplis: qui vt *Popilius* Romæ, *Donatus* Venetijs, & *Soderinus* Florentiæ periculoſas ſeditiones cum oratione,tum vero potiſſimum præſentià, & auctoritate tranquillarunt; adeo tamen præclarè eius vim omnem expreſſit, & probauit Virgilius, vt hanc non per ſimilitudinem deſignaſſe,ſed qualis in

libro 1.

ſe

ſe eſt, talem & oculis conſpiciendam obtuliſſe videri poſſit. Aeneide 1.

Ac veluti magna in populo cum ſæpe coorta eſt
Seditio, ſæuitque animis ignobile vulgus.
Iamque faces, & ſaxa volant, furor arma miniſtrat.
Tum pietate grauem, ac meritis ſi forte virum quem
Conſpexere ſilent, arrectiſque auribus adſtant.
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

nimirum hæc eſt auctoritatis virtus, & potentia, vt quocunque ſe inclinarit illuc omnia pertrahat, pacemque vel bellum non tam ratione, & iudicio quàm opinione perſuadeat.

Sed vnde hæc & cuiuſnam matris partus; an *fælicitatis*, vt voluit Lipſius? an *metus*, & *admirationis*, vt philoſophorum eſt ſententia? an *pecuniæ*, quæ genus, & formam ſi poetis credendum donare ſolet? an *fraudis*, aut potius *ſolertiæ*, ſicut Cardano viſum eſt? an nullius, vel potius iſtorum omnium proles erit? nequaquam herclè, ſed quantum per tot ambages, ac veluti noctem illunem poſſum videre, altius de ea re philoſophãdum eſt, niſi quis eius ortum, quemadmodum de Nili origine dicebat Lucanus. *mirari quam noſſe malit.* Sic itaque de hac difficultate ſtatuendum exiſtimo, auctoritatis cauſæ aliæ ſunt internæ, & ipſi propriæ, ac eſſentiales, aliæ vero accidentales, & externæ, quæ ſi prioribus auxilium tulerint, veram legitimamque auctoritatem efficiant; ſi autem ab illis ſeparentur fucatam dumtaxat, nec tam ſuo robore, quàm hominum opinione ſubnixam. Quantum ergo ſpectat ad cauſas internas, primum inter ipſas locum ſibi merito concedi poſtulant tres aliæ virtutes, quas tanquam gradus ordine diſpoſitos ad ipſam auctoritatem ducere; toties iam antea docuimus, vt ſuperuacanei laboris videri poſſit, illud iterum repetere. 2 *Tum cauſæ eius internæ vti tres prius aſſignatæ cõditiones.*

Quare ad ſecundam venio, quæ conſiſtit in horum omnium virtutum aut vnius illarum, alteriuſue perſpectæ in Imperatore atque exploratæ præſtantià, qua cæteris omnibus præcellat, quoniam vt æquali, aut inferiori parere vix quiſquam animum inducit. 3 *Excellentiâ alicuius virtutis.* libro 1.

Nec quemquam iam ferre poteſt, Cæſarue priorem.
Pompeiuſue parem.

vt inquit Lucanus; ſic nemo ei obedire recuſat, quem eximia aliqua virtute, qua ipſe careat, præditum agnoſcit; non ſecus profecto,

feſcto ac elementa, & cœleſtis architecturæ inferiores globi, eorum ſe motibus ſempiternis rapi non indignè patiũtur quos Deus & natura ſuperioribus in ſpatijs collocarunt: quoniam, vt inquit D. Dionyſius, *æterna natura lege receptum eſt, vt inferiores ſuperioribus pareant*, & quod aptè ſubiungit Auitus apud Tacitum *patienda ſunt meliorum imperia*. Id vero vnicè Imperatori curandum eſt, vt dignitas illa qua ſe præ ceteris ornatum cupit, non poſita ſit in rebus abiectis, & nullius momenti; Sed in ijs quæ animũ, velut in faſtigio quodam collocant, & diuina propemodum ac cœleſti magnitudine auguſtum cæteriſque re vera ſuperiorem ac meliorem reddunt. Sic enim Virgilius componens inter ſe diuerſorum populorum mores, & actiones, vt Barbaris viles abiectaſque; ita Romanis præſtantiores magiſque honeſtas concedit in his verſibus ſextæ Aeneidos.

Ex cudent alij ſpirantia mollius æra,
Credo equidem viuos ducent de marmore vultus,
Orabunt cauſas melius, cœlique meatus
Deſcribent radio, & ſurgentia ſydera dicent.
Tu Regere imperio populos Romane memento,
Hæ tibi erunt artes paciſque imponere morem
Parcere ſubiectis & debellare ſuperbos.

Quamobrem non totos dies venationibus dux impendet, vt *Carolus* IX: nec tormenta ex ære conflabit, vt *Alphonſus primus* Ferrariæ princeps: aut machinas fabricabit vt *Demetrius*; multoque minus cum *Renato* Prouinciæ Comite picturæ ſtudia excolet; aut Muſicæ cum *Philippo Macedone*; ſed nec Aſtrologiæ vel Poeticæ incumbet quemadmodum alij fecere, nullo ſuæ exiſtimationis emolumento, quæ potius vileſcit inter has humiles, aut peregrinas occuppationes, quæ ducem nec honeſtiorẽ faciũt, nec meliorẽ: aut certe ſi non prorſus inutiles ſint ad ducis auctoritatem, eam tantum iuuare poſſunt, cùm forte occaſio ſe offert, ea demũ arte vtendi, in qua ſe Dux plurimũ exercuerit; ſicut cõtigit *Petro Nauarro* qui experientia quam habebat excitandi ſubtus arcium fundamenta occultos cuniculos, eoſque pulueris tormentarij fomentis implendi, vt obſtructis poſtea ſpiramentis, nõ moenia modo, ſed vaſtiſſimæ rupes obluctantis intus flammæ violentià exſcinderentur, eam ſibi auctoritatem apud omnes com-

comparauit; vt quoties aliquid ſimile tentaret, toties de obſiſtēdo eius viri molitionibus aduerſarij deſperarent. Sed quàm exiguum illud, quàm leue, & ferme nullum ad amplitudinem illam nominis & famæ, quæ præſtantiſſimis ducibus ſola plerumque cauſa eſt felicitatis omnis & victoriarum, quas populari illa hominum de ſe exiſtimatione, ſubnixi facilius obtinent.

4.
Pluris facta quam dicta æſtimare.

Illud præterea nemini dubium eſt, quod auctoritati tam acquirendæ quàm retinendæ, magis conducunt facta quàm verba; quātum enim illa his potiora ſunt, tanto pluris qui res agunt, quàm qui verba ſola iactant ſunt æſtimandi: quamobrem hominibus taciturnis, & melancholicis, plus fere tribuimus quàm loquacibus, ſi præſertim amplificationes fingant, & cultum ſermonis ad aurium blanditias, & lenocinium: quoniam omnis conatus ab auctore tantum detrahit fidei, quantum eſt quod orationis ui dicere ſe putat; illudque, multo magis ſi aliquid quod præſtare nolit aut poſſit, ſe facturum polliceatur, hæc enim omnia grauitatem ſermonis imminuunt, & conſtantiam, earumque loco vanitatem & iactantiam inducunt, quæ vitia ſunt illis e directo contraria virtutibus, à quibus Scipionem cum Hiſpaniæ Ciuitatum legatis colloquentem, mirum in modum Liuius extulit, *loquebatur*, inquit *ita elato ab ingenti virtutum fiducia animo, vt nullum ferox verbum excideret. ingenſque omnibus quæ ageret cum maieſtas ineſſet tum fides*.

5.
Magna non tamen quæ ſupra vires ſint ſuſcipere & abſoluere.

Plurimum quoque momenti obtinere ſolet ad auctoritatis famā, ſi dux nihil vile aut abiectum ſuſcipiat, indignumque ſuo vel animo, vel officio, ſed honeſta tantum atque ardua agitet, non tamen ſuis viribus maiora, idque præſertim ſub primis Imperij initijs, ex quibus futura æſtimari ſolent, hac enim arte *Alexander* cùm aduerſus Darium prima ſuæ militiæ rudimēta probaret, hac *Scipio* qui non multum ætate prouectus, bellum tamen aduerſus Carthaginem grauiſſimum ſuſcepit, futuræ ſuæ ac immenſæ gloriæ nobilibus factis præiuerunt, cùm non ignorarent *Inſtandum eſſe famæ, ac prout prima ceſſiſſent, fore vniuerſa*. Vt monebat Iulius Agricola apud Tacitum. Sed neque ſuſceptum ſemel negotium quamuis arduum ac difficilè ſit, plenumq; dubij euentus dimittendum eſt, ne dux imprudentiam ſuam in deliberando, aut ignauiam in agendo prodat, ſi facilè pedem ex incœpto retule-

Digitized by Google

libro 2. hiſtor

rit, cui ſanè incommodo vt obuiam iret *Marcellus*, in Caſilini obſidione *multa*, inquit, ad Fabium *Sicut non aggredienda, ita ſemel aggreſsis non dimittenda ſunt, quia magna famæ momenta in vtramque partem fiunt*; & idcirco Cecinna apud Tacitum *conſilia curaſque in oppugnationẽ Placentiæ magno terrore vertit, non ignarus vt initia belli proueniſſent, famam in cætera fore*. Quare ſatius eſt non multa aggredi, ſed pauca eaque valde illuſtria, & omnibus in negotijs excelſum, ac inuictũ animum præferre, qui audaciã ſuis militibus adijciat, hoſtibus vero metum ac deſperationem.

6\. *Vita & actionum conſtantiam & æqualitatem ſeruare.*

Deniq; non minimum authoritatem promouet vitæ & actionum omnium æqualitas, ac morũ conſtantia inuariabilis, quæ neſcio quid in ſe habet diuinæ prorſus ac cæleſtis naturæ, quo verendum hominem facit, tamquam ex mortalium cœtu non eſſet, cùm ex aduerſo vitæ leuitas multũ ei detrahat auctoritatis, multum prudentiæ, ac iudicio officiat: eamque totius vitæ rationi labem afferat, vt ipſi à nemine credatur, nõ magis certè quàm *Sardo* illi *Tigellio*, de quo Horatius inquit, quod *nil fuit vnquam ſic impar ſibi*, aut *Priſco* qui ita grauiſſimi eiuſdem cenſoris iudicio

Satyr. 7. li. 2.

Vixit inæqualis clauum vt mutaret in horas,
Iam mœchus Romæ, iam mallet doctus Athenis
Viuere, Vertumnis quot quot ſunt natus iniquis.

Sed conſtantem illum volo in rebus præſertim maximis, & in quibus qualem ſe geret, ſic & eius exercitus, cui pro exemplo eſt, vnde nec abblandiente ſibi fortunà elatiorem animum ſumet, nec in aduerſa eundem demittet, ſed in omnibus pari ſemper vultu & ſermone, animi ſui virtutem, & virium cõfidentiam oſtendet illudque pro oraculo habebit, nihil rerum mortalium tam inſtabile et fluxum eſſe, quàm potentiam non ſua vi nixam, hoc eſt quæ non eius propria virtute, & conſtantià nititur, cuius curæ & ſollicitudini tota commiſſa eſt.

7\. *Tum externæ & accidentales vt certa futura virtutis indicia in adoleſcente.*

His autem internis & eſſentialibus auctoritatis adipiſcendæ cauſis, quæ vſque adeo veræ & legitimæ ſunt, vt cuicumque tandem homini, etiamſi nihil aliud haberet à natura, aut arte præſidij, eam conciliare poſſint, externas tamen & accidentarias ſubnecti debere, vel iſtud vnum Ciceronis perſuadet, aſſerentis *concurſionem rerum externarum afferre auctoritatem*: illudque tãto verius eſt, quod *ſeris venit vſus ab annis*, vt commune eſt omnium

in Topic.

nium

Digitized by Google

niũ ſententia, & experientia ipſa notum eſt, ingenij dotes, virtuteſque omnes in pulchro quam deformi corpore, duplo gratiores exiſtere. Quare vt de ſingulis breuiter dicam, non in poſtremis habeo hanc vnam, ſi videlicet dux iam inde ab adoleſcentia certam aliquam futuræ ſuæ virtutis ſpem, præclaro quodã facinore concitauerit, aut illuſtre de ea teſtimonium ab inclyto alio Duce fuerit conſecutus, quod poſtea cõmuni rumore diſſeminatum, eum talem eſſe reliquis hominibus perſuadeat, vt fortunà & dignitate quam animo etiam à teneris infixam habuit, multo quam cæteri præſtantior habendus ſit. Et ſanè in pleriſque eorum qui magni olim erant futuri, exeruerunt ſe à primis ſtatim annis vehementes igniculi, quibus ad gloriam accenderentur, etiam cùm longè ab ipſa ob ætatem eſſent remoti, quemadmodum de *Theſeo* memoriæ à Throeſenijs proditum eſt, apud quos cùm accubiturus Hercules, qui profligatis terræ monſtris, illuc diuerterat, ſpolium Leonis humi depoſuiſſet, perterritis ab eo, dedentibus que ſe in fugam alijs pueris, ſolus Theſeus bipennem continuo è ſeruorum manibus arripuit, & in pellem ipſam quam viuum eſſe ſpirantemque Leonem reputabat, impetu virili ſe contulit. Nec idem præſagium feſellit in *Catone*, qui prætextatus, cùm Syllæ tirannidem minimè ferendam iudicaret, ferrum in eius necem a Pædagogo Sarpedone poſcere auſus fuit. Sic de *Alexandro* qui pene puer Bucephalum domabat, & fortunas patris ſuum interprætabatur infortunium, præſagiens Philippus *pete*, inquit illi, *fili mi Regnum tibi par, nam Macedonia te non capit.* Eodem que ſpiritu ductus Sylla, Cottæ pro *Cæſare* deprecanti, vt inſonti puero parceretur, in hæc verba reſpondit *nihil equidem vos mentis habetis, qui non huic adoleſcenti videtis multos ineſſe Marios*. Sic Antigonus non fruſtra opinatus eſt *Pyrrhum* ſi ſeneſceret, magnum ducem futurum; nec Scipionem coniectura feſellit, quum *Marium* nominauit, quem poſt ſe Roma magni nominis ac virtutis Imperatorem habitura eſſet. Natura quippe tam apertè blanditur quorundam indoli, vt qui ex illa velit de eorundem virtute iudicare, non indigeat is Dodonæ quercu, aut Phoebi Cortinà, quo iſtud certo certius facere poſſit. 8.

A bona igitur indole fundamenta ſua auctoritas capit, ſed optima educatione & diſciplinà firmatur, quam non parum inter- *Tyrocinium militiæ ſub præſtantiſſi-*

Digitized by Google

mis ducibus abſolutum. eſt ſub quibus ducibus aliquis ponat, nam vt domini in ſeruos, & magiſtri ad diſcipulos, ſic Imperatoris ad milites fama & experientia deriuatur, atque vt ſuauiſſimæ auræ de ſaluberrimis flantes regionibus, & clementiſſimo cœlo, non ſalutem modo afferunt humanis corporibus, ſed fortitudinem; ſic eximij ducis famà inclyta, omnibus qui ſe eius diſciplinæ committunt, non tãtum peritiam rei militaris inſtillat, ſed multum præterea ad fert ad famam & auctoritatem adiumenti; Qua de cauſa Euander filium ſuum P*alanta* comitem ac diſcipulum Aeneæ adiungit

Ingredere ò Teucrùm Italùmque fortiſſime ductor,
Hunc tibi præterea ſpes & ſolatia noſtri
Pallanta adiungam, ſub te tolerare Magiſtro
Militiam, & graue Martis opus, tua cernere facta
Aſſueſcat, primis & te miretur ab annis.

Et A*nnibal* miſſus fuit in Hiſpaniã nondũ puber, vt militiæ aſſueſceret ſub Aſdrubale Carthaginenſiũ exercitus imperatore, cum quo triennium militauit, nulla re quæ agenda audendaque magno futuro duci eſſet, prætermiſsà, adeoque feliciter ceſſit illi hoc tyrocinium, vt minor viginti annis in locum Aſdrubalis Imperator fauſtis militum omniũ acclamationibus ſalutatus fuerit. M*arius* etiam ſub Scipione in Africa, prima belli ſtipẽdia meruit; & e noſtris ducibus, primi qui labantem in Italia militaris artis diſciplinam, præclaris ſuis facinoribus inſtaurarunt, omnes ex ſchola vnius Alberici Balbiani prodiere qua de re, quoniã Auguſtini Niphi teſtimonium ſum antea pollicitus, en illud profero *ex his qui patruum memorià in italia militarunt, præcipui ſunt Sfortia, Braccius, Piccininus, Collionus, Gattamelata, Robertus. Malateſta, & alij qui tanquam ex equo Troiano emerſerunt ab Alberici Romandioli viri illuſtris diſciplina, qui in Italia primus militauit.* Pari iure Baiardus cũ promeruit honorẽ, vt à *Frãciſco primo* deligeretur, à quo ipſe prius quàm cũ Heluetijs in Italia decertaret, equeſtris *albæ dominæ* ordinis inſignia tumultuario apparatu ſuſciperet; quaſi vna cũ illis auctoritatẽ & fortunã præclari illius ducis, quibus potiſsimum ea die ſibi opus fore intelligebat, accepturus eſſet, In ſumma talem laudo & deſidero eius cui magna aliquando apud milites auctoritas eſſe debet, educationem qualis eorum antiquitus erat, qui communi applauſu, ob egregias

lib. de arm. & literar. cõpar.

gias

gias virtutes & præclaram indolem, principes iuuentutis ſalutabantur, horum enim ex numero cùm ſe delectum fuiſſe Mutius Sceuola his verbis fateatur *trecenti coniurauimus principes iuuentutis Romanæ, vt in te hac via graſſaremur*, ſatis oſtendit, quantum in ſe nomen iſtud præcellentis naturæ, & meritorum includat, etiam ſi Liuius non illud crebro vſurparet, ad delectum totius populi Romani florem, & decus ſignificandum, vt perſpicuum eſt ex oratione Perſei Macedonum Regis, vbi efferens ſe de victoria *victos eſſe* dicit *Romanos equites, illos principes iuuentutis, ſeminarium ſenatus, vnde legerentur Patres, vnde Conſules & Imperatores crearentur*.

Enimuero quia auctoritas ipſa tardè paulatimque, nec ſine negotio paratur, quærunt multi, num milites qui vernante iam tum, & florida ætate ad Ducis officium promouentur, tantum auctoritatis conſequi poſſint, vt muneri quod ſuſtinent probè cōuenienterque adminiſtrando ſatis eſſe poſſit, etenim cùm iuuenes ex Ariſtotele in Rhetoricis, magis quàm ſenes apti ſint laboribus ferendis, gloriæ cupidi, honeſtatis amantes, animoſiores etiam, & priuatæ vtilitatis, ac commodorum contemptores egregij, à quibus virtutibus omnis ducum auctoritas originem ſuam petere debet, non pauci idcirco iuuentutem quæ veluti flos eſt humanæ ætatis, haud ineptam cenſent, cui militiæ ſupremus honos committatur, maximè ſi annos mens ſuperet, & canitiem facta ipſa, non pili oſtendant, quo ſenſu dicebat Plautus, quod *non ætate ſed ingenio metitur ſapientia*, & experientià compertum eſt multos iuuenes ſua innata ſagacitate, recoctorum ſenum diuturnæ experientiæ, alijſque velut ſapientiæ adiumentis obſtruere, quemadmodum, *in Achille*, & *Alexandro* obſeruatum fuit, quos Ammianus *virtute ſeniores quam ætate* appellat, ac etiam in Piſone, qui Silio teſte

> *Ore puer, puerique habitu, ſed mente ſagaci*
> *Aequabat ſenium*.

nec diſſimile iudicium, ferendū eſt de *Auguſto*, *Scipione*, *Dauide*, *Salomone*, *Othone*, quos omnes virtutis quā ætatis curſus celerior *dū etiā Lanugo genis inſerperet ſpecioſa* vt loquitur Ammianus regno tum gubernaculis admouit, & quid ni armorum, cū Honorius ita de ſe & alijs præſtantiſſimis ducibus loquatur apud Claudianum

9. *Aetas matura.*

2. rethoric. cap. xj

Cur annos obijcis, pugnæ cur arguor impar.
de 4. conſul. *Aequalis mihi Pyrrhus erat, cùm Pergama ſolus*
Verteret & patri non degener iret Achilli.

Quaſi vero inquiunt, Romani, ipſam propemodum adoleſcentiam conſulari dignitate non ſemper ornauerint; aut Galli maiori vnquam atque pleniori apud cæteras nationes auctoritate fuerint, quàm ſub *Carolo VIII.* aut eorum arma feliciora quàm ſub *Gaſtone Fuxæo*, & *Franciſco Borbonio Anchiano* vix adoleſcentiæ metam tranſgreſſis, ex eoque tandem ipſi concludunt quod

tempora certè
Virtutem non prima donant, non vltima negant.
Quumque duplex ætas varios contendat in vſus,
Hæc viget illa iacet, hæc pullulat a illa fatiſcit.

At vero quam longè ſua opinione decipiantur qui tam apertè iuuentuti fauent, vt reliquas etiam ætates, & ſenectutem præſertim cui Plutharchus integro libello hanc auctoritatem aſſeruit, cōtumeliâ onerent, neſcio profecto an pluribus illud, ſicut mihi omnino facile eſt, oſtendere debeam, ne vice uerſa illos rubore ſuffundam, quando eiuſmodi duces laudant, quorum & ſi mens ſenilis ſit, indoles compoſita, & ad verum decus erecta, cæteræque ingenij dotes ita præcoci flore effundentes ſe, velut in primulæ ætatis amoenitatem, quis tamen ab illis fructus vnquam exegit, & collegit? quis virtutum meſſem ab hac ſemente, quæ verè, non autem autumni conuenientiſſio tempore facta fuit expectet. Sanè non poteſt aptus eſſe, qui maturus non eſt, nec alios regere, qui ſibi adhuc viuere non didicit; tantum abeſt vt adoleſcentia quæ regenda magis ipſa eſt, auctoritatem ſummis imperatoribus conuenientem habere poſſit; Temeritas inconſulta, vt ait Cicero, florentis eſt ætatis, prudentia vero ſenectutis, vtra vero præſtantior ſit, in rerum grauiſſimarū tractatione, idem non obſcurè ſignificat, cùm aſſerit, quod non uiribus, aut velocitatibus res magnæ geruntur; ſed conſilio, auctoritate, & prudentiâ. Ideoque Solon cùm iuuenes videret nondum à ſapientia & iudicio plenè ſubactos, ità eſſe credulos mente, turbidos motibus, atque affectibus, & naturà præcipites, vt quod modeſtum eſt ignauiæ ſpeciem apud illos obtineat, quod circum-

cum-

Digitized by Google

cumſpectuum, & prouidum ſegnitiæ; quod autem abruptum, & præceps, id demum forte, & virile cenſeatur, quæ omnia auctoritati comparandæ tam ſunt aduerſa, quàm quod ei è directo contrarium eſt, propterea ſapientiſſimus Legiſlator edicto vetuit, ne iuuenis magiſtratum gerere, aut conſulere poſſet, etiamſi optimè à mente cana conſtitutus videretur. Conſentaneum eſt igitur arbitrari felici illa, & beata tempeſtate, veteranis iiſque tantum fortiſſimis aditum patuiſſe ad militares magiſtratus, & Imperatoris, præſertim dignitatem, quę omnium aliarum vertex ſublimis eſſe cenſetur: atque hoc Iuſtinus de Alexandri quoque copijs verum fuiſſe ſcribit *ordines*, vt inquit ille, *nemo niſi ſexagenarius duxit. vt ſi principia caſtrorum cerneres, ſenatum te alicuius priſcæ Reipublicæ videre crederes; itaque nemo in prælio fugam, ſed victoriam cogitauit, neque in pedibus cuiquam ſpes, ſed in lacertis fuit.* At vero non minus hic habeo, quod Gallis noſtratibus gratuler, quorum in conſtitutionibus, expreſsè cauetur ne equitum clibanariorum, ſiue cataphractorum, quos cõmuniter grauis armaturæ dicimus, præfectura, alijs quàm nobilibus, & ætatis ſupra quartum, & vigeſimum annum prouectę, viris demandetur; in quibus illud præterea laudabile requiritur, vt velitariorum tribuni, vel ſigniferi prius fuerint in iiſdem ordinibus, aut ſaltem peditum cohorti per ſexennium integrum prefuerint. Quorſum vero putas, Ludouice Comes, tot ſapientiſſimorum hominum tendere ſanctiones, & conſilia, niſi vt artes, quibus potiſſimum bella geruntur, non cuiuſuis ętatis eſſe ſignificarent, ſed ab iis tantum expectari debere, quibus vt inquit Cicero *honeſtè acta ſuperior ætas, fructus auctoritatis prębet extremos.*

libro 11.

lib. de ſeneƈt.

10

Porro vt forma ſequitur ætatem florentem, lumenque iuuenta purpureum; ita qui ducem nondum exactæ ætatis ſupra commendabant, eundẽ quoque elegãti ſpecie, & formoſũ eſſe volunt, quoniam Homero iudice qui Porphyrium in hac opinione multosque alios conſentientes habuit πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιον τυραννίδος *primo quidem omnium forma digna eſt imperio*, & ſcribente Curtio *pleriſque gentibus in corporum maieſtate veneratio eſt, magnorumque operum, non alios capaces putant, quàm quos ſpecie eximia, & egregia donare natura dignata eſt.* Ac certe nota eſt *Indorum*, *Aethiopũque* conſuetudo, cuius mentionem facit Ariſtoteles in po-

Forma corporis eximia quanquam vera pulchritudo in animo conſiſtat, unde in deformi corpore multi duces præſtantiſſimi fuerant, ubi rurſus de cui ratis dicitur.

Digitized by Google

liticis, maximæ quibuſq; ſtaturæ viris regnum populari ſuffragio deferendi, cui inſtituto plurimum auctoritatis addit Saulis exemplum, qui primus omnium Regis nomine Hebræorum genti præfuit, is enim à Deo per Samuelem prophetam, ſpectata nõ modo animæ, ſed etiam corporis præſtantiâ delectus fuit, erat, inquit diuinus ſcriba *Saul electus & bonus, & nõ erat de filijs Iſrael melior illo, ab humero & ſurſum eminebat ſupra omnem populum*: qua cõmendatione videtur etiã optimus vates Turnũ non ſine cauſa exornaſſe

Ipſe inter primos præſtanti corpore Turnus
Vertitur, arma tenens, & toto vertice ſupra eſt.

quoniã pulchritudo ipſa niſi in magno corpore eſſe nequit, cùm oporteat illam præſe ferre dignitatem quandam, quæ puſillo in corpore nequaquam reperitur, vnde quoſcunque hiſtorici aut poetæ ſummos Imperatores fuiſſe referunt, eoſdem etiam prægrandi corpore fuiſſe narrant. Atque hanc laudem præſertim tribuunt *Cyro* ſuo Xenophon, *Poro* Indiarum Regi Curtius; *Decio, & Scipioni* Liuius; *Cæſari* Dio; Statius *Capaneo qui toto deſpectat corpore bellum*; Eginarthus *Carolo Magno*; Taſſius *Gothifredo*; adeoque apud Homerum aut Virgilium, nullus Heroum non maximus eſt, præter vnum *Thydæũ* vt Euſtachius, & Scholiaſtes Apolonij Rhodij notarunt, quia breuitas ipſa corporis ſtaturaque iuſto minor, contemptum ſui ingenerat ac deſpicientiam; quare hominibus præclaris minimè conuenit, quibus ineſſe potius debet heroicus decor, regium ſupercilium, oris dignitas, ſtatura procera, totius corporis circunfuſa maieſtas ac geſtus habituſq; vere militares, & perquàm ſimiles Marti non eiulanti ac ſaucio ſed gradiuo; quali omnino *Aeneam* effigie fuiſſe Didonis verba hæc ſatis innuunt: Aeneide 2.

Quem ſeſe ore ferens, quàm forti pectore & armis,
Credo equidem, nec vana fides, genus eſſe Deorum

ſed fallax id iudicium eſſe potuit, quia ab amore qui cæcus eſt, & à fœmina quæ facile decipitur, quare Didoni non crederẽ niſi vadem ſe pro illa Virgilius offerret,

ipſe ante alios pulcherrimus omnes
Infert ſe ſocium Aeneas atque agmina iungit.

ita igitur eum eſſe oportebat de cuius ſingulari fortitudine, pietate, auctoritate, cæteriſque virtutibus eximijs, tot exteræ gentes apud

Digitized by Google

apud quas peregrinatus eſt, indicium & coniecturam ab ipſa formæ totiuſque corporis præſtantia facere debebant; etenim his ſignis natura loquitur, mores vnius cuiuſque prædicans, & ſpeculum quoddã animi facies eſt, quæ ſi pulchra, & elegans erit, multumq; decori ac liberalis aſpectus præ ſe ferre videatur, non raro pulchrioris adhuc, & nobilioris animi intus hoſpitantis index eſſe ſolet, quaſi diuinus ille, & igneus vigor, qui noſtris ſe corporibus infundit, dignum prius in illis metaretur ſibi hoſpitium, aut illud iam pro ſui dignitate conuenienter diſpoſitum inueniens, honeſtius in illo verſaretur: atque ita ambo hæc maiora fiant, cũ hoc modo ſe paria coniunxerint, vt verè tunc dici poſſit.

Sic facies animo dignaque par que fuit

at e contra Therſites ille Græcorum turpiſſimus, quemadmodum ore fuit maximè deformi, ita longè turpiorem animum vultu repræſentabat, adeo vt domicilio incluſus conuenientiſſimo videretur; vnde cũ ita ſe res habeat, vt quod inquit Latinus Pacatus in panegyrico ad Theodoſiũ *auguſtiſſima quæque ſpecies plurimum credatur habere de Cœlo*, adeoq; maieſtati, & reuerentiæ ac amori affinis eſſe videatur, vt eius tantum beneficio *Diadumenus* Auguſtus, referente Lampridio, omnium beneuolẽtiam ſibi conciliarit; Scipio, Xerces, Demetrius, Maximilianus primus ob eãdem cunctis admirationi fuerint, quia quæ pulchra ſunt, ea vim etiam habere depræhenduntur, vt ſtatim conſpecta omnium ſibi voluntatem concilient, amoremque adiungant, id que tam euidenti de cauſa, vt Ariſtoteles interogatus ab aliquo, qui fieret vt pulchri tam facile ab omnibus amarentur, cæci eam interogationem eſſe reſponderit, hæc inquam cum ita ſint, nullus dubito quin maxima etiam ab excellenti forma, & membrorũ omnium venuſtate, conciliari poſſit auctoritas: notum eſt enim illud quod idem Pacatus ſubiungit *tua hæc forma venerabilis quàm fortunæ par eſt, quàm longè latèque conſpicua commendat* Imperium. *Sed virtuti addit forma ſuffragium, illa præſtitit vt oporteret te principem fieri, hæc vt deceret*. Hoc modo nempe Alexander Philippi filius & ſi paulo breuiori corpore eſſet, quàm ad exactæ pulchritudinis decus peruenerit, in vultu tamen, habituque corporis externo, magnitudinis ſuæ notas circumferebat, quibus ſingularem ſibi apud alios venerationem aſtrueret: hac facie decora, & maie-

ſtatis

ſtatis plena Marius Centurionem, qui ad necem illi inferendam miſſus fuerat perterruit; hoc ſereno vultu, & venuſtà per omnes ætatis gradus formà, oculisque micantibus, & benignis, Auguſtus quendam in Gallijs Tetrarcham inhibuit, quominus in Alpium tranſitu eum ſicuti deſtinarat in præcipitiū propelleret. Omnino igitur ad maieſtatem, & auctoritatem pulchritudo facit, vt quo præclarius quis eius dotibus à natura informatus eſt, eo etiam felicior, & magis idoneus habeatur, qui cæteris præeſſe debeat. Verum tamen non ſtatim ſequitur in humili corporis ſtatura, ſubagreſtique & acerbo oris ductu, nullum ipſius perſonæ dignum decus eminere, nam vera forma putanda eſt, quam virtus donat, quæ in animo inuenitur, quæ diuina magis, quàm humana eſt, & pulcher dux exiſtimandus, qui robore, ſcientià, virtute ornatus eſt. Vnde quanquam *Thydæus* corpore paruus fuerit, animo tamen pugnax dicitur Homero. Quamuis Pipinus *Breuis* cognomen, & Nicolaus Fortebraccius *Piccinini* ab exiguo, & contracto magna parte corpore, tulerint, non propterea minus ingenioſè feliciterque bella plurima, & difficilia tractarunt. ſic P*hilippus Macedo*, *Antigonus*, *Sertorius*, *Annibal*, *Fridericus Vrbinas*, qui altero oculorum capti erant: *Iulius Cæſar*, *Caligula*, *Otho*, D*omitianus*, *Galba*, *Imperatores* quibus tantopere decora cæſaries, aut nulla, aut rara fuit: *Cocles*, *Andoclidas*, P*hilippus*, *Tamerlanus*, qui coxæ debilioris incommodo vexabantur; A*geſilaus*, *Philopœmen*, *Attila*, *Triuultius*, *Liuianus*, qui omnes ſpecie corporis parum eleganti, & ingenua, ne dicam fœda, penitusque deformi fuerunt, præſtantem virtutis, ſolertiæque indolem, ſub vitioſo, & mutilo corporis tegumento ſæpius latuiſſe conuincunt. Erat inquit Iouianus Pontanus in *Carolo Octauo* Gallorū Rege fœda quædā oris, corporis vero deformis deformis effigies, adeo illi natura nouerca fuerat, ſed quanto ille pulchriorem animum ſibi parauit, non ſumma modo liberalitate, verum ſingularis animi magnitudine, propulſandis periculis, belliſque ſuſcipiendis, ac humanitate etiam, comitate, & *popularitate* tanta, vt in Rege; nec maior deſiderari deberet. Sed amabo quis Eunuchorum gracile corpus, aratam rugis frontem, pēdulas genas, depile mentum, fractam, & emaſculatam vocem, defectum corpus; languidos, & degeneres conatus, intueri poteſt, & non

lib. 2. de fort. cap. 34. & lib. 1. de magnanimitat. cap. 3.

con-

continuò exiſtimare cum Arrio Menandro, quod Eunuchus iure militare nō poteſt, ac malè feciſſe Meſſalinam, quę vt Aurelius Victor memoriæ prodidit, *Poſſidi* Eunucho poſt triūphum Britannicum, arma inſignia inter viros fortiſſimos, tāquam victoriæ participi dedit, maximè cum hęc duo Eunuchum eſſe, & arma tractare, ſibi prorſus aduerſari doceat Sidonius Apollinaris, & Claudianus idcirco querat lib. 1. de re milit. lib. 2. epiſt. 8.

quid nobile geſſit
Eunuchus? quæ bella tulit, quas condidit artes

& nihilominus oſtendi libro primo iſtius ſyntagmatis, nō obfuiſſe eiuſmodi formę, ac temperamenti iniquitatem varijs Eunuchis, quominus pręſtātiſſimorum ducūm officiū egregiè ſuſtinuerint, vt pręter *Narſetem* fecerunt *Solymanus Epyrota, Sinamus, Cadum baſſa*, & nonnulli in hiſtoricorum monumentis celebres. Atque his de cauſis pro explorato habendum eſt, quod exteriora illa affectionum internarum indicia, coniectantium aliquando iudicia fallunt, itaut hominum virtus, & pręſtantia ex illorum veſtigijs nō rectè ſemper colligi poſſint. Quod Homerus cùm ſuo more latenter ſignificare vellet, non modo *Thydæum* finxit, cuius deforme corpus, magnæ & bellacis animæ eſſet domicilium, ſed *Nereum* præterea omni arte, ac induſtriā venuſtiſſimum repræſentauit, vt declararet cùm eius nullibi præterquam in Catalogo nauium meminit, quàm ſint inutiles viri exactā formà, & emendatà conſpicui, quoties illis præter eximiam ſpeciem, nihil adeſt aliud, quod ad vſum vitæ conducat, ſic enim Galenus in exhortatione ad bonas artes, mentem Homeri, nec abſurdè quidem meo iudicio interpretatus eſt. Vnde quia non eadem religione Duces eliguntur, qua Sacerdotes, quos malum omen erat cernere corpore mutilo, aut potius, vt Taciti verbis vtar, *mulcato*, nec adeo conſtans eſt virtutis ac formæ mutua neceſſitudo, quin hæ diuidias plerumque faciant, itaut ſub penitus diuerſo corpore idem fermè animus reperiatur, vt doctiſſimus vir Scipio Claromontius exemplis oſtendit *Rogerij* Normanorum, & Apuliæ Reguli, *Alphonſij* Arragonij Regis Neapolitani, & *Caroli Emanuelis* Sabaudiæ ducis, qui permultū inter ſe ſimiles ingenio acuto, benigno, forti, bellicoſo, formà tamen & ſtaturà corporis omnino diſſimiles extiterunt: cùm Rogerius ſupra modum altà &

craſsà

craſsà fuerit, Carolus Emanuel infra mediocritatem, & protuberante dorſo, non ita eleganti; Alphonſus denique iuſtam illam ac prolixè elegantem obtinuiſſet. Propterea inquam neminem puto tam inquum fore ſummis ducibus, vt illorum auctoritati detractum aliquid iri velit, ob eiuſmodi formæ næuos & σφάλματα cùm minus æquũ ſit deformitate corporis foedari animũ, quàm pulchritudine animi corpus ornari.

II. *Nobilitas denique cuius loco ſi non adſit in duce virtutem lubentius admitto.*

Atque illud idem dici poteſt de generis obſcuritate cum virtutibus comparata, in quæſtione quam nonnulli proponunt, Vtrum plus auctoritatis obtineat Imperator, qui nobilitatem generis vna cum opibus & fortunis à maioribus ſuis accepit, an ille qui cum eiuſmodi præſidijs omnibus deſtitueretur, propriâ induſtriâ fortunam ſibi finxerit, illucque ſua virtute conſcendit vnde non facile quiſquam poſſit illum deijcere. Et ſi enim primo ſtatim aſpectu, æquius videri poſſit illud ſuffragium, quod multi pro nobilitate ferunt, non dubito tamen quin contrariũ illis videatur, qui propius in rem intueri, & attenta ſecum cogitatione replicare volent, quicquid in huius opinionis labefactarionẽ, tam vere quàm eleganter apud Saluſtium Marius perorauit, cũ nobilitas Romana ægerrime ferret, hũc a populo delectum qui bellis iam diu antea parũ feliciter cum Iugurta ſuſceptis, finẽ optatũ imponeret, ſic enim ille ad Quirites, *Quæſo reputate cũ animis veſtris num id mutari melius ſit, ſi quẽ ex illo globo nobilitatis adhoc aut aliud tale munus mittatis, hominem veteris proſapiæ, ac multarũ imaginum & nullius ſtipendij, ſcilicet vti tanta in re ignarus omniũ trepidet, feſtinet, ſumat aliquem ex populo monitorem, officij ſui*, ſcilicet non poterat melius ignauæ nobilitatis ingenium repræſentari, quàm illud tribus aut quatuor tantum lineis expreſſit nouus ille ab aratro dux, qui nulla maiorũ gloriâ, ſed ſumma tantũ virtute commendatus, Africam ſubegit, Iugurtam Regem ante currum egit, & Romanum imperium à Cimbrorum impetu, timentibus ipſis patricijs, nec quicquam tunc cùm valde opus erat conſulatum ambientibus defendit, vt merito Iuuenalis cum non ex maiorũ titulis, ſed propria virtute homines æſtimandos docet hoc ipſum eiuſdem Marij exemplo confirmarit, qui licet Volſcorum e montibus ortus, & caſtra munire dolabra ſolitus.

Hic tamen & Cimbros, & ſumma pericula rerum

Ex-

Excipit, & ſolus trepidantem protegit vrbem.

At inquiũt, nobilibus longè capaciores animos indidit natura, quàm obſcuris, vt inquit Plato; & virtus etiam maior illis ineſſe ſolet, vt de Dione conſtat, nec tam facile decipiuntur, quàm illi quos, vt Thucydidi placet, contemptus videtur ſequi. Præterea nemo libenter ei Duci obſequium præſtat, quem ſibi genere & fortunà parem intuetur, nemo libenter obſcuro & plebeio imperatori paret: in nobili vero, facit gentis ſplendor, vt faſces, & lictores, ac cætera inſignia dignitatum, ſint extra inuidiæ nebulam, & vmbram, quaſi is lucem merito obtineat, qui e tenebris non venit. Denique vehementem ingenuis animis ſtimulum incutit natalium ſplendor, & gloria maiorum, ne illis impares eſſe videantur: Nec alia de cauſa Romæ in Atrijs, & foribus ac circa domorum limina, pegmata ſeu hoſtium ſpolia quæ quiſque viciſſet, enſes, clypei, Galeæque, & currus ac deuictarum nauium roſtra exponebantur, niſi vt intuentium animos cogitatio ſubiret, quomodo pari & ipſi exemplo ad magna facinora, magnaſque res audendas inuitarentur: non minus profecto quàm ſi ad illos etiam pertineret, id quod ad Reparatum vrbi præfectum ſcribebat Rex Athalaricus, *redde laudes poſteris tuis, quas tu à maioribus accepiſti*. Et ſanè quantum hæc ornamenta, virtutis infunderent liberalibus animis, præclare his verbis teſtatur Saluſtius, *Sœpius ego audiui Quintum Maximum,* P. *Scipionem ciuitatis noſtræ claros viros, ſolitos dicere, cùm maiorum imagines intuerentur, vehementiſſime ſibi animum ad virtutem accendi; ſcilicet non ceram illam ſiue figuram, tantam vim in ſe habere; ſed memoriâ rerum geſtarum eam flammam egregijs viris in pectore creſcere, neque prius ſedari, quàm virtus eorum famam atque gloriam adæquauerit*. Verum ſi his exemplis ac rationibus ſtandum eſt, in iſtius quæſtionis diiudicatione, non iam ambiguum eſſe poteſt, quin pro plebeis aduerſus patriciorum auctoritatem pronunciandum ſit, poſtquam ipſorum met Fabij, & Scipionis filij, non tam homines fuerunt quàm portenta quædam nobilia, teterrimis ignauiæ ac nequitiæ ſordibus inuoluta, quod idem cùm M. Tullio, Antonino Philoſopho, & tot alijs contigerit, vt fides inde prouerbio enata *filij Herũ noxæ* raro feſellerit? nec philoſophi perperam arbitrati ſint, claritudinem hanc ſanguinis, nihil in poſteros

in Menexemo

de bello Ignot.

ros

ros phyſice, vt loquntur, ſed moraliter tantum imprimere, quatenus vita ciuilis opinione & exemplo non minimum nititur, eat nunc aliquis per nobilium domos, pegmata omnia exploret, atria excutiat, imagines & ſtemmata numeret, vt qui pluribus nitetur, aut vetuſtioribus, eum copijs ſuis præficiat, quem poſtea milites non vt Marium aut Cæſarem reuereantur, ſed tanquam ex antiqua ſtirpe caudicem deſpectui habeant, florentem quippe auctoritate non ſuà, ſed mutuatitià, & alienis non ſuis virtutibus ornatum. Ego ſanè, quantum ab illorum opinione diſſentiam, non libenter profero, quia vt inquit Tullius, *omnes boni ſemper nobilitati fauemus*, & illud etiam ſummopere vereor ne tu, Ludouicè Comes, non ſatis æquo animo feras, ſi coram te nobiliſſimo, de generis ſerie dicenti, aliquid excidat, quod nobilitati vertatur in præiudicium, nihilominus tamen quia tuũ candorem optimè noui, qui certe talis eſt, vt veritati ſuam in omnibus auctoritatem ſeruari velit, illud ipſum quod de exculto & elaborato philoſophi ſermone, ſed leuiter tamen in rem præſentem inflexum, hic proferam, *à duce ſi adferat nobilitatem non aſpernor, ſi non habeat non admodum requiro.* Stultum enim foret qui qualeſue ſint quibus Reipublicæ ſalus tutanda cõmittitur non quærere, cuiuſmodi autem aui & ataui eorum fuerint, quidue geſſerint indagare, quaſi nos illi defendere ac ſeruare queant, qui iam pridem terris exceſſerunt; Adde quod ſicut apud omnes in confeſſo eſt, auctoritas non in poteſtate, ſed in actionibus conſiſtit, non in regno, ſed in animo & virtute imperantis, ſedem ſuam habet, quæ vbi ducem vltra purpuras, & ſceptra, & lictorum miniſteria prouexit, tum demum illi omnium amorem & reuerentiã conciliat, quam fruſtra alioqui à ſua nobilitate expectaſſet, ex quo recte Liuius *miſſus* inquit *Annibal in Hiſpaniam primo ſtatim aduentu omnem in ſe exercitum conuertit deinde breui effecit, vt patris in ſe minimum momentum ad fauorem conciliandum eſſet.* Quamobrem vt equum, Leonem Aquilam ex ſeipſis, non ex alijs quibuſdam rebus ſeiunctis ab eorum corporibus, probamus, ita hominem ex ipſo homine æſtimare debemus. Tantum enim abeſt vt natalium ſplendorem, aut diuitiarum copiam, quicquam in ducem conferre auctoritatis arbitrer, quod potius hanc vehementer talibus imminui contendo

ſuſpi-

ſuſpicioſum eſt enim omne militum genus, ſagax, verſipelle, aſtutum, raroque in illis confidere ſolet, quos ambitu, fauore, nominis, claritudine ſanguinis ad ſupremam illam dignitatem non tam aſcendiſſe, quam violenter irrupiſſe videt: at vero cùm eoſdem honores collatos aſpicit cuidam ſi dicere fas eſt terræ filio, quem non maiores, non cenſus, vel clientelæ, non fauor amorque principis, aut parentum gratia ad iſtud culmen efferre potuerunt, tunc ſummam ac pene incredibilem de eius virtute opinionem concipit, eique velut cœlitus demiſſo numini libenter paret. Vnde concludendum eſt præclara imperatoris facinora, vitæque per ſingulos caſtrenſes honores laudabiliter tranſactæ, & recentem meritorum eius apud omnes memoriam, fulcra eſſe & tibicines auctoritatis, quam ille ſuos inter milites obtinere debet.

Atque hæc ſunt, Ludouice Comes, quæ cùm de hoc militari 12.
ſyntagmate, tum de auctoritate quæ pars eius extrema fuit, mi- *Et finis.*
hi dicenda viſa ſunt. Nam quod politicorum ſolertia, exemplis ducta Sertorij, Alexandri, Scipionis, Muhamedis, ac etiam noſtri Pharamundi qui leges ſuas tamquam ſi Mars illi eas dictaſſet *Salicas* appellauit, de miraculis & diuorum cum hominibus conſuetudine commenta eſt; & quod etiam nonnulli qui ſingula quæque ac minima ſectantur, de morum & cultus honeſtate, conſilio, ſecuritate, fide, taciturnitate, & ſimilibus monent; præterquam non operæ prætium faciunt ad auctoritatem conſequẽdam; & nullum in ſe finem habent, niſi quem vir prudens illis præſcribendum cenſet, multa inſuper illorum non modo falſa ſunt, ſed etiam prorſus indigna ſtrenuo ac maximo duce, ne dum Chriſtiano. Quamobrẽ ſupereſt, Ludouice Comes, vt hęc omnia quæ paucioribus in tam vbere materia dicere non debui, & quæ nũc acerrimæ tuæ cenſuræ diſcutiẽda offero, ſic pro tua ſingulari humanitate, æqui bonique cõſulas, vt etiam ſi conatus meus in hiſce congerendis, non talis fuerit, quem laudare poſſis, animũ tamen ames, qui non alio officio ſe tibi deditiſſimum probare voluit, quàm eo quod vtroque noſtrum maximè dignum eſſet. Te quidem cuius muneris eſt nunquam in excolenda armorum gloria ceſſare, cui te vni parens tuus optimus, & ſapientiſſimus deuouit; Natura tam emandato, & robuſto corpore habilem

fecit

Digitized by Google

ſecit; & maiorum etiam claritatis, ac fortitudinis ſuauiſſima recordatio, vehementer, vt incumbas perſuadet; me vero qui Eminentiſſimi tui Patrui liberalitate, ac munificentiâ abuti viderer, niſi otium illud liberale, quod mihi pro ſummo negotio eſſe voluit, tua in cõmoda, aut ſaltem oblectamenta conuerterim. Qui autem melius iſtud facere potui, quàm eorum omnium collectione, quæ de rebus bellicis optimi ſcriptores conſulunt, hoc meum adornare ſyntagma; vt quemadmodum natura inſeuit magnanimo tuo pectori ingenuam glorię cupiditatem, qua perpetuo ſuccenſus exſtimulatusque, raperis ad arma, per bellorum tumultus occaſionesque ſtrenuè tractanda; ſic ego ea tibi, è meo penu ſubminiſtrarem, quibus ne quidem in tranquilla pace, ab ipſis armis, ſi non tractandis, at ſaltem replicandis animo, ex varia iſtius Syntagmatis lectione abſtineas, vnde ſi me tibi in eo ſatisfeciſſe intellexerim, erit quod ſummopere tuæ humanitati gratuler, & mihi etiam non mediocriter gaudeam, qui fructum huius laboris tulerim, quo nullum ego maiorem vnquam optaui, aut iucundiorem.

Hæc mea vota ferunt, ſic tu LODOICE, potenti
Dextrà acies rumpens, ſic tu molimine mentis
Victor in aduerſas ducens tua caſtra Phalanges,
Ibis in ęternum famæ decus, ò mihi dulce
Quantum erit, eximiæ repetens ab origine quondam
Facta tuæ gentis, longo de Stemmate nomen
GVIDIADVM proferre, tuiſque ingentibus auſis
Tot proceres ornare tuos, atque inclita rurſum
Facta patris, veterumque ſimul decora alta parentum
In laudes reuocare tuas, quo ſingula poſſim
Complecti, tituloſque nouos, vetereſque referre.
Atque operi præclaro optatum imponere finem,
Quod modo FRANCISCI lætus ſub murice condo.

FINIS.

A01 146 2796

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

C.114.

Digitized by Google

Digitized by Google